℟. Aquæ fluxibiles ſunt creaturæ ratione vtentes, vt Angeli, & homines, qui Angeli, & ſi immortales ſint in ſui eſſentia, & homines quoad animam, tamen continuè fluunt per mutationem, ſaltem cogitationum, & affectionum; immo & vertibiles ad bonum, & malum ante ſui glorificationem: in medio ergo harum aquarum poſitum eſt iſtud firmamentum Beata Maria, & in medio Sanctorum viæ, & patriæ diuiſa eſt ab vtriſque exiſtens ſupra communem ſtatum vię, & infra ſtatum patriæ communicans cum vtriſque, habens cum ſuperioribus virtutum perfectionem, cum inferioribus merendi conditionem, cum ſuperioribus ſecuritatem contra caſum, cum inferioribus poſsibilitatem ad meritum. *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 4. §. 2.*

Delicias terrenas contemſit; cœleſtes deſiderabat.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 6. *Et diuidat aquas ab aquis.* Cur aquæ ſuperiores diuiſę fuerunt ab inferioribus?

℟. Per aquas intelliguntur deliciæ, & Maria inſtar firmamenti, aquas ſuperiores, id eſt, delicias cœleſtes habebat ſuper ſe per deſiderium: aquas verò, id eſt, delicias terrenarum, ſeu carnalium voluptatũ, habebat ſub ſe per contemptum. *B. Albert. Magn. lib. 7. de laudib. B. M. cap. 2.*

Deuotos ſuos eleuat à fluxu vitiorum, ad deſiderium æternorum,

Dub. 19. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 6. *Diuidat aquas ab aquis.* Cur diuiſit aquas ab aquis?

℟. *Apocalipſis* 17. Aquæ multæ populi multi; & Maria quæ eſt firmamentum, in ſuis amatoribus diuidit aquas ab aquis, id eſt, eos, qui prius erant fluxibiles per peccata, & vitia eleuat à fluxu vitiorum, ad deſiderium æternorum, quando videlicet ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem ſpiritu, id eſt, humilem, vt ſedeat cum Principibus, id eſt, cum Angelis cœleſtibus ſpiritualiter requieſcat. *B. Albertus Magnus vbi ſupra.*

Concepit nõ ſolum Chriſtum, ſed & nos ipſos, quaſi concepit,

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 10. *Congregationes aquarum appellauit Maria.* Cur congregationes aquarum appellauit Maria?

℟. Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria. Nonne hæc exeuntem populum de Ægipto concepit vtero, & emergeret cœleſtis in nouam creaturam renata progenies? Iuxta illud Apoſtoli: *Omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. D. Petrus Chriſolog. Serm. 146.*

Quaſi per Baptiſmum, per Virginẽ Mariam reformamur in nouam creaturam.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 10. *Congregationeſque aquarum appellauit Maria.* Cur congregationes aquarum appellauit Maria?

Mare eſt omnium gratiarum, omeſq; gratiæ Sanctorum in vnam Virginem congregantur.

℟. Congregatis omnibus gratijs Sanctorum in vnum locum; ſcilicet, in animam Virginis, appellauit eam Mariam, quaſi mare gratiarum. Omnia enim flumina in mare intrant, *Eccleſ.* 1. id eſt, omnes gratiæ in Mariam, & mare non redundat in aliquam ſuperbiam. *D. Antonin. 4. p. tit. 15. cap 4. §. 2.*

Fructu B. M. ſublatum eſt nocumẽtum pomi noxialis.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 11. *Lignum pomiferum.* Quod nam eſt lignum pomiferum huius terræ?

℟. Pomiferum, cuius pomum Chriſtus Dominus, contra pomum toxicatum toxico inobedientię, & cõtra vuam acerbam, quod, vel quam diabolo ſuggerente primi parentes comederunt, de quibus prędictũ fuerat Adæ, *Geneſ.* 2. *In quacumque die comederis, morte morieris*, de qua vua dicitur, *Ezechil.* 18. *& Ierem.* 31. *Patres noſtri comederunt vuam acerbam*, ſed in hoc pomo inuenta eſt triaca, qua toxicum illud effugatum eſt, & vua acerba iam non facit obtupeſcere dentes, ideò canit Eccleſia de hoc pomo:

Non enim Adam ſeductus,
Si de hoc guſtauerit.

Pomum autem pulcherrimum viſu, delectabile intuitu, ſuauiſsimum olfatu, ſanum guſtu, ſanatiuum affectu, hoc pomum Beata Virgo obedientia fidei concepit, quo ſublatum eſt de medio nocumentum pomi illius noxialis. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laudib. B. M. §. 18. num. 2.*

Chriſtum hominem feci conſentiẽdo

Dub. 23. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 11. *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Cur dicitur, *faciens fructum?*

℟. Bene dicit faciens, quia Virgo Chriſtum hominẽ fecit conſentiẽdo, vt de eius

ſubſtantia fieret Verbum caro, & verus Filius Dei, verus homo. *B. Alb. Magn. lib. 12. de laudib. B.M.*

Dub. 24. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 11. *Faciens fructum iuxta genus ſuum.* Cur lignum pomiferum faciebat fructum iuxta genus ſuum?

Mater expreſsit qualis futurus erat Filius.

℟. Iuxta genus ſuum, id eſt, tota pulchra pulcherrimum, tota dulcis dulciſsimum, tota odora ſuauiſsimum, tota ſapida ſapidiſsimum, tota delicata delicatiſsimum, tota colorata coloratiſsimum, tota viuifica viuificatiſsimum, tota medecinalis medicinaliſsimum. *Albert. Magn. lib. 12. de laud. B.M.*

Semen, & fructum ventris in ſe ſola habuit, alię mulieres in ſe ipſis, & in viro.

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 11. *Cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Cur ſemen in ſemetipſo?

℟. Aliarum enim arborum, vel lignorum, hoc eſt, aliarum mulierum ſemen, ex quo fit fructus in ſe non eſt, ſed in alio, hoc eſt, in viro, quia fructus, id eſt, puer ex ſemine naſcitur vtriuſque: ſed hoc benedictum lignũ in ſemetipſo, id eſt, in ſe ſolo habuit, & ſemen, & fructum, id eſt, Filium ſuum, quod vtique eſt ſuper terram, id eſt, humanam naturam. *B. Albert. lib. 12. de laud. B.M.*

Summa puritate, luceq; virtutũ oportebat ſplendeſcere, quæ Mater futura erat Chriſti.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 14. *Fiat luminaria in firmamento cœli.* Ex qua materia factus eſt Sol?

℟. In quarta die fecit Deus luminaria magna; ſcilicet, Solem, Lunam, & Stellas: Sol autem Iuſtitiæ eſt Chriſtus Deus noſter; Sol autem materialis dicitur factus illa die ex nubecula illa facta prima die, quę dicta eſt lux ſecundùm quoſdam Doctores; ita & Sol ſpiritualis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, factus eſt, conceptus, & natus de nubecula lucida, id eſt, Virgine Maria; tunc & Luna etiam formata, id eſt, Eccleſia à Chriſto illuminata ſicut Luna à Sole, habuit ſuam perfectionem vnitam in noſtra humanitate cum Deo in vtero Virginis. *D. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 4. §. 2.*

Signum fuit gratiæ in incarnatione datæ, & demonſtratæ.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 14. *Et ſint in ſigna.* In quæ ſigna?

℟. Fuit Beata Virgo ſignum magnæ gratiæ in incarnatione Filij Dei demonſtratæ, & datæ: ſignum enim operit, & claudit, quod ſignatum eſt: ſic Beata Virgo in immaculato vtero ſuo ex dono gratiæ magnæ, & infinitæ, clauſit, & aperuit Filium Dei pro nobis, quando Verbum caro factum eſt. *D. Bernardinus Senenſis tom. 1. Serm. 61. articul. 2. cap. 1.*

Chriſtus præeſt Iuſtis, B. Maria peccatoribus.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *Luminare maius vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Cui præeſt Maria Virgo?

℟. Luminare maius Chriſtus, qui præeſt diei, id eſt, Iuſtis: luminare minus Beata Maria, quæ præeſt peccatoribus, *Hug. Cardinalis.*

Peccatores illuminat.

Dub. 29. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 16. *Luminare minus, vt præeſſet nocti.* Cur aſsimilatur Lunæ?

℟. Hæc eſt ſpiritualiter Beata Maria, de qua dicitur, *Cant. 5. pulchra vt Luna*; illuminans viatores, qui ſunt in nocte huius mundi tenebroſi. *D. Antonin. p. 4. tit. 15. cap. 33. §. 2.*

Gratiam à Chriſto recepit.

Dub. 30. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 16. *Luminare minus, vt præeſſet nocti.* Cur vocatur luminare minus?

℟. Vt refert *B. Aug. ſuper Pſalm.* alij dicunt Lunam à ſe habere lumen ſuum; alij verò non à ſe, ſed à Sole, & hinc eſt, quod cum Sol reſpicit eam ex directo exiſtens; ſcilicet, in Occaſu, & ipſa in Oriente appareat plena tota luminoſa, ſed cum non ita directè apparet, non tota, ſed corniculata. Iſta igitur Luna lumen ſuum gratię vtique à Sole Iuſtitię recipit, vt ipſa ait, *Lucæ 1. Fecit mihi magna, qui potens eſt & ſanctum nomen eius. D. Antoninus vbi ſupra.*

Exemplo, & merito plus operatur in nobis, quàm alij Sancti.

Dub. 31. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 16. *Luminare minus, vt præeſſet nocti.* Quid Virgo cum Luna?

℟. Quia vicinior eſt nobis Luna, quàm alij Planetę, ideò magis, & ſenſibiliùs in iſtis inferioribus influit, & operatur, in infirmis grauiter in ſumendis medicinis, in arboribus incidendis, & huiuſmodi; ſic iſta Luna virginalis plus in nobis influit, & operatur, merito, & vitę ſuę exemplo, quàm alij Sancti. *D. Antoninus vbi ſupra.*

Vitæ actiuæ, & contemplatiuæ dedit.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 21. *Creauit Deus omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum.* Cur comparatur volucribus cœli, & piſcibus maris?

℟. In quinta die creati ſunt volucres cœli, & piſces maris. Volucres ad alta volantes ſunt actus vitę contemplatiuæ, piſces in mari fluctuanti diſcurrentes ſunt actus vitę actiuę, & vtrique ex aquis abundantiſsimę gratiæ eius proceſſerunt. Quis enarrare valeat, vel etiam cogitare altiſsimas contemplationes, quas habuit in conceptu Filij, in viſitatione Eliſabeth, quando dixit: Magnificat anima mea Dominum, in Natiuitate Filij, cum vidit Deum ex ſe natum, ab Angelis collaudatum, à paſtoribus, & Magis veneratum, à Symeone declaratum, & poſtea in prædicationibus, miraculis auditis, & viſis exaltatum. Nec tamen defuerunt in ea piſces, id eſt, actus miſeri-

cor-

cordiæ actiuæ vitę ad proximum, & cum labore, nam nudum Filium veſtiuit, cibo pauit, lacte potauit, hoſpitem in domo ſua paupercula recepit, fugauit eum in Ægiptum, ne perderetur. Laborabat manibus, vt eius neceſsitatibus prouideret, denique iuxta Crucem ſtans cum Filio crucifixo, Cruci per compaſſionem confixa erat. *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 4. §. 2.*

Spiritus Sanctus in B. Virgine, & Chriſto, non in alijs Sanctis perfectè requieuit.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Cur Deus die ſeptimo requieuit?

℟. Sicut in die Sabbatho Deus requieuit ab omni opere ſuo; ſic Chriſtus intrans Marię vterum, requiem inuenit in eius ventre, & mente: in nullo enim alio Sancto Spiritus Sanctus requiem habuit niſi in Chriſto, & Virgine Beata, quia in alijs Sanctis habuit aliquid repugnans ſaltem peccatum veniale: in Chriſto autem, & Virgine nihil repugnans inuenit, ideo perfectè ibi requieuit. *Iacobus de Voragine Serm. 2. Sabbat. poſt Cineres.*

Benedicta antequam nata.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Cur diei ſeptimo benedixit?

℟. Ipſe Deus poſtquam cuncta creauit per verbum ſuum, & cum Spiritu Sancto benedixit Beatiſsimæ Marię in figuram, & Beatam dixit, quando benedixit diei ſeptimo, in qua requieuit ab omni opere, quod patrarat: eſt autem iſta benedictio operum conſummatio, à peccatis vocatio, æternę requiei præfiguratio, quia omnia plenè reperiuntur in Beata Maria. Fuit enim in Beata Maria perfecta operum conſummatio, quando omnia creata in vno homine vniuntur cum Creatore, & primum fit vltimum, & vltimum fit primum; non enim eſt perfectio motus, vel operis niſi in circulo. Eſt ſecundo in Virgine vera à peccatis ceſſatio, in eius enim voluntate peccatum nullum fuit, nec eſſe potuit. Tertio requies etiam huius non fuit futuræ requiei ſignum tantum, ſed etiam cauſa. Si ergo ſeptima dies eſt benedicta propter Sabbathum Dei, id eſt, ceſſationem ab operibus, & tamen excellentior eſt Sabbathiſmus recreationis, qua ſcilicet requieſcens in Virgine mundum recreauit, Sabbatho creationis, ergo & benedictio maior; in omnibus enim requiem quęſiuit, & in ipſa ſola inuenit, in qua inuenit omnia quæcumque quæſiuit. *D. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 23. §. 1*

Opertum Dei conſummatio perfecta fuit in B. Virgine,

In voluntate Virginis non fuit peccatū

Maior benedictio collata Virginis

Sola in Beata Virg. Deus requiem inuenit.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Et benedixit illi.* Cur dies ſeptima benedicitur?

Benedicta à Deo, Angelo, & à mundo.

℟. Sicut Deus diem Sabbathi benedixit: ſic Beata Virgo fuit ab omnibus benedicta, & à Deo, quia ipſam elegit, & ab Angelo, quia ipſam ſalutauit, & à toto mundo, quia ipſam laudat, & veneratur. *Iacobus de Voragine Serm. 2. Sabbatho poſt Cineres.*

Opera gratię fecit Deus in B. Virgine, per quæ fuerunt omnia reperta.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Complenitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Cur in Sabbatho omnes creaturas compleuit?

℟. Sicut Dominus in Sabbatho omnes creaturas fecit, & compleuit: ſic in Beata Virgine vniuerſa refecit: fecit tunc Deus vniuerſa opera naturæ, quæ per peccatum fuerunt corrupta; ſed in Beata Virgine fecit opera gratiæ, per quæ fuerunt omnia reperta. *Iacobus de Voragine Serm. 2. Sabbatho poſt Cineres.*

Dies Sabbathi ſtatuta in veneratione B. M.

Fides manſit in Virgine tępore Paſſionis.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Cur Sabbatho benedixit?

℟. Die ſeptimo quieuit ab operibus ſuis Deus, & Chriſtus in ſepulchro, & tunc fides in Virgine ipſa; ideò benedixit ei, & ſanctificauit, ſtatuens eam diem ſeptimam in veneratione haberi à fidelibus in honorem eius. *D. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 4. §. 2.*

In propoſito tenax.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur Beata Maria dicitur limus terræ?

℟. De limo terræ, id eſt, de Beata Virgine. Limus, terra tenax, & tractabilis, & Beata Virgo tenax in propoſito. *Lucæ 1. Quommodo fiet iſtud?* Sed ſi tenax, non tamen pertinax, vt cognouit Dei voluntatem, vnde: *Ecce Ancilla Domini,* Tractabilis fuit. *Iſaiæ 11. Egredietur Virga de radice Ieſsè. Bernardus.* Reuolue totam Euangelij ſeriem, & ſi quid durum, ſi quid aſperum inueneris in Maria, deinceps eam ſuſpectam habeas, & ad eam accedere verearis. *Hugo Card.*

Tractabilis eſt, nihil in ea durū, vel aſperum.

Corruptionis, & contagij expers, quem Deum & hominem erat pro creatura.

Dub. 39. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 7. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Cur de terra incorrupta Adam formatus eſt?

℟. Porrò præfata terra eandem Virginem demonſtrat terræ nomine appellatam, propter quandam ſimilitudinem. Sicut enim verus Adam de terra incorrupta, nullumque paſſa contagium formatus eſt, ſic terris terra Virgo nouum Adam procreauit. *D. Amadæus Epiſcopus Lauſanenſis Homil. 3. de laudib. Beatæ Mariæ.*

Tres valdè mirabiles naſcendi ſpecies operata eſt Trinitas.

Dub. 40. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur dicitur hominem fuiſſe formatum de limo terræ?

℟. Si solicitus perscruteris: præter hunc legitimum humanæ conceptionis vsum, tres valdè mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem: & prima est quidem, quod Adam figuratus ex limo est: secunda, quod mulier formata de masculo: tertia, quæ, & cœlestis est, quod Christus processit ex Virgine. *S. Leo Homil. 3. in Natali Domini.*

Quatuor modi generationis.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 2. vers. 7. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Cur iste modus generationis Adam ponitur?

℟. Quatuor sunt modi generationis humanæ secundùm Anselmum, nec est inuenire alium modum, primus fuit sine fœmina, & masculo, vt Adam factus à Deo, secundus fuit sine fœmina ex viro, vt Eua ex costa Adæ. Tertius est ex muliere, & masculo, vt est communis omnium naturalis generatio; restabat & quartus modus, scilicet ex fœmina sine viro, & hoc est Virginis Mariæ solum, vnde Mater, & Virgo, quod est singulare priuilegium. *D. Antonin. 4. part. titul. 15. cap. 20. §. 8.*

Priuilegium singulare B. M. quod sit Mater, & Virgo.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 2. vers. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Cur B. Virgo dicitur paradisus?

Virtutibus omnibus ornata.

℟. Paradisus potest significare Virginem gloriosam, quę proculdubio in oriente lucis gratiæ fuit sita; sursum ad cœlestia per affectum, & contemplationem erecta, à mundo per contemptum diuisa, in se solitaria, & secreta, aquis gratiarum irrigata, & virtutum arboribus fœcundata; in ipsa enim & in eius medio fuit lignum vitæ, id est, charitas, lignum scientię, id est, veritas. *Bercorius cap. 2. in Genesim.*

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu.* Cur de humo produxit omne lignum pulchrum?

Gratiarum germina, exemplaria virtutum à B. V. produxerunt.

℟. De ista humo, hoc est, de terreno paradiso, produxit Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam vitæ in medio paradisi: Istam humum, istam terram suam nempè Virginem Matrem benedixit Dominus, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ, Christum Deum, & hominem Dominum paradisi cœlestis. *Rupertus lib. 4. in Cantic.*

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Cur dicitur lignum vitæ?

Cibum vitæ generauit.

℟. Ipsa Virgo virginum vernans in floribus, & in fructu suauitatis delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio paradisi attolit verticem in altitudinem cœli: inter hos, & horum media consurgit arbor, quam diximus, salutifera generans cibum vitæ, & manna cœleste. Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatem, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum. *Amadæus Homil. 1. de fructibus, & floribus Sanctissimæ Virginis Mariæ.*

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu.* Cur dicitur paradisus?

Sine semine fructum germinauit salutarem.

℟. O terra sine semine, & fructum germinans salutarem! O Virgo, quæ ipsum vicisti deliciarum paradisum! Illa namque sine semine omne plantationis genus protulit ex virgine terra, exortis plantationibus: hæc autem virgo illa terra melior est. Non enim pomorum protulit arborem, sed virgam Iesse fructum Saluatorem hominibus afferentem. Et illa terra virgo erat; & ista virgo, sed illius quidem arborem nasci præcepit Deus, huius autem virginis ipse Creator secundùm carnem factus est germen. Nec illa terra ante arboris frondes suscipit; nec hæc ex partu virginitatem læsit; Virgo glorioſior paradiso facta est; ille enim Dei cultura factus est; hæc autem secundùm carnem Deum coluit eligentem hominis copulari naturæ. *Theodotus Ancirorum Episcop. de Natiuitat. Domini, apud tom. 6. Concil. cap. 2.*

Virginitas in partu illæsa.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 2. vers. 10. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Cur fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum?

Scripturarum aquæ per B. Virginem viuentes factæ sunt.

℟. Per te initium accepit Sanctum Euangelium, vt per vniuersum mundum spiritalem irriget paradisum. Aquæ sua aptè natura salsæ erant, & amaræ, ascendendo autem per illam terræ mammam scilicet terrestrem paradisum, versæ sunt in dulcedinem, vt dulces, atque potabiles irrigarent terram, & facerent habitabilem, seminumque feracem. Similiter aquæ scripturarum ex te soror mea sponsa dulcescunt, siue per te viuentes factæ sunt; aliàs autem valdè amaræ, immo, & mortuæ, atque mortificantes sunt, littera autem occidit. *Rupertus.*

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 2. vers. 10. *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* Cur fluuius de paradiso egrediens diuiditur in quatuor capita?

Misericordia Virginis ad omnes creaturas superiores, & inferiores extenditur.

℟. Fons enim misericordiæ Virginis Benedictæ in quatuor partes est diuisus, & in quatuor flumina dispertitus, quia scilicet vnus de suis fluuijs vadit ad Angelos, & ad Sanctos, vt lætificentur; alius ad miseros, vt in tribulationibus consolentur; alius ad Iustos, vt in bono confirmentur;

Omnibus omnia facta est.

alius

alius ad peccatores, vt à criminibus releuetur. *Bernardus* enim dicit, quod iſta omnibus omnia facta eſt, & quod in ipſa inuenit Angelus lætitiam, Iuſtus gratiam, miſer conſolationem, peccator veniam. *Bercor. in cap. 2. Geneſis.*

Chriſtus inſtar fluminis viui, vterum Virg. egreſſus eſt, vt per Euangelium mundum irrigaret.

Dub. 48. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 10. *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* Cur in quatuor capita diuiditur?

℟. Verè tu Benedicta, ſenſu, intellectuq; prædita, viuidi ſalutis noſtræ ligni paradiſus, quę ipſum horti Edem colonum, Chriſtum, inquam, Dominum intra te habes, figuris in te adumbratum; qui ineffabili quadam potentia, fluminis inſtar viui purum vterum tuum egreſſus, quatuor velut initijs per Euangelium ſuum Orbis faciem irrigauit. *Andræas Hieroſolim. in oratione S. Mariæ.*

Homini non erat bonum Chriſtũ eſſe ſine Virgine Maria.

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 18. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adintorium ſimile ſibi.* Cur non erat bonum hominem eſſe ſolum?

℟. Sufficere poterat Chriſtus, ſiquidem, & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt, ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum; Diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem, ſola illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & iudicium; deniq; Deus noſter ignis conſumens eſt, quid ni vereatur, peccator accedere, ne quemmadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt. Reuolue diligentius Euangelicæ Hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum, vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero ſuſpectam habeas, & accedere vereatis. *D. Bernardus de Verbis Apoſt.*

Accedere ad Mariam non eſt trepidandum.

Decuit B. V. eſſe in cœlo iuxta Filium vt pro humano genere intercedat.

Dub. 50. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 18. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum.* Cur non decet hominem ſolum eſſe?

℟. Non decet eum (ſcilicet Chriſtum) eſſe ſolum, ſed me Matrem ſuam ſecum iuxta eum datam ſibi in adiutorium in redemptione per compaſsionem maximã, in glorificatione, nunc per interceſsionem continuam pro humano genere, vt cum Deus peccatis hominum diluuio flagellorum minatus fuerit terram ſubuertere, ego vt arcus appaream in conſpectu eius, indeque recordatus fœderis ſui repropitietur eiſdem, ne diſsipet mundum. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 44.*

In opere noſtræ ſalutis V. M. adiuuit Chriſtum.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 18. *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Cur data in adiutorium?

℟. Fuit Dominus cum Maria, & ipſa cum Domino, in eodem labore, & in eodem opere noſtræ redemptionis. Mater miſericordiæ, Patrem miſericordiarum adiuuit in opere noſtræ ſalutis. Vnde prædictum erat *Geneſ. 2.* De prima muliere: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium; illa enim litteralis Eua viro ſuo non fuit adiutorium, ſed deſtructorium magis, hæc autem in adiutorium. *B. Albert. Magn. lib. 1. de laudibus B. M.*

Maria V. commitè ſe præbuit Filio in noſtra inſtauranda repara-tione.

Dub. 52. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 18. *Faciamus ei adiutorium.* Cur data in adiutorium Chriſti?

℟. Cor Marię dulce, & amantiſsimum, pluſquam dici poteſt amaricatum eſt Filio crucifixo, & animæ eius totalis alueus per compaſsionem repletus eſt torrente paſsionis, quæ videlicet anima tunc vulnerabatur ob iniquitates noſtras, & atterebatur ſuo modo propter ſcelera noſtra, dolores ſiquidem noſtros, & filij, & languores noſtros, & Vnigeniti tunc ipſa portauit in intimis pietatis viſceribus; Nam tunc fuit omnis plaga triſtitia cordis eius. *Eccleſ. 25* Charitate autem eximia, qua vulnerabatur Vnigenitum ſuum dedit pro ſceleribus noſtris, & fructum vteri ſui pro peccato animarum noſtrarum. *Mich. 6.* Tunc impletum eſt illud, quod de prima muliere dixerat Deus in figura Mariæ, quaſi loquens de ſecundo Adam: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Nolebat itaque Deus Pater, ſi liceat ita loqui, ſolius Filij morte ſaluari genus humanum, ſed diſpoſuerat in manu fœminę tradere Siſaram, & quod vna mulier Hæbrea confuſionem faceret in domo Nabuchodonoſor. *Iudith. 4. B. Albert. Magn. lib. 2. de laudibus B. M.*

Ad Imaginẽ Chriſti effi-gia.

Dub. 53. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 18. *Simile ſibi.* Cur ſimilis Chriſto?

℟. Mundo itaque tenebris oboluto, & deformato, adeò Solem Iuſtitiæ ſpecioſum forma prę filijs hominum edidit, & ideo lumen veritatis, & ſpeciem deformitatis ſpecioſam reſtituit. Ipſa igitur ſingulariter ſpecies Chriſti prę omnibus ſpecioſa, Chriſtoque ſimillima non ſolum ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in aliis hanc reſtituens. *Ricard. de S. Victor. cap. 39. in Cantic.*

Maria Virgo Chriſti Imagine in alijs reſtituit.

In incarnatione Filij nõ ſoporatur Virgo, ſed Vigil, & intẽta adeſt vt Myſterij eſſet conſcia, & per voluntatẽ coo-peratrix.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 21. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam.* Cur ſopor immittitur Adę, vt de eo fiat fœmina. Virgini autem non immittitur, vt de ea incarnetur Verbum? Sed Angelus ad eam mittitur?

℟. Ob hoc enim Angelus ad eam miſſus eſt, Vigil ad Vigilem, Gabriel ad Virginem, vnde *Daniel 4.* Myſticè ſcriptum eſt: Ecce Vigil, & Sanctus deſcendit de cœlo; non enim ſicut ad primum hominem

nem, vt de eo fieret fœmina, missus est sopor in Virginem; sed vt de ea incarnaretur sapientia Dei, missus est Angelus ad Virginem, Vigil ad Vigilem, vt esset tanti secreti conscia, necnon vt voluntaria, atque prompta cooperatrix & ministra. *D. Bernardinus Senens. tom. 3. serm. 6. art. 3. cap. 3.*

Cooperandō Deo,

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 2. vers. 21. *Tulit vnam de costis eius, & replevit carnem pro ea.* Cur replevit carnem pro costa?

Humana natura repleta est ex Virgine, & facta quasi fortis.

℟. Repletio ossis de carne insufficiens est & infirma repletio, in virginali autem vtero de muliere factus est vir, vnde *Ad Galat. 4. Misit Deus filium factum ex muliere*, in signum restaurationis, & reparandæ virtutis, & de purissimo Virginis sanguine secundum Damascenum, vel de carne eius factum est os ad litteram in instanti Conceptionis; & mysticè ille, qui est os, & robur Ecclesiæ, & ita in virgine, & ex virgine repleta gratia, suppleta est, & repleta humana natura, & facta quasi ossea, & fortis, cum prius esset carnea, & flexibilis ad peccandum. *B. Alb. Mag. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 1.*

Dub. 56. Ad illa verba, cap. 2. ver. 22. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Cur Eua in Paradiso ex costa Adami coagmentatur, cum Adam extra Paradisum sit factus?

Nascitur sancta,

℟. Adamus extra Paradisum factus in Paradisum translatus est, Eua ex costa Adami in Paradiso iam existentis, ibidem coagmentata, *Genes. 2. num. 8. & 22.* cæteri omnes procul à Paradiso in lucem prodierunt. Sed cur hic honor vni Euæ ex omnibus mortalibus defertur: crediderim sanè in gratiam Mariæ, quæ cæteris in peccati exilio nascentibus, ipsa sola nascitur in Paradiso sanctitatis. *Pater Mendoza lib 1. Reg. cap. 4. Ver. 11. num. 9.*

Dub. 57. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 22. *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Cur dicitur Eua ædificata, cum de Adam dicatur *Ver.* 7. quod fuit formatus, non ędificatus?

Corpus efformauit sibi Christus de Maria,

℟. De Adam quidem dixit: *formauit*, de Eua verò non formatam esse, sed ędificatam. Accepit enim, inquit, vnam ex costis eius, & ędificauit ipsi in vxorem. Quo ostendat Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa ędificatam esse Ecclesiam, in eo quod punctum, & apertum est ipsi latus, & mysteria sanguinis, & aquę, pretia redemptionis facta sunt. *D. Epiphanius lib. 3. hæresi 78.*

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 2. ver. 23. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Cur Adam dixit de Eua, quod erat os ex ossibus, & caro de carne sua?

Mater, & Filius vna caro

℟. Ipsa sola potest dicere de Christo homine illud. *Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Vnde & dicit ei Filius. *Iob 10. Pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me*, quod fuit propriè, quando ipsa consensit, quod Filius Dei caro fieret in ea, & ex ea, quando videlicet respondit Angelo: *Fiat mihi secundùm verbum tuum. Lucæ 1.* Ideò dicitur *Genes. 2. Et primæ. Corinth. 6. Erunt duo*, id est, Christus, & Maria *in carne vna*, virginali; quia Mater, & Filius vna caro. Ideò etiam dicit *B. Bernardus.* Hæc est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prę rogatiua Mariæ, quod Filium vnum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem. *B. Anselmus.* Deus Filium suum, quem solum de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam se diligebat, ipsum dedit Marię, & ex Maria fecit sibi Filium, non alium, sed eundem ipsum, vt naturaliter esset vnus, idemque Filius Dei communis, & Mariæ. *B. Albert. Magnus lib. 3. de laudib. B. M. V.*

Eundem Filiū cum Deo Patre meruit habere communem.

Ddub. 59. Ad eadem verba, cap. 2. vers. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Cur gloriatur Adamus, quod ex se dormiente, Eua fuerit ædificata?

Adamus laudem quam Deo tribuere debebat, sibi arrogauit.

℟. Quemmadmodum Adam ad Euam, ita B. Virgo dicere potuit ad Deum Filium: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ne carne mea.* Et quidem longè humilior, quàm Adam, nam hic de Eua, quæ ex se dormiente, atque adeò ignorante, prodierat, inaniter gloriabatur, & cum solam costam fabricandæ mulieri subministrarit, etiam carnem se ad eius fabricam subministrasse iactabat, os ex ossibus, & caro de carne, & ideò fortasse nullam dicitur laudem Deo tribuisse, quippè quam sibi totam arrogarat, vnde merito corruit, per quam superbierat: at Beata Virgo, de Filio, quem sciens, & consentiens genuerat, & cui tot efformando purissimam sui substantiam contulerat, nullam sibi gloriam vsurpabat, sed totam, atque integram Deo tribuebat. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Vers. 11. num. 34.*

Nullam gloriam vsurpabat sibi B. M. totam Deo tribuebat.

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 2. vers. 23. *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Cur B. M. dicitur Virago?

Virago dicitur B. M. quia de ipsa sumptus vir eius, id est, Christus.

℟. Designata est per Euam, quæ appellata est Virago. *Genes. 2.* quia de viro suo sumpta est. Maria autem Virago, quia de ipsa sumptus vir suus, quando scilicet ex magnitudine fidei consentiens, vt de sua substantia fieret Christus homo, respondit: *Lucæ 1. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi.* Virago etiam, id est, viriliter, vouendo prima virginitatem absque omni præcepto, consilio, & exemplo. Vnde in figura eius dictum est. *Iudith. 15. Tu gloria Ierusalem, & tu lætitia Israel, qui vicisti viriliter,*

Viriliter egit vouendo prima virginitatem.

ter,

Dilexit viriliter filium in paſsione.

ter, & confortatum eſt cor tuum, eò quod caſtitatem amaueris. Multis etiam aliis modis egit viriliter, quod longum eſſet enarrare. Sed maximè viriliter egit, & virilliter dilexit in filij paſsione, ita vt ad titulum. Laudis eius, & gloriæ ſufficiat, quod eius mentem tanta vis amoris accenderat, vt fugientibus diſcipulis, oblita ſexus fragilis, ipſa cum lachrymis, & aſtans Cruci, & condolens morienti animam ſuam pro filio ſuo, & ſi non poſuit, expoſuit tamen. Quis enim ſani capitis dicat ipſum talem matrem, à tali filio tam dilectam minus dilexiſſe filium ſuum vnigenitum, & talem filium, quàm Dauid Abſalon fatricidam, qui dicebat. 2. *Reg.* 18. *Quis mihi det vt moriar pro te fili mi. B. Albert. Magn. lib. 4. de laudib. B. M.*

Dub. 61. Ad eadem verbá, cap. 2. ver. 23. *Hæc vocabitur Virago.* Cur Maria Virgo Virago?

Dum Mater fit, Virgo conſiſtit.

℟. Virgo primitiuum fœminæ nomen. Appellauit enim Adam ſuæ naturæ primam conſortem Virago, eo quod de viro ſumpta eſſet, ſed ſyncopato verbo, remanſit hoc, quod dicimus Virgo, quæ eſt ſecunda pulchritudo humanæ naturæ, vt prima, quod fit; ſecunda, quod Virgo conſiſtit. Diuina Virgo Filia Patris Æterni, Mater Æterni Filij, plus habet in occultis ſuis, quàm capiat hominum mens. *Simon de Caſsia lib. 2. de B. M. cap. 1.*

In quantum Mater dominabatur Chriſto.

Dub. 62. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 23. *Hæc vocabitur Virago.* Cur dicta Virago B. Maria?

℟. Ideo fortè quaſi propheticè dicta eſt Eua Virago, quia viro ſuo dominatura erat, quod fuit quando vir conſenſit ei in malo; quando enim mulier fit Virago, tunc vir efficitur muliebris: tamen in hoc figurauit Eua Mariam, quæ in quantum Mater dominatura erat Chriſto, & facta eſt Virago, quando Filius erat ſubditus, non ſolum illi, ſed & Ioſeph propter eam, ſicut dicitur. *Lucæ 2. B. Albert. Mag. lib. 6. de laudib. B. M.*

B. M. credendo deleuit, quod Eua credendo deliquit.

Dub. 63. Ad illa verba, cap. 3. ver. 13. *Serpens decepit me.* Cur dixit Eua ſerpens decepit me?

℟. In Virginem adhuc Euam irrupſerat verbum ædificatorium mortis, in Virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ; vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem: crediderat Eua ſerpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. *Tertul. lib. de carne Chriſti, cap. 17.*

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Cur non dixit pono, ſed ponam?

℟. Ponam inimicitias inter te, & mulierem, non dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur, ſed ponam inimicitias inter te, & mulierem; id eſt, ſuſcitabo mulierem, quæ repudiata falſitate credendi, Angelo deferente verbum, rationem de promiſsionis exigat nouitate, dicendo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ecce iſtud ſemen mulieris, quod non per traducem genitalium miniſterij cõmixtione ſexus vtriuſque infunderetur in vtero, ſed clauſo clauſtro indefloratæ Virginis inueniretur, ex hac ergo ſemen promiſſum eſt mulieri, quod ſemen Deus noſter eſt. *D. Cyprianus, vt refertur in lib. Arboris vitæ, concept. 473.*

Nullus tantæ Virginis filius eſſe poterat, niſi Deus factus homo.

Partus Virginis omnem calcauit virtutem diaboli.

Dub. 65. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Cur poſuit inimicitias inter ſerpentem, & mulierem?

℟. Quapropter inimicitias poſuit inter ſerpentem, & mulierem, & ſemen eius, obſeruantes inuicem: illo quidem, cui mordetur planta, & potente calcare caput inimici; altero verò mordente, & occidente, & interpediente ingreſſus hominis, quoad vſque venit ſemen prædeſtinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariæ, de quo ait Propheta, *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. Pſal. 90.* Significans, quia illud quod erigeretur, & dilataretur aduerſus hominem, peccatum, quod frigidum reddebat eum, euacuaretur cum regnante morte, & conculcaretur ab eo in nouiſsimis temporibus inſiliens humano generi Leo, hoc eſt, Antichriſtus: & Draconem illum ſerpentem vetuſtum alligans, & ſubijciens poteſtati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem eius virtutem. *S. Irinæus lib. 3. aduerſus Hæreſes, cap. 38.*

In principio tentationis inuocandæ.

Dub. 66. Ad illa verba, cap. 3. ver. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Cur conteret caput ſerpentis?

℟. Ipſa eſt mulier conterens caput ſerpentis infernalis *Geneſ. 3.* ſed ſunt qui videntur velle, quod ipſa conterat caudam; qui non in principio tentationis eam inuocant. *Gulielmus Peraldus Epiſcopus Lugdunenſis, tom. 1. de ſpe, cap. 3.*

Per eam reparantur inferiora, ſuperiora reſtaurantur, diabolus vincitur.

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 3. ver. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Cur conteret caput?

℟. Data eſt Angelis in reſtaurationem, hominibus, & naturæ noſtræ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, ſibi in matrem, dæmonibus in hoſtem, detentis in Limbo in ereptionem. ſiquidem dum à principio ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offenſus, diabolus victor, ſed per eam innocentia reparatur, diabolus vincitur, & conteritur, *Geneſ. 3.*

Ip-

Ipſa conteret caput tuum. B. Albert. Magnus, lib. 10. de laudib. B. Mariæ.

Tentationis initia conteris.

Dub. 68. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Cur conteret caput, non caudam?

℟. Quia ipſa contriuit caput ſerpentis, *Geneſ.* 3. id eſt, etiam initium tentationis, ſignata per Iahel, quæ *Iudicum* 4. malleo timoris percuſsit caput Siſaræ, & per Iudith, quæ caput Holofernis amputauit *Iudith* 13. *B. Albertus Mag. lib. 6. de laudibus B. Mariæ.*

Fide Mariæ facta eſt orbis reparatio.

Dub. 69. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Quando contriuit caput ſerpentis?

℟. Sicut Euæ ſcelere fit mundi damnatio, ita fide Mariæ facta eſt orbis reparatio, illa infecta eſt veneno lethali, quod tranſfudit ad poſteros, hæc infuſa vitali antidoto, quod fidelis tranſmiſit ad vniuerſos. Corruit illa male credula ſerpenti, ſurrexit iſta, & iuxta verbum quod dixerat Deus in Geneſi contriuit caput ſerpentis. Ab initio prænuntiata, & nunc Eccleſiæ primitiuorum donata, ex tunc repromiſſa, & in fine temporum exhibita. *Sanctus Hildephonſus homil. 7. de B. Virg. obitu.*

Beatæ Virgini, non Euæ facta eſt promiſſio, quod conteret caput ſerpentis.

Dub. 70. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 15. *Ipſa conteret caput tuum.* Cur hoc ad ipſam mulierem non dixit?

℟. Poterat namque vbi dixit mulieri. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, hoc ipſum ſic ad eam dicere, inimicitias ponam inter te, & ſerpentem, & ſemen tuum, & ſemen illius, cur ergo non dixit? Nimirum quia propter peccatum, & peccati defenſionem hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promiſſiones tales, promiſsiones tantæ gratiæ faceret Deus. Deinde quia non ad ipſam Euam, ſed ad alteram eiuſdem ſexus perſonam, videlicet ad Beatam Virginem Mariam, intendebat ipſe, qui loquebatur. Rectè igitur non ad mulierem male meritam facta eſt auxiliatricis gratiæ promiſſio, ſed potiùs ad ſerpentem hoſtilis, & bellica comminatio. *Rupert. lib. 2. de Vict. Verbi Dei cap. 16.*

Dub. 71. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 15. *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Cur calcaneo inſidiatur diabolus?

Mortis hora ab inſidijs diaboli ſuos liberat.

℟. Inſidiatur ſerpens iſte antiquus calcaneo mulieris, quoad ſemen eius ſpirituale, ſcilicet, electos, ſiue in generali in fine mundi, quia tunc ſoluetur Sathanas de carcere ſuo per ſemen ſuum Antichriſtum, ad perdendum animas: ſiue in particulari, in fine vitæ cuiuslibet, etiam ſancti fortiter tentans ad decipiendum, ſed adiutorio Chriſti, & meritis eius inſidiæ eius detegantur, vt ſuperetur, ſicut de multis legitur, quos in exitu ſuo quaſi deficientes Virgo liberauit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 6.*

Dub. 72. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 15. *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Cur calcaneo inſidiatur?

Diabolus inſidiatus fuit Filio Virginis in deſerto, in horto, in Cruce.

℟. Tu inſidiaberis calcaneo eius, id eſt, pedi; ſcilicet, Chriſto, qui eſt pes omnia ſupportans, cui inſidiatus eſt diabolus, principaliter in deſerto, in horto, in Cruce. *B. Albert. Mag. lib. 6. de laudibus B. Mariæ.*

Dub. 73. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 15. *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Quommodo inſidiatur calcaneo Virginis?

Diabolus Mariæ pedibus contritus, miſeram patitur ſeruitutem.

℟. Vnicus ille ſtultus, & totius ſtultitiæ Princeps, qui verè mutatus vt Luna, ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miſeram patitur ſeruitutem, nimirum ipſa eſt quondam à Deo promiſſa mulier ſerpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius planè calcaneo in multis verſutijs inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa. *D. Bernard. ſerm. de B. Mar. de Verb. Apocal.*

Diabolus multis verſutijs inſidiatur Virgini.

Dub. 74. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 15. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris.* Cur Eua triplicem maledictionem incurrit?

Eua triplicem maledictionem incurrit in pœnam inobedientiæ.

℟. Triplicem enim maledictionem, quaſi triplex væ excepit Eua in pœnam inobedientiæ. *Geneſis* 3. Prima, *multiplicabo ærumnas tuas.* Secunda, *in dolore paries filios.* Tertia, *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*; ſine hoc triplici væ Mariam inuenies, quia nec ſenſit ærumnam in conceptu, nec dolorem in partu, nec viro fuit ſubdita, perpetuæ virginitatis obtentu. *B. Albert. Mag. lib. 1. de laudib. B. Mariæ.*

B. Virgo ſine triplici væ Euæ.

Non fuit viro ſubdita.

Dub. 75. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 16. *In dolore paries filios.* Cur in dolore Eua peperit, & aliæ mulieres pariunt?

Partus Virginis immunis ab Euæ maledictione.

℟. Mariæ typus Eua fuit. Vtraque ſiquidem virginitate vigebant. Verum Eua in virginitate exiſtens deliquit: proinde triſtitiam, & dolores à ſerpente traxit, quos deinde transfudit in omnes peccatrices mulieres, quæ ſecutæ ſunt ſæculis omnibus. Verum Maria gaudium, & lætitiam toti mortalium generi obnuntiauit, humanique generis maledictionem, in quam deuenerat, fugauit. Præterea partus doloris expers, finiuit eum, qui cum multis doloribus fit. Ideo Euam omnes culpant, & incuſant, Mariam omnes laudant, & Beatam pronuntiant. *Procopius apud Gloſſ. ordinar.*

Benedictionem obtinuit in anima, & corpore.

Dub. 76. Ad eadem verba, cap. 3. verſ. 16. *In dolore paries filios tuos.* Cur Eua maledictionem incurrit in anima, & corpore?

℟. Sicut gula Euæ non ſolum maledictionem in anima, ſed etiam in corpore: ſic Maria non ſolum benedictionem in cor-

corpore, ſed etiam in anima, non ſolum benedictionem ſpiritualem, ſed etiam corporalem obtinuit. Maledictio enim Euæ guloſæ fuit parere cum dolore. Benedictio autem Mariæ temperatæ, fuit parere ſine dolore, teſte. *B. Bernardo.* Qui ait *hom. 3. Super miſſus eſt.* Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euaſiſti, qua dictum eſt in dolore paries filios, & nihilominus illam, qua dictum eſt, *maledicta ſterilis in Iſrael.* Ac ſingularem conſequta eſt benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parias. *D. Bonauentura in ſpecul. cap. 13.*

Benedictio ſingularis Mariæ Virg. quod nec ſterilis maneret, nec cum dolore pareret.

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 16. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Cur mulier ſub viri poteſtate?

Domina fuit viri ſui Ioſeph, non ſubdita viro.

℟. Beatus Auguſtinus dicit, quod Dominus ſtatuit coniugatas eſſe quaſi famulas virorum; ſcilicet, in diſpoſitione domus, & familiæ, ſed virgines liberæ ſunt ab huiuſmodi ſeruitute. 1. *Cor. 7. Quæ Virgo eſt cogitat, quæ Dei ſunt quommodo placeat Deo, vt ſit ſancta mente, & corpore.* Vnde & libera eſt à ſeruitute viri: Beata autem Maria, non ſolum viro ſubdita non fuit (& ſi Ioſeph virum haberet) ſed domina eius, & ipſe ſeruus eius. Sciebat enim, & teſtis erat ſuæ virginitatis, vnde & maternitatis Domini, quinimo ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium Ieſus Filius eius ipſe erat ſubditus ei, vt ſcribitur *Lucæ 2. & Apocal. 19. D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 24. §. 3.*

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 19. *Puluis eſt, & in puluerem reuerteris.* Cur dictum eſt Adamo, quod *puluis eſſet*, & in puluerem conuertendus?

Caruit corpus B. M. putredine, verme & puluerizatione.

℟. Maria Virgo caruit mortis nexibus in reſolutione, hoc eſt, putredine, verme, & puluerizatione, omnino immunis, ab illa maledictione, qua dictum fuerat Adæ *Geneſ. 3. Puluis eſt, & in puluerem reuerteris*, & propter hoc comparatur cedro, quę nec putreſcit, nec vermeſcit, nec ardeſcit, per ignem enim fiunt cineres, qui ſunt pulueres de putrefactione. *D. Auguſtin. ſerm. 2. Aſſumpt. tom. 9.* Credimus quod nunquam caro computruerit in terris, cuius pars glorificata eſt in cœlis. De verme *M. Adam.* Si ipſi pars eſt quædam cum verme, iam non credam, quod ſit plena gratia. De incineratione, vel puluerizatione *D. Auguſt. ſerm. citat.* Integritatem virginei corporis, merito ſequuta eſt incorruptibilitas, non vlla reſolutio putrefactionis. *B. Albert. Magn. lib. 3. de laudib. B. Mariæ.*

Mater eſt viuentium ſpiritualiter.

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Euam; eo quod mater eſſet cunctorum viuentium.* Cur Eua mater dicitur cunctorum viuentium?

℟. Formauit Euam, quæ dicta eſt mater omnium viuentium, ſed magis propiè potuiſſet dici, Mater mortuorum, quia filios ſuos ipſa occidit; ſed Beatiſſima Maria verè mater eſt ſpiritualiter viuentium. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21. §. 1.*

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 14. *Fac tibi Arcam.* Cur Noe Arcam ſibi facere præcipitur?

Facta eſt B. Virgo qualis honori Diuino congruebat, Imo Angelis, & hominibus, & toti Trinitati.

℟. Commendatur autem B. Virgo ſub typo huius Arcæ, primo quantum ad dignitatem ſuæ Natiuitatis, & oſtenditur dignitas ortus eius quantum ad Authorem, vnde dicit Pater Filio; fac tibi. Sibi enim fecit eam Chriſtus principaliter, id eſt, ad honorem ſuum, nec ſolum ſibi, ſed & hominibus, & Angelis, & toti Trinitati, iuxta illud *B. Bernardi.* Denique omnibus omnia facta eſt. *B. Albert. Magn. lib. 11. de laudib. B. M. cap. 9. num. 1.*

Dub. 81. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 14. *De lignis leuigatis.* Cur præcipitur Arca fieri de lignis leuigatis?

A iuſtis parentibus progenita.

℟. Oſtenditur dignitas ortus eius quantum ad progenitorum ſanctitatem, cum dicitur de lignis leuigatis, id eſt, politis, vel bituminatis ſecundum aliam litteram, ſiue quadratis ſecundum aliam. Patres enim de quibus ipſa orta eſt, politi fuerunt, per honeſtatem conuerſationis, quia nihil in eis erat, quod offenderet oculos intuentium; conuerſabant enim in medio nationis prauæ, & peruerſæ ſine querela, nam aſpectu, & auditu iuſti erant. *B. Alb. Mag. lib. 11. de laudib. B. M. cap. 9. num. 1.*

Dub. 82. Ad eadem verba, cap. 6. verſ. 14. *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis.* Cur B. M. aſſimilatur Arcæ Noe?

Præparata à Deo, vt humanum genus redimeret Chriſtus.

℟. Arca Noe ſignificauit Arcam gratiæ, excellentiam; ſcilicet, Mariæ: ſicut enim per illam omnes euaſerunt diluuium, ſic per iſtam peccati naufragium. Illam Noe, vt diluuium euaderet, fabricauit: iſtam Chriſtus (qui eſt pax noſtra, & requies) vt humanum genus redimeret, ſibi præparauit. Per illam octo animæ tantum ſaluantur: per iſtam omnes ad ęternam vitam (quę per octonarium numerum ſignificata eſt) vocantur. Per illam paucorum facta eſt liberatio, per iſtam humani generis ſaluatio Illa centum annorum fabricata eſt ſpatio; iſta omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta eſt de lignis leuigatis; iſta de virtutibus conſummatis ędificata eſt. Illa ſuperferebatur aquis diluuii, iſta non ſenſit naufragia vllius vitij. *D. Bern. ſerm. de Sancta Maria.*

Per eam omnes ad æternam vitam vocantur.

Virtutes cōſummatæ in Virgine.

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 14. *Manſiunculas in Arca facies.* Cur in Arca facię manſiuncule?

Habuit ſtatū Virginum, coniugatorum, & prę-latorum.

℟. Commendatur quantum ad ſtatum vitę preſentis, cum dicitur manſiunculas

in

in ea facies; in Ecclesia sunt tres ordines siue status Virginum, coniugatorum, Prælatorum; & ipsa fuit Virgo, coniugata, & habuit quodammodo supra Filium suum officium Prælati. *Lucæ 2. & erat subditus illis. B. Albert. Mag. lib. 11. de laudib. B.M. cap. 11. num. 2.*

Cœli fenestra, per quam fideles intrant in Regnum cœlorum.

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 6. vers. 16. *Fenestram in Arca facies.* Cur B. Maria dicitur fenestra?

℟. Sicut Christus est ostium Regni cœlorum. *Ioann. 10.* ita ipsa & fenestra ipsius. Vnde cantat Ecclesia, intrent vt astra flebiles, cœli fenestra facta est. Ipsa figurata est per fenestram Arcę, quam Hebrei dicunt fuisse crystallinam, per quam habuit transitum Columba, quę cessationem diluuij indicauit, & spem salutis attulit. *Gulielmus Peraldus, Episcopus Lugdunensis.*

Fenestra Arcæ crystallina.

Dub. 85. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 16. *Fenestram in Arca facies.* Cur B. V. M. assimilatur fenestrę?

Virgo Maria fenestra fuit, per quam lux vera Christus intrauit in mundum.

℟. Fenestra per quam lux intrat in arcam, Beata Virgo per quam venit in mundum Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Hug. Card.*

Dub. 86. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 16. *Fenestram in Arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius.* Cur summitas Arcę consummabatur in cubito?

Vitæ actiuæ, & contemplatiuæ dedita.

℟. Commendatur à perfectione vitę duplicis; scilicet, contemplatiuę, & actiuę; contemplatiua per fenestram, nam per arcum contemplationis dirigimus aciem oculorum nostrorum ad Solem Iustitię, id est, Christum, & illuminatur ab eo domus conscientię nostrę: actiua notatur per cubitum, quo exercentur opera. *B. Albert. Mag. lib. 11. de laudib. B.M. cap. 9. num. 4.*

Virgo fuit mente, & corpore.

Dub. 87. Ad illa verba, cap. 6. vers. 16. *Ostium autem Arcæ pones ex latere deorsum.* Cur ostium Arcę ponendum erat in latere deorsum?

Resp. Commendatur à pudore virginitatis, cum dicitur ostium arcę pones in latere deorsum. Per hoc ostium intrauit in eam Filius Dei, & venit ad nos. Et fuit in latere Arcæ deorsum, quia Virgo fuit non solum mente, sed etiam carne. *B. Albert. Magn. lib. 11. de laudib. B.M. cap. 9. num. 4.*

Post Deum initium est omnis gratiæ in nobis.

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 7. vers. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Cur ingresso Noe in Arcam rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ?

℟. Ipsa post Deum est principium omnis gratiæ in nobis. *Genes. 7.* ingresso Noe in Arcam, id est, Christo in vterum Virginis Mariæ, quod factum est in incarnatione, rupti sunt omnes fontes, id est, gratiarum abyssi magnæ, quando gratiarum diluuium: Mariæ inundauit, & diabolus est submersus, & peccata deleta. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Super omnes Angelos collocata.

Dub. 89. Ad illa verba, cap. 8. vers. 4. *Requieuitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.* Cur Arca requieuit super montes Armenię?

℟. Dicitur. B. Virgo Arca. Armenia interpretatur mons vel eatus, & significat cœlum Empyreum, vnde Angeli apostatę vellicati, id est, euulsi fuerunt; montes Armenię sunt virtutes Angelicę. Igitur hodie super montes Armenię requieuit Arca, quia hodie super omnes Angelos Beata Virgo est collocata, vnde *Psal. 8.* Eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus, id est, Beata Virgo, quę te magnificauit, super Angelos. *Hug. Card. ad illa verba, Ps. 131. Tu, & Arca.*

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 8. vers. 11. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo, intellexit ergo Noe, quod cessassent aquæ super terram.* Cur Noe intellexit quod cessassent aquę portante Columba, ramum oliuę?

Nata B. Virg. cessauit indignatio Dei super terram.

Resp. Ipsa etiam per aduentum suum in mundum, quando nata est, ramum oliuę id est, pacis inter nos, & Deum attulit. Columba, id est, Maria, venit ad vesperam, scilicet, in fine mundi ad Noe portans ramum oliuę, id est, pacis inter nos. *Gloss.* Refectionis, & luminis virentibus foliis in ore suo, quando dixit: *Ecce Ancilla, Lucæ 1.* & intellexit Noe, quod cessassent aquę indignationis, & furoris Dei super terram. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Precante B. M. parcit Deus veniam quærenti.

Dub. 91. Ad illa verba, cap. 8. vers. 21. *Non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Cur non vltra percutiet?

Resp. Glossa. Temporali iudicio, omnem animam viuentem sicut feci, sed Maria precante parcam omni veniam quærenti. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Corpus B. Virg. in Patribus antiquis, sub quadam imagine benedicebatur.

Dub. 92. Ad illa verba, cap. 9. vers. 1. *Benedixitque Deus Noe, & Filijs suis, & dixit ad eos: crescite & multiplicamini, & replete terram.* Cur benedixit Noe, & Filijs suis?

Resp. Ista terra benedicta, & sanctificata à Domino in Noe, & filijs suis signat B. Virginem, de qua *S. Ambros. in sermone de Natiuitate B. Virg. dicit sic.* Nisi fallimur iam terra illa benedicebatur, in cuius medio Dominus salutem operaretur, ex qua veritas oriretur. Superne denique benedictioni præparabatur terra in hominem procreata, ex qua nascitura esset gloriosissima Virgo, quæ cœlesti benedictione singulari replenda erat priuilegio. En Noe à Domino benedicitur, & in filios Sem, &

Ia-

Iaphet, paterna eius benedictio dirigitur. Sanctiſsimum namque Dei Genitricis Mariæ corpus: ante ſæculum ad generandum Dei Filium prædeſtinatum propè finem mundi naſciturum, iam in his, quos prædiximus Patribus ſubquadam imagine benedicebatur, ex cuius medio ſalus mundi oriretur. Nunquid non Tibi benedicebatur humanitatis caro, cum inde naſcereris glorioſa Virgo? Tibi profectò benedicenda erat caro humana in tuis progenitoribus, quæ ex caſtiſsimis vlceribus Virgo Beata illum eras paritura peccatoribus; qui eſt ſuper omnia benedictus. *Leonardus de Vtino, ex D. Ambroſ. in ſermonibus Quadrageſimæ, de Incarnatione Dominica, ſerm. 41.*

Signum ſecuritatis formidoloſo peccatori.

Dub. 93. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 12. *Dixitque Deus hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, ad omnem animam viuentem.* Cur B. V. datur in ſignum.

℟. Ipſa eſt ſignum ſecuritatis formidoloſo peccatori, *Geneſ. 9. Hoc eſt, ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, arcum meum. Gloſſ.* qui habuit duos colores, cæruleum extrinſecus, & igneum intrinſecus, hoc pono ſignum ſecuritatis in nubibus cœli, ne homines formidoloſi timeant a tero deleri diluuio pluuiarum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. M. apparēte ſubtrahit ſe Deus à flagellis immittendis.

Dub. 94. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 13. *Arcum meum ponam in nubibus.* Cur B. M. dicitur arcus?

℟. Arcus iſte, qui naturaliter cauſatur in aere ex reuerberatione radij ſolaris in nubem roridam, eſt Beata Maria, quæ cauſata eſt in cœlo Eccleſiæ, ex reuerberatione Diuini amoris in nubem roridam, in ipſam plenam rore cœleſtis gratiæ habens colorem cæruleum flexibilis miſericordiæ, hyacintinum contemplationis, rubicundum gratiæ, ex qua funditur ſanguis rubeus ſi expedit: cum autem Deus multoties propter peccata hominum minatus fuerit immittere diluuium diuerſorum flagellorum, apparens arcus iſte in nubibus, id eſt, inter Sanctos coram Deo ad intercedendum, quaſi recordatus miſericordiæ ſuæ, ſubtraxit ſe à flagellis immittendis commonitus ex arcu iſto. *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 39. §. 2.*

Omnis creatura per Chriſtum principatum obtinuit.

Dub. 95. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 29. *Nomen vxoris Abraham Sarai.* Quomodo interpretatur Sarai?

Sara interpretatur Princeps.

℟. Ipſa Virgo verè eſt Sara, quæ Princeps interpretatur, quæ verum genuit Iſaac, ſcilicet, Filium Dei, in cuius ſemine benedicte ſunt omnes gētes, & per quem omnis creatura principatum habuit. *D. Bernardus Senenſis ſerm. 3. de Nomine Virg.*

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 3. *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* Cur Abrahæ promittitur, quod in ſemine eius benedicentur vniuerſæ cognationes terræ?

Propter fidē Abrahæ omnes gentes in ſemine eius benedictæ.

℟. Iſta electio conuenit Beatæ Virgini, *vnde Ambroſ. dicit ſic:* Conſtantiſsima proculdubio Abrahæ fides audire meruit, quod in ſemine eius benedicerentur omnes gentes. In hoc igitur dignitas humanæ conditionis reparanda ſignificatur, cum purificatur caro à contagione originalis peccati per Circunciſionem. Diuinæ itaque dignationis prærogatiua, præpurgabatur quædam ſtirps Iudaica, ex qua cœleſtis luminis porta naſceretur Virgo Maria; quam æterna Dei diſpoſitione vnigeniti Filij Dei matrem futuram certiſsimè ſcimus præordinatam. *Hæc ille*: In ſemine Mariæ, quod eſt Chriſtus, benedictus eſt mundus. *Leonardus de Vtino ſerm. de Incarnatione Dominicæ.*

Quædā ſtirps Iudaica præpurgata, quia ex ea naſcitura erat B. Virgo in Matrē Dei præordinata.

In ſemine Mariæ benedictus eſt mūdus.

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 6. *Pertranſiuit Abraham terram vſque ad locum Sichem, & vſque ad conuallem illuſtrem.* Quid ſignificat tranſitus Abrahæ vſque ad locum Sichem, & ad conuallem illuſtrem?

Humilitas B. V. ſimul cum obedientia.

℟. Hic duplex humilitas innuitur, interior cordis, exterior conuerſationis. *Pſal. 103. Qui emittis fontes in conuallibus.* Sic igitur exiens de mundo debet tranſire per Sichem, & conuallem, id eſt, obedientiam, & humilitatem. Beata Virgo tranſiuit per conuallem, quando dixit: *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum?* Sichem quando dixit: *Ecce Ancilla Domini. Hug. Cardinalis.*

Propter B. V. dæmones nos reuerentur, Angeli nobis conſtituuntur, Sancta Trinitas noſtri miſeretur.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 13. *Dic ergo, obſecro te, quod Soror noſtra es?* Cur B. Virgo dicit Deo, quod Soror noſtra eſt?

℟. O ergo Maria, ò Sara noſtra, dic quod ſis Soror noſtra, vt propter te benè nobis ſit à Deo, & ob gratiam tui, viuant animæ noſtræ in Deo. Dic, inquam, chariſsima Sara noſtra, quod ſis Soror noſtra, vt propter talem Sororem, Ægyptij, id eſt, dæmones nos reuereantur, vt etiam propter talem Sororem Angeli nobis in acie coniungantur, vt inſuper propter talem Sororem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur. *D. Bonauent. in ſpecul. Lect. 6.*

Propter B. V. benè nobis eſt à Deo.

Dub. 99. Ad eadem verba, cap. 12. verſ. 13. *Dic ergo obſecro te, quod Soror mea ſis.* Cur Sanctus Ioſeph B. Virginem non præmonuit, vt diceret ſe eſſe eius Sororem, ſicut fecit Abraham?

Ab Angelo cuſtodita.

℟. Multo pulchrior, & elegātior, quam

Sara, & Rebecha, erat Maria; Ioseph tamen cum descenderet in Ægyptum, ei non dixit, vt notat *Simon Cassianus lib. 2. cap. 22.* vt diceret se ipsius esse Sororem, veritus propter eius pulchritudinem, mortem si se fateretur vxorem, vt olim Abraham præmonuit Saram, dum ingrederetur Ægyptum, *Genes. 2. vers. 13.* nec Virgo Maria sublata est in domo alicuius Regis Ægypti, vt Sara in domo Pharaonis. Sciebat enim quod melius quàm Sara ab Angelo custodiebatur, à quo ipsa sæpè responsa acceperat, & talem Deus gratiam in Virgine Matre posuit, vt ne propter eius excedentem pulchritudinem ab aliquo possit ad immunditiam concupisci, nouerat Ioseph experimento sui, qui nunquam ex ipsa carnis tentationem persenserat, quamuis secum pariter habitaret. *Silueira tom. 1. in Euang. lib. 2. cap. 7. quæst. 11.*

A nullo potuit ad immunditiam concupisci.

Dub. 100. Ad illa verba, cap. 15. vers. 2. *Dixitque Abraham. Domine Deus quid dabis mihi.* Cur Abraham diffidit.

B. V. non dubitauit de promisso ab Angelo, sed modum quæsiuit.

℟. Quid dabis mihi, quasi dicat, quid valet mihi quod promittis, cum non habeam hæredem, & dicit hoc Abraham non ex diffidentia, sed ex desiderio sciendi quid daturus erat ei: sicut Beata Virgo, dixit: *Quommodo fiet istud?* Non dubitando, sed modum quærendo. *Lucæ 1. Hug. Card.*

Abraham nō loquebatur ex diffidentia.

Dub. 101. Ad illa verba, cap. 15. vers. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc.* Cur dicitur de semine Abrahæ, quod generatione quarta reuertetur ad terram promissionis de Ægyptia seruitute?

Omnes generationes per Mariam liberatæ.

℟. Beatam eam dicunt omnes generationes, id est, tres generationes, quæ perierant. Prima, sine patre, & matre, vt in Adam. Secunda, de patre, sine matre, vt in Eua. Tertia, de patre, & matre, vt in Noe, Abraham, & cæteris omnibus. Quarta, autem generatio de matre, sine patre, quæ fuit in Christo, liberauit tres prædictas, in cuius rei figura dictum est Abrahæ de semine suo, *Genes. 15.* quarta generatione reuertetur huc; scilicet, ad terram Promissionis de Ægyptia seruitute. *B. Albert. Magn. lib. 4. cap. 1. num. 7.*

Tres generationes quæ perierunt.

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 17. vers. 16. *Ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum.* Cur de Sara dedit Deus Abrahæ filium, cui benedixit?

Sara interpretatur carbo.

℟. Sara interpretatur carbo, hoc benè Mariæ conuenit, quæ tamquam carbo ardore charitatis ignita fuit. *Et infra.* O verè benedictus carbo, tam benedictam flammam producens, Benedicta Maria tam benedictam prolem gignens, ex illa inquit Dominus: *Dabo tibi Filium cui benedicturus sum.* Pensa ergo quantam Maria charitatem ad Deum habuerit, cum Deus Filius eius sit corporaliter; pensa etiam quantam ad proximum habuerit, cum bonus proximus Filius eius spiritualiter sit, si autem Filij eius sumus, ergo & Fratres Filij eius sumus, & ideo benè de ista Matre benedicta dicit *Anselmus.* O benedicta & exaltata, non tibi soli, sed etiam nobis. Quid es? Quam magnum es? Quam amabile es, quod video per Te euenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim Tu Domina, es Mater Dei, nonne & alij Filij tui sunt Fratres Dei? *D. Bonauent. in speculo, cap. 13.*

Charitas Virginis ad Deū, & proximū.

Nos Fratres sumus Christi.

Dub. 103. Ad illa verba, cap. 18. vers. 3. *Et dixit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Cur Trinitatis Mysterium in forma trium Angelorum homini manifestatur?

Verbi Incarnationem tota Trinitas operata fuit in ventre Virginali.

℟. Vbi nasciturus Isaac non iam solum, vt ante promittitur, sed datur; Trinitatis Mysterium informa trium Angelorum se homini manifestare dignoscitur. Quia videlicet vbi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi Filij Dei Incarnationem præsentia suæ maiestatis tota Trinitas in hospitio Virginei ventris operatur. Exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti toto mundo, publica prædicatione declaratur. Nam Pater est, qui Virginem imprægnat; Filius qui natura induitur humana, Spiritus Sanctus, cuius operatione concipit Virgo, quæ virum non nouerat. *Rupertus lib. 5. in Genesim, cap. 37.*

Dub. 104. Ad illa verba, cap. 18. vers. 6. *Festinauit Abraham in Tabernaculum ad Saram.* Cur Abraham festinauit ad Saram?

Verbum Diuinum festinanter venit in vterū Virginis.

℟. Sara Beata Virgo, Abraham Filius Dei, qui festinauit ad eam in Annuntiatione, vnde *Cantic. 2. Ecce iste venit saliens in montibus*, ipse enim appellatur Angelus magni consilij; & motus Angelorum est festinus, & subitus, per Tabernaculum vterus Virginalis. *B. Albert. Magnus lib. 1. de laudib. B. M. cap. 4. num. 8.*

Dub. 105. Ad illa verba, cap. 18. vers. 6. *Accelera.* Cur Abraham dixit Saræ, accelera?

Verbum Diuinum desiderabat assumptum Virginis.

℟. Dixitque ei accelera, dando responsum consensus tui. Vnde *B. Bernard. homil. 2. super missus est.* Quantum concupiuit Rex decorem tuum, tantum desiderat responsionis assensum. *B. Albertus Magn. vbi supra.*

Virgo Maria charitate ignita.

Dub. 106. Ad illa verba, cap. 18. vers. 6.

Tria

Fide B. Virginis facta eſt Incarnatio.

Tria ſata ſimilæ commiſce. Quid ſignificat commixtio quam fecit Sara?

℟. Iſta mulier ſignat Beatam Virginem. *Vnde Bernardus lib. 5. de conſideratione dicit ſic*: Mulier Euangelica, quæ commiſcuit tria ſata farinæ fuit Beata Virgo, quæ in Incarnatione Filij Dei fermento fidei ſuæ commiſcuit tria ſata, nouum, antiquum, & æternum; ſcilicet, animam de nouo creatam, corpus de natura Adam, & æternum in vnione Diuinitatis. *Leonardus de Vtino ſerm. de Incarnatione Dominica.*

Sara fuit ſterilis, & peperit, vt cum viderimus Virginē parientem, ne ſimus incredulj.

Dub. 107. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 13. *Num verè paritura ſum anus?* Cur Sara dixit num verè paritura ſum anus?

℟. Dicamus & cauſam propterquam mulieres illæ ſteriles fuere, vt cum videris Virginem Dominum noſtrum parientem, ne ſis incredulus: exerce enim hic tuos ſenſus, inquit, in vulua ſterilium, vt cum dideceris ligatam, & è mortuam vuluam Diuina virtute ad procreationem aperiri, inde copioſis argumentis acceptis, non admireris audiens, quod Virgo peperit, imo admirare, & obtupeſce, & ne ſis incredulus miraculo. Quando igitur tibi dicit Iudæus, quommodo peperit Virgo, dic ei, quommodo peperit ſterilis, & vetula; ſterilitas igitur iam viam parat virginati, vt ſcias quod propter hoc prius ſteriles fuerunt, vt credatur virginitatis partus. *D. Chriſoſt. homil. 49. in Geneſ. tom. 1.*

Nihil eſt mirabile, quod à Deo fieri non poſſit.

Dub. 108. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 14. *Nunquid Deo quidquam eſt difficile.* Cur dixit Angelus Abrahæ: Nunquid Deo quidquam eſt difficile?

℟. Poteſt quidquam eſſe tam mirabile, & excellens, quod à Deo fieri non poſſit? Quidam exiſtimant ad hunc locum reſpexiſſe Gabrielem Archangelum, quum ad Deiparam dixit *Lucæ 1. Verſ. 37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum. Maluenda.*

Periculoſum viro fœminis cohabitare.

Dub. 109. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 30. *Aſcenditque Loth de Segor, & manſit in monte.* Cur Loth manſit & habitauit in monte?

℟. Docemur quam periculoſa ſit viris, etiam conſanguineis, & parentibus, fœminis cohabitare. Vnde *Bernardus in ſermone quodam ſuper miſſus eſt.* Vis, ò homo, *inquit*, in timoribus eſſe ſecurus: time ſecuritatem. Vis, inquit, ò fœmina ab extraneis eſſe libera conſanguineorum tuorum, & eorum cum quibus ſecura eſſe videris, time contubernium. Legimus enim Virginem Angelos timuiſſe, & cogitaſſe, qualis foret Angeli ſalutatio. Nullos enim ſecurius viuere deprehendimus, quam qui, quæ ſecura videntur, ſuſpecta habent. *Oleaſter.*

Quæ ſecura videntur, ſuſpecta habēda, & timenda.

Incarnatio Verbi dicitur viſitatio.

Duo. 110. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 1. *Viſitauit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat: & impleuit quæ locutus eſt.* Quid ſignificat viſitatio Saræ?

℟. Sara B. Virgo, quam viſitauit Deus Pater, ſicut promiſerat per Prophetas, *Iſaiæ 7. Ecce Virgo. Ierem. 31. Nouum faciet Dominus. Hug. Card.*

Impleuit Deus promiſſa per Prophetas.

Dub. 111. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 2. *Concepit, & peperit Iſaac.* Cur ponitur conceptio, & partus Saræ?

℟. Concepit, & peperit Iſaac, id eſt, Chriſtum, *Iſaiæ 8. Acceſſi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit filium*; non quidem cum dolore, ſicut dictum eſt Euæ, in dolore paries filios tuos, *Geneſ. 3. verſ. 16. in dolore paries filios tuos*, ſed abſque omni dolore. *Iſaiæ 66. verſ. 7. Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit maſculum. Quis audiuit vnquam tale: aut quid vidit huic ſimile? Hug. Card.*

Partus ſinè dolore.

Dub. 112. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 2. *Concepit, & peperit Filium ſuum in ſenectute ſua.* Quommodo B. Virgo concepit, & peperit Ieſum in ſenectute ſua?

Senectus Virginis, fuit eius vita immaculata.

℟. Sed quommodo peperit in ſenectute Beata Virgo? Benè in illa inquam ſenectute de qua dicitur *Sapient. 4. verſ. 8. Senectus venerabilis eſt vita immaculata. Hug. Card.*

Dub. 113. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 6. *Riſum fecit mihi Deus.* Cur B. Virg. Filium ſuum vocat riſum?

Quinquē gaudia ſpecialia B. Virginis.

℟. Riſum, id eſt, gaudium. Quinque gaudia habuit Beata Virgo ſpecialia. In Annuntiatione, in Natiuitate, in Reſurrectione, in Aſcenſione, in ſua Aſſumptione. Alij filij prius ſunt dolor matris, & poſt gaudium: Chriſtus è conuerſo, gaudium in conceptione, dolor in Paſſione. *Lucæ 2. verſ. 35. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Pertranſibit dicit, id eſt, perfectè tranſibit, quia totus dolor eliminatus eſt per gaudium Reſurrectionis. *Hug. Cardin.*

Dolor, quem habuit in Paſſione Filij eliminatus eſt per gaudium Reſurrectionis.

Dub. 114. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 6. *Quicunque audierit, congaudebit mihi.* Cur qui audierit partum Saræ corridebit Saræ?

Partus Virginis gaudium attulit vniuerſo mundo.

℟. Quicunque audierit corridebit mihi, id eſt, gaudebit de Dei bonitate, & maximè hic dicitur, quia de Iſaac nata eſt Beata Virgo, quia per Filium ſuum gaudium attulit vniuerſo mundo. *Lira.*

Miſericordiæ immenſitatē omnibus manifeſtat.

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 7. *Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperi ei iam ſeni.*

Iuxta Hæbreum habetur: *Fecit lactare filios Saram.* Cur Sara lactabat filios?

℟. Si Sara non modo filium in ſingulari, ſed etiam filios in plurali, vt eſt in Hæbreo lactaſſe dicitur, quia vt Hæbrei interpretantur; Non ſolum proprium filium Iſaac, ſed etiam alienos domum ſuam inuitatos, ad lactis vbertatem oſtendendam, indulgentiſsimè lactabat; cur non dicatur Beatiſsima Virgo, & iuſtos, quos tanquam proprios filios agnoſcit, & peccatores, quos ſibi adoptare deſiderat, lactare, vt ſuæ miſericordiæ vbertatem, ſeu immenſitatem omnibus manifeſtet. *Mendoza 1. Reg. 4. verſ. 11. annotat. 12 ſect. 2. num. 7.*

Exultabat Virgo Maria lactans Filium, & portans.

Dub. 116. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 7. *Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium.* Verba ſunt admirantis, & exultantis *Hugo Cardin.* Cur admiratur Sara, & exultat; lactans filium?

℟. Quis auditurus crederet, quod Sara, id eſt, paupercula Maria, lactet filium Abraham, lactem eum, qui lactat omnia, portem eum, qui portat omnia. *Gloſſ.* hæc eſt commendatio gratiæ. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Dub. 117. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 4. *Ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem filio meo Iſaac.* Quid ſignificat miſsio procuratoris Abrahæ Eliazer ad accipiendam ſponſam filio ſuo Iſaac?

Abraham interpretatur Pater excelſus.

℟. Rememorans, quod Abraham, qui interpretatur Pater excelſus, miſsit Procuratorem ſuum Eliazer ad accipiendam Sponſam, non de terra promiſsionis, ſed ad Regionem longinquam, & ab eo dimiſſam, filio ſuo Iſaac, quod, & fecit Rebec[illegible]: videlicet puellam pulcherrimam, quam inuenit ad fontem aquarum, quæ demum requiſita huic aſſenſit conferens hoc cum eo, quod Gabriel miſſus eſt à Patre excelſo, non in terram promiſsionis, id eſt, cœlum, ad procurandum Sponſam, cui vniretur in vnitate Perſonæ Filius eius vnicus ex Sara; ſcilicet, in mundum remotum à cœlo, & quaſi à Deo derelictum propter idolatriam, & alia vitia quibus plenus erat mundus; vt ſcilicet, vniretur naturæ humanæ in mundo exiſtenti, non Angelicæ in cœlo permanenti, inueniens ipſam Mariam pulcherrimam anima, & corpore ad aquas Scripturæ legentem, tunc meditantem, vel orantem, Angelus ipſe ſalutans, & colloquium habens cum ea, ſuper hoc demum ipſa conſentiente, deſponſata eſt in ea humana natura, & Dei Filio vnita, & ſummè ab eo dilecta, intellexit figuram illam impletam. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 36. §. 2.*

Angelus Gabriel figuratus in Eliazer.

Deſponſata Deo in Virgine humana natura.

Dub. 118. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 16. *Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima.* Cur pulchritudo Rebeccæ deſcribitur?

Pulchrior omnibus pulcherrimis mulieribus.

℟. Quatuor inueniuntur mulieres Beatam Mariam expreſsiſsimè figurantes; ſcilicet, Eſther coniugata, Iudith vidua, Rebecca, & Rachel virgines: Nam de Rebecca dicitur; quod fuit puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro: De Rachele verò, quod erat venuſta facie, & decora aſpectu: De Iudith dicitur: quod erat eleganti aſpectu nimis, & quod erat ſtupor in oculis eorum, qui eius pulchritudinem mirabantur nimis, & iterum non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu pulchritudine, & ſenſu verborum: De Eſther autem coniugata Aſſuero Regi dicitur: Quod erat pulchra valde, & incredibili pulchritudine, & gratioſa omnium oculis, & amabilis videbatur; ſignum autem, & figura debet aſsimilari ſignato, & figurato, & potior eſt veritas, quam figura: ex quo ſequitur, quod B. Maria figurata per iſtas tam pulchras, multo pulchrior fuerit. *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 10. §. 2.*

Per quatuor pulcherrimas mulieres figurata.

Dub. 119. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 19. *Cumque ille bibiſſet, adiecit, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Cur Rebecca non ſolum ſeruo Abrahæ, ſed & camelis potum tribuit?

Plura largiri ſolet, quam poſtulantur.

℟. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipſi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantum: ſed & camelis potum tribuas deſuper affluenti hydria tua, quia tu verè puella eſt præelecta, & præparata Altiſsimo Filio. *D. Bernardus de Verbis Apocal.*

Dub. 120. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 18. *Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Cur Rebecca aquam omnibus procuratit?

Gratiam procurat iuſtis, & peccatoribus.

℟. De Virgine Matre ſapientiæ dici poteſt, quod habet curam de omnibus. In cuius figura cum Eliezer Procurator Abrahæ poſtularet à Rebecca virgine pulcherrima, vt potum ſibi daret, non ſolum ei obtulit potum aquæ, ſed & camelis ſuis: ſic Virgo pulcherrima mente, & corpore non ſolum curam habet de electis ratione vtentibus, vt ſitientibus procuret aquam gratiarum, ſed etiam de peccatoribus curam habet, vt animalibus irrationabilibus non petentibus, nec deſiderantibus aquam gratiarum procurat. *D. Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 14. §. 3.*

Dub. 121. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 28.

Iſaac

Plus amor matris Iacobo, quàm amor patris profuit Eſau

Iſaac amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur, & Rebecca diligebat Iacob. Quæro vter è duobus filijs plus profecerit, Eſau ne ex fauore patris, an Iacob ex amore matris?

℟. Vicit Iacobus à matre dilectus fratrem ſuum Eſau dilectum à patre, & plus amor matris Iacobo, quàm amor patris profuit Eſau. Nam hic tam multis à patre beneficijs cumulatus, tandem, & paternam benedictionem, & auitam hæreditatem, & cognationem cum Chriſto, & amicitiam cum Deo, & æternam denique gloriam amiſsit: ille vero ſingulari ſtudio à matre dilectus, & temporalibus, & ſpiritualibus bonis redundauit. Si igitur illa mater filio tantum profuit, quantum gratiæ, quantum gloriæ ex tuo materno affectu. O Mater viuentium, quiſquis ad te confugerit, & ſub tuo patrocinio vixerit, conſequetur! Quid Mater à naturali Filio Deo non obtineat? Quid in adoptiuos filios peccatores non refundat. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. num. 11. annotat. 12. ſect. 2. num. 10.*

Multum gratiæ, & gloriæ prouenit homini ex amore, quem erga eum habet B. Virgo.

Benedicta à Deo quando Verbum Diuinum ingreſſus eſt in eam in incarnatione.

Dub. 122. Ad illa verba, cap. 27. verſ. 27. *Ecce odor Filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Cur B. V. dicitur ager plenus?

℟. Ager plenus floribus Virginalis Mariæ vterus, cui benedixit Dominus in ſuo ingreſſu: vnde *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Eſt igitur odor Chriſti, ſicut odor agri pleni, quia talem ſuauitatis odorem emittit Filius, qualis procedit à Matre. Filius enim dicit *Eccleſ. 24.* Quaſi balſamum non mixtum odor meus, & de Matre dicitur. *Cantic. 2.* Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Delectatur ergo Pater ſuaue olentia virtutum Filij in quibus ſpirat, & redolet odor Matris, velut redolentium ſuauitas. *Et infra.* O dor Filij mei, ſicut odor agri pleni, quia Chriſtus natus eſt de mundiſsima totus mundus, de dulciſsima totus dulcis, de miſericordiſsima totus miſericors. *B. Albert. Magn. lib. 8. de laudib. B. M. cap. 4. num. 1.*

Ex Matre Filius noſcitur.

Honor Chriſti honor Matris.

Dub. 123. Ad eadem verba, cap. 27. verſ. 27. *Ecce odor Filij mei, ſicut odor agri pleni.* Cur odor B. V. comparatur odori agri pleni?

℟. Benè potuit dicere Deus: Pater, ecce odor Filij mei, id eſt, honor Filij pleni, ex honore plenæ Matris ſuæ, & fama. *D. Ier. ſerm. de Aſſumptione B. M. quæ eſt epiſt. 10. ante medium.* Honor maternus eius eſt, qui de ea natus eſt. *D. Bonauent. in ſpecul. B. M. Lect. 7.*

Plena gratia.

Dub. 124. Ad eadem verba, cap. 27. verſ. 27. *Sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Cur ager plenus benedictus à Domino?

℟. Benè ager plenus dicitur, quia Maria plena gratia pronuntiatur, de cuius vtero credentibus fructus vitę proceſsit. O verè ager ſuper omnes agros benedictus propter fructum! O verè Mater ſuper omnes matres benedicta propter Filium. *D. Hieronimus epiſt. 10. tom. 9. apud D. Bonauent. in ſpecul. Lect. 14.*

Propter Filium benedicta.

Dub. 125. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam.* Cur ſcala oſtenditur Iacob in ſomnis?

Qui dignitatem Virginis appetit intelligere, habeat primum ſopitum à ſæcularibus curis.

℟. Nota quod dignitas Marię, quę ſignatur per hanc ſcalam, non oſtenditur niſi in ſomnis: quia oportet animam ſopitam eſſe à curis ſęcularibus, & occupationibus exterioribus, quę videri appetit, id eſt, intelligere dignitatem, & altitudinem eius. Vnde *Num. 12. Si fuerit inter vos Propheta in viſione apparebo ei,* vt ſcilicet, ſenſus exteriores ab illicitis conſopiantur, nec oſtenditur eius excellentia, niſi luctantibus contra vitia, & peccata, qui deſignatur per Iacob. *B. Albertus Mag. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 31. num. 17.*

Dignitas Virginis non oſtenditur, niſi luctantibus contra peccata.

Dub. 126. Ad eadem verba, cap. 28. verſ. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum.* Quid ſignificat ſcala ſtans ſuper terram, cacumenque illius tangens cœlum?

℟. Iſta ſcala ſignat Beatam Virginem, de qua *Ioannes Damaſcenus de Natiuitate Virg.* dicit ſic: Intellectualis ſcala eſt Beata Virgo; ex terra enim habet Natiuitatem: caput autem ad cœlum. Omnis quippè mulieris caput eſt vir: ſed hęc quoniam virum non cognouit: caput habet Deum quoque, & Patrem, qui contraxit in Spiritu Sancto, & tanquam Diuinum adhibuit Filium ſuum, qui portat omnia verbo virtutis ſuę. Voluntate enim Patris non naturali contactu de Spiritu Sancto, & Maria ſemper Virgine prętęr naturam Verbum caro factum eſt. *Leonardus de Vtino, ſerm. de Incarnatione Dominica.*

Non naturali contactu, ſed de Spiritu Sancto, & Maria Virgo Verbum caro factum eſt.

Dub. 127. Ad eadem verba, cap. 28. verſ. 12. *Scalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum.* Quid ſignificat pars ſuperior ſcalę tangens cœlum, inferior verò terram?

Ex contemplatione ad Deum, habet compaſsionem ad hominem.

Reſp. Pars huius ſcalę ſuperior contemplatio Marię in Deum; pars inferior compaſsio, & pietas eius ad hominem; ipſa enim velut quidam aquę ductus, ſeu canalis haurit ſuperius per orationem aquam vinam de fonte viuo, quę apud Deum eſt, quam refundit inferius. *B. Albert. Magn. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 31. num. 17.*

Dub. 128. Ad eadem verba, cap. 28. verſ. 12. *Scalam ſtantem ſuper terram, &*

Mediante B. Virg. terrena cœleſtibus vniuntur.

cacumen eius tangens cœlum. Cur dicitur quod ſcala ſtabat ſuper terram, & cacumen eius tangebat cœlum?

℟. Dicitur hæc ſcala ſtare ſuper terram, & cacumen eius tangere cœlum; quia mediante Maria terrena cœleſtibus vniuntur; ſicut ſcala illa quodammodo cœlum terræ coniungere videbatur. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Humilitas B. M. Verbum Diuinum deſcendere fecit.

Dub. 129. Ad eadem verba, cap. 28. verſ. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam.* Cur B. V. ſcalæ comparatur?

℟. Mediante ſcala ab alto deſcenditur ad imum, & ab imo conſcenditur ad ſummum, & ipſa mediante deſcendit Filius Dei ad nos, illectus humilitate ipſius. Vnde dicit *Auguſtinus*: Facta eſt certè humilitas Mariæ ſcala cœleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras, per ipſam nihilominus conſcendimus in cœlum, qui per Euam cecidimus in miſeriam huius mundi. *B. Albertus Magn. vbi ſupra.*

Ab Angelis viſitata.

Dub. 130. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 12. *Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Cur Angeli aſcendebant, & deſcendebant per ſcalam?

℟. Per ſcalam, id eſt, propter ſcalam. Angeli ſiquidem deſcendebant ad ipſam viſirandam, vnde miſſus eſt ad eam Gabriel, & aſcendebant ſancta eius deſideria, ſanctas orationes, & pias lachrymas Domino nuntiantes, quod eſt officium Angelorum, & hoc eſt, quod ipſa efflagitabat ab Angelis *Cant.* 5. dicens: Filiæ Ieruſalem nuntiate dilecto, quia amore langueo. *B. Albert. Mag. vbi ſupra.*

Angeli nuntiant Deo opera B. Mariæ.

Angeli ſuccurrunt deuotis B. M. vt in cœlum aſcendant.

Dub. 131. Ad eadem verba, cap. 28. ver. 12. *Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes.* Cur per ſcalam aſcendunt, & deſcendunt Angeli?

℟. Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes, quaſi paratos ad manus trahere, qui optarent aſcendere per hanc ſcalam (B. M. V.) & ſucurrere imbecillitati eorum. *Beatus Albertus Magn. vbi ſupra.*

Dub. 132. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 13. *Et Dominum innixum ſcalæ.* Cur Dominus innixus ſcalæ?

Deus ſpecialiter tenet deuotos Virg. Mariæ ne intentationem corruant.

℟. Angeli enim, viri qui Angelos imitantur in illis virtutibus, quæ Angelis attribuuntur, per hanc ſcalam, id eſt, per preces Mariæ, merita & exempla aſcendunt contemplando, deſcendunt ſtrenuè operando, & qui imittantur eam in præſenti, in morte incurrunt in amplexus Domini, qui videbatur innixus ſcalæ, quaſi tenens eis ſcalam per gratiam, ne à ſeruitio, vel dilectione Mariæ tentatione aliqua, vel impulſu corruerent, & hoc eſt, quod ſequitur, *& Dominum innixum ſcalæ*, vt ſcilicet, qui finaliter aſcenderet per ſcalam in morte incurrerent in amplexum Dominicum. *B. Albert. Mag. vbi ſupra.*

Vt quis efficiatur dignus gratia Virginis, quommodo erga B. Virg. debet ſe gerere?

Dub. 133. Ad eadem verba, cap. 28. ver. 13. *Et Dominum innixum ſcalæ.* Quommodo per hanc ſcalam aſcendendum?

℟. Notandum quod, qui vult aſcendere per ſcalam, appendit ſe eis manibus, pedibus, & genibus. Pedibus, id eſt, affectibus, vt ipſam diligat, ita quod ex redundantia illius dilectionis reſonet in ore eius gratiarum actio, & vox laudis. Manibus, vt quandiu viuit ad honorem ipſius Virginis omni inſtantia operetur, quidquid Beatæ Virgini crediderit complacere. Genibus, vt ante ipſius imagines, ſiue altaria, & cum recitatur nomen eius, humiliter ea flectat. *B. Albert. Mag. vbi ſupra.*

Virginis deuotus eam laudat, quod ei credit cõplacere operatur, ante imaginem eius genu flectit.

Dub. 134. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 17. *Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Cur Iacob oblitus omnium mirabilium, quæ in ſomnis vidit, ſolum locum, in quo verè Dominus eſt, admirabilem prædicat?

Reſp. Diceret ſaltem, quàm terribilis eſt Deus iſte, quàm multi Angeli, quàm immenſa ſcala, quæ ſtans ſuper terram, ad cœlum vſque pertingit! Nihil tale ait, ſed omnium mirabilium, quæ in ſomnis vidit quaſi oblitus, ſolum locum, in quo verè Dominus eſt, admirabilem prædicat, atque terribilem. Quàm terribilis eſt locus iſte, quia vt optimè ſuper eundem locum notauit *Rupertus*, hoc debet inter omnia, quæ Iacob vidit mirabilius reputari, quod videlicet ſcala tam immenſa, & Dominus innixus ſcalæ, Angeli quoque aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam ſuper Filium hominis paruo vnius Virginis vtero concludantur, vbi Dominus eſt verè ſicut ſcriptum eſt: *Aue gratia plena, Dominus tecum, Lucæ* 1. vbi non eſt aliud niſi domus Dei, & porta cœli, ſicut Eccleſia canit: Aue Maris Stella, Dei Mater Alma, atque ſemper Virgo, Fœlix cœli porta. *Didacus Aluarez in Iſaiam, cap.* 8.

Valde mirabile, quod Deus immenſus paruo Virginis vtero concludatur.

Partus Virginis fœlix nobis, ſed magis B. Virg.

Dub. 135. Ad illa verba, cap. 30. verſ. 11. *Dixit fœliciter, & idcirco vocauit nomen eius. Gad. & verſ.* 12. *Peperit quoque Zelpha alterum, verſ.* 13. *Dixitque Lia: hoc pro beatitudine mea: Beatam quippè me dicent mulieres, propterea appellauit eum, Aſer.* Quid eſt hoc? Parit Ancilla, & exultat Lia, & clamat *fœliciter*, & hoc *pro beatitudine ſua?*

℟. Vtique partus illius Anciliæ ſymbolum quoddam fuit partus Virginis, illius videlicet quę de ſe ait: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Lucæ* 1. Ipſa enim eſt quę peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus indiuerſorio; in eius partu Lia, hoc eſt Eccleſia, lippa oculis, videns nunc per ſpeculum in anigmate Filium

Dei

Dei ex Ancillla Domini ſuſcipiens, læta clamat *fœliciter*. Et hoc pro beatitudine mea; ad fęlicitatem quippè non ſolùm Virginis, ſed & vniuerſalis Eccleſię Chriſtus eſt natus, ideò & nobis fœliciter, quia natus eſt nobis Chriſtus, ſed & Virgini Magis fœliciter, & hoc pro beatitudine eius, quia de illa natus eſt. *Didacus Aluarez in cap. 8. Iſaiæ.*

Nata B. V. ceſſauerunt deſideria pręcęs, & lachrymæ antiquorum Patrum petentiũ Incarnationem Verbi.

Dub. 136. Ad illa verba, cap. 32. verſ. 26. *Dixitque ad eum: Dimitte me; Iam enim aſcendit Aurora.* Cur Angelus veniente Aurora petit dimitti?

Bz. Angelus hic Deus Pater, Iacob figurat Sanctos Patres, qui ſub Veteri Teſtamẽto precibus, & lachrymis, quaſi duobus brachiis, ſicut tangitur, *Oſeæ* 12. vbi agitur de lucta Iacob, nitebantur à Deo extorquere Incarnationem Vnigeniti ſui, quorum cœtui reſpondetur, quaſi in ortu Mariæ, *Dimitte me; iam enim aſcẽdit Aurora*, quaſi ceſſet iam inſtantia veſtri luctaminis, quia iam aſcendit Aurora, id eſt, lux illa naſcitur, quæ vobis pariet verum Solem. *B. Albertus Magn. lib. 7. de laudib. B. M cap. 7. num. 5.*

Per B. Virg. facta eſt pax inter hominem, & Angelum.

Dub. 137. Ad eadem verba, cap. 32. ver. 26. *Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora.* Cur veniente Aurora, facta eſt pax inter Angelum, & Iacob?

Bz. In Aurora lucta fuit inter Angelum, & Iacob, diſcordia fuit inter Deum, Angelos, & homines. Homo enim peccando offenderat Creatorẽ; offenſo autem Creatore, omnis offenditur creatura, quanto magis illa, quæ Cratori magis eſt conuincta: illa ergo lucta potuit huius diſcordiæ eſſe figura; ſed certè aduenientę Aurora, aduenientę Maria, pacificati ſunt Angelus, atq; homo, ita quod in ipſa Aurora, in ipſa Virgine Maria Angelicam benedictionem conſecutus eſt homo. Angelus namque dixit: Benedicta tu in mulieribus ad Virginem, & per hanc benedictionem Virginis, homo conſequitur benedictionem pacis, & ſalutis in Filio Virginis. *D. Bonauent. in ſpecul. B. M. Lect. 11.*

Gratiã abundanter nobis infundit.

Dub. 138. Ad eadem verba, cap. 32. ver. 26. *Iam enim aſcendit Aurora.* Cur B. V. comparatur Auroræ.

Bz. Aurora eſt roris infuſiua, vnde dicitur Aurora, quaſi aura rorans: ita Beata Virgo Maria Diuinæ gratiæ rorem nobis abundanter infundit. Quod ſignificatum eſt in lucta Iacob cum Angelo. Nam cum ei dixit Angelus: *Dimitte me, quia Aurora eſt.* Reſpondit: *Non te dimittam, niſi benedixeris mihi*; hæc eſt enim benedictio, de qua dicitur *Geneſ. 26. In rore cœli deſuper erit benedictio tua*, & hic eſt ros ſupernę gratię, quem nobis hæc Aurora infundit. Et iſte ros Auroræ eſt decoratiuus, quia dicitur, quod conchæ marinę in Aurora ſe aperiunt, & rorem ſuſcipiẽtes margaritas concipiunt, quæ ſcilicet in ornamentis ponuntur; & ſic animæ deuotæ, dum ſe iſti Auroræ, id eſt B. Virgini per affectum deuotionis aperiunt, rorem gratiæ ſupernę ſuſcipiunt, per quam margaritas candidas, id eſt, affectiones puriſsimas concipiunt, quę ſunt animę ornamenta, & ideo iſti Auroræ dicitur *Ros lucis, ros tuus, Iſaiæ 26 verſ. 19.* id eſt, affectiones tu genetas lucidas, & mundas. *Ioannes à Santo Geminian.*

B. M. deuotis ſuis affectiones mundas infundit.

Primo exorãda B. V. M. deinde Filius.

Dub. 139. Ad eadem verba, cap. 32. verſ. 26. *Dimitte me, iam enim aſcendit Aurora.* Cur Angelus veniente Aura, rogat dimitti?

Bz. Per Angelum ſignatur Chriſtus, qui forſitam data nobis Matre, videtur dicere ſe oranti; *dimitte me*; iam enim aſcendit Aurora, quaſi dicat: Iam non pulſes ad me primo loco, ſed vade ad Matrem meam, ſicut aliquis Rex iuuenis ad honorem matris ſuæ Reginæ, remittit ad eam negotia Regni, & hoc apparuit in nuptijs, *Ioann. 2.* vbi prius miniſtri veniſſe creduntur ad matrem, & ipſa ad filium. *B. Albert. Magn lib. 7. de laudib. B. M. cap. 7. num. 5.*

Nata V. M. Angeli cœperunt diſponere homines ad illuminationem gratię, purgationẽ culpæ, perfectionem gloriæ.

Dub. 140. Ad illa verba, cap. 32. verſ. 29 *Et benedixit ei in eodem loco.* Cur Angelus veniente Aurora, Iacobo impoſuit nomen Iſrael, & benedixit ei?

Bz. Neceſsè fuit, vt iſta Aurora oriretur, quia ante Angeli officium ſuum circa homines non exercebant, quod eſt illuminare, & purgare, & perficere; ſed aduenientę iſta Aurora, cœperunt nos diſponere ad illuminationem gratię, purgationem culpæ, & perfectionem gloriæ. Iſtud notatur *Geneſ. 32.* vbi dixit Angelus Iacob: *Dimitte me, Aurora eſt*, qui dimittere noluit Angelum, donec triplicem gratiam impetrauit, illuminationem intellectiuam, per hoc quod iſrael ſibi nomen impoſuit, purgationem affectiuæ, pro eo quod neruus fœmoris eius emarcuit, & perfectionem gloriæ per hoc, quod eum benedixit. *Iacobus de Voragine ſerm. 4. in Aſſumpt. B. M.*

Caſti benedicuntur in B. Virg.

Dub. 141. Ad illa verba, cap. 32. verſ. 29. *Benedixit ei.* Cur ad præſentiam Auroræ Angelus benedixit Iacob?

Reſp. Benè legitur, quod Angelus in Aurora benedixit Iacob. Hic Iacob ſpiritum caſtum poteſt ſignare, qui fratrem ſuum, id eſt, corpus ſuum ſupplantauit, hic non ſolum à Patre, ſed etiam ab Angelo benedicitur in Aurora, hoc eſt in caſtiſsima Virgine Maria, cui Angelus dixit *Lucæ 1. benedicta tu in mulieribus. D. Bonauentura in ſpeculo B. M. Lect. 13.*

Mater indulgentior in Filium, quàm Pater.

Dub. 142. Ad illa verba, cap. 37. verſ. 10. *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* Cur Patre, & fra-

fratribus Ioſephum obiurgantibus, ſola mater abſtinet à iurgio, nullas adhibet quęrelas, ne minimo quidem verbo filium perſtringit, cum non minus ad illam, quàm ad patrem, & fratres, iniuria, ſi qua erat, pertinere videretur? Reſpondeo, quia hæc mater erat, illa matris locum obtinebat; mater autem, & quæ matris vicem gerit indulgentior in filium eſſe ſolet, atque ita erga illum animatum, vt patre, ac fratribus iraſcentibus, ſola ipſa non æmuletur, immo potius incredibili quodam gaudio propter illius gaudium perfundatur. En tuus B. Mater viuentium, amor benevolentia, quia in peccatores tuus ſæpè Filius, tanquam Iudex flagello armatur ad vindictam, Angeli tanquam vindices ad Diuinas iniurias vlciſcendas inuehuntur; Tibi vero tanquam indulgentiſsimæ parenti, ſemper patent miſericordiæ viſcera, ad quæ omnes, qui Diuinam iram fugiunt, recipiantur. *P. Mendoça 1. Reg. 4. Verſ. 11. annot. 12. ſect. 1. num. 5.*

Christus, tanquam Iudex armatur ad vindictam, Mariæ vero ſemper patet viſcera miſericordiæ.

Dub. 143. Ad illa verba, cap. 37. verſ. 35. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem Patris.* Quæ cauſa doloris M. V. in paſsione Filij?

Amor amicitiæ fundatur in bono honeſto.

℟. Erat in ea (ſcilicet B. V.) amor amicitiæ, quæ fundatur in bono honeſto, vt quanto quis ſapientior, & perfectior fuerit, tanto magis debeat amari, & de eius abſentia, vel morte dolore. Vnde & Patriarcha Iacob de morte, quam æſtimauit filio ſuo Ioſeph eueniſſe, valdè doluit propter bonitatem eius, adeò vt cæteri filij congregati ad conſolandum eum, vix lenirent dolorem eius. Sed Dominus noſter Ieſus Chriſtus erat optimus omnium hominum, & Angelorum ſapientiſsimus, ſibi, & alijs vtiliſsimus, vnde in paſsione eius animam eius pertranſiuit gladius doloris, erat in ea amor charitatis, maximè qui Deum reſpicit, præcipuè dolore fecit de offenſa Dei, & perditione proximi. Cum ergo ſe cerneret, & ſciret populum illum grauiſsimè Deum offendere, quia directè in Deum peccabant, contumeliando corpus illud Deitati vnitum, & hinc conſideraret populum Iudæorum, ex quo nata erat, damnationem incurſurum, videret etiam Apoſtolos omnes à Deo propter peccatum receſsiſſe, valdè dolebat. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 36. §. 1.*

B. Virgo in Paſsione Filij dolebat de offenſa Dei, & damnatione Iudæorũ.

Vitis vnde dicta?

Dub. 144. Ad illa verba, cap. 40. verſ. 9. *Videbam coram me Vitem.* Cur B. Virgo dicitur vitis?

℟. Vitis dicta, eo quod vim habeat citius radicandi, vel quod inuicem ſe innectit, eſt Beata Maria, quæ præ cæteris citius, & altius in Dei amore fuit radicata, & veræ viti, id eſt, Filio ſuo, qui dixit *Ioann. 15. Ego ſum Vitis vera*, inſeparabiliter ſe inne-

B. Virgo altius præ cæteris in amore Dei fuit radicata.

xuit, & de ſe metipſa dixit *Eccleſ. 24. Ego quaſi Vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Partus B. Virginis non habet exemplum in fructu mulierum, vel ſexu, ſed habet ſimilitudinem in naturis rerum. *D. Anton. Paduan. in Serm. Dominicæ 6. Quadrageſ.*

Per fidem Incarnationis, per vniuerſum mũdum multiplicantur fideles.

Dub. 145. Ad illa verba, cap. 40. verſ. 9. *Videbam coram me Vitem, in qua erant tres propagines.* Qui propagines huius vitis?

℟. Tres propagines huius vitis fuerunt Angelica ſalutatio, Spiritus Sancti ſuperuentio, & Filij Dei inenarrabilis conceptio. Ex his tribus propaginibus propaginata proles fidelium, quotidie per totum mundum fide propaginatur, id eſt, multiplicatur. *D. Antonius Paduan. Vbi ſupra.*

Habuit fœcũditatem ſine corruptione, partum ſine dolore.

Dub. 146. Ad illa verba, cap. 40. verſ. 10 *Creſcere paulatim in gemmas.* Quæ gemmę huius vitis?

℟. Gemmę in vite ſunt humilitas, & virginitas B. Mariæ, flores fœcunditas ſine corruptione, partus ſine dolore. Tres botri vuarum in vite, paupertas, patientia, abſtinentia B. Marię. Hę ſunt vuæ maturæ, ex quibus profluit vinum maturum, & odoriferum, quod inebriat, & inebriando ſobrias reddit mentes fidelium. *D. Antonius Paduan. Vbi ſupra.*

Virginis virtutes botris vuæ comparantur.

Valde pauper minimũ habens de mundo.

Dub. 147. Ad illa verba, cap. 41. verſ. 52 *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Cur B. V. M. dicitur terra paupertatis?

℟. Terra eſt quantitate minima, & ita Beata Virgo fuit per paupertatis extenuationem minimum habens de mundo. *Geneſ. 41.* creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. *Ierem. 4. Aſpexi terram, & ecce Vacua erat. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Rachel populo ſuo mediatrix.

Dub. 148. Ad illa verba, cap. 48. verſ. 7. *Sepeliui eam iuxta Viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Cur hanc hiſtoriam de ſepultura Rachelis in via bonus Patriarcha retexuit?

℟. Iacob ex Diuina reuelatione præſciuit tempore Nabucodonoſoris, Regis deſtruendam eſſe Ieroſolymam. *4. Reg. 25. à num. 1.* & populum captiuum per Nabuzardam in Babylonem ducendum, & iuxta ſepulchrum, Rachelis tranſiturum, eamque de ſepulchro miraculosè clamaturam ad Deum, imploraturamque auxilium ad populum ſuum. Itaque Rachel iuxta Hæbreos multo ante à Deo conſtituitur populo ſuo mediatrix; tantas enim vires eius oratio habitura erat, vt etiam de ſepulchro euolans, Hæbreos de captiuitate, liberatura crederetur. Quid ergo mirum, ſi Beata Virgo Rachele potentior, mundo periclitanti à Deo Patrona deſignatur? Et fortè illud fuit Myſterium ſepeliendi B. Virginem in valle

B. Virgo mũdo periclitanti Patrona.

Sepulta in valle Ioſaphat, & cur?

valle Ioſaphat, vbi extremum iudicium futurum eſt, vt refert *Brocharduſ in deſcriptione Terræ Sanctæ*. Nam ſicut Rachel in illo loco ſepulta eſt, ex quo tranſeunti populo captiuo poſſet auxiliari: ita & Beata Virgo ſepelitur in ea valle, in qua hominibus ad iudicium vocatis patrocinatur. Quis ſub hac Patrona iratum Iudicem vereatur? *P. Mendoza 1. Reg. 4. Verſ. 11. annotat. 2. ſect. 2. num. 4.*

Hominibus in iudicio patrocinabitur.

Dub. 149. Ad illa verba, cap. 49. verſ. 25. *Deus patris tui benedicet tibi, benedictionibus vberum, & vuluæ.* Cur vbera B. M. dicuntur benedicta?

Vbera Virginis benedicta.

℟. Mariæ dicit vbera, quæ verè benedicta erant, quibus ſancta Virgo populo Domini potum lactis immulſit. Vnde & illa mulier in Euangelio ait: *Beatus Venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. D. Ambroſius lib. de benedict. Patriarchar. Geneſ. 49. cap. 25.*

Dub. 150. Ad illa verba, cap. 49. verſ. 7. *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.* Cur Simeon, & Leui maledicuntur?

Iracundi ma ledicti.

℟. Audiamus quomodo en Bedicta ſit Maria pro lenitate, & manſuetudine contra iracundiam; iracundi enim maledicti ſunt, ſicut ſcriptum eſt in Geneſi, *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura*: contra hanc iræ maledictionem Maria obtinuit manſuetudinis benedictionem. Cuius reuera tanta fuit manſuetudo, quod non ſolum propria ira caruit; ſed etiam iram Domini ad manſuetudinem conuertit. *D. Bonauentura in ſpecul. cap. 13.*

Non ſolum propria ira caruit, ſed iram Domini ad manſuetudinem conuertit.

Dub. 151. Ad illa verba, cap. 49. verſ. 9. *Catulus Leonis Iuda requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna.* Cur B. M. V. Leæna dicitur?

Filium vnicum habuit B. V. M.

℟. Matrem fortiſsimi Leonis ſcimus eſſe Beatam Virginem, eique nomen Leænæ aptiſsimè commodatur. Vnicum enim Leæna, habet partum, teſte Epiphanio, Leænæ non accidit ſecundus partus. *Eucherius.*

Leæna vnicũ habet filium

Dub. 152. Ad eadem verba, cap. 49. verſ. 9. *Catulus Leonis Iuda requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna quis ſuſcitabit eum.* Cur Chriſtus dicitur catulus Leonis, & B. V. Leæna?

℟. *Origenes homil. 47. in cap. 9. Geneſis. D. Auguſt. ſerm. 108.* Eucherius ad præfata verba. Aduertunt catulum Leonis recens natum dormire per tres dies, & totidem noctes; tertia verò Leæna eius mater vehementem adeo rugitum emittit, vt locus cubilis tremefactus dormientem excitet. Deipara ergo vnum edidit Filium, Leonem de Tribu Iudâ, & ſicut Leæna dormiente catulo, præ dolore tremendos repetit rugitus, quibus dormientem catulum tertia die excitat; ita hæc Beata Leæna Sacratiſsima Virgo Maria ſuum fortiſsimum Leonem Chriſtum Ieſum de Tribu Iudâ ſomno mortis dormientem, ac iacentem in ſepulchro, ſuis validiſsimis ſuſpirijs, gemitibus, ac clamoribus tertia die ad vigiliam vitæ reuocat. Valdè mihi veriſimile eſt Chriſtum Dominum obgemitus huius Sacratiſsimæ Leænæ, atque ad leniendum Matris dolorem tempus ſuæ Reſurrectionis acceleraſſe. *Pater Silueir. tom. 5. in Euang. lib. 9. cap. 1. quæſt. 8. num. 53.*

B. Virgo ſuis ſuſpirijs, & gemitibus Chriſtum à morte ad vitam reuocauit, & Reſurgere fecit.

Chriſtus ad leniendum Matris dolorem, tempus ſuæ Reſurrectionis accelerauit.

Dub. 153. Ad illa verba, cap. 49. verſ. 25. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi, iacentis deorſum.* Quæ ſunt benedictiones cœli, & abyſſi, quibus benedicitur B. Virg.?

Dominatur Angelis, hominibus, & Purgatorio.

℟. Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper *Gloſſ.* ſubijciens tibi omnia cœleſtia, & terreſtria, vt Angelis, & hominibus domineris. Benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, vt & in Purgatorio domineris. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

EX EXODO.

DVb 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 4. *Stante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei.* Cur Maria ſtabat procul, & conſiderabat euentum rei?

℟. Moyſi adhuc infanti, & propè Nilum expoſito, adfuit eius Soror Maria, ſtans procul, & conſiderans euentum rei, & à filia Pharaonis impetrauit facultatem quærendæ nutricis, quæ puerum lactaret. Non minus profectò in omnium hominum tutelam excubat Beata Virgo, non quidem procul ſtans, ſed proximè aſſiſtens, nec externas nutrices ad lactandum negotiatur; ſed ipſa ſe exhibet in nutricem. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Verſ. 11. annotat. 12. ſect. 2. num. 7.*

B. V. in omnium hominum tutelam excubat.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 3. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam quare non comburatur rubus.* Cur ardebat rubus, & non comburebatur?

B. V. M. Filium peperit, & pudor illeſus virginalis permanſit.

℟. Iſte rubus incombuſtus ſignat virginitatem illibatam Beatæ Mariæ in conceptione Chriſti, iuxta illud: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum conſeruatam agnouimus tuam laudabilem Virginitatem Dei Genitrix. Vnde Richard. ſuper Apocal. lib. 1.* dicit ſic: Quid nam accipimus per flammam, niſi Spiritus Sancti gratiam, quid per rubum arborem paruulam, aſpectam, floridam, & viridem, niſi Beatam Vir-

Virginem perfui contemptum humilem, per exercitium virtutum asperam cum mollicie, viridem per fidem, floridam per castitatem. Deo itaque apparente in rubo flamma rubum non læsit, & Filio Dei carnem in Virgine sumente, obumbrante Spiritus Sancti gratia, pudor illæsus Virginalis permansit. *Leonardus de Vtino sermone de Incarnatione Dominica. D. Greg. Nissen. orat. 2. de Natali Domini. Germanus Patriarcha Constantinopolit. B. Albert. Mag. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 6. §. 3.*

Mons Sinai mons misericordiæ.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. vers. 17. *Et dixit, Vt educam Vos de afflictione Ægypti.* Cur in monte Sina facta est promissio de liberando populo?

Re. Beata Virgo Maria assimilatur monti Sinai, quia mons ille fuit mons misericordiæ, & promissionis. Est enim mons Sinai in Prouincia Madian, cuius pars est Oreb, vbi apparuit Dominus Moysi in rubo compatiens afflictionem populi sui, & promisit liberare eum à seruitute Ægyptiorum per manum eius: ita B. V. Maria tanquam misericordiæ Regina fuit promissa, & præfigurata in illo eodem rubo, in quo Dominus Moysi apparuit, sicut Ecclesia dicit: *Rubum quem viderat Moyses*, & in ea impletæ sunt promissiones factæ de liberatione generis humani à seruitute diaboli, nam in ea descendit Filius Dei, & carnem nostram assumpsit pro nostra liberatione. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Descendit in viterum Virginis Filius Dei, & fecerunt, implete in ea promissiones de liberatione generis humani à seruitute diaboli.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 7. vers. 10. *Quæ versa est in colubrum.* Vers. 12. *Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Cur virga versa in colubrum, virgas Ægyptiorum deuorauit?

Re. Hæc virga versa in colubrum Dracones Ægyptiorum deuorauit, quia cum Maria Christum induit carne, quæ similis erat peccatrici, hæreses quibus impii, Ægypto, id est, mundo illudebant, cum virtute suæ prolis, cum exemplo suæ sanctitatis deleuit, quod impletum est quando ipsa cum filio ingrediente Ægyptum omnia idola corruerunt, sicut prædixerat. *Isaiæ 19. B. Albert. Magn. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 6. num. 8.*

Hæreses deleuit.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 7. vers. 12. *Et pisces qui erant in fluuiue mortui sunt: computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis.* Cur pisces fluuiales mortui sunt?

Re. Maria precibus suis, meritis, & exemplis, conuersis peccatoribus, & maximè dilectoribus suis, mundanas, & carnales delectationes, quæ cito præter fluunt, vt aqua, conuertit in abominationem, & amaritudinem, quasi in sanguinem, quem nemo potest bibere, & sic moriuntur pisces fluuiales, i. est, vanæ curiositates. *B. Albertus Magn. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 6. num. 9.*

Mundanas delectationes seruorum suorum in abominationem conuertit.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 16. vers. 19. *Reduxit super eos Dominus aquas maris.* Cur Maria Vadicitur mare?

Resp. Maria est mare amarum diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis, quemadmodum mare rubrum, amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis. O quam amarum & timendum est hoc mare Ægyptijs! O quam amata, & timenda est hæc Maria dæmonibus! *B. Bernard.* Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis vbicunque inueniunt crebram huius Nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem. *D. Bonauentura in speculo B. M. Lect. 3.*

Diabolus maxime timet inuocationē Nominis B. Mariæ.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 15. vers. 20. *Sumpsit ergo Maria prophetissa Soror Aaron tympanum in manu sua.* Cur Maria ore pariter, ac manu Deo laudes decantabat?

Moyses ore tantum, Maria ore, & manu Deo laudes decantabat.

Resp. Moyses, & cæteri, qui Moysi aderant choraules, ore tantum; at Maria ore pariter, ac manu Deo laudes decantabat; talem se præstitit erga Deum B. Virgo, cuius Religio, si cum aliorum Sanctorum Religione comparetur, sic excedit, vt hæc vocalis tantum, illa etiam realis videatur. *Petrus Damianus serm. 3. de Natiuit.* Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperet, cum & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum Chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non cuiusquam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Vers. 11. num. 20.*

Nullus antiquorum, & sequentium Patrum B. M. potest comparari.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 15. vers. 20. *Maria prophetissa Soror Aaron.* Cur dicitur Soror Aaron, potius quam Soror Moysis?

Maria cur dicebatur Soror Aaron, potius quam Moysi.

Resp. Maria non tanti Moysis gladium faciebat, quanti thuribulum Aaronis, & propterea magis de fratre miti, ac beneuolo, quam de rigido, ac seuero gloriabatur. Quid tibi ò Maria Soror Aaron, cum Maria Matre Iesu? Friget planè illius charitas, si cum tua charitate ò Deipara comparetur. Sicut ipsa ad misericordiam prona es, ita misericordiæ deditos peculiari quodam affectu miseraris; horum non tam Dominam gloriabunda te appellas, quam Sororem. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Vers. 11. annotat. 2. sect. 1. num. 6.*

Misericordiæ deditos peculiari affectu miseretur; horumque non tam Domina, quam Soror est.

Dub.

Vterus Virginalis, terra in quam cœlestis panis descendit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 16. vers. 4. *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.* Cur Christus dicitur panis?

℟. Iste panis significat Christum. *Ioan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Terra autem in quam descendit iste panis, est vterus virginalis. Vnde *Ioannes Damascenus in serm. de Assumpt. B. V.* dicit sic: Ex te enim Deitatis flamma, Verbum Patris, Manna cœleste dulcissimum, nomen superomne nomen, æternum lumen, & inaccessibile cœlestis panis vitæ fructus absque cultu corporaliter ex te pullulauit. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 16. vers. 20. *Scatere cœpit vermibus.* Cur de Manna vermiculus procreatus?

℟. Legimus de Manna vermiculos procreatos, digna planè & iusta cõparatio, siquidem de Manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur.

Christus de Virgine procreatus.

Quin potius ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, & splendida, suauis, & Virgo, quæ veluti cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sed potius ipse cibus in iudicium conuertitur: Manna enim filijs Israel contra Diuina præcepta tractantibus vermis effectus est. *D. Ambrosius in Ps. 21.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 16. vers. 21. *Colligebant autem mane singuli.* Cur Manna mane, id est, in Aurora colligebatur?

Tribulationes seruorũ suorum in dulcedinem conuertit.

℟. Ros Auroræ est dulcoratiuus. *Exodi* 16. dicitur, quod in Aurora colligebatur Manna: Manna quidem est internæ dulcedinis gratia, quam his qui tribulato sunt corde, infundit hæc Aurora. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 16. vers. 10. *Gloria Domini apparuit in nube.* Cur gloria Domini in nube, & cur B. V. nubes dicitur?

Præ cæteris Sanctis fuit omnium gratiarum receptiua.

℟. Nubes est omnium impressionum cœlestium de facili susceptiua, quia scilicet, Domina nostra receptaculum fuit omnium cœlestium gratiarum. Nam cæteris Sanctis per partes, Mariæ autem totam se infudit gratiæ plenitudo, sicut *Hieronymus* dicit. Vnde Angelus dicit ei: Aue gratia plena, & ideo præcæteris Sanctis extitit gloriosa. *Exodi 16. Gloria Domini apparuit in nube. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 17. vers. 3. *Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria. Vers. 6. Percutiesque petrã, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Cur Virga percutienda petra?

℟. Ipsa est Virga concussionis quæ gratiam nobis apud Christum impetrat. *Exodi 17. Sitiuit populus præ aquæ penuria, & Dominus dixit ad Moysen: Tolle Virgam,* id est, Mariam, percutiesque petram, id est, Christum, ipsum per eam impulsando, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. *B. Alb. Magn. in Biblia Mariana.*

Christus per eam impulsandus.

Dub. 14. Ad eadem verba, cap. 19. vers. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Cur descendit Dominus super montem Sinai in igne?

Spiritu Sancto succensa, priusquam in eam descenderet Filius Dei.

℟. Iste mons signat vterum Beatæ Virginis succensum igne Spiritus Sancti, in quem descendit Filius Dei. Vnde *Ioannes Damascenus in serm. de Natiuitate B. Virg.* dicit sic: Edita est enim nobis Mater Dei, de qua nasci voluit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: notissimus enim mons Dei nascitur, qui præcellit omni colli, omnique humano cacumini, ac præeminentiæ naturę Angelicę. Sanctior Sinai sublimitas, quam nec fumus, nec caligo, nec procella, nec terribilis ignis, sed Spiritus Sanctus lucifluus tetigit. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Præcellit omni creaturæ etiam Angelicæ.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 19. vers. 18. *Et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* Cur fumus quasi de fornace ascendebat de monte?

Descendens Spiritus Sanctus in Virginem eius illuminauit, & inflammauit.

℟. Hoc factum est de Beata Virgine, quando scilicet, Spiritus Sanctus in eam superuenit, qui est ignis, id est, amor Diuinus, & eam æstuanti desiderio fumigare fecit, & mentem totam ipsius illuminauit, & inflammauit. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 20. vers. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quommodo Christus honorauit Matrem suam?

In die Resurrectionis, pie credendũ est Christo Sanctissimæ Matri primo apparuisse.

℟. Pie credendum est, quod sibi ante omnes Christus apparuerat, quod potest ostendi per quandam moralem rationem. Deus enim præcepit honora patrẽ tuum, & matrem, sed si esset aliquis filius in vltra marinis partibus constitutus, de quo mater intellexisset, quod mortuus esset, & tandem sanus rediens personas extraneas visitaret, & ad matrem tribulatam vltimo accederet, iste bonus filius non esset, nec matrem honorasset; sic etiam Christus Matrem non multum honorasse videretur, si prius alios de sua Resurrectione læti ficasset, & tandem Matri desolatæ apparuisset. Summus enim Pontifex ad Sanctam Mariam Maiorem in die Paschæ primam stationem celebrat, per hoc innuens ad Beatam Mariam primam factam fuisse apparitionem. *Iacobus de Voragine, Episc. Ianuensis serm. 1. in die Resurrectionis.*

Summus Pontifex quare in die Resurrectionis ad Sanctam Mariam Maiorẽ primam stationem celebrat.

Dub.

Christus omnem gratiã, & honorem Matri impendit.

Dub. 17. Ad eadem verba, cap. 20. vers. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Qualem honorem Christus Matri exhibuit?

℟. Deus, vt decretum suum obseruaret, atque hac in parte alios excelleret, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit. *Methodius orat. in Hypapante.*

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 25. vers. 9. *Iuxta omnem similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi.* Cur Tabernaculum ornabatur pellibus rubricatis, hyacinthinis, & sagis cilicinis?

℟. Hoc est Tabernaculum veri Moysis, quod ornabatur, construebatur, & tegebatur de pellibus rubricatis, hyacinthinis, & sagis cilicinis, & cortinis pulchrificabatur, textis opere pluminario, id est, actuali, quia gloriosa Virgo fuit ornata, & distincta omnimoda pulchritudine virtutum, vnde dicitur: circumamicta varietatibus. *B. Albertus Magn. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 28. num. 2.*

Omnimoda pulchritudine virtutum exornata.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 25. vers. 10. *Arcam de lignis setim compingite.* Cur B. Maria dicitur Arca?

Ex plenitudine quam accepit à Spiritu Sancto, superfluens est nobis.

℟. Ipsa est Arca Testamenti. In hac Arca posuit Deus thesaurum, quem mundo contulit, ad hanc Arcam recurrit Ecclesia in necessitatibus suis. Ipsa est Arca non solum plena, sed etiam super plena. *Bernard. super illud; Spiritus Sanctus superueniet in te.* Cur in eam iam plenam superuenturum asserit Spiritum Sanctum, nisi vt adueniente spiritu, plena sibi, ipso quoque superueniente, nobis super plena, & superfluens fieret. *Gulielmus Peraldus, Episcopus Lugdunensis, tom. 1. de vitijs, & virtutibus, de spe.*

Nullos motus carnis, etiam primos sensit.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 25. vers. 10. *De lignis setim compingite.* Cur Arca de lignis setim fabricanda?

℟. Ligna setim de quibus fabricata erat Arca, sunt ligna imputribilia, & significant thesaurũ virginitatis in summo, quæ in ea fuit; castitas enim est ille thesaurus, de quo it Apost. 2. *Corinth. 4. Habemus thesaurũ istum in vasis fictilibus*, id est, in corporibus, nam in Angelis, qui non habent corpus, virginitas non est virtus, quia hoc habent à natura, non à pugna cum gratia: sed in Virgine per gratiam specialem non per insensibilitatem, quæ est vitium, hoc habuit, vt cum esset in carne, nec sentiret stimulos aliquos, & motus, etiam primos carnis, nec aliquam inclinationem ad malum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 4.*

Virginitas in Angelis non est virtus.

Dub. 21. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 10. *De lignis setim compingite* Cur Arca de lignis setim fabricanda erat?

Conseruata à corporis putrefactione.

℟. Facta fuit hæc Arca de lignis setim, quæ sunt imputribilia, ad significandum puritatem Beatę Virginis Marię, quę fuit purissima mente, & corpore, & etiam post mortem conseruata à corporis putrefactione. *Lyranus.*

Mente, & corpore purissima.

Dub. 22. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 10. *Arcam de lignis setim.* Cur in Arca repositę tabulę continentes legem, virga Aaron, & Manna?

Christus in B. Virgine repositus tanquam in Arca, in hominum commodum.

℟. Per Arcam istam figurata fuit Virgo Maria, in qua repositus fuit Sanctus Sanctorum Iesus Christus, qui est Rex, & Sacerdos, & cibus fidelium. Et hę tres conditiones figuratę fuerunt per tria in Arca reposita, scilicet, tabulas continentes legem, & significant Regiam Dignitatem, ad quam spectat ferre legem, & virgam Aaron, quę significat Sacerdotium, & Manna, quę significat cibationem fidelium viatorum in Sacramento Eucharistię, & Beatorum in propria specie. *Lyranus.*

Charitatis plenitudine habuit in cõuersatione exteriori, & actione interioris.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 25. vers. 11. *Et deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris.* Cur Arca deaurata intus, & foris?

℟. Ista Arca deaurata est intus, & foris, quia plena charitate. *B. Hieronym. in serm. de Assumptione ait:* Totam incanduerat eam Diuinus amor, vt nihil esset in ea, quo mundanus violaretur affectus, sed ardor continuus, ebrietas perfusi amoris. Aurum enim, quia pretiosius aliis metallis, ideo significat charitatem maximam virtutum, hac ipsa erat circundata in conuersatione exteriori, & actione interiori. *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 4.*

Regina cælorum, & Domina Angelorum facta est.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 25. vers. 11. *Arcam de lignis setim.* In Arca reposita erat virga. Cur virga reposita erat in Arca?

℟. Virga in Arca erat designans potestatem, & dominium; nam Regina dicitur cœlorum, & Domina Angelorum. *D. Antonin. vbi supra.*

B. M. in Tabernaculo Ecclesiæ est quid prætiosissimum.

Dub. 25. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 11. *Arcam de lignis setim.* Arca habebatur in Tabernaculo? Cur Arca erat in Tabernaculo?

℟. Arca ista habetur in Tabernaculo, vt prætiosissimum quid, & ita Virgo in Tabernaculo Ecclesiæ prætiosissimum, & sanctissimum. *D. Antoninus vbi supra.*

In cœlo est sicut cœlorum Regina.

Dub. 26. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 11. *Faciesque supra Coronam auream.* Cur supra Arcam erat Corona?

℟. Nam cæteri Sancti, etiam Supremi Angeli, sunt in cœlis sicut Dei Ministri, ipsa verò sicut cœlorum Regina. *Lyranus.*

Meruit peccatoribus propitiationem.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 25. vers. 17. *Facies & propitiatorium.* Quod erat supra Coronam Arcæ. Cur propitiatorium erat supra coronam?

℟. Ip-

Precibus suis Deum facit mundo propitium.

Commune propitiatorium.

Angeli famulantes Beatæ Virgini.

Ad exemplar B. M. corrigẽdę, imo componendæ cõscientiæ nostræ.

Quare ignis accẽditur in medio speculi cõcaui, nõ vero conuexi.

In Beata Virgine fuerunt gratiarum diuisiones, dona virtutum potissimè cõgregata, quia fuit profundissimæ humilitatis.

℟. Ipsa præter coronam quam sibi meruit, meruit etiam peccatoribus ad eam recurrentibus propitiationẽ. Vnde super coronam Arcæ fuit Propitiatorium. *Gulielm. Perald. Episc. Lugd. tom. 1. de Vit. & Virt. c. 3.*

Dub. 28. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 17. *Facies & propitiatorium.* Cur B. V. dicitur Propitiatorium?

℟. Placa Dominum pro communi figmento, nam quandiu quidem versabaris in terris, Te habuit parua terræ portio; ex quo autem translata est, Te vniuersus mundus continet commune Propitiatorium. *Andreas Cretensis.*

2. ℟. Ipsa namque precibus suis Deum fa it nobis propitium. *Lyra.*

Dub. 29. Ad eadem verba, cap. 25. vers. 18. *Duos quoque Cherubim aureos.* Cur Cherubim erant ex vtraq; parte Propitiatorii?

℟. Per quos designatur assistentia Angelorum huic Virgini famulantium. *Lyran.*

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 25. vers. 40. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Cur Beata Virgo dicitur exemplar?

℟. Hoc est illud exemplar, ad quod transcribendi, & corrigendi sunt libri conscientiarum nostrarum, vnde dictum est Moysi: *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, & loquebatur de vasis Tabernaculi, quibus fideles animæ figurantur. *B. Alb. Mag. lib. 12. c. 7. §. 4. n. 20.*

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 27. vers. 1. *Facies & altare de lignis setim, vers. 8. Non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud.* Cur altare veteris Testamenti concauum erat?

℟. Per charitatem ipsa est charitate feruẽtissima; sicut enim probatur *libro de speculis*, ex speculo concauo accenditur ignis in sui cẽtro, id est, in medio, & hoc propter congregationem radiorum solariũ in puncto illo, & illorum reflexionem ad mediũ: non sic autem speculum conuexum, & gybosum, quia radij sic non congregantur, sed potius disgregantur. Sic in proposito, nam speculum est mens humana, qua veritatem speculamur 1. *Corint.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, sed speculum conuexum, & gybosum est cor elcuatũ, & tumidum, in cuius medio, nec calor accenditur, nec intenditur, sed potius labor in eius medio, & iniustitia, secundum *Psalm.* speculũ autem concauum est cor in humilitate depressum, & per fundamentũ, in cuius medio necessè est ignem accendi: nam radij solares sunt dona Spiritus Sancti, & diuisiones gratiarum, seu dona virtutum. *Iacob.* 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Isti verò radij congregãtur in medio huius speculi. *Prouerb.* 4. *Custodi ea in medio cordis tui*, & quanto fuit hoc speculum magis concauum, tanto plures radij congregantur. Mens autem B. Virginis concauitatis maximæ, id est, profundissimæ humilitatis fuit, & ideo ibi potissimè fuerunt isti radij congregati. *Hier. in serm. de Assump.* Si diligẽtius conspicias, nihil virtutis, nihil speciositatis, nihil est candoris, & gloriæ, quod ex ea non resplẽdeat. *Fulbertus.* Coruscabant foris in superficie sermones, & actus, vnde merito pollent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere. Tanta autem congregatione, & fulgentia radiorum necessario ignẽ habuit, quod ducere feruentissimæ charitatis sunt; & adhuc alij radij Solis Iustitiæ; scilicet, verba Legis Diuinæ. *Prou.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux, quæ in medio huius speculi fuerant cõgregati. Vnde sicut dicitur *Luc.* 1. *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Et isti radij ignem prædictum vehementissimè excitabant. *Ps.* 118. *Ignitum eloquiũ tuũ vehementer.* Ideo *Hier. vbi sup.* Puto quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totũ adhibeamus, non sufficiet vt cogitare valeas, quanto in desinẽte cremabatur ardore pij amoris, dũ reuolueret animo cũcta quę audierat, & viderat. In cuius figura altare veteris Testamenti concauum erat ad recipiendum ignem sicut habetur. *Exod.* 27. *Thom. Angl. Ord. Præd. Card. in Ps.* 30. *v.* 9.

A more ardebat dum reuolueret mẽte, quæ audierat, & viderat in Filio.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 30. ver. 18. *Facies & labrũ æneũ.* Cur B. M. dicitur labiũ?

℟. Benè Maria labium Ecclesiæ, quia in labijs eius difussa est gratia illius responsionis, qua mundatus est mundus. Hoc labium nobis loquitur verba vitæ, & pro nobis loquitur bonum in conspectu Dei. *B. Albert. Mag. lib. 9. de laud. B. M. cap. 16. num. 1.*

Labium Ecclesiæ est Beata Virgo.

Dub. 33. Ad eadem verba, cap. 30. vers. 18. *Facies & labrum æneum.* Cur labrum æneum appellatur?

℟. Hoc labium fuit æneum, quia æs sonorum est, & ipsa sonora in precibus, cui filius dicit. *Cant.* 2. *Sonet vox tua in auribus meis*; vox enim tua dulcis cum pro peccatoribus interpellas. *B. Alb. Mag. vbi supra.*

Cum pro nobis interpellat, suauis est Filio.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 30. vers. 18. *Ponesque illud inter Tabernaculum testimonij, & altare.* Cur labrum ponitur inter Tabernaculum testimonij, & altare?

℟. Hoc labium scilicet, Maria positũ erat inter Tabernaculũ testimonij, quo signatur Ecclesia, & altare, id est, Christũ, quia mediatrix inter Christum, & Christianos suis precibus reconciliat imma summis. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Suis precibus reconciliat imma summis.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 31. vers. 2. *Vocaui ex nomine Beseel, vers. 6. Dedique ei socium Ooliab.* Cur Beseel, & Ooliab eliguntur ad faciendam Arcam testimonij?

Beata Virgo per Christum, & Spiritum Sanctum præparata, & ornata.

Beseel, & Ooliab quommodo interpretantur?

℟. Arca Testamenti typum tenet Sanctæ Dei Genitricis, illam fecit Beseel, istam condidit Emanuel. Beseel Ooliab in opere socium habuit, & Virgo quoque Virginum condita, prælecta, præseruata, præparata, & ornata per Spiritum Sanctum, & eius Omnipotentem Filium fuit. Beseel interpretatur vmbra Dei, Ooliab protectio mea, prior ille Spiritus Sancti, iste verò typum tenet Filij. *D. Bern. serm. de S. Maria.*

Spiritus Sanctus fabricauit corpus Christi purissimo sanguine Beatæ Virginis.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 31. vers. 18. *Deditque Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.* Cur tabulæ digito Dei scriptæ?

℟. In Beata Virgine Spiritus Sanctus purissimo sanguine fabricauit corpus Iesu Christi. Vnde *Ioann. Damasc. serm. de Natiuit.* Ibi enim Verbum Dei scripsit in tabulis lapideis digito, id est, Spiritu Sancto. In hac autem Beatissima Virgine ex Spiritu Sancto, eiusque sanguine idem Verbum incarnatum est, & tradidit se ipsum naturæ nostræ effectiuum salutis antidotum. *Leonardus de Vtino serm. de Incarn. Dominica.*

Reconciliatricis officiū assumpsit in cœlum ascendens.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 32. vers. 30. *Peccastis peccatum grande: ascendam ad Dominum, si quommodo qui verò eum deprecari pro scelere vestro.* Cur dixit Moyses, quod ascensurus erat ad Dominum ad deprecandum pro scelere populi?

℟. Ipsa est etiam reconciliatrix, quod officium assumpsit maximè in cœlum ascendens. Vnde designat eam Moyses, *Exodi* 32. Qui dixit ad populum qui adorauerat vitulum. *Peccastis peccatum maximum*, peccastis, dicit Virgo nostra, facillimè, stultissimè, verecundissimè, multiplicissimè, auarissimè, insolubilissimè. Ascendam ad Dominum misericorditer, fideliter, solemniter, si quommodo quivero eū deprecari pro scelere vestro. *Gloss.* quod tantum est. *B. Alb. Mag. in Biblia Mariana.*

Moyses orabat vt peccator.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 32. vers. 13. *Recordare Abraham, Isaac, & Israel.* Cur Moyses orans pro populo, dixit Deo: quod recordaretur Abraham, Isaac, & Israel?

℟. Nota quod Moyses orabat, vt peccator, & seruus, vnde & dicebat: *Exodi* 32. Recordare Abraham, Isaac, & Israel, ecce quia pro se Patres diligenter inducit: sed Maria orat vt Filia, iubet vt Soror, imperat vt Mater, vnde in Vigilia Assumptionis eius orat Ecclesia in secreta dicens: Munera nostra apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcircò de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. *B. Alb. Mag. in Biblia Mariana.*

B. Virgo orat vt filia, iubet vt Soror, imperat vt Mater.

Facies B. Virginis splendens ex Filij Dei Conceptione.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 34. vers. 29. *Et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Cur facies Moysi ita erat splendens ex locutione Dei?

℟. Fiat ratio, si facies erat ita splendens ex sola Dei locutione, quanto ergo magis facies Virginis Mariæ ex Filij Dei Conceptione, hanc rationem facit Apostolus dicens: *Si ministratio mortis litteris, deformata in lapidibus fuit in gloria, vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quommodo non magis ministratio spiritus erit in gloria. 2. ad Corinth. 3.* Ministratio mortis fuit lex Moysi, quia non dabat vitam gloriæ. *D. Vincentius Ferrer in Vigilia natalis Domini.*

Virginitas digna & pretiosam eam fecit apud Deum.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 37. vers. 1. *Vestiuitque eam auro purissimo.* Cur Beseel vestiuit Arcam auro purissimo?

℟. Ponuntur quæ gloriosæ Virginis insinuant prærogatiuam. Virginalis castitas per aurum ratione incorruptionis, & pretiositatis, & differenter accipitur, integritas, seu incorruptio dignam facit Virginem quoad se, pretiositas quoad Deum, lux, siue claritas quoad proximum, & bonam famam. *B. Albert. Mag. lib. 10. de laudibus B. M. cap. 1. num. 9.*

In honorem Regum sublimata, quia Mater Regis

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 37. vers. 2. *Et fecit illi coronam auream per gyrum.* Cur Beseel fecit Arcæ coronam auream per gyrum?

℟. Ponuntur quæ gloriosæ Virginis insinuant prærogatiuam. Corona posita per gyrum, per quam datur intelligi in Virgine gloriosa fœcunditas. Fœcunditas enim perduxit eam ad coronā auream; eo enim quod Mater facta est summi Regis, dignum erat, vt in honore Regio sublimaretur. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Spiritu Sancto obumbrata.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 40. vers. 32. *Operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Cur gloria Domini impleuit Tabernaculum?

℟. Istud Tabernaculum signat Beatam Virginem, quam Spiritus Sanctus obumbrauit, & Filius Dei impleuit vterum eius sua Diuinitate. Vnde *Ioann. Damasc. serm. in Natiu.* Cedat typicum Tabernaculum, quod construxit Moyses in deserto è pretiosis lapidibus multi moda materia, & ante illud Abrahæ Tabernaculum. Hoc enim Tabernaculum, scilicet, Beatissima Virgo, non arte humana, varioque labore artificum, factum Dei Tabernaculum, ac receptaculum, Filium Dei in se suscepit. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnat. Dominica.*

Filius Dei impleuit vterum Virginis sua Diuinitate.

Virgo Maria non opus humanum est, sed Dei.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 40. vers. 32. *Et gloria Domini repleuit illud.* Cur Tabernaculum gloria Domini dicitur repletum?

℟. Tabernaculum testimonij, id est, Mariam, gloria Domini repleuit illud, id est, Christus se ipso ad generis humani redēptionē, gratia ad iustorū cōfirmationē, ve

Quod à Deo accepit in veritatem nostram vertit.

venia ad reorum reconciliationem gaudio ad triſtium conſolationem. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

LEVITICVS.

Quidquid Deo offerimus, per B. Virginem offerendum.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino*, verſ. 3. *offeret ad oſtium Tabernaculi teſtimonij, ad placandum ſibi Dominum.* Cur hoſtia offerenda erat ad hoſtium Tabernaculi?

Bꝛ. Regina mundi dicitur hoſtium præſentationis, ad quod omnis peccator præſentari debet. *Leuit.* 1. homo qui obtulerit, *Gloſſ.* voluntarie hoſtiam Deo, ad placandum ſibi Dominum, offeret primo ad oſtiũ Tabernaculi, id eſt, ad Mariam. Vnde *D. Bernar. ſerm. de Natiuit. B. Virginis.* Quidquid illud eſt quod offerre paras, Mariæ commendare memento. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Prius Spiritum Sanctũ, deinde Filiũ Dei ſuſcepit.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 9. *Omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano.* Quid ſignificat ſacrificium coctum in clibano?

Bꝛ. *Gloſſ.* in quo ſignat partum Virginis; ſicut enim clibanus, primo ignem, deinde panem ſuſcipit, ſic vterus Virginis primo ignem, id eſt, Spiritum Sanctum, ſecundo panem vitæ, id eſt, Filium Dei ſuſcepit, & hic ordo deſignatus eſt ibi: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, hoc primo, & virtus Altiſſimi obumbrauit tibi, hoc ſecundo. *B. Alb. Mag. lib.* 10. *de laudib. B. M. V. cap.* 24.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 12. verſ 2. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum.* Cur Moyſes poſuit illa verba, *ſi ſuſcepto ſemine?*

Voluntarie legem, cui nõ ſubiacebat, impleuit.

Bꝛ. Moyſes videtur locutus ad excipiendam Matrem Dei ab immunditia, quæ non peperit ſuſcepto ſemine, & ideo patet quod non obligabatur ad impletionem illius præcepti, ſed voluntarie purgationis obſeruantiam impleuit. *D. Vincent. Ferrer ſerm. in Purificat. Procopius in Gloſſ.*

Beata Virgo fuit de genere Sacerdotali.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 9. *Sacerdotis filia, ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen patris ſui, flammis exuretur?* Cur filia Sacerdotis ſimili pœna puniebatur cum adultera, & de quo genere fuit B. Virgo?

Filia Sacerdotis ſimili pœna puniebatur cũ adultera.

Combuſtio, & lapidatio pro pœna grauiſſima ponuntur.

Bꝛ. Flammis exuretur, id eſt, morte grauiſſima punietur. Filia enim Sacerdotis ſimili pœna puniebatur cum adultera. Vnde patet, quod Beata Virgo fuit de genere Sacerdotali, quia dicitur ſuper *Matth.* 2. quod ideo duxit eam Ioſeph, ne ſi prægnans videretur abſque viro, quaſi adultera lapidaretur, id eſt, morte grauiſſima plecteretur; combuſtio enim, & lapidatio pro pœna grauiſſima ponuntur in Sacra Scriptura. *Hug. Card.*

Victum, per mentis abſtractionem, per ſummam quietem trahebat.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 3. *Dies ſeptimus, quia Sabbathi requies eſt, vocabitur Sanctus.* Cur B. V. dicitur Sabbathus?

Bꝛ. Tota quieta fuit Beata Virgo Maria per mentis abſtractionem, & dicuriſbes vacationem; vnde & ei attribuitur Sabbathum, quod eſt dies quietis. *Leuit.* 23. *Sabbathum erit terræ. Ioannes a Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Sabbathum ei attribuitur

Humilitas, & paupertas pulcherrimã reddiderunt B. V.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 40. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, palmaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætamini coram Domino.* Cur B. Virgo dicitur arbor pulcherrima?

Apoſtoli palmæ comparãtur, & quare.

Bꝛ. Arbor pulcherrima eſt Virgo Maria, cuius fructus fuerunt humilitas, & paupertas; palmæ fuerunt Apoſtoli, qui de mundo palmam victoriæ aſportauerunt. Spatulæ ſunt fructus palmarum, antequam aperiantur, per quas intelligimus fidem, ſpem, & charitatem Apoſtolorum. Lignum denſarum frondium, eſt Crux Chriſti, quę denſas Dei frondes, per totum mundum expandit. Rami huius Ligni fuerunt quatuor cornua Crucis, quæ fuerunt in manibus, & pedibus Chriſti, in his quatuor cornibus fuerunt quatuor lapides pretioſi, qui ſunt miſericordia, obedientia, patientia, perſeuerantia, in ſuperiori cornu fuit miſericordia, in dextro obedientia, in ſiniſtro patientia, in inferiori perſeuerantia. Salices de torrente, quæ in viriditate permanent, omnes Sanctos ſignificant, qui in torrente iſtius fluxibilis mortalitatis virides in bono opere perſeuerauerunt. Summamus ergo nobis fructum arboris pulcherrimæ, id eſt, paupertatem, & humilitatem Virginis Mariæ. *D. Antonius Paduanus Dominica in Ramis Palmarum.*

In quatuor cornibus Crucis, quatuor virtutes vigent.

Iuſti in bonis operibus perſeuerant.

Pulchra in corde, in ore, in fructu.

Dub. 7. Ad eadem verba, cap. 23. verſ. 40. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ.* Qui nam fructus huius pulcherrimæ arboris?

Reſp. Primus dies animam illuminans eſt fides, & certè ſi ſumere debemus fructus arboris pulcherrimæ, arbor pulcherrima eſt Maria, pulchra quidem in foliis oris, pulchrior autem in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris. *D. Bonauent. in ſpecul. cap.* 14.

Tota fuit Dei.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 11. *Ponam Tabernaculum meũ in medio veſtri.* Cur B. Virgo dicitur Tabernaculum Dei?

Communis omnibus.

Reſp. Tabernaculum, id eſt, Mariam, quod eſt meum ſanctitate, meum firmitate, meum fidelitate, meum amplitudine, meũ largitate, & hoc in medio veſtri, quia communis eſt. *B. Alber. Mag. in Bibl. Mar.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 11.

A peccato conſeruamur propter Beatam Virginem.

Et non abijciet vos anima mea. Cur poſito Tabernaculo, id eſt, Virgine in medio noſtri, non abijciet nos Dominus?

℟. Quia per eam conſeruamur à peccato, propter quod ſolum, Deus abijcit peccatores. *B. Albert. Magn. lib. 10. de laudib. B. Mariæ, cap. 28. num. 2.*

EX LIBRO NVMERORVM.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 9. *Sument, & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum.* Cur pallio hyacinthino candelabrum operiendum?

Omnibus omnia facta eſt.

℟. Regina mundi, Domina cœli, Mater Dei, dicitur Mater occultationis, & inuolutionis. Inuoluit enim Filium Dei noſtra humanitate, peccatores miſeratione, iuſtos, & ſeruos Dei protectione. *Num. 4. Sument pallium hyacinthinum*, id eſt, Mariam. Nota officium pallij, & Virgini adapta. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Peccatoribus miſeretur, iuſtis ſubuenit.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 12. *Omnia vaſa quibus miniſtratur in Sanctuario, inuoluent hyacintino pallio.* Cur vaſa quibus miniſtratur in Sanctuario inuoluenda pallio hyacinthino?

Protegit omnes ſeruientes Filio.

℟. Id eſt, omnes ſeruos Chriſti, qui ſeruiunt Deo inuoluent hyacinthino veſtimento, quia ipſa proteget omnes ſeruientes Filio ſuo. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

In B. Virgine dicta tum eſt fœdus inter Deum, & homines.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 11. *Eleuata eſt nubes de Tabernaculo fœderis.* Cur dicitur Tabernaculum fœderis?

℟. Appellatur Tabernaculum fœderis, quia in ea dictatum eſt fœdus inter Deum, & homines per matrimonium aſſumptæ carnis, vel humanæ naturæ; ibi enim in ſua prædicatione fœderauit Chriſtus humanam naturam Diuinæ: Fœderauit etiam animam, & corpus in ſua prædicatione, fœderauit etiam Iudeos, & Gentiles in ſua Paſsione, factus enim lapis angularis faciens vtraque vnum. *B. Alber. Mag. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 28. num. 2.*

B. Virgo geſſit vices naturæ humanæ in fœdere inter Deum, & homines.

Dub. 4. Ad eadem verba, cap. 10. verſ. 11. *Eleuata eſt nubes de Tabernaculo fœderis.* Cur nubes de Tabernaculo fœderis eleuata?

℟. Maria nubes, quæ eleuata eſt in Aſſumptione de Tabernaculo corporis, quod hic appellatur Tabernaculũ fœderis, quia fœderauit; ſcilicet (Verbum Diuinum) naturam humanam Diuinæ, cui propter peccatũ Adæ offenſus erat Deus. Et nota quod poſt diſcordias duarum partium de conſilio ſapientium firmari ſolent fœdera inter partes, iſti ſapientes Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; ſed hoc negotium iniunctum eſt Filio, qui eſt ſapientia Patris; amplexus, & oſcula fœderis iſtius dedit Mater Filio, quaſi ex parte naturæ humanę, & Filius ſuſcepit, quaſi ex parte Diuinæ. *D. Auguſt.* O fœlicia oſcula labijs lactentis impreſſa! *B. Alb. Mag. lib. 10 de laud. B. M. cap. 28. n. 2.*

Moyſes an peccauerit peccato diffidentiæ.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 21. *Et ait Moyſes ad Dominum, ſexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis, dabo eis eſum carnium menſe integro.* An Moyſes peccauit peccato diffidentiæ?

℟. *Rabbi Salomon* dicit; quod Moyſes non peccauit hic, & ad hoc inducit illud quod dicitur, cap. ſequenti de Moyſe à Domino, *Qui in omni domo mea fideliſsimus eſt*, & hoc idem dicunt Doctores noſtri, dicentes quod Moyſes, non dubitauit de impletione Verbi Dei, ſed quia modus impletionis non erat ſibi reuelatus, quæſiuit de modo implendi; nec in hoc peccauit, ſicut nec Beata Virgo Maria, quando petiuit ab Angelo, *Lucæ 1. Quomodo fiet iſtud?* & ſic exponendum eſt illud. *Liranus.*

Non dubitauit de Incarnatione Verbi, ſed quæſiuit de modo.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 17. verſ. 8. *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui.* Cur virga floruit non plantata?

℟. Virga ecce protulit, quod antea non habuit, non radicata plantatione, non defoſſa ſarculo, non animata ſucco, non fœcundata ſeminario, & tamen cum ibi deeſſent vniuerſa iura naturæ, protulit virga, quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice; virga ergo potuit contra naturam nuces edere. Virgo non potuit contra naturę iura Deum Filium generare? *D. Auguſt. ſerm. 1. Dominica ante feſtum Natiuitatis Domini. D. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 29. Rupertus Cant. 1. verſ. 7. Liranus, Leonardus de Vtino ſerm. de Incarn. Domin. & alij.*

Virgo contra naturæ iura Dei Filiũ generauit.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 17. verſ. 8. *Sequenti die inuenit germinaſſe.* Cur tertia die inuenta eſt virga germinaſſe?

℟. Quid aliud præſignabat virga illa Aaron, quæ in Tabernaculo Domini poſita tertia die inuenta eſt germinaſſe, iamque dilatatis foliis eruperant flores, qui turgentibus gemmis in amygdalas deformati ſunt. Virga iſta ſacra Virgo Maria, quæ nec ſata, neque radicata, ſine vllo cultore, tertio die, hoc eſt tertio ſæculi tempore Spiritu Sancto eſt fęcundata, nobiſque Deum genuit, & hominem Chriſtum. *D. Anſelm. ſerm. 6. de Aſſumptione.*

Spiritu Sancto fœcundata.

Dub. 8. Ad eadem verba, cap. 17. verſ. 8. *Inuenit germinaſſe.* Cur virga Aaron flores ſimul, & fructum habuit?

In corpore, & anima glorificata.

℟. In virga Aaron rectè Virgo Maria poteſt eſſe figurata. In virga namque Mariæ rectitudo, in flore autem corporis glorificati pulchritudo, in fructu verò animæ eius Beatitudo poteſt eſſe ſignata. Iſte flos glo-

glorificationis corporis, quasi tot habet folia, quot corpus glorificatum habet dotes, & præmia, & certè quidam Sancti Doctores probabiliter sentire videntur, & rationibiliter probare nituntur; & fideles hunc sensum piè amplectimur, videlicet quod Beata Virgo Maria iam cum corpore sit assumpta, & corpus iam omnino cum anima sit glorificatum. *D. Bonauentura in speculo B. Mariæ, cap. 12.*

In Filij Passione habuit fortitudinẽ fidei, cũ spe Resurrectionis.

Dub. 9. Ad eadem verba, cap. 17. vers. 8. *Inuenit germinasse virgam Aaron.* Cur virga Aaron signat B. Virginem?

℟. Virga, vel amygdalum est Beata Virgo, cortex, amaritudo de morte Filij, testa, fortitudo fidei, nucleus, gaudium, siue spes Resurrectionis. *Hug. Card.*

Filium suum redemit.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 18. vers. 16. *Cuius redemptio erit post vnum mensem, siclis argenti quinque.* Quid significat redemptio primogeniti quinque siclis?

℟. Virgo Maria obtulit Filium suum Christum in manibus Sacerdotis, & ille obtulit eum Domino. O quam fatuus Sacerdos! Si cognouisset eum ipsum adorasset, deinde voluit eum retinere Sacerdos, videns Virginem Matrem pauperem, & ait Virgo: Ne retineatis eum, ecce quinque siclos habeo, hos paulatim congregauit, recepit labore suo proprio, fortè minus comedens, vt Filium suum redimeret, & aperuit bursam non de auro, vel serico, & soluit quinque siclos secundùm legis consuetudinem. *D. Vincent. Ferr. serm. Purific.*

Deficiente Maria Sorore Aaron, aqua defecit.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 20. vers. 1. *Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.* Cur mortua Maria Sorore Aaron, ponitur aquæ defectus?

℟. Anno quadragesimo ab egressione de Ægypto, postquam describitur mors Mariæ, statim additur aquæ defectus, vt tacitè quodam modo significaretur illam aquam totos quadraginta annos meritis Mariæ redundasse; siquidem Maria deficiente, statim additur, & aquam defecisse. Quis ergo dubitet ò Maria, non Aaronis Soror, sed Deipara, immensa quædam gratiarum flumina ex tuis meritis in Ecclesiam redundare, multo diutius duratura, quam durauerit ille puteus Mariæ: nam ille tandem puteus, Maria deficiente, defuit, hæc flumina te perennante perennabunt. *P. Mendoza 1. Reg. 4. annot. 12. sect. 2. n. 6.*

Ex meritis Virginis multa bona in Ecclesia redundant.

Qui à B. Virgine petit, accipit.

Dub. 12. Ad eadem verba, cap. 20. vers. 8. *Tolle virgam, &c. & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Cur loquendum ad petram, vt det aquas populo?

℟. Ipsa est petra refocillationis. Loquimini ad petram, id est, Mariam, & illa dabit aquas gratiarum limpidissimarum. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 20. vers. 11. *Percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Cur aqua data populo, & iumẽtis?

Nulli denegat gratiam pœnitentiæ.

℟. Egressæ sunt aquæ, *Gloss.* Spiritualis gratiæ, largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. *Gloss.* Quia nulli denegat gratiam postulanti. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Nata in mundo, assumpta in cœlum, multa bona profudit.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 21. vers. 17. *Tunc cecinit Israel carmen istud. Ascendat puteus.* Quid significat putei ascensus?

℟. Ascendat puteus, id est, Maria per Natiuitatem in mundo apparendo, vel per Assumptionem in cœlum, gratiarum profluuijs nos perfundendo. *B. Albertus Magn. in Biblia Mariana.*

Sine sui læsione peperit Filium.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur B. Maria dicitur Stella?

℟. Ista Stella signat Beatam Virginem, quæ emisit radium suum, id est, Filium suum absque sui corruptione. Vnde *Bernardus supermissus est*, dicit: Maria interpretatur Stella Maris, & Virgini conueniẽtissimè aptatur. Ipsa namque syderi aptissimè comparatur, quia sicut sine sui corruptione sydus suum emittit radiũ; sic absque sui læsione Virgo peperit Filium, nec syderis radius suam minuit claritatem, nec Virginis Filius suam integritatem. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Nata B. Virgine Maria, cœlo, mundo, inferno, profuit.

Dub. 16. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur B. M. Stellæ comparatur?

℟. O verè Beatissima, ò verè radiosissima Stella Maria, cuius radius non solùm mundum, imo etiam cœlum, & non solum cœlum, imo etiam infernum penetrauit. *B. Bernardus homil. 2. supermissus est.* Ipsa est præclara, & eximia Stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum Orbem illuminat, cuius splendor etiam in supernis præfulget, & inferos penetrat. *D. Bonauentura in specul. B. M. Lect. 3.*

Quæ Stella omnibus Stellis maior?

Dub. 17. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella ex Iacob.* Quid Virgo cum Stella?

℟. Hæc Stella est Beata Maria, orta vtique ex Iacob, id est, progenie Patriarchæ Iacob. Hæc assimilatur Stellæ ratione quãtitatis; est enim in cœlo aliqua Stella, quæ omnibus Stellis est maior; scilicet, illa quæ est in ariete in fine imaginis Draconis, vt dicit Alphagranus; quanto autẽ aliqua Stella magis eleuatur à nobis, tanto apparet nobis minor propter distantiã. Ita Beata Maria maior est in esse spirituali, quam omnes Sancti, & Sanctæ; & tamen quanto maior fuit, tãto minor sibi ipsi videbatur propter immensam humilitatem. *D. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 4. §. 1.*

Quanto maior fuit, tanto minor sibi ipsa videbatur.

Dub. 18. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur B. Virgo Stella nominatur?

Sublimata super omnes Choros Sanctorum, & Angelorum.

℟. Beata Virgo vocatur ab Ecclesia Stella Maris, ex eo quod illa cœlestis, quæ dicitur Stella Maris, est primo quo ad situm altissima: similiter Virgo Beata, altissima est per gloriæ dignitatem; scilicet, super omnes Choros Sanctorum, & Angelorum iuxta Filium in gloria sublimata. *Ecclesiast. 24. Ego in altissimis habito. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Stella Maris quoad situm altissima.

Dub. 19. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur Stellæ assimilatur B. Virg?

Stella Maris; scilicet, Tramontana circulum habet breuissimum.

℟. Stella; scilicet, Maris est, quoad motum velocissima. Licet enim Stella Maris, quæ vulgo dicitur Tramontana, à loco suo moueri non videatur, tamen in sphæra suæ circulo circulariter circumuoluitur, sed quia circulum habet breuissimum, quasi non moueri videtur. Sic Beata Virgo Maria, quamuis in statu gratiæ immobiliter permanserit, & ab ipso per motum alicuius criminis nunquam recesserit, motu tamen dilectionis Diuinæ velocissimè cucurrit. Dicit enim *D. Bernard.* Quod qui amat vehementius, currit velocius, & peruenit citius. Ipsa præ omnibus Sanctis plenius, & feruentius dilexit. Vnde ipsa dicitur Mater pulchræ dilectionis. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi supra.*

Præ omnibus Sanctis plenius, & perfectius dilexit.

Dub. 20. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur B. M. appellatur Stella?

Stella Maris quoad effectum vtilissima. Quare Polus dicta?

℟. Stella Maris est quoad effectum vtilissima, propterea quod ipsa est nauigantium directiua, & ideo vocatur Stella Maris. Nam propter situs sui immobilitatem homines ad ipsam aspicientes maximè certificat: sic Beata Virgo nauigantes per mare mundi dirigit, quibus, scilicet, lucem suæ misericordiæ nunquam subtrahit, vel abscondit: vnde illa Stella vocatur *Polus*, quia semper nobis pollet, & nunquam occidit, sed semper super nos existit, vnde *Polus* à pollendo est dictus, quia continuè mundo pollet. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi supra.*

B. Virgo dirigit itinerantes.

Virgo Maria misericordiã suam nunquam subtrahit.

Dub. 21. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur Maria Virgo dicta Stella?

Natura Stellarum, nõ potest corrumpi.

℟. In qua consideratur incorruptio, quia cunctis corporibus citra Lunam subiacentibus corruptioni, sola natura Stellarum, mundo manente non potest corrumpi. Meritò ergo in materia nostræ Stellæ Virginis Mariæ consideratur incorruptio, de qua materialiter Natus est secundùm carnem, cuius animam Deus non dereliquit in inferno nec dedit sanctum suum videre corruptionem. Quæ etiam secundùm carnem penitus expers corruptionis fideliter est credenda, quæ incorrupta virginitate de se genuit eum, qui omnis incorruptionis est causa, vt sicut Stellæ quælibet incorruptibiles de natura, sic ipsa sit incorruptibilis de gratia. Sine corruptione etiam putredinis, & incinerationis in corpore creditur de mundo assumpta. *B. Albert. Mag. lib. 1. de laudib. B. M. cap. 3.*

Putredinis, & corruptionis expers Beatæ Mariæ corpus.

Dub. 22. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur Beata Maria Stella vocatur?

Stella Maris medij totius cœli ostensiua.

℟. Stella Maris est ratione sui situs medij totius cœli ostensiua; medium autem cœli est Filius Dei, qui mediator est Dei, & hominum. Hunc nobis ista Stella ostendit, quia eum nobis visibilem genuit. Ad hanc etiam Stellam Astrologi potissimè recurrunt, quia per eius situm discernuntur termini, & situs aliorum syderum, & cœlestium circulorum. Sic Sancti, qui sunt veri Astrologi cœlestia contemplantes, potissimè ad eam recurrunt, & attendunt, quia situs syderum, id est, mansiones Beatorum, quas habent in cœlo, & termini cœlestium circulorum, id est, perfectiones Angelorum, per ipsam discernuntur tanquam per ipsorum omnium Dominam, & Reginam, & per ipsam etiam tanquam per cœli portam, omnes qui saluantur, illuc introducuntur. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Deum nobis visibilem fecit B. Virgo.

Mansiones Sanctorũ per Beatam Virginẽ discernuntur.

Dub. 23. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Quid Virgo cum Stella?

Apostoli in Passione Christi ceciderunt à Fide, à gratia, à societate Christi, Secus B. Virgo.

℟. Dicitur Stella, quia in ea nullus fuit casus. Apostoli in Passione Christi ceciderunt à Fide Christi, & à gratia Spiritus Sancti, & à societate Christi; sed Maria non poterat cadere à Fide Christi, quia ipsa experta erat omnia, quæ de Christo erant, & etiam à Sancto Spiritu docta; nec à gratia, quia in vtero matris fuit confirmata; nec à societate Christi, quia Christo semper fuit coniuncta. *Ioan. 19. Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius. Iacobus de Voragine, Episcop. Ianuensis, serm. 3. in Natiuitat. B. M.*

Stellæ in suo motu errare non possunt. Quo motu mouentur?

Dub. 24. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 17. *Orietur Stella.* Cur Virgo Maria Stellæ comparatur?

Mouebatur B. V. non propria voluntate, sed Dei.

℟. Dicitur Stella, quia nullus in ipsa fuit error. Stellæ enim in suo motu errare non possunt, quia mouentur motu à Deo sibi concreato: mouentur autem motu firmamenti citissimè, motu vero suo lentissimè: sic ipsa non mouebatur motu propriæ voluntatis, sed motu Diuinæ dispensationis, mota namque est à Spiritu Sancto, vt Christi conceptioni consentiret, & protinus acquieuit, vt in Ægyptum fugeret, continuo obediuit, vt inde rediret, statim obtemperauit; nos autem ad præceptum nostri superioris moueri nolumus, sed nostras

ſtras voluntates facere affectamus, & ideo ſydera errantia ſumus, vt in Canon. Iudæ ſunt ſydera errantia. *Iacobus de Voragine vbi ſupra.*

Stella Maris quommodo ab aliis Stellis diſtinguitur.

Dub. 25. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 17. *Orietur Stella.* Quare Virgo Maria nominatur Stella?

Re. Stella Maris per gyrum arcturi ſibi propinqui ab aliis Stellis eſt diſtincta, à cuius vicinitate polus articus eſt vocata, vt dicit *Beda.* Arcturus enim eſt ſeptem Stellarum curſus, quæ iſtam Stellam circumeunt facientes ei quaſi circulum, & coronam. Quia, ſcilicet, Beata Virgo omnium Sanctorum coronis, qui ad ſeptem gradus pertinent, coronatur, & decoratur. Nam primus gradus eſt Angelorum, ſecundus eſt Patriarcharum, tertius eſt Prophetarum, quartus Apoſtolorum, quintus Martyrum, ſextus Confeſſorum, ſeptimus Virginum. Notandum etiam quod iſta Stella, ſiue polus eſt axis cœli ex vna parte receptiua, ſiue terminatiua. Axis enim vocatur linea quædã imaginata, quæ ab illo polo antartico, vſque ad iſtum polum articum recto diametro, ſicut linea à puncto, vſque ad punctum eſſet tracta. Axis ergo iſte fuit dolor Paſſionis Chriſti, qui ab vno polo, ſcilicet, à Filio Cruci affixo, vſque ad alium; ſcilicet, vſque ad cor ipſius Matris immobile à Fide, & gratia pertranſit. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi ſupra.*

Omnium Sanctorum coronis coronatur.

Stella Maris, eſt axis cœli ex vna parte terminatiua.

In Paſſione Filij immobilis in Fide, & gratia.

Dub. 26. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 17. *Orietur Stella ex Iacob.* Cur vocatur Stella, ſi ex Iacob oriunda prædicitur, cum Stella cœleſtis ſit, terreus Iacob?

Tota fulgẽs, & clara ex qua Chriſtus erat oriturus.

Re. Stella ex Iacob, id eſt, Maria: Stella enim in cœlo ſita eſt, & exiit claritas ab illa; ſic ex Maria claritas, id eſt, Chriſtus ortus eſt, vnde Iſrael hoc de Chriſto pro fortitudine dicit. *Beda.*

Dæmonibus terribilis eſt denominatio B. Virginis, ſalutatio, laudatio.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 17. *Et percutiet duces Moab.* Cur virga prædicitur percuſura Reges Moab?

Re. Eſt cum dæmonibus terribilis denominatio eius, ſalutatio eius, & laudatio eius, quandocunque enim ipſam nominamus, vel ſalutamus, vel laudamus, protinus dæmones territi fugiunt. Quando enim diabolus audit nomen eius, ita eſt ac ſi ſentiret baculum, vel clauum cum quo percuteretur. *Numer. 24. Conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.* Quando audit eius ſalutationem, ita eſt ac ſi audiret tonitrum, quo terreatur. *Pſal. 76. verſ. 19. Vox tonitrui tui in rota:* tunc enim diabolus tanquam inſanus terretur. Quando verò audit eius laudationem, ita eſt ac ſi audiret, ſeu ſentiret gladium quo iugularetur. Hoc figuratum eſt. *Iudith. 16.* Vbi dicitur: Quod ipſa pugione amputauit caput Holofernis. Si igitur grauemur à diabolo, ſiue à tyranno, ſiue à corpore noſtro, ad ipſam curramus, ad ipſam appellemus; ipſa eſt enim Domina, & Auguſta, ſiue Imperatrix, & intermiſſis omnibus intermedijs Sanctis ad ipſam appellari licet. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 4. Quadrageſimæ.*

Refugiũ miſericordiæ prouidit Deus peccatoribus in B. Virgine.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 35. verſ. 11. *Decernite quæ vrbes eſſe debeant in præſidia fugitiuorum.* Cur Ciuitas refugij aſſignabatur?

Reſp. Confuge ad ipſam peccator, quia ipſa eſt Ciuitas refugij: ſicut enim quondam Deus vt dicitur, *Numer. 35.* ſeparauit Ciuitates, ſeu vrbes refugij, ad quas confugerent, qui nolentes homicidium perpetrarent: ſic nunc miſericordia Domini refugium miſericordiæ prouidit etiam voluntarij homicidio. *D. Antonius Paduanus Dominica ſexta Quadrageſimæ.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 36. verſ. 7. *Omnes enim viri ducent vxores de Tribu, & cognatione ſua.* Cur vxores ducendæ de eadem Tribu?

Reſp. Ne in iubileo confunderentur ſortes, & Tribus, præcepit hic Dominus, quod mulier patri ſuccedens nulli coniungatur, niſi viro de Tribu ſua: Alijs verò mulieribus locum primogeniti non tenebant, id eſt, quę patri in hęreditate non ſuccedebant, ſic licitum erat contrahere cum viris alterius Tribus. Vnde lex iſta tantum de primogenitis, id eſt, ſuccedentibus patribus in hęreditate intelligitur. Vnde patet quod B. Virgo, cum eſſet primogenita, & hęres paternę hęreditatis, erat de Tribu Iudà, quia Ioſeph vir eius erat de Tribu Iudà. *Hugo Cardinalis.*

Beata Virgo, & Sanctus Ioſeph de Tribu Iudà.

DEVTERONOMIVM.

Cor B. Mariæ ad nullius rei dilectionem fuit inclinatum, amplius quam Dei.

DVb 1. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quommodo Maria Virgo dilexit Deum ex toto corde?

Reſp. Maria dilexit Deum ex toto corde, quia cor illius ad vllius rei dilectionem non fuit inclinatum, amplius quam Dei, nec delectata eſt in aliqua ſpecie mundi, amplius quam in Deo, omne bonum ſibi exiſtimans eſſe in Deo, vt pro his omnibus diligeret ſolum Deum. *B. Albert. Magnus lib. 4. de laudib. B. M. cap. 17. num. 1.*

In Fide fuit firma tempore Paſſionis.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua.* Quommodo B. Maria dilexit Deum ex tota anima ſua?

Reſp. Maria dilexit Deum ex tota anima,

ma, quia certiſsimum habuit animum in veritate, & firma fuit in fide. Vnde dictum eſt ei. *Lucæ* 1. *Beata quæ credidiſti*, & iſtud etiam apparuit tempore Dominicæ Paſſionis. *B. Albert. Mag. vbi ſupra.*

Omnes ſenſus Beatæ Virginis Deo vacabant.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 5. *Et ex tota fortitudine tua.* Alij ex tota mente tua. Quommodo Beata Maria Virgo dilexit Deum ex tota mente ſua?

℟. Maria dilexit Deum ex tota mente, quia omnes ſenſus illius Deo vacabant, eius intellectus Deo miniſtrabat, eius ſapientia circa Deum verſabatur, eius cogitatio, quę Dei ſunt pertractabat, eius memoria ea ſola, quæ bona ſunt recordabatur, vt diceret cum Apoſt. 1. *Corint.* 14. *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. B. Albert. Magn. vbi ſupra.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 9. *Caue ne auertas oculos tuos à paupere fratre tuo.* Cur non auertendi oculi à paupere fratre?

Soror noſtra eſt, ideo tenetur ex lege nobis ſubuenire.

℟. Ipſa eſt Soror noſtræ paupertatis, vnde tenetur nobis ex conſtitutione legis ſubuenire, *Deuteronom.* 15. Non auertas oculos miſerationis tuæ, ô Maria, à paupere fratre tuo; ſcilicet, peccatore, qui licet peccator, & pauper ſit, tamen frater tuus eſt per naturam. Non enim deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, id eſt, in mundo: non enim poſſunt eſſe diuites ſicut Tu, cui dictum eſt: *Aue gratia plena. Lucæ* 2. idcircò aperies feſtinanter, hilariter, abundanter manum ſubuentionis, defenſionis, fratri tuo egeno, & pauperi. *B. Albertus Magn. in Biblia Mariana.*

Mulier, & terra fructū emittens frāgitur, cœlum pluuiam largiens.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 11. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui. Aperiat Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum, vt pluuiam tribuat terræ ſuæ.* Cur Sacra Scriptura dicit aperiat Dominus theſaurum ſuum?

℟. Nota modum loquendi Scripturæ, quæcunque mulier fœtum producens, terra etiam fructum emittens, realiter frangitur & aperitur; ſed cœlum imminens pluuiam, in nullo frangitur, vel aperitur, niſi in effectu. Loquens ergo Scriptura de Natiuitate Filij Dei ex Virgine, cum prius vocaſſet fœtum vteri, ſecundo fructum terræ, quia iſte fructus natus eſt ſine Virginis fractione, non tacuit Scriptura donec adiunxit. *Aperiat Dominus theſaurum ſuum optimum, cœlumque*, apertio non eſt per fractionem, ſed ſolum per effectus largitionem, ideo Pſ. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Id eſt, Domino conuenit naſci ex Virgine, ſicut pluuię egredi de cœlo: ſed alijs filijs hominum terram dedit, id eſt, naſci ad modum eorum, quę terra gignit per ſui fractionem. *Armandus de Vello viſu Ord. Prædicat. collat. 28. de Annuntiat. Dominica, ex Pſalm. 30.*

Natus Chriſtus ſine Virginis fractione.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 32. verſ. 39. *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego ſanabo.* Cur Iuſtitia, & miſericordia ad inuicem dicunt: ego percutiam, & ego ſanabo?

Beata Maria moderatur Iuſtitiā Chriſti.

℟. Mater ſolet eſſe magis miſericors filiis, quàm pater. Dabat autem Deus Pater Filium ſuum in Patrem, & Regem Iuſtitię, & ad eius Iuſtitiam moderandam dedit nobis Matrem pietatis, & Reginam miſericordiæ. Sæpè enim quod iuſtè damnaret huius Patris Iuſtitia, clementer liberat huius Matris miſericordia. Vnde Filij Iuſtitia, & Matris miſericordia dicunt quaſi ad inuicem: Ego occidam, & ego viuere faciam. *Daniel Agricola Franciſcanus lib. de Corona duodecim Coronarum, B. Virg. Mariæ, cap. 3*

Beata Virgo eam contemnentibus cauſa eſt mortis, & perditionis.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 33. verſ. 2. *Dominus de Sinai venit.* Geminianus comparat B. Virginem monti Sinai. Cur Beata Virgo aſsimilatur monti Sinai?

℟. Sinai eſt mons Iuſtitiæ, & comminationis. Nam Beatiſsima Virgo Maria, ſicut ſibi deuotis, & eam reuerentibus eſt ſalutis refugium; ita & contemnentibus, & blaſphemantibus erit ad mortis, & perditionis indicium; vnde *Exodi* 19. dixit Moyſes de monte Sinai: *Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem morte morietur. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Paſtores in aliqua parte montis Sinai, non audebāt paſcere oues.

Dub. 8. Ad eadem verba, cap. 33. verſ. 2. *Dominus de Sinai venit.* Cur B. Maria Virgo comparatur monti Sinai?

℟. Sinai erat mons paſcuæ, & refectionis. Vnde dicit *Ioſephus*, quod eſt mons excelſus ad paſcua egregius, quamuis in aliqua parte eius paſtores ante Moyſem propter reuerentiam non auderent paſcere oues. Ita Beata Virgo in Aſſumptione fuit quando peruenit ad paſcua æternæ beatitudinis, ad quæ etiam gregem fidelium ad eum confugientium exemplo, & auxilio iugiter introducit. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi ſupra.*

Exemplo ſuo in vitam æternam homines introducit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 33. verſ. 12. *Quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Cur Benjamin prædicitur requieſcens in thalamo?

Chriſtus in Beata Virgine requieſcens tanquā in thalamo ſuarum deliciarum.

℟. Ipſa eſt thalamus deliciarum Dei *Deuter.* 33. Amantiſsimus Domini Benjamin. *Gloſſ.* id eſt, Chriſtus Filius Dei, in thalamo, id eſt, in Maria, tota die morabitur, *Gloſſ.* nullo vitio alienatus aliquando, vnde & ibi à quærentibus inuenietur, & intra humeros illius requieſcet. *Gloſſ.* inter bona opera. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub.

Rhinoceros in gremio Virginis mansuescit.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 33. vers. 17. *Cornua rhinocerotis cornua illius.* Cur Christus rhinoceroti comparatur?

Resp. Dei fortitudo similis rhinocerotis, cuius robur nullum animal domare potest, sed Virgini sibi occurrenti in gremio eius mansuescit, & captiuatur: sic Deus cui nemo resistere potest, mitis effectus est, requiescens in Virgine Maria. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 18. §. 4. Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. annotat. 2. sect. 2. num. 11.*

IOSVE.

Antecedit nos in cœlũ ascendendo, in cœlumq; dirigit.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. vers. 11. *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanem.* Cur Arca fœderis antecedebat populum?

℟. Ipsa est Arca ostensionis directæ viæ in cœlum. Vnde festinanter eam sequi debemus. *Iosue* 3. Dixit Iosue, id est, Christus; Tollite Arcam fœderis, quæ antecedet nos in cœlum ascendendo, locum præparando, pro nobis aduocando, nos ad se trahendo per Iordanem, festinauitque populus, & transit. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. vers. 17. *Sitque Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino.* Cur Iosue primam Vrbem quam cœpit in terra Chanaam Deo consecrauit?

Sola Beata Virgo in ius, possessionẽque Diuinã coaptatur. Alijs in prædam dæmonum cadentibus.

℟. Primam Vrbem quam Iosue cœpit in terram Chanaam totam Deo consecrauit in typum planè Sanctissimæ Deiparæ, cuius thalamum Christus Dominus in terris primum habitauit; nam cæteris hominibus in prædam dæmonum, vel ex parte, vel ex toto cadentibus, sola Beatissima Virgo in ius, possessionemque Diuinam omni ex parte coaptatur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. num. 11.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 8. vers. 18. *Dixit Dominus ad Iosue, leua clypeum, qui in manu tua est, contra Vrbem Hay, quoniam tibi tradam eam.* Cur Dominus dixit Iosue, quod leuaret clypeum?

Peccatorum defensatrix, dæmonum impugnatrix.

℟. Ipsa est clypeus defensionis quantum ad nos, & clypeus interfectionis quantum ad dæmones. *Iosue* 8. Dixit Dominus: scilicet, Pater ad Iosue, Christum Filium suum, leua super omnem creaturam puram in sanctitate, dignitate, pietate, vtilitate, clypeum, id est, Mariam, peccatorum defensatricem, dæmonum impugnatricem. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Christus in vtero Virginis stetit decem mensibus.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 10. vers. 13. *Stetit itaque Sol in medio cœli.* Cur Sol in medio cœli stetit?

℟. Iste Sol est Christus, cœlum est Beata Virgo, in cuius vtero stetit Christus decem mensibus, sicut Sol tempore Iosue stetit in medio cœli decem horis. Vnde *Sapientiæ* 7. dicitur: *In Ventre Matris meæ figuratus sum caro decem mensium tempore. Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Adiuuat in bello contra inimicos visibiles, & inuisibiles.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 10. vers. 13. *Steteruntque Sol, & Luna.* Cur Sol, & Luna steterunt donec vlciscceretur se gens de inimicis suis?

℟. Ipsa est Sol ad iuuandum omnibus fidelibus. *Iosue* 10. *Steterunt Sol, & Luna, donec Vlciscceretur se gens de inimicis suis. Gloss.* Visibilibus, & inuisibilibus. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Benedictionem gloriæ cœlis, benedictionẽ gratiæ in terris possedit.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 15. vers. 19. *Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.* Cur Caleb dedit filiæ suæ Axæ irriguum superius, & irriguum inferius?

℟. Axa Mariæ typum gerit, quæ irriguam à Patre cœlesti benedictionem suscepit. Dedit enim ei Deus Pater irriguum superius in Christi Diuinitate, inferius verò in Christi humanitate; item superius in mente, inferius in ventre: item superius in charitate Dei, inferius in charitate proximi; item superius in contemplatione, inferius in actione. Vel certè Pater eius cœlestis dedit ei benedictionem ineffabilis irrigui superius in cœlis, inferius in terris; vt in cœlis benedictionem gloriæ, in terris verò benedictionem gratiæ possidens benedicta esset, tam in cœlo quàm in terra: secundùm quod. *B. Bernard. homil. 3. supermissus est*, innuens dicit: Memento Maria quod Christus maledictionem pertulit Crucis, qui Te suam Matrem benedixit in cœlis, sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis terræ generationibus merito benedicta prædicaris. *D. Bonauentura in specul. B. M. cap. 13.*

Charitas Dei & proximi in B. Virg.

Vita actiua & cõtemplatiua B. Virg.

EX LIBRO IVDICVM.

Caruit ardore concupiscentiæ.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 15. *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi.* Cur Beata Maria dicitur terra arens?

℟. Terra est elementum naturaliter frigidum, & siccum: & ita Beata Maria fuit frigida, & sicca per carnis incorruptionem, quia caruit humore luxuriæ, & ardore concupiscentiæ. *Iudicum* 1. *Terram arentem dedisti mihi. Geminianus.*

Contritio dæmonis reseruata B. Mariæ.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. vers. 19. *In manu mulieris tradetur Sisara.* Cur Sisara in

in manu mulieris tradenda; Cum in manibus Barac traditus fuerit Sisara debellandus?

Resp. Licet in manibus Barac traditus fuerit Sisara debellandus, non tamen per eum totaliter conterendus: sed hoc fuit reseruatum fœminæ; scilicet, ipsi Iahel, vt dicitur in textu, quæ cum clauo, & martello contriuit caput eius: Ideo per ipsam figurata fuit Virgo Maria, de qua scribitur *Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum*, quod ibidem dicitur de diabolo, eo quod contritio dæmonis, quæ per serpentem, & Sisaram significatur, fuit Beatæ Virgini reseruata. *Liranus.*

Per sapientiam Virginis astutia dæmonis hebetata.

Dub. 3. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 9. *In manu mulieris tradetur Sisara.* Cur Sisara in manu Iahel tradendus?

Resp. Astutum decepit per suam sapientiam. Virgo enim Beata est valde sapiens. *Prouerb.* 14. Mulier sapiens ædificat domum suam: diabolus est valde astutus. 2. *Corint.* 12. *Timeo autem ne sicut serpens decepit Euam astutia sua.* Tunc enim Sisara in manu fœminæ traditur, quando astutia dæmonis per sapientiam Virginis hebetatur. *Iacobus de Voragine serm. 3. in Natiuit. B.M.*

B. Virgo virtutem diaboli rigere, & mortificatione corporis cohibuit.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. vers. 21. *Tulit itaque Iahel clauum.* Cur clauo caput Sisaræ perforatur?

Resp. Quis est clauus iste nisi rigor disciplinæ. Quid est enim rigor disciplinæ accedioſis, nisi quasi quidam clauus in oculis. Rigor vtique disciplinæ clauus est, diabolum accerrimè pungens, clauus est diabolum rigidissimè configens. Benedicta itaque Iahel caput Sisaræ clauo interficiente confixit, quando Benedicta Maria, virtutem Sathanæ rigore disciplinæ in se extinxit. *D. Bonauentura in specul. B.V. cap. 13.*

Luc. 15.

Per Beatam Virginem in cœlum reducimur, qui exclusi eramus per Euã.

Dub. 5. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 21. *Tulit itaque Iahel clauum.* Cur Sisaram interfecit Iahel?

Sisara exclusio gaudij interpretatur.

Resp. Sisara exclusio gaudij interpretatur, & benè diabolum notat, quia à gaudio cœlesti exclusus, etiam alios excludere festinat. Imo hùc nos omnes excluserat per Matrem generis humani, cuius exclusionis maledictio exclusa est per benedictam Matrem Saluatoris. *D. Bonauentura vbi supra.*

Debbora interpretatur apis.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 5. vers. 7. *Cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.* Cur B. Maria Debboræ assimilatur?

Regina apũ expers aculei

Exuit feueritatem in homines, infuit charitatẽ & pietatẽ

Resp. Verè Debbora quę apis interpretatur, neque minus apis quam Debbora; non solum quia in aluo suo, tamquam in alueo composuit, & constituit Christi Domini corpus tamquam fauum; sic enim appellat Dauid iuxta Græcam translationem, *Circumdederunt me*, inquit, sicut apes fauum *Psal. 117. num. 12.* sed etiam, quia sicut apum Regina, expers erat aculei, & in homines totam exuebat feueritatem, solam charitatem inducebat. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. annot. 2. sect. 1. num. 7. & 8.*

Deus operatus est in B. Virgine miracula, ab antiquo præfigurata.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 5. vers. 21. *Trahit cadauera eorum, torrens Cadumin.* Cur B. Maria Cadumin comparatur?

Resp. Interpretatur Cadumin mare antiquorum, propter antiqua, quę facta sunt in eo miracula, & in Maria operatus est Dominus illa præexcellentissima miracula, quę ab antiquo præfigurata erant. *B. Albert. Magn. lib. 9. de laudib. B.M. cap. 5. n. 2.*

Cadumin interpretatur mare antiquorum.

Dub. 8. Ad eadem verba, cap. 5. vers. 21. *Trahit cadauera eorum torres Cadumin.* Quommodo interpretatur Cadumin?

Ad filium trahit peccatores.

Resp. Cadumin interpretatur mare rubrum, hęc est Maria, quę dicitur mare amarum; sed ipsa fuit rubricata per compassionem Filij patientis: traxit, id est, attraxit ad Filium cadauera, id est, cadaueroſos peccatores. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Iahel interpretatur ascendens.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 5. vers. 24. *Benedicta inter mulieres Iahel.* Quę interpretatio nominis Iahel?

Virgo Beata progressus in virtute faciebat.

Resp. Iahel interpretatur ascendens, quod conuenit Mariæ, quę non sicut accedioſi descendit, sed strenuè de virtute in virtutem, de inferioribus semper ascendit, iuxta illud *Cant. 3. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi. D. Bonauentura in specul. B.M. Virg. cap. 13.*

Gedeon interpretatur circumiẽs in vtero.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 6. vers. 11. *Cumque Gedeon?* Quæ interpretatio nominis Gedeon?

Resp. Gedeon interpretatur *Circumiens in vtero*: & significat Christum, qui vt dicit *Isidor.* in vtero Virginis incarnatus, intra vterum fuit per substantiam infirmitatis, & extra vterum per potentiam Diuinitatis. *Ierem. 31. vers. 22. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum, gremio vteri sui, dicit Gloss. Hug. Cardinalis.*

Christus intra vterũ Virginis fuit per substantiã infirmitatis, extra vterũ per potentiã Diuinitatis.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 6. vers. 37. *Ponam hoc vellus lanæ in area.* Cur B. V. velleri assimilatur?

Per Virginẽ salus nobis immissa.

Resp. Illud vellus, siue lana signat Beatam Virginem. Vnde *Petrus Rauenas* dicit sic: vellus cum sit de corpore, nescit corporis Passionem: sic virginitas cum sit in carne, vitia tamen carnis ignorat. Cœlestis ergo imber, scilicet, Dei Filius in virgineum vellus placido descendit illapsu, & tota Deitatis vnda bibuloſe nostræ carni descendebat in vellere; donec eximio partu immissam in terris omnibus pluuiam salutis effundere. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 6. vers. 37.

Po-

In vtero Virginis humanitas vnita Deitati.

Ponam hoc vellus lanæ in area. Quid significat vellus nocte positum in area plenum rore?

℟. Vellus est pellis animalis mortui, & significat nostram mortalem humanitatem: istud in nocte vitæ præsentis positum in area vteri virginalis reperitur plenum rore cœlestis; scilicet, Deitatis vnitæ cum ea; quem rorem optabat. *Isaias*, dicens: *Rorate cœli desuper, cap. 45. vers. 8.* Area tamen, id est, corpus Virginis remansit arida, quia non humectata alicuius semine, sed Virgo, in partu, Virgo in conceptu, Virgo in lactatione; vnde canit Ecclesia: *Sola Virgo lactabat*; scilicet, Dominum Iesum Christum, *vbere de cœlo pleno*, non alio modo. Illud autem vellus plenum rore expressum in torculari Crucis impleuit concham Ecclesiæ rore cœlestis gratiæ, per quam habitat in nobis; & hoc mysterium est signum confortans nos ad habendam victoriam de inimicis infernalibus, qui infestant populum Dei. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 2.*

Virgo in cõceptu, in partu, in lactatione.

Crux & passio confortãt nos ad victoriam de inimicis.

Dub. 13. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 37. *Ponam hoc vellus lanæ in area.* Cur aream rore rigaturus totum vellus prius infundit?

Deus redẽptionis pretiũ contulit in B. Virginem.

℟. Intuere ò homo consilium Dei, consilium pietatis, cœlesti rore aream rigaturus totum vellus prius infundit. Redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Mariam. *D. Bernard. serm. de aquæ ductu in Natiuitate B. M.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 6. vers. 39. *Oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.* Cur terra rore madens?

Gratiæ dono constãs & firma.

℟. Terra est aquæ glutino mansiua; quia scilicet, propter humiditatem aquæ tenent se ad inuicem partes terræ: & sic Beata Virgo aquæ glutino, id est, Diuinæ gratiæ dono constans, & firma fuit; vnde ipsa fuit terra rore cœlestis gratiæ madens. *Ioann. à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 6. vers. 40. *Fecitque Deus nocte illa, vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.* Cur hoc datur in signum liberationis?

Gratia impleta signũ fuit liberationis nostræ.

℟. Quod enim ipsa impleta fuit gratia, super omnem puram creaturam signum fuit liberationis nostræ. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 13. vers. 5. *Quia concipies & paries filium: erit enim Nazareus Dei ab infantia sua.* Cur B. Maria assimilatur matri Sansonis?

In Nazareth cõcepit Christum.

Resp. Ista Mater concipiens Nazareum est Beata Virgo, quæ concepit Christum in Nazareth. *Lucæ 1.* Hic autem Nazareus est Christus. Vnde *Augustinus* dicit sic: Dominus, ac Saluator noster per susceptæ corporis Sacramentum septiformis spiritus gratia, in quo celata Diuinitas habitauit extinctis dæmonibus populum suum, de morte perpetua liberauit ruptis inferni obicibus, apertoque sepulchro, recepto corpore à morte regreditur. *Leonardus de Vtino serm. de Incarnatione Dominica.*

Christus per Sansonem figuratus, qui populum suũ liberauit.

EX LIBRO RVTH.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Cur Noemi voluit vocari amara?

Resp. Amara fuit Noemi, quia duo filij sui fuerunt mortui. Noemi pulchra, & amara signat Beatam Mariam, pulchram quidem per Spiritus Sancti sanctificationem, amaram verò per Filij sui Passionem. Duo autem Filij Mariæ sunt homo Deus, & homo purus; vnius enim corporaliter, alterius spiritualiter Mater est Maria. Isti duo Filij Mariæ, ambo mortui fuerunt in Passione, vnus in corpore, alius in mente, vnus Crucis acerbitate, alter mentis infidelitate, & ideo viscera Mariæ valde fuerunt repleta amaritudine. *S. Augustin.* Illa pia Mater immani dolore eiulans, pectora debilitata contundens, ita ipsius viscera, omniaque membra fatigauerat, vt in incessu deficiens, vix peruenire potuisset ad Christi funus. *D. Bonauentura in specul. Lect. 3.*

In Passione Filij repleta amaritudine.

Dub. 2. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 20. *Vocate me Mara, id est, amaram.* Vnde tantus dolor in B. Virgine?

Dolor Virginis in Passione Filij vnde causabatur.

Resp. Causabatur ipse dolor ratione supplicij; videbat enim Filium suum pati pœnam ignominiosam, quia inter duos latrones, tanquam latro fuit positus; pœnam acerbam in locis neruosis, & maximè sensitiuis fuit vulneratus, & perforatus; pœnam diuturnam, quia ab illa hora noctis, qua captus fuit vsque ad horam nonam, qua expirauit in suppliciis, & doloribus semper fuit. Pœnam iniustam, quia sicut dicitur. *1. Petri 2. Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, & quia Virgo Beata fuit tanta amaritudine plena, poterat dicere illud: *Ruth 1. Non vocetis me Noemi*, id est, pulchram, quia amaritudine repleuit me omnipotens. *Iacobus de Voragine serm. 2. in Sabbatho Sancto.*

Dub. 3. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 20. *Quia amaritudine repleuit me Dominus.* Cur B. M. tempore Passionis dicit se amaritudine repletam?

Deprecationes Virginis iuxta Crucẽ.

Resp.

Re. Dicere poteſt cum illa Noemi, quæ de infœlicitate ad infortunium deuenerat; Non gratia plena, ſed vacua indicor hodie; flectio enim genua mea ad Patrem Domini mei Ieſu, vt miſereatur Filij communis, & me non audit. Deprecor ipſum Filium, vt ſuis verbis mellifluis me conſoletur, mihi non loquitur niſi illud, *ecce Filius tuus*, quod verbum vt gladius pertranſiuit animam meam, cum pro Magiſtro, & Filio mihi datur Diſcipulus; ludęis ſuppli co, vt à modo Filio meo compatiantur, & ipſi contumelias, & ſubſannationes adiungunt, mortem inuoco, vt poſt Filium non ſuperſtes remaneam, & fugit à me. Iuxta Crucem ſita ad ipſam clamo: *Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera*, vt de oſculer Filium meum, & rigida, & immobilis perſeuerat. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 41.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 13. *Inueni gratiam apud oculos tuos Domine mi.* Cur Ruth in oculis Booz inuenit gratiam?

Ruth interpretatur videns, vel feſtinans.

Re. Ruth interpretatur videns, vel feſtinans, & ſignat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & benè feſtinans fuit in actione; videns etiam noſtram miſeriam eſt, & feſtinat ad implendam ſuam miſericordiam; Booz interpretatur virtus, & ſignat illum de quo in *Pſalm. 146.* dicitur: *Magnus Dominus, & magna Virtus eius.* Ruth ergo in oculis Booz, Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit, vt ipſa ſpicas, id eſt, animas à meſſoribus derelictas colligere ad veniam poſsit. Qui ſunt meſſores niſi Doctores, & Rectores. O verè magna Mariæ gratia, qua multi ex eis ad miſericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur! *D. Bernardus in deprecatione, & laude ad Virg. Mariam.* Maria Tu peccatorem toti mundo deſpectum materno affectu amplecteris, foues, nec deſeris, quoulque horrendo Iudici miſerum reconcilies. *D. Bonauentura in ſpeculo, Lect. 8.*

Ad miſericordiam feſtinat properat.

Ad miſericordiam colligit incorrigibiles peccatores ab aliis relictos.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 10. *Benedicta eſt à Domino filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Quæ nam fuit prior miſericordia Mariæ?

Re. Prior Mariæ miſericordia fuit quam exhibuit, dum adhuc viueret in mundo, poſterior verò eius miſericordia eſt, quam iam amplius quam per mille ducentos annos exhibuit de cœlo; poſterior namque priorem ſuperauit, quia iſta illam multitudinem innumerabilium beneficiorum exceſsit. Quis æſtimare poſsit quam ineſtimabiliter Maria propter miſericordiam ſuam, ſit benedicta, cum ineſtimabilis ſit ipſa eius miſericordia? & quis æſtimari poteſt, quam ineſtimabilis ſit Mariæ miſeri-

Maior eſt miſericordia quam exhibet in cœlo, quam illa, quam tribuit in terra.

cordia, propter quam ipſa tam ineſtimabiliter eſt benedicta. *D. Bonauent. in ſpeculo, Lect. 14.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap 4. verſ. 1. *Aſcendit ergo Booz ad portam, & ſedit ibi.* Quid ſignificat aſcenſus Booz ad portam?

Incarnatio Verbi in vtero Virginis. Aſcenſio datur.

Reſp. Booz, id eſt, Chriſtus aſcendit ad portam, quia in Virginis aluo in qua apparuit carnẽ ſumpſit, de qua porta, *Ezechielis 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & Vir non tranſiuit per eam; quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. Hug. Cardinalis.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 11. *Habeat celebre nomen in Bethlehem.* Cur celebre nomen Mariæ?

Nomen Virginis nominatur cũ nominantis vtilitate.

Reſp. O celeberrimi Nominis Mariæ! quommodo poſſet Nomen tuum non eſſe celebre, quæ etiam deuotè nominari non poteſt, ſine nominantis vtilitate? *D. Bern. in deprecatione, & laude B. M. Virg.* O magna, ò pia, ò multum laudabilis Maria! Tu nec nominari poteſt, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te, Tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingredieris. *D. Bonauentura in ſpecul. Lect. 10.*

1. REGVM.

Conſideratio Paſsionum Chriſti magnum præſtabat dolorem in B. V.

Dvb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 15. *Mulier infœlix nimis ego ſum.* An B. Virgo Maria ſe infœlicem dicere debuit?

Reſp. Conſideratio Paſsionum Chriſti magnum præſtabat ſibi dolorem, ex eo quod præſens erat ad videndum. Quando aliqua mater audit filium ſuum mortuum, multum dolet, ſed quando horribili morte ipſum audit fuiſſe occiſum, magis dolet; quando verò ante oculos ſuos videt filium ſuum occidi, maximè dolet: Virgo igitur Beata immenſo dolore vulnerabatur, quãdo videbat Filium ſuum occidi, & horribili morte necari, & ante oculos ſuos hæc omnia fieri, & ex eo quod erat ad adiuuandum impotens, magna conſolatio eſt alicui matri, quod filium ſuum in morte oſculari, & amplexari, & adiuuare poteſt; Hæc autem in nullo Filium ſuum poterat tunc adiuuare; audiebat enim eum ſitire, & non poterat ei potum porrigere, videbat eum vulneribus plenum, & non poterat vulnera alligare, conſpiciebat ipſum ſanguine plenum, & non poterat lintheo extergere, videbat ipſum male captum teneri, & ipſum non poterat liberare; videbat ipſum male caput tenentem, & non po-

poterat ſuſtentare, videbat ipſum in Cruce lentem, & non poterat lachrymas extergere, videbat ipſum expiraſſe, & nō poterat amplexari, nec oſculari; videbat ſanguinem in terra affluere, & non poterat recolligere, & ideò dicere poterat illud, 1. *Reg.* 1. *Mulier infœlix nimis ego ſum. Iacobus de Voragine Serm. 2. Sabbatho ſancto.*

Quare non aſſumpta, ſimul cum filio in cœlū?

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Et Anna non aſcendit.* Cur Anna cum aſcendente filio, non aſcendit in Templū?

℟. Poſſet quis typo Annæ Beatiſsimā Virginem intelligere nolentem cum aſcendente filio aſcendere, vt in terris adhuc pauliſper immorata, plures ei filios lucraretur; proindeque dicentem: *Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum*, quaſi vellet ſua ſe beatitudine paulisper defraudari, vt hominibus per ſuū patrocinium tuendis, ac promouendis, & Chriſto Domino per amplio em prolem lætificando, & glorificando inſeruiret. *Pater Mendoza hic.*

Aliorum vtilitati conſuluit potiùs, quā ſuo commodo.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini.* Quid ſignificat Samuel triennis in Templo preſentatus?

Triennis in Templo præſentata.

℟. Et quid de trieni Samuele Tabernaculo mancipato ſuſpicer, facit quoque quod Dei Genitrix Maria trimula, & quā primum à mamilla diſiuncta, in Templū præſentata fuerit, id Patres conſenſu tradunt: *Sanctus Euodius primus poſt Petrum Antiochenus Epiſcopus, & Martyr in Epiſtola cui lumen indidit nomen apud Nicephorum, lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 3. ait:* Maria cum trimula eſſet, in Templo eſt preſentata. *S. Gregor. Niſen. orat. de Chriſti Natiuit.* Cum verò iam creuiſſet puella, vt nō amplius opus haberet fugere mamillam, eam Deo tradidit Anna, & promiſſum impleuit, & ad Templum adduxit: Sacerdotes autem interim quidem, ad ſimilitudinem Samuelis, inter Sanctos educabant puellam: *S. Germanus Conſtantinopolit. Epiſc. Encomio de oblatione Mariæ in Templum ait:* Puella autem valdè lætans, & exultans ibat in Templum Dei tanquam in thalamum, cum ętatis quidē ageret annum tertiū, eſſet verò perfecta Diuina gratia. Eadem ad verbū exſcripſit *Metaphraſt. orat. de ortu, & educat. Deiparæ, Cedrenus in annalib.* Aparentibus in Templum deducta Dei Genitrix anno ætatis ſuæ tertio. *Nicephor lib. 1. hiſt. cap. 7.* Vt verò infans à lacte materno iamabhorruit, & mammam attingere noluit, promiſſionem mater adimplet, & in Templum aſcendens iuxta votum eam Deo conſecrat, tertium iam ætatis agentem annum. *Vide Caniſium lib. 1. de Maria Virg. cap. 12. & 13. Barradium hiſtor. Euang. lib. 6. cap. 6.* Hæc *Thomas à Maluenda in fragmentis.*

Imitabatur aliorum modum loquendi.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Et famelici ſaturati ſunt.* Quis ſenſus horum verborum?

℟. *Hebr. Famelici ceſſauerūt, deſtiterūt, deſierunt.* Quidam: *Ceſſauerunt à quæſtu, & labore.* Alij: *Deſierunt*, nimirum eſſe famelici. Nonnulli: *Deſierunt locare operam ſuam.* Melius: *Et famelici ceſſauerunt*, abſolutè, id eſt, iam non eſt reperire famelicos ex pijs: deſierunt famelici inueniri; ſic Hiſpanice in magna rerum abundancia, dicere ſolemus: *No ay hombre pobre.* Videtur poetica loquutio. Hoc prius huius verſus hemiſtychium imitata eſt Beata Virgo Maria, *Verſ. 1. Verſ. 53. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſsit inanes*, vt etiam Dauid *Pſalm. 33. Verſ. 11. Maluenda.*

Doctores aliorum modum loquendi imitentur.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 8. *De ſtercore eleuat pauperem.* Quis huius verſus membrum imitatus eſt?

℟. Prius huius verſus membrum imitatus eſt Dauid *Pſal. 12. Verſ. 6. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus*, & Deipara. *Lucæ 1. Verſ. 52. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Malu.*

Natiuitatē ſuā diabolo formidabilis facta eſt.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 8. *Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius, Væ nobis.* Cur veniente Arca fœderis Domini in caſtra, dixerunt Philiſthijm, væ nobis?

℟. Regina cœlorum eſt Arca exultationis in Tabernaculis iuſtorum, & arca timoris in tabernaculis dæmoniorum, & malorum. 1. *Reg.* 4. Cum peruenisſet, per Natiuitatē in mundum, Arca, id eſt, Maria in caſtra tribulatorum, tentatorum, & totius Militantis Eccleſiæ, timuerunt Philiſthijm, id eſt, dæmones, dicentes: *Væ nobis.* Venit enim illa cui dictum: eſt *Geneſ. 3. Inimitias ponam inter te.* Non enim fuit tanta exultatio peccatorum heri, & nudius tertius, quando non habebant talem adiutricem; Et dixerunt Philiſthiim: *Væ nobis*, illi autem, *benè nobis, quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum?* vbi enim ipſa eſt per adiutorium, ibi & Trinitas Deus. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Natiuitas Virginis exultatio peccatorum.

Adiuuante B. Virgine Trinitas patrocinatur.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 2. *Tuleruntque Philiſtiim Arcam Dei, & intulerunt eam in Templum Dagon.* Cur Philiſthini fuerunt morte damnati?

Deuotus erga Beatā Virginem, æterna morte nō eſt damnandus.

℟. Nota obiter, ſicut Philiſtini propter Arcæ deuotionē temporali morte damnari non potuerunt; ita neminem qui cr-

erga B. Virginem deuotus fuerit, æterna morte damnandum. *Pater Mendoza 2 Reg. 5. num. 2.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 7. vers. 1. *Eleazarum verò sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.* Quid significat sanctificatio Eleazari ad custodiã Arcæ?

Sanctificari debet, qui B. Virgine speciali obsequio prosequitur.

℟. Sanctificauerunt Hæbrei quondam Eleazarum, vt custodiret Arcam de Regione Philisthinorum redeuntem. *1. Reg. 7. num. 1.* Quid ergo mirum si debeant sanctificari illi omnes, qui Beatam Virginem peculiari aliquo obsequio prosequuntur. *P. Mendoza 1. Reg. 4. v. 11. n. 38.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 11. vers. 9. *Cras erit vobis salus cum in caluerit Sol.* Cur incalescente Sole salus populo prædicitur?

Gratia, & venia peccatoribus promissa, cum in Incarnatione, Virgini tota Deitas substãtialiter illapsa fuit.

℟. Ipsa est Sol ardens, Mater calefactionis frigidorum filiorum Adam. *1. Reg. 11. Cras erit vobis salus*, gratiæ, & veniæ, *cum in caluerit Sol*, id est, Maria. Numquid non in cãluit, cum illi tota Deitas substantialiter illapsa est. *B. Alb. Mag. in Biblia Mariana.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 12. vers. 17. *Nunquid non messis tritici est hodie? & inuocabo Dominum?* Quid significat inuocatio Samuelis pro messe tritici?

Inuocabat Deum pro conceptione Saluatoris.

℟. Beata Virgo inuocat Deum pro messe tritici, id est, pro conceptione Saluatoris. Vnde *Gregor. in Sermone dicit:* Thesaurus gratiarum, & misericordiæ apertus est, fontes exuberant pietatis, hodie ad nos missus est Filius Dei cum plenitudine gratiarum, currite, currite, implete sinus. *Leonar. de Vtino Serm. de Incarnat. Domin.*

Filius Dei missus cum plenitudine gratiarum.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 25. vers. 32. *Benedictum eloquium tuum.* Cur eloquium Abigail benedictum?

℟. Abigail Mariam signat, interpretatur enim Patris exultatio. O quanta Patris cœlestis in Maria, & Mariæ in Patre cœlesti fuit exultatio, cum ipsa dixit! *Luc. 1. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sicut autem Abigail Dominam nostram, sic Dauid Dominum nostrum signat: Dauid autẽ offensus est stulto Nabal, quãdo Dominus offenditur homini impio. Dauid Nabal stulto per Abigail placatur, quando Dominus impio per Mariã reconciliatur. Abigail placauit Dominũ verbis, & muneribus; Maria placat Dominum precibus, & meritis; Abigail vltionẽ temporalem; Maria verò ẽternalẽ conuertit, dum illa humanum; ista verò Diuinum gladium conuertit. *D. Bernardus in deprecatione, & laude B. V. M.* Nemo tam idoneus Domina, qui gladio Domini pro nobis manum obijciat, vt Tu Dei amantissima, per quam primum suscepimus Dei misericordiam de manu Domini Dei nostri. *D. Bonauentura in specul. Lect. 14.*

Deus per Mariam reconciliatur peccatori.

Precibus, & meritis placat Dominũ.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 25. vers. 32. *Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum.* Quid significat occursus Abigail?

Assumpta ad placandum Dominum.

℟. Et ait Dauid ad Abigail placatus eius intercessione: Benedictus Dominus; scilicet, Pater misericordiarum, qui misit te misericordiosissimam, & prudẽtissimam hodie; scilicet, quando cumq; intercedis pro peccatoribus, vel præcipuè in Assumptione, in occursum meum ad placandum, ad refrenandum, ac ad componendum inter me, & peccatores, & benedictum eloquium tuum plusquam omnium Angelorum; imò omnium Sanctorum. *B. Alb. Magn. in Bibl. Mar.*

Intercessio Virginis placet Deo plusquam omnũ Angelorum, & Sanctorũ.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 25. ver. 34. *Nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal.* Quid significat festinus occursus Abigail ad Dauidem?

Ex quo nata est peccatorum tibi reconciliationem assumpsit.

℟. Nisi cito venisses in occursum mihi; quod factum est, quando nata est, peccatorum tibi reconciliationem assumẽdo, non remansisset Nabal, quia totaliter deleuissem eum. *B. Alb. Mag. in Bibl. Mar.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 25. ver. 35. *Ecce audiui vocem tuam.* Quam vocem?

Loquitur pro iustis, & peccatoribus pro seruitijs remunerandis.

℟. Vocem miserationis pro peccatoribus, vocem conseruationis pro Iustis, vocem fidelitatis pro seruitijs exhibitis remunerandis. *B. Alb. Mag. in Bibl. Mar.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 25. ver. 35. *Honorauit faciem tuam.* Quo honore honorata B. Virgo à Christo?

Multiplicitèr honorata à Domino in Natiuitate, Incarnatione, Assumptione.

℟. In Natiuitate tua mundum per te illuminando, in Incarnatione mea Te in Matrem præ omnibus eligendo, & in Assumptione tua, Te vltra omnes Choros Angelorum in mea dextera collocando. *B. Albert. Magn. in Biblia Mar.*

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 25. ver. 41. *Ecce famula tua sit in Ancillam.* Cur Abigail Ancillam se dicit?

Quo maior eo humilior.

℟. Sic respondit B. Virgo Angelo, *Luc. 1. Ecce Ancilla Domini:* & vtrobique commendatur humilitas. *Hug. Card.*

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 25. ver. 41. *Vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Cur lauare pedes seruorum Domini offert Abigail?

℟. Nota, *vt lauet pedes seruorum Domini*; Ipsa enim Virgo lauat pedes; pedes enim sunt vltimæ voluntates corporis humani, etiã & mystici, caput mundi fuit status Patriarcharũ, collum Prophetarum, venter Apostolorũ, pedes, & brachia

chia Martyrum, crura Doctorum, tibiæ Confeſſorum, finis mundi eſt tempus præſens, nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. 1. *Corint.* 10. Et virga lauat nos ab immunditijs peccatorum noſtrorum, & maculis, quia continuè orat pro nobis, quia aliàs iam fuiſſemus deſtructi. *D. Vincent. Ferr. ſerm. de Incarnatione Filij Dei.*

Ab immunditijs peccatorum lauat.

Continuè orat pro nobis

Dub. 18. Ad eadem verba, cap. 25. ver. 41. *Vt lauet pedes ſeruorum Domini.* Cur voluit pedes ſeruorum Domini lauare?

Pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinet.

℟. Per Benedictam Ancillam Mariam, quaſi tot ſerui Domini loti ſunt, quot fideles, eius ſuffragijs à peccatis mundati ſunt; ipſa enim quaſi tot ſeruorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. *D. Bonauentura in ſpeculo B. M. Lect.* 10.

EX 2. REGVM.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 26. *Sicut Mater Vnicum amat Filium ſuum: ita ego te diligebam.* Vndè cauſabatur dolor B. M. Virg. in Paſſione Filij?

Dolor B. Virginis cauſabatur in Paſſione Filij, ex eo quod erat vnicus Matri.

℟. Conſideratio Paſſionum Chriſti magnum præſtabat ſibi dolorem. Ipſe autem dolor cauſabatur in ea ex ratione Filij, ex eo quod erat vnicus Matri: Si aliqua mater filium perdidit, conſolationē accipit, quando alios habet, vel habere ſperat; Virgo autem Maria nullum habebat alium, nec ſe habere ſperabat, vndè poterat dicere illud. 2. *Reg.* 1. *Sicut Mater Vnicum amat Filium, ita te diligebam. Iac. de Vorag. ſerm. 2. Sabbat. Sancto.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 2. *Vt adducerent Arcam Dei.* Cur B. Maria Arca Dei dicitur?

Mente, & corpore virginitatis ſplendore fulgebat.

℟. Arcam quid niſi Sanctam Mariam dixerimus. Siquidem Arca intrinſecus portabat Teſtamenti tabulas: Maria autem ipſius Teſtamenti geſtabat hæredē; illa intra ſe met legem hæc Euangelium retinebat, illa Dei vocem habebat, hæc verbum; veruntamen arca intus, foriſq; auri nitore radiabat, ſed & Sancta Maria intus, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat, illa terreno ornabatur auro, iſta cœleſti, *D. Ambroſ. lib. 8. ad finem.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 12. *Nuntiatumque eſt Regi Dauid, quod benè dixiſſet Dominus Obededon, & omnia eius propter Arcam Dei.* Quid ſignificat benedictio Obededon, & omnis domus eius propter Arcam?

Chriſtus ſeruus factus eſt vſque ad ſanguinis effuſionem.

℟. Obededon interpretatur ſeruus ſanguineus, & benè ſignat Chriſtum, qui ſeruus noſter factus eſt, ſeruiens nobis miſeris vſque ad ſanguinem: propter nos enim ſeruus, propter nos ſanguineus factus eſt Chriſtus, ſanguineus in dorſo per flagella, ſanguineus in capite per ſpinas, ſanguineus in latere per lanceam, ſanguineus in manibus, & pedibus per clauos; huius ſerui domus fuit B. Maria, de qua *Pſalm.* 64. dicitur: *Replebimur in bonis domus tuæ.* Arca in hac domo locata Chriſtū ſignificat; Chriſtus ergo ſeruus noſter, Chriſtus vita noſtra eſt; in Arca vrna aurea, & Manna; Arca ſancta carnē ſanctam; vrna aurea animam Chriſti pretioſiſsimam; Manna verò Diuinitatem dulciſsimam ſignat; propter hanc Arcam, propter Chriſtum Filium Mariæ Dominus benedixit domui Mariæ. O vere domus benedicta, ex qua omnium proceſsit vita! *D. Bonau. in ſpec. Lect.* 14.

Propter Chriſtum benedicta B. Virgo.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 12. *Abijt ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededon in Ciuitatem Dauid cū gaudio.* Cur Arca deduxit Dauid de domo Obededon in Ciuitatem ſuam?

Cum gaudio excepta in Aſſumptione.

℟. Abijt Dauid, id eſt, Chriſtus, & adduxit Arcam Dei, id eſt, Mariam, de domo Obededon; ſcilicet, in Aſſumptione, in Ciuitatē Dauid, hoc eſt, in cœlum Empyreum cum gaudio. *B. Alb. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 12. *Et erant cum Dauid ſeptem Chori.* Cur quando Arca Dei adducitur in Ciuitatem Dauid, ſeptem Chori erant cum Dauide?

In Aſſumptione B. V. Mariæ ſancti feſtiui obuiā aduenerunt.

℟. Arca iſta eſt B. Maria, quam Dauid, id eſt, Dominus Ieſus reduxit in Ieruſalem, aſſociatus cum ingēti gaudio, id eſt cum ſeptem differentijs Beatorum, ſcilicet, Patriarchis, vt Abraham, Iſaac, & Iacob, & aliis Prophetis, vt Iſaia, Dauide Ieremia, Ezechiele, & Daniele: Apoſtolorum, vt Iacobi Maioris; Martyrum, vt Baptiſtæ; Innocentum, Machabeorum, Stephani, & aliorum; Confeſſorum, vt Symeonis, Gamalielis, & aliorum; Sanctarum Virginum, quæ eam imitatæ ſunt poſt Chriſti Aſcenſionem, nam ſeptimus Chorus fuit Angelorum innumerabiliū. *D. Hieron.* Credendum eſt feſtiui Genētrici Dei obuiam aduenisſe militiam, eamque ingenti lumine circunfulſiſſe, & ad thronum eam cum laudibus, & canticis perduxiſſe, cœleſtemque Ieruſalem tunc ineffabili lætitia exultaſſe. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 5.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 15. *Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant*

Arcam Testamenti Domini, in iubilo, & in clangore buccinæ. Quid significat Arca deducta à Dauide, & populo in iubilo, & clangore buccinæ?

B. Virgo deducta in cælum cum omni genere musicorum, & ineffabili iucunditate.

℟. Notandũ quod, sicut dicit *Aug.* est triplex sonus musicus; vnus, qui fit in voce sicut in cantu; alius, qui fit cum flatu, sicut in buccina; & tertius, qui fit in pulsu, sicut in cythara. Iste triplex sonus tangitur hic: sonus qui fit cum voce, cum dicitur in iubilo, est enim iubilatio cantus modulatio: sonus qui fit cum flatu, cum dicitur in clangore buccinæ: sonus qui fit cum pulsu, cum dicitur in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris; per hoc quod dicitur, quod ista Arca deducta est cum iubilo, & in buccina, & in cythara datur intelligi, quod ibi fuerunt omnes species sonorum, & omnia genera musicorum. *Iacobus de Vorag. Serm. 1. de Assumpt. B. M.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 9. vers. 3. *Nunquid superest aliquis de domo Saul, Vt faciam cum eo misericordiam Dei.* Cur misericordia Dauid ad vnam solum Saulis domum determinatur?

Hominis misericordia ad paucos se extendit; Mariæ verò omnes peruadit.

℟. Magna quidem misericordia, sed ad vnius familiam Saulis limitata: Tua verò misericordia B. Deipara, nullis terminis circunscribitur; sed omnes omninò siue iustos, siue iniustos peruadit, omnes quacumque miseria teneantur, circunuagatur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. annotat. 12. sect. 1. num. 12.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 14. vers. 2. *Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem.* Cur Absalon mulieris Thecuitę solertia, & sapientia reuocari curat Ioab à Gessur in Ierusalem?

Habet sapientiam, diligentiam, & gratiam ad aduocandum.

℟. Filius B. Virginem fecit sapientem ad aduocãdum. Vndè significata est per illam mulierem sapientissimam, de qua dicitur, 2. *Reg.* 14. Habet enim ista aduocata omnia illa bona, quę in bono aduocato requiruntur. Bonus enim aduocatus tria debet habere bonam diligentiã, vt sit valdè sollicitus in promouendo causam suam, quia si negligens esset, cito succumberet, sed si esset sollicitus, & parum esset Iurisperitus, non esset bonus aduocatus, ideò oportet, vt pręter diligentiã habeat etiã magnam sapientiam, sed si sollicitus esset, & peritus, & Regi antequam aduocaret, & toti familię suæ esset odiosus, nõ esset idoneus aduocatus; & ideò oportet, quod coram Rege, & familia sua habeat gratiam: ille igitur est optimus aduocatus, qui habet magnam diligẽtiam, magnam sapientiam, & magnam gratiam. Ista tria habet nostra Aduocata. *Iacobus de Voragine Serm. 2. Sabbath. post Dominicam tertiam Quadragesimæ.*

Aduocatus tria debet habere;

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 14. vers. 24. *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* In quo commendabilis fuit misericordia mulieris petentis pro Absalon?

℟. Nescio quid magis in huius fœminę misericordia commendandum mihi videatur. Nam Rex à fœmina rogatus, pepecit filio: at verò fœmina nullis Absalonis precibus solicitata pro Absalone intercessit. Talis, & Beatissima Virgo antequam à nobis oretur, pro nobis orat, & prius quam, nos illius, illa nostri recordatur, imò efficacior ad impetrandum, quã Thecuites; nam hæc Absalonẽ ab exilio in Vrbem reuocauit, non tamen ab Vrbe, in domum Regiam introduxit Rege statim prohibente faciem meã non videat: at verò illa orco eripit, & in cęlo inserit, dicente, *D. Bernar.* A B. Virgine cœlum repletum, infernum euacuatum. *P. Mendoza 1. Reg. 14. Ver. 3. annot. 17. sect. 2. n. 5*

Antequam à nobis oretur, pro nobis orat.

Peccatores introducit in cœlum.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 18. vers. 33. *Quis mihi tribuat, Vt ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalõ?* Cur Sacra Scriptura dilectionem Dauid erga filium suum Absalonem narrat?

℟. Quis enim sani capitis dicat ipsam talem Matrem à tali Filio tam dilectam, minus dilexisse Filiũ suum vnigenitũ, & talem filium, quam Dauid Absalon parricidam, qui dicebat 2. *Reg.* 18. *Ver.* 33. *Quis mihi det, Vt moriar pro te fili mi Absalon.* Cuius acerbitate doloris afflicta, & pœnę Crucis corde affixa, vt potè quæ plus omnibus dilexit, prima ad monumentũ currere non potuit, licet postea, vt verè creditur, frequens, & quando potuit non defuit. Hęc sunt pondera dilectionis Mariæ, quæ præponderant omnium sanctarũ animarũ meritis, & gloriæ. *B. Alb. Mag.*

Pondera dilectionis Mariæ Virg. erga Filium patientem.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 19. vers. 8. *Surrexit ergo Rex, & sedit in porta.* Quid significat sessio Dauid in porta?

Incarnatio Verbi dicitur sessio.

℟. Dauid est Christus Rex Regum, qui nos liberauit de manu inimicorum nostrorum: surrexit cum à sinu Patris exiuit, sedit in porta, id est, humiliauit se descendens in Beatam Virginem. *D. Antonius Paduan. Dominica 3. post Trinitat.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 21. vers. 10. *Non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Cur Respha non dimisit aues lacerare filios suos?

Peccatores conseruat, à diabolo liberat donec cõfiteantur.

℟. B. Maria est Mater conseruationis, quæ tandiu peccatores fouet vsque dum ipsis gratiam Dei impetret. Vnde significatur per Respham, quæ currus interpretatur, quę septem viros in patibulo suspẽsos; scilicet, peccati, propter septẽ peccata mor-

mortalia, à Dauid, id eſt, à Chriſto nō dimiſit aues lacerare eos per diē, neq; beſtias per noctem, id eſt, dæmones, prohibens, donec ſtillaret aqua gratiæ; ſcilicet, contritionis, & confeſsionis de cœlo, id eſt, de miſericordia Dei ſuper eos. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

B. Virgo immaculata ante partum, in partu, & poſt partum.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 31. *Deus immaculata via eius.* Quænam eſt immaculata via Dei?

℟. Via eius in Virginem immaculata fuit, id eſt, Virgo Sancta, & immaculata fuit ante partum, & in partu, & poſt partum, *vndè Ezechiel 44. verſ. 4. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam: eritque clauſa Principi, & Princeps ipſe ſedebit in ea.*

Peccatores illuminat, frigidos accendit, paſsiones carnis ſerenat.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 4. *Sicut lux auroræ, oriente Sole mane abſq; nubibus rutilat.* Cur Beata Virgo luci auroræ comparatur?

℟. Ipſa namq; peccatores purgat à tenebris peccatorū lumine gratię, & ideò dicitur lux auroræ; quia expellit tenebras culpæ, & introducit lucē gratiæ; Ipſa frigidos accendit calore charitatis ſuę, ideò aſsimilatur luci Solis oriētis, qua lux Solis calefacit; Ipſa æſtum concupiſcentiæ refrigerat, & à nubibus carnalium paſsionum animas ſerenat, & ideò aſsimilatur luci matutinæ, quę eſt cum refrigerio, luci etiam ſerenæ; ſcilicet, quæ eſt abſque nubibus. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elemæntis, cap. 48.*

B. Virgo illuſtrata à Filio ante Incarnationē.

2. ℟. Rectè quidem ò Maria auroræ officium impleſti. Ipſe enim Sol Iuſtitiæ de Te proceſſurus ortum ſuū, quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis ſuæ radios copioſè transfudit. *D. Bernard. in deprecatione, & laude ad B. Virg.*

Imdetrat lumen Diuinę cognitionis, & inſpiratio nis.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 4. *Lux auroræ.* Cur dicitur Aurora?

℟. Aurora eſt lucis à Sole impetratiua, vndè dicitur: Lux auroræ oriente Sole mane abſque nubibus rutilat: ſic iſta Aurora, ſcilicet, Virgo Beata, impetrat lumen Diuinæ cognitionis, & inſpirationis. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi ſupra.*

Lux auroræ multa bona operatur.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 23. v. 4. *Sicut lux auroræ.* Quid Virgo cum aurora?

℟. Nota, quod iſta lux auroræ eſt, quæ mane oriēte Sole multa bona operatur; Eſt enim infirmorū confortatiua, auium lætificatiua, florum de nocte clauſarum apertiua, herbarum de nocte depreſſarū erectiua: quæ omnia hęc iam prędicta facit in nobis Beata Virgo Maria. Et enim ipſa aurora, quę debiles confortat, ſiquidem infirmi confortantur in aurora, ex eo quod ſanguis in aurora dominatur, & ideò ſomnus dulcior eſt in aurora. Item, quia tunc virtutes animales corroborantur, vndè ſecundùm Medicos melius ſe habent infirmi; & ideò dicitur aurora, quaſi aurea hora, id eſt, optima; ita ſimiliter per Beatam Virginem infirmi ſpiritualiter recipiunt ſanitatem; vires animæ recipiunt vigorem, ſanguis dulcedinis, & deuotionis recipit augmentationem. Item in aurora aues lætificantur, & ideò ad cantandum excitantur, vnde dicitur aurora, quaſi auium hora; quia ſcilicet B. Virgo eſt quæ deuotos excitat ad Dei laudem: ipſa enim eſt, quę flores clauſos, id eſt, mentes humilium aperit ad benè operandum, vt odorem boni exempli vndique circunfundant. Ipſa etiam eſt, quæ depreſſos per mœrorem erigit per ſpem, & conſolationem. *Ioanes à Sancto Geminiano vbi ſupra.*

In firmi per Beatam Virginem recipiunt ſanitatem.

Deuotos excitat ad Dei laudem.

Excitat ad operadū.

Mœrentes erigit per ſpem, & conſolationem.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 15 *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethelehem!* Quid ſignificat ciſterna, cuius aquam deſiderauit Dauid?

B. Virgo Deū geſtura, & paritura erat.

℟. Ciſterna Sanctiſsimam Virginem deſignabat, quæ & vterum geſtura, & Deum paritura erat. *Sophron. Archiepiſc. Conſtantinopolit. orat. 1. in Chriſti Domini Natalit.*

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 23. ver. 15. *O ſi quis daret mihi potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethelehem!* Cur Dauid deſiderabat aquam de ciſterna, quæ erat in Bethelehem?

Dauid etiam dum ex Virgine Chriſtū ſpiritu præuidit.

℟. Si altius velis ſpectare, & introſpicere myſterium ſitiebat Dauid non aquā de lacu, qui erat in Bethelem, ſed oriundum ex Virgine Chriſtum ſpiritu præuidebat, *D. Ambr. Apol. 1. de Dauide, cap. 7*

3. REGVM.

Sancti Patres expectabant B. Virginem vt in ea Verbum carnem aſſumeret.

Dub. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam Virginem, & ſtet coram Rege, & foueat eum.* Cur B. Virgo per hanc adoleſcentulam figuratur?

℟. Dixerunt ſerui Dauid, id eſt, Sancti Patres, quæramus in omni terra creaturam rationalem, quæ ſub cœlo eſt, Domino noſtro Regi, adoleſcentulam Virginem, dignā, quę foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo Rex Regum, & foueat eum per Incarnationem in gremio vētris ſui, Dormiatque in ſinu ſuo apud mundiſsimam mundiſsimus, in creatura Creator, in Filia Pater, in Ancilla Dominus. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Et*

calefaciat Dominum nostrum Regem. Quommodo B. Maria calefecit Deum?

B. Virgo Deū ad miseratio nem, & liberationem inflammauit.

℟. Quæramus Virginem sapientissimam, charitate ardentissimā, quæ ipsum Deum ad liberationem, & miserationē inflammet; habetur enim ibi calefaciat Dominum nostrum Regem. *B. Albertus Magn. vbi supra.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. vers. 2. *Et stet coram Rege.* Cur stat B. Maria coram Christo?

Stat corām Christo ad orandum, iudicandū, placandum.

℟. Quæramus Virginem sapientissimam, quę sciat velit, & possit stare vt interpellatrix coram Rege ad refrenandū, ad excusandum, ad iudicandum, ad placandum. *B. Albert. Magn. ibidem.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. vers. 3. *Et Inuenerunt Abisag Sunamitidem.* Quid significat inuentio Abisag Sunamitidis?

In lege quæsita, in tempore gratiæ inuenta ab Angelo.

℟. Quæsita fuit in lege, & Prophetis tempore Patriarcharum, & Prophetarū, sed inuenta in Nazareth ab Archangelo Gabriele, *Lucæ* 1. In tempore gratiæ in Annuntiatione. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. vers. 18. *Et ait Bethsabe: Benè ego loquar pro te Regi.* Cur Bethsabe promisit loqui benè pro Adonia?

Aduocat pro peccatore.

℟. Ipsa est peccatorum aduocata habens tria; scilicet, sapiētiam, facundiam, & fidelitatem, quę debet habere aduocata, vndè significatur per Bethsabe, 3. *Reg.* 2. Dixit Bethsabe, id est, Maria ad Adoniam, id est, ad peccatorem. Benè ego loquar, prudenter, humiliter, instanter, & perseueranter, pro te misero, egeno, & desperato, sed cui? Certè Regi magno, forti, & glorioso. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. vers. 19. *Venit ergo Bethsabe ad Regem Salomonē, vt loqueretur ei pro Adonia.* Quid hæc significat?

Assumpta in cœlū, vt pro peccatore loquatur.

℟. Venit Bethsabe ad Regem Salomonem, quod factum est in Assumptione, vt loqueretur ei per Adonia, id est, peccatore. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 2. vers. 19. *Posuitque est thronus Matri Regis.* Cur positus est thronus Bethsabe ad dexteram Regis?

In iudicio sedebit in throno misericordiæ.

Sedet ad dexteram Filij, vt Imperatrix, gratiarū distributrix.

℟. Et positus est thronus gloriæ Matri Regis. In Annuntiatione posita fuit Domina mundi in throno gratiæ, in Passione Filij in throno misericordiæ, in nostra causa in iudicio in throno misericordiæ, in Assumptione verò sua ad cęlos in throno gloriæ, vndè sequitur: quæ sedit ad dexteram eius, vt Imperatrix, vt gratiarum distributrix. *B. Alb. Magn. vbi supra.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 2. vers. 20. *Et dixit ei Rex: Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Cur B. Maria non debet à Filio auerti?

Exauditur à Deo in omni petitione sua.

℟. Bersabee interpretatur puteus satietatis, quidam sunt qui habent puteum, id est, animum suum gratia Dei euacuatum, alij qui habent semiplenum, sed Beata Virgo habuit plenum, & super plenum, & ideo fuit puteus satietatis; non debet igitur à Filio auerti, sed ab eo in omni petitione sua exaudiri. *Iacobus de Vorag. serm. 2. Sabbatho Domin. 5. Quadragesimæ.*

Dub. 9. Ad eadem verba, cap. 2. vers. 20. *Pete Mater mea. Neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Cur Salomon promisit Matri suæ, quod non auerteret faciem suam ab ea?

Exauditur pro quacunque re postulata, quia super omnem creaturā charissima.

℟. Pete fiducialiter pro omnibus Mater mea mundissima, mihi obsequiosissima, & super omnem creaturam charissima: neque enim fas est, nec coram me, nec coram Angelis, ac omnibus Sanctis, vt auertam faciem tuam, Te pro quacumque re postulantem, non exaudiendo. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 2. vers. 24. *Viuit Dominus, quia hodie occidetur Adonias.* Cur Salomon fratrem Adoniam, matre pro illo deprecante interfecit?

Merita B. Virginis maiora videntur apud Deum, peccatorum de meritis, pro quibus togat.

℟. Quis non miretur tantam Regis inconstantiam, ne dicam fraudulentiam, vt cum promittat omnia, donet nihil. Et non solum matri se præbeat inexorabilem, verum etiam cum illa exiguum beneficium petat, ipse extremum supplicium minitetur, & reuera exequatur? Nam statim fratrem Adoniam Matre pro illo frustra deprecante interfecit, sed nihil mirum, quia non erant tam efficacia apud Regem merita Matris, quàm demerita fratris, vnde hæc facilius Regem ad vindictam, quam illa ad misericordiam impellebant: sed Tua ò Beatissima Virgo gratia, & authoritas apud Filium tanta est, vt non solùm pro illius fratribus, sed etiam pro illius hostibus intercedas, & quidquid postules assequaris; quasi Tua merita apud Deum ipsis peccatorum demeritis multo maiora esse videantur. *Pater Mendoza 1. Reg. 14. annot. 17. sect. 2. num. 2.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 2. vers. 26. *Vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam fœderis Domini?* Cur Abiathar propter Arcam, quam portauit mortem euasit?

Deuotus erga Beatā Virginem morte æterna nō est damnandus.

℟. Ipsa est Mater, & Domina saluationis, quod signatum est in Abiathar Sacerdote, qui offenderat Regem Salomonem.

nem, cui dixit Rex. Equidem vir mortis es, sed te non interficiam; quia portasti Arcam, id est, Mariam, ipsa in honorado, te ei subiiciendo, & in eius fidelitatem, & misericordiam committendo. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Propter Beatam Virginē peccatoribus venia cō ceditur.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 2. vers. 26. *Hodie te non interficiam, quia portasti Arcam.* Cur Abiathar Sacerdoti reo mortis, donatur vita?

Rſp. Si propter Arcam reo mortis donatur vita, quanto maiori iure peccatoribus, venia indignis propter Sanctissimam Virginem venia concedetur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. annot. 12. sect. 2. num. 14.*

Quisquis ad eam accedit tutissimum sibi reperit asylum.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 2. vers. 31. *Dixitque ei Rex: fac sicut locutus est, & interfice eum*, vers. 34. *Ascendit itaque Banaias, & aggressus eum interfecit.* Cur Ioabo non profuit nec domus Dei, nec ara Dei, vt mortem euaderet?

Rſp. Neque domus Dei, neque ara Dei Ioabo illam tenenti, & amplectenti quominus moreretur profuerunt: ad tuos verò pedes ò Deipara Tabernaculo fœderis, & Altare thymiamatis Sacratior, quisquis pronus in genua accesserit, tutissimum sibi reperiet asylum. *Pater Mendoza 1. Reg. 14. vers. 3. annot. 17. sect. 2. num. 4.*

Eminentibus ornata virtutibus, quæ non homini parabatur, sed Deo.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 5. vers. 17. *Præcepitque Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum Templi.* Cur ad fundandum Templum quærebantur lapides pretiosi, & grandes?

Rſp. Ipsa est Templum veri Salomonis, de cuius fundatione 3. *Reg.* 5. præcepit Rex, vt tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum Templi, id est, virtutes eminentes in fundatione Beatæ Mariæ, nec mirum, quia vt dicitur 1. *Paralip.* 29. Neque enim homini paratur habitatio, sed Deo. *Hug. Cardin. ad illa verba, Psalm. 86. ipse fundauit eam.*

Plus habuit de fide, spe, & charitate quā alia creatura, ideo plus habuit de magnitudine.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 6. vers. 2. *Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Cur domus quam Salomon ædificauit, habebat tot cubitos longitudinis, latitudinis, & altitudinis?

Rſp. Ipsa enim est Templum Dei mirabile præ omnibus Sanctis; primò, quia mirabiliter magnum secundòm longitudinem per latitudinem charitatis; sicut enim plus habuit de fide, spe, & charitate, quam aliqua creatura, sic plus habuit de magnitudine. *D. Thomas serm. in festo Purific.*

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 6. vers. 21. *Nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur.* Cur quod erat in Templo auro tegebatur?

Omnia sanctitate plena erant in Virgine.

Rſp. Quia nihil in Virgine, quod non sanctitate plenum esset. *Cant. 5* tota pulchra est amica mea. *D. Thomas Aquinas vbi supra.*

Adeo complacuit Deo habitare in vtero virginali, quod omnia alia Tabernaculá magni pretij vilescerent, apud eum.

Dub. 17. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 21. *Nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro.* Cur quidquid erat in Templo, & altare oraculi auro tegebatur?

Rſp. Olim aderat Deus in Templo, ac Tabernaculo expretiosissimis lignis, ex purissimo auro, ac magno opificio constructo. 3. *Reg.* 6. *num.* 21. Et apparebat etiam Deus, in Solio excelso, & eleuato, *Isaiæ* 6. *num.* 1. Nunc verò nascens in humili stabulo reclinatur; Nam ita Deus sibi complacuit, ac æstimauit habitare in vtero Virgineo Mariæ, ac in illis sacratissimis visceribus, vt inde exiens omnia alia creata, magni pretij ligna, aurea ornamenta, solium excelsum, ita Deo viluerunt tamquam vile fœnum, humiles paleæ, ac obiectum stabulum, ita vt omnis creata elegantia, non plus apud Deum habeat, quam contemptibilis terra, vt ibi sedeat, & reclinerur. *Pater Silueira tom. 1. in Euangelia, lib. 2. cap. 1. quæst. 10. num. 46.*

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 6. vers. 29. *Fecit in eis Cherubim, & picturas.* Cur in Templo posuit Salomon Cherubim, & picturas?

Omniū Angelorum, & Sanctorū vitutibus decorata.

Resp. Ipsa est Templum Dei mirabiliter, præ omnibus Sanctis, quia variis picturis depictum, quia omnium Sanctorum, & Angelorum virtutibus decoratum. 3. *Reg.* 6. Fecit in Templo Cherubim, & picturas. *D. Thomas Aquinas serm. in festo Purificationis.*

In Assumptione Angeli aduenerūt obuiam cum Deiparæ Christo.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 8. vers. 1. *Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel cum Principibus Tribuum, vt deferrent Arcam fœderis Domini de Ciuitate Dauid.* Quid significatur per Arcæ deportationem?

Resp. Per Arcam figurata fuit Beata Virgo Maria, propter quod per hanc Arcæ deportationem figurata fuit huius Virginis Assumptio. Per maiores natu, Duces, & Principes, qui congregati fuerunt ad Salomonem in Arcæ deportatione, signantur Angeli de diuersis ordinibus cum Christo venientes ad Beatæ Virginis venerationem in eius Assumptionem. *Hieronim. in sermone.* Legimus quam sæpè ad exequias, & funera quorumlibet Sanctorum Angelos aduenisse,

& exequiis eorum obsequia præstitisse, necnon & eorum animas ad cœlum cum Hymnis, & Canticis detulisse. Et quanto magis credendum est hodierna die militiam Angelorum cum suis agminibus obuiam aduenisse Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum olim ante mundi constitutionem sibi paratum cum laudibus, & canticis perduxisse. Nec immerito creditur, quod ipse Saluator omnium per se totus festiuus occurrit, eamque secum in throno collocauit. *Lyranus. Hug. Cardin.*

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 8. vers. 10. *Nebula impleuit domum Domini.* Cur Dominus ad Templum in nebula descendit?

Resp. Licet in illud Templum Salomonis Deus descendisse credendus sit: in hoc tamen rationabili Sanctuario; hoc est, in Beatissimæ Virginis vtero, multo mirabilius, multoque fœlicius dignatus est manere pro nobis. Ad illud Templum Dominus in nebula descendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caliginem designaret: in hoc sicut scriptum est, in Sole posuit Tabernaculum suum, vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret: Illi Templo Deus omnipotens gloriam sui aduentus contulit, sed nihil ex eo in sua natura susceptit: in Beatissimæ autem Virginis vterum, non solum dignatus est descendere, sed ex eo etiam perfectam sibi substantiam nostræ mortalitatis vnire. *D. Petrus Damianus serm. 2. de Natiuitate.*

Ex vtero Beatæ Virginis perfectã sibi substantiam nostræ mortalitatis vnit.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 8. vers. 11. *Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Cur gloria Domini domum Domini impleuit?

Resp. Domus ergo Domini Maria impleta est gloria Diuinæ Maiestatis, per nebulam assumptæ à Deo humanitatis, illam dico nebulam de qua dicitur: *in Ecclesiast. cap. 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ*, nam quasi Stella in nebula, est Verbum in carne assumpta. *D. Bonauentura in speculo, Lect. 7.*

In Incarnatione Verbi B. Virgo impleta est Diuina Maiestate.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 8. vers. 27. *Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui.* Quis horum verborum sensus?

Vterus Virginis Mariæ capacior cœlo, & mundo.

Resp. Non vtique domus per Salomonem ædificatam: sed domus per illam significata Deum capere potuit; Tu ergo immensissima Maria capacior est cœlo, quia quem cœli capere non poterant, Tuo gremio contulisti; Tu capacior est mundo, quia quem totus non capit Orbis, in Tua se clausit viscera factus homo. *D. Bonauentura in speculo B. M. Lect. 5.*

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 10. vers. 18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum.* Cur dicitur *fecit*?

B. Virgo opus speciale Diuinæ sapiẽtiæ.

Resp. Benè dicitur fecit, quia Beata Virgo speciale opus est illius artificis, qui fabricatus est Auroram, & Solem, qui in isto opere huius throni principaliter suam ostendit sapientiam. Ipsa est enim vas admirabile opus excelsi, *Eccles.* 43. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *B. Albert. Magn. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 2. num. 1.*

Dub. 24. Ad eadem verba, cap. 10. *Fecit Rex Salomon thronum.* Cur B. Virgo dicitur thronus?

Christus sedit in B. Virg. tanquam in throno.

Resp. Thronus est Beata Virgo, quæ rectè thronus Salomonis dicitur, quia in ea verus Salomon nouem mensibus sedit. *Ezechiel. 44. Princeps ipse sedebit in ea. Vt comedat panem suum coram Domino. Eccles. 24. Thronus meus in columna nubis. Hug. Cardin.*

Christus in B. V. recepit trium Regũ homagia.

2. Bx. Per thronum significatur Virgo Maria, in cuius gremio Christus sedit tanquam in throno nobilissimo recipiens trium Regum homagia. *Liranus.*

Dub. 25. Ad eadem verba, cap. 10. vers. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore.* Cur de ebore fecit thronum?

Prima virginitatem vouit.

Bx. Vsque ad Beatam Virginem non habuerat Christus thronum de ebore, sed quasi sedem plebeiam, & communem, sed in ipsa thronum de ebore habuit, quæ prima virginitatem vouit. *B. Albertus Magn. lib. 10. de laudib. B. M. cap. 2.*

Dub. 26. Ad eadem verba, cap. 10. vers. 18. *Thronum de ebore.* Cur ebori comparatur B. Virgo Maria?

Immunis ab omni impuro carnis ardore.

Bx. Erat hic thronus ex ebore, quod appositissimè virginitatis puritatem significat. Ebur enim, & candidum, & vehementer frigidum esse dicitur; quod vtrumque virgineo pudori maximè conuenit. Nam & candore suo virginitatis puritatem; & frigiditate immunitatem, ab omni impuro carnis ardore designat. Hic autem Virginalis candor, hæc tanta puritas, cui magis, quam huic Virginum Virgini conueniat; quæ singulari priuilegio gaudium Matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. *Ludouicus Granatensis concione secunda in Natiuit. B. M.*

Singulari priuilegio gaudia Matris habuit cum virginitatis honore.

Motus libidinis in alijs refrigerabat.

2. Resp. De ebore quod ratione albedinis, & frigiditatis signat puritatem Mariæ, in alijs refrigerantem motus libidinis. *Lyranus.*

Dub.

Adeò grandis est B. Virgo, quod eã solum Deus supergreditur.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 10. vers. 18. *Ex ebore grandem.* Cur thronus hic dicitur grandis?

Resp. Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis intra sui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. *D. Petrus Damianus serm. 1. de Natiuit.*

Meritis grandissima.

2. Resp. Grandem imò grandissimum meritis. *Lyranus.*

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 10. vers. 18. *Et vestiuit eum auro fuluo nimis.* Quid aurum, quo thronus vestiebatur, significat?

Resp. Cum in auro quidam nobilitatis gradus existant, propter quos aurum auro defæcatius, & splendidius est, hoc aurum, quo eburneus ille thronus vestiebatur, fuluum nimis; hoc est, splendidissimum, & purissimum erat. Quid autem magis singularem Beatissimæ Virginis charitatem, quam huiusmodi aurum adumbrare potuit? Alij namque sancti Deum quidem, vt Deum, & conditorem, atque parentem suum; nemo autem vt Filium dilexit: at huic Sanctissimæ Virgini singulari priuilegio concessum est, vt Deum ipsum non modo vt Deum, atque parentem, sed etiam vt verum Filium, Spiritus Sancti virtute conceptum, & in lucem editum, incomparabili amore diligeret. Quæ quidem dilectio mira quotidie, imò per singulas horas incremẽta maiora capiebat. Verè enim, ac piè credendum est, nunquam Virginem oculos in Filium coniecisse, quin ardentissimis amoris facibus sacratissimum eius pectus incenderetur. *Ludouicus Granatensis concion. 2. in Natiuitat. B.M.*

Alij sancti Deũ, vt creatorem, & parentem diligunt. B. Virgo, vt Filium dilexit.

Plus respexit Deus in Beata Virgine humilitatẽ, quã virginitatem

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 10. vers. 18. *Vestiuit eum auro fluuo nimis.* Cur ebur auro vestiebatur?

Resp. Nota quod ebur auro tegebatur, quod plus apparebat, sicut plus apparet vestis, quam corpus, in quo notatur quod plus respexit Deus in Beata Virgine, humilitatem, quam virginitatem: vnde ipsa dicit respexit humilitatem Ancillæ suæ; ex ea enim parte plus eam diligebat, & vbi amor ibi oculus. *B. Albert. Magn. lib. 10. de laudib. B.M. cap. 2. num. 1.*

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 10. vers. 18. *Qui habebat sex gradus.* Quid significant sex gradus huius throni?

Sex virtutes notantur in colloquutione Beatæ Virginis cũ Angelo.

Resp. Hic thronus habet sex gradus, id est, sex virtutes, quæ notantur *Luc.* 1. Primus gradus est animi solitudo, qui notatur ibi: *Ingressus autem Angelus ad eam.* Hunc gradum ascendit, qui curas sæculi fugit, & quietem mentis appetit, & talis meretur colloquium Angelorum, imo ipsius Dei. *Osee. 2. Adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Vnde & Ioanni in Pathmos insula solitario facta est reuelatio. Secundus gradus est verecundia, quæ valde congruit virginibus, quæ notatur ibi: *Et turbata est in sermone eius. Eccles. 7.* gratia verecundiæ super aurum, ibidem. 32. *Ante verecundiam præibit gratia.* Tertius gradus est prudentia, quæ notatur ibi: *Quommodo fiet istud;* non enim quasi incredula dubitauit, sed prudenter modum quo fieret interrogauit. *Prouerb. 16. Cor sapientis erudiet os eius, & labijs illius addet gratiam.* Quartus gradus est casti propositi constantia, quæ notatur ibi: *Quoniam virum non cognosco*, id est, me nunquam cogniturã propono, *Sapient. 5. Stabunt iusti in magna constantia.* Quintus gradus est humilitas, quæ notatur ibi: *Ecce Ancilla Domini.* Magna humilitas, vt cum esset Regina, & se Ancilla esse diceret. *Prouerb. 29. Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria.* Sextus gradus est obedientia & dilectio, quæ notatur ibi: *Fiat mihi secundùm verbum tuum. Eccles. 3. Filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio. Hug. Card. Lyran.*

Qui quietem mentis appetit, curas sæculi fugiat.

Verecundia congruit virginibus.

In bono proposito constantia.

Futura credidit indubitanter.

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 10. vers. 19. *Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori.* Cur summitas throni rotunda?

Resp. Summitas throni rotunda, id est, fides Virginis integra, & perfecta, quę dicitur esse in posteriori parte, quia futura credidit indubitanter. Vnde & Elisabeth, dixit ei. *Lucæ 1. Beata quæ credidisti. Hug. Cardin.*

Opefationes vitæ actiuæ & contẽplatiuæ excellẽter fuerunt in B. Virgine.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 10. vers. 19. *Duæ manus hinc atque, inde tenentes sedile.* Quid significant duæ manus huius throni?

Resp. Duæ manus per quas signantur operationes actiuæ vitæ, & contemplatiuæ, quia manus est organum organorum, 3. de anima. Istæ autem operationes excellenter fuerunt in virgine. *Lyra.*

Iuxta Crucẽ habuit fortitudinẽ fidei alijs dubitantibus.

Habuit fortitudinem in operatione.

Dub. 33. Ad illa verba, cap 10. vers. 19. *Duo Leones stabant iuxta manus singulas.* Cur duo Leones iuxta singulas manus throni?

℟. Duo Leones duplex Virginis fortitudo, quam ei contulit manus Spiritus Sancti, id est, fortitudo fidei, quia alijs dubitantibus, ipsa nunquam dubitauit. Vnde de ipsa dicitur *Prouerb. Vltim. Forti-*

titudo, & decor indumentum eius. Item fortitudo operis, de qua ibidem: *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Hug. Cardin.*

Aggrediebatur ardua, & tolerabat aduersa.

2. Rx. Duo Leones, per quos significatur duplex fortitudo; scilicet, in aggrediendis arduis, & intolerandis aduersis. *Lyranus.*

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 10. vers. 19. *Et duodecim leunculi stantes super sex gradus.* Cur duodecim leunculi?

Rx. Per istum thronum potest intelligi Beata Virgo, quam Salomon pacificus Dei Filius sibi ædificauit, & in ea personaliter habitauit, & sedit. *Ezechiel* 1. *Super similitudine throni similitudo hominis desuper.* Ista enim dicitur esse de ebore, qui significat castitatis candorem, operta fuit auro, quod significat sanctitatis splendorem. Vnum sedile in se habuit, quod significat humilitatis decorem, quia; scilicet, humilitas fuit proprium sedile, quo mediante Dei Filius sedit in Virgine. *Ps.* 46. *Deus sedet super sanctam sedem suam.* Habuit igitur istas duas manus; scilicet, timorem, & amorem, quæ sedile humilitatis tenuerunt, habuit duos Leones; scilicet, Ioseph, & Ioannem, qui istum thronum custodierunt; Habuit duodecim leunculos, id est, duodecim Apostolos, qui sibi obsequendo subseruierunt: Habuit sex gradus, id est, sex pietatis opera, quæ ipsam in altum per perfectionis sanctitudinem eleuauerunt. In posteriori verò parte; scilicet, post hanc vitam, rotunditatem, id est, coronam æternæ gloriæ, quam sibi Angeli præparauerunt, accepit. *Bercorius lib.* 11. *tropologiarum, cap.* 10. *textus, & 8. moralitatum.*

Mediante humilitate, Dei Filius descendit in Virginē.

Humilitatē timore, & amore conseruauit.

Diuus Ioseph, Sanctus Ioannes Custodes Virginis.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 10. vers. 20. *Non est factum tale opus in Vniuersis Regnis.* Quommodo hæc verba conueniunt B. M?

Rx. Illi potissimum conuenit, quod de huiusmodi fabrica in descriptionis eius fine dicitur, nempè quod nullum tale opus in Regnis omnibus fuerit fabricatum. Neque enim aut in cœlo, aut in terra, aut inter homines, aut inter Angelos tantam sanctitatis excellentiam agnouimus, quantam in Deipara Virgine fuisse, certum est. Sicut enim nulla post Deum Dignitas Dei Genitrice maior: ita nulla sanctitatis prærogatiua sublimior. Sicut enim sacræ Humanitati Domini Saluatoris tantam gratiarum, & virtutum opulentiam tribuimus, quantam maximam mentes nostrę concipere possunt, vt quando Deum humanitate nostra vestimus, digna sit tanta maiestate vestis: ita cum Dei Filium habere Matrem in terra confitemur digna sit tali Filio Mater, cum enim sapiens dicat. *Eccles.* 3. *Dedecus filij pater sine honore*; certum est dedecus, vel decus Matris ad Filium maximè pertinere. Quæ cum ita sint, necessariò fatendum est, sacram Virginem cunctorum hominum, & Angelorum sanctitatem tantum superare, quantum Materna eius Dignitas omnes alias Dignitates antecellit. Quid autem post Deum Dei Matre sublimius. Huic autem Dignitati, sanctitatis, atque omnium eius gratiarum splendorem parem fuisse necesse est. *Ludouicus Granatensis concione* 2. *in Natiuit. B. Mariæ.*

Dedecus, decus Matris ad Filium pertinet.

Sicut Materna Dignitas omnes antecellit; itaeius sanctitas omnes super gredi tur.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 10. vers. 20. *Non est factum tale opus in Vniuersis Regnis.* Cur dicitur non esse factum tale opus in vniuersis Regnis?

Rx. Non vtique in Regno cœlestium, non in Regno terrestrium, non in Regno infernorum, quia nullum tale opus in cœlo, nullum tale in mundo, nullum tale in Limbo fuit. Hoc enim opus plenum est Dominica gloria, quia super omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in Maria, nam præter assumptam à Verbo naturam, nullum est opus, nulla est creatura, in qua tanta Diuinæ gloriæ materia reluceat sicut in Maria. Gloriam enim de restauratione facta in cœlo, gloriam de redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Mariæ. *D. Bonauentura in speculo B. M. Lect.* 7.

Præter assumptam à Verbo naturam, nulla est creatura in qua tanta Diuinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria.

2. Rx. Non est factum tale opus in vniuersis Regnis mirabilitate, vtilitate, pretiositate, dignitate pulchritudine in vniuersis Regnis cœli, atque terræ. *B. Alb. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 17. vers. 1. *Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei Verba.* Cur Eliæ efficacitas prius in malis, quàm in bonis conferendis exercita est?

Rx. Hæc Eliæ efficacitas non solum in conferendis bonis, sed etiam in inferendis malis, imò prius in malis, quàm in bonis exercita est. Prius enim cœlum clausit ad iustitiam, quam aperuit ad misericordiam. Tua verò efficacitas ò Virgo, totam se ad communicanda beneficia, auertendaque supplicia impendit. Clauis cœli est, maiori iure quàm Elias, non vt illud claudas, sed vt aperias, non vt iram Dei in terram, sed vt misericordiam effundas. Immò clauem non habet Beata Virgo, sicut nec Arca fœderis clauem di-

Tota Virginis efficacia ad communicanda beneficia, auertendaque supplicia.

Beneficia nō claudit, sed pandit.

dicitur habuisse, quia beneficia sua non claudit, sed pandit, omnia eius bona omnibus patent, omnibus liberaliter communicantur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. num. 11. annotat. 2. sect. 2. num. 1.*

B. Virgo semper vult dare.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 17. vers. 14. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Cur hydria farinæ non deficiet?

℟. Hydria farinæ, id est, Maria, non deficiet, quia semper potest, & vult dare, quia largissima, quia ditissima, quia gratia plena. Nec lecythus olei minuetur, quo nos pascit semper, & vngit, & lætificabit. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Furorem Iudicis temperat.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 18. vers. 44. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis.* Cur Beata Maria dicitur nubecula?

℟. Nubecula est Beata Virgo, quæ ardorem Solis temperat, id est, furorem Iudicis, orans pro peccatoribus mitigat, terram Ecclesiæ orationum suarum pluuia fecundat. *Hug. Cardin. 3. Reg. 8. ad illa Rex autem Salomon.*

Habuit humilitatem mentis, & corporis.

Dub. 40. Ad eadem verba, cap. 18. ver. 44. *Ecce nubecula parua.* Cur dicitur B. Maria nubecula parua?

℟. Nubecula parua dicitur propter duplicem humilitatem, quam excellenter habuit mentis; scilicet, & corporis, siue rei, & signi. *Hug. Card.*

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 18. vers. 44. *Quasi vestigium hominis.* Cur dicitur, quod nubecula erat quasi vestigium hominis?

In moribus similis Filio.

℟. Maria in moribus similis Filio; vnde nubes, quæ ascendebat de mari. 3. *Reg.* 18. Quasi vestigium hominis dicitur habuisse, quia Christus adæquatus est ei. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laudibus B. M.*

Natiuitas eius dicitur ascensus.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 18. vers. 44. *Ascendebat.* Cur dicitur, quod ascendebat illa nubecula?

℟. Ascendebat, vel in Natiuitate sua mundo apparendo, vel in Assumptione cœlos penetrando, vel ascendebat per naturam, quia nobilissima, per gratiam, quia omni gratia ditissima, per gloriam, quia super omnes Choros Sanctorum exaltata. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Super omnes Choros Sanctorum exaltata.

Dub. 43. Ad eadem verba, cap. 18. ver. 44. *Ascendebat de mari.* Cur nubecula ascendebat de mari?

℟. Per hoc namque quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam paruam oriri, reuelauit Deus Eliæ, quod quædam infantula; scilicet, B. Maria per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua, nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare. Quæ infantula iam in suo ortu Nascitur sine macula. esset munda ab omni peccatorum sorde, & quemmadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari; alterius tamen fuit qualitatis alteriusque proprietatis. Mare quidem ponderosum est amarum, sed nubecula illa leuis fuit, & dulcis. Sic quamuis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine, ita amaritudine, & peccatorum pondere pressa, vt fateri cogatur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Beata tamen Maria de hoc mari, id est, natura humana, aliter fuit orta, quia in suo ortu, non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. *Ioannes Ierosolimitanus lib. de institutione Monachorum, cap. 32.*

Tam boni quàm mali venerantur diem Assumptionis.

2. ℟. Hæc ascendit de mari, id est, de mundo in die Assumptionis, & postea legitur ibi: Quod Achab, & Elias currebant ante nubeculam, quia tam boni quàm mali venerantur diem Assumptionis. *Hug. Cardin. vbi supra.*

EX 4. REGVM.

Non habuit vetustatem peccati.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. vers. 20. *Afferte mihi vas nouum.* An B. V. Maria dici possit vas nouum, vbi sal missum est?

℟. Maria siquidem vas nouum per gratiam, sine alicuius vetustate peccati; in quo vase omnia noua fecit Dominus. Vnde dicitur *Apocal. 21.* Ecce noua facio omnia. Cui vasi commissum est à tota Trinitate in Incarnatione sal, id est, Christus, qui est sapientia Patris, & sic sanatæ sunt aquæ Iericho, id est, populi mundani; Quia aquę multæ *populi multi. Apocal. 17.* vt non esset vltra in eis mors, nec sterilitas; sal ergo in nouo vase sapientia Dei in vtero virginali; mors enim, & sterilitas antea erant in his aquis, quia omnes moriebantur in peccato Adæ, & steriles erant à bona operatione. *B. Albert. Magnus lib. 10. de laudibus B. Mariæ, cap. 31. num. 23.*

In Beata Virgine carnem assumēs Verbum, omnia noua fecit Dominus & vetera transierunt.

Postquam Deus homo factus est, bonis operibus incumbendum.

2. ℟. Dicitur Maria vas admirabile, & vas nouum, quia nunquam tale inuentum est. In quo, scilicet, reperiuntur multa

Deus admirabili modo fuit in B. Virgine.

ta mirabilia, & multæ nouitates. Maria vas admirabile propter continentiam, continebat enim suum continens. Nullum enim vas potuit maius se se continere, sed Maria illum continuit, quem totus non capit Orbis, & à quo ipsa continebatur. Propter continendi modum, quia cum Deus sit in omni creatura per essentiam, in solis iustis per gratiam, his duobus modis in ea fuit, & nouo, & admirabili modo per vnionem. Item propter contrariorum concordem contrarietatem; scilicet, mortalitatis, & immortalitatis, virginitatis, & fœcunditatis, & quod mirum fuit, rationis, & fidei, quæ multæ sunt contrariæ. Vnde Maria potuit dicere priùs parta sum, quod eram, id est, Virgo, nec eram quod sum, id est, Mater, modo dicor vtrumque, id est, Mater, & Virgo propter conformitatem. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ.*

Nouũ quod sit Mater, & Virgo.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. vers. 3. *Pete mutuo ab omnibus vecinis tuis vasa vacua non pauca.* Cur ad multiplicationem olei vasa etiam vicinorum, non pauca collecta fuerunt?

Misericordiã Virginis omnes participant, siue in cœlo, siue in terra.

℟. Per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudine misericordiæ Mariæ participes sunt. *D. Bernard. serm. de B. Virg. ex verbis Apocal. cap. 12. ante medium.* Maria omnibus sinum misericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij personam, carnis humanæ substantiam. *D. Bonauentura in speculo B. Mariæ, Lect. 7.*

Affectus, & effectus B. Virginis, desideria, & beneficia, plena sunt misericordia.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. vers. 6. *Cumque plena fuissent vasa.* Quid significant vasa huius mulieris plena oleo?

℟. Mulier ista est Maria, quæ etiam à Filio suo mulier appellata est. *Ioann. cap. 19.* vbi dicitur: *Mulier, ecce Filius tuus.* Huius mulieris vasa sunt affectus, & effectus, desideria, & beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt in Maria. *D. Bernard. in Deprecatione ad B. Virg.* Nec mirum ò Domina, si tam copioso oleo misericordiæ cordis tui perfusum est Sanctuarium; cum illud in æstimabile opus misericordiæ, quod prædestinauit Deus ante sæcula in redemptionem nostram primum sit in te à mundi Artifice fabricatum. *D. Bonauentura in specul. B. Mariæ, Lect. 7.*

Per Beatam Virginem vita communicatur peccatori.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. vers. 20. *Posuit eum illa super genua sua, & mortuus est.* Cur filius hausit mortem, vbi hausit vitam?

℟. Efficere non potuit illa matris charitas, ne filius, quem suo gremio fouebat moreretur, ibi mortem hausit, vbi hausturus vitam credebatur: nihilominus fons ille signatus (& vt dicam verius) fons aquæ salientis in vitam æternam, Beatissima Virgo vim suam viuificatricem testatur dicens: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Prouerb. 8. num. 35.* Moribundus sit, imò & mortuus, qui salutarem aquam ex hoc fonte libaturus aduenerit, vitam sine dubio epotabit. *Pater Mendoza 1. Reg. 14. annotat. 17. sect. 2. num. 3.*

In Passione Filij gaudiũ, quod habuit salutata ab Angelo, versum est in luctum.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 4. vers. 27. *Dimitte illam anima enim eius in amaritudine est.* Cur Eliseus dixit Giezi, vt dimitteret Sunamitem illam?

℟. Quasi dicat: Non salutes, nam cythara illa Angelicæ salutationis in luctum versa apparet; Nam quommodo *Aue* ei nunc dicere valeamus ab à quod est sine, & væ deriuatum, quæ doloribus plena est; vt dicere valeat illud *Michææ 7. vers. 2.* væ animæ meæ, quia defecit timoratus à terra, Filius meus, quem impleuit spiritu timoris Domini. Mariam aptè nuncupare non possumus, prout Domina, vel illuminatrix nuncupatur, cum satis obscura, quasi Luna ecclipsata inueniatur. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 41.*

Peccatores spontanee fouet, prosequitur, & tuetur.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 5. vers. 3. *Vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam.* Cur commendatur benevolentia puellæ Israelitidis in impium idolatram?

℟. In primis singularem benevolentiæ, misericordiæque affectum in puella Israelitide obserua; quæ vel impium idolatram, & iniquum sui Dominatorem à lepra purum, mundumque desiderabat: Quanto benevolentior in te pietatis affectus erga peccatores ò Deipara, quibus non Ancillam geris, sed sororem, & quos non seruitutis spiritu inuita prosequeris, sed germanitatis studio spontanea foues, protegis, ac tueris. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. annotat. 12. sect. 2. num. 9.*

Per B. Virginẽ intrauit vita, per Euã mors.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 13. vers. 17. *Aperi fenestram Orientalem.* An B. Virgo debeat dici fenestra Orientalis?

℟. Quod ipsa est fenestra illuminationis totam domum Ecclesiæ luce Diuinitatis illustrans. Vnde & vehiculum lucis vocatur. 4. *Reg. 13. Dixit Eliseus ad Ioas, Regem Israel: aperi fenestram Orientalem,* id est, Mariam, per quam intret lux, & vita, sicut per fenestram Occidentalem, id est, Euam, intrauit mors & tenebræ. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dub.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 13. vers. 17 *Quam cum aperuiſſet, dixit Eliſeus, ſagitta ſalutis Domini, ſagitta ſalutis contra Syriam.* Quid ſignificat apertio feneſtræ, & ſagitta iacta contra Syriam?

℟. Aperta fuit feneſtra, & factum fuit quando Virgo manens, & incorrupta peperit Saluatorem mundi. Dixit Eliſeus: *Iace ſagittam*, id eſt, Chriſtum, qui ex ea ortus, & natus eſt, *& iecit*, & ait Eliſeus: *Sagitta ſalutis contra Syriam*, id eſt, contra omnes dæmones: *& percuties Syriam donec conſumas eam*, ad nihilum redigendo, *Pſalm. 14. vers. 4. Ad nihilum redactus in conſpectu eius malignus. Alb. Mag. in Bibl. Marian.*

Chriſti Natiuitas diabolum deſtruxit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 13. vers. 21 *Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo.* Cur terra illa vim ſuſcitandi mortuum habuit?

Vim habet ſuſcitãdi, ſiue corporaliter, ſiue ſpiritualiter mortuos.

℟. Terræ viſcera, quibus Eliſeus inclusus eſt, vim ſuſcitandi mortuum habuerunt: Quid mirum ſi eadem habeant vim viſcera illa, quæ Æterni Patris Filium baiularunt. *P. Mendoza Vbi ſupra.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 18. vers. 32 *Transferam vos in terram fructiferam, & fertilem vini.* Qui transferentur in terram Mariæ?

B. Virgo terra fructifera fertilem fructum nobis proferens.

℟. In terram Mariæ transferentur, qui toto corde ad ipſam conuertuntur. Hæc autem terra valdè eſt fructifera ferens fructum panis, vini, olei, & mellis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ipſe namque nobis eſt fructus, panis confortantis contra defectum; ipſe nobis eſt fructus vini ad perfectum; ipſe quoque nobis eſt fructus olei illuminantis intellectum; ipſe inſuper nobis eſt fructus mellis dulcorantis affectum; per huiuſmodi certè fructum viuetis chariſſimi, non moriemini morte æterna. Benedicta ſit terra huius fructus, benedictus ſuper omnia ſit ipſe fructus. *D. Bonauent. in ſpecul. cap. 16.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 20. vers. 11. *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.* Cur Sol reuerſus eſt retro per decem lineas?

℟. Opus gratiæ virtutum fuit, quod factum eſt ſub Ezechia, quando, ſcilicet, ad petitionẽ eius in ſignum ſuę ſanationis, & remiſſionis culpæ, Sol reuerſus eſt retro per decem lineas in horologio Achaz Regis, ſed opus virtutum fuit iſtud, quod fuit vmbra, & figura, quoniã maius erit re figurata; ſignum enim fuit datum in ſanatione, & remiſſione peccati, nõ vnius, ſed totius humani generis infirmi ad mortẽ, quod quando Sol Iuſtitiæ Filius Altiſſimi retrocederet decem lineis, tunc ſanaretur homo: Nouem lineæ ſunt nouem ordines Angelorum recti ante Deum, decima linea eſt humana natura; reuerſus eſt ergo quaſi retro, quando paulò minus ab Angelis minoratus, quia mortalis factus formam ſerui accipiens, habitu eſt inuentus, vt homo, & ſic in decima linea: Horologium ad cuius decimam lineã reuerſus eſt Sol, & Beata Maria ex Rege Achaz deſcendens, quæ in ſe habuit perfectionem omnium ordinum Angelorum, & hominum; ò quantæ virtutis opus, Deus factus eſt homo, vt homo fieret Deus, cæcus illuminatus, mortuus ſuſcitatus, infirmus ſanatus per Virginem Mariam. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 19. §. 6.*

A ſumpta à Verbo humanitate ſanatus eſt homo.

Per B. Virginẽ data peccatori ſanitas.

1. PARALIPOMENON.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. vers. 40. *Inuenerunt terram latiſſimam, & quietam, & fertilem.* An Beata Virgo dicatur terra latiſſima, quieta, & fertilis?

Fuit quieta à paſſionibus, fertilis per fæcunditatẽ, latiſſima per gloriæ immortalitatẽ.

℟. Corpus enim Beatæ Virginis fuit terra quieta à paſſionibus, fertilis per prolis fæcunditatem, latiſſima per gloriæ immortalitatem. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 16. vers. 32 *Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis ſunt.* Cur dicitur tonet mare?

Angelo nũtianti caſtitatem propoſuit.

℟. Hoc plenum mare audiamus tonare contra vitia; tonet ergo mare, & plenitudo eius, tonet plenum mare, tonet plena Maria; tonet contra luxuriam caſtitatem proponendo, & dicat: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Tonet etiam contra ſuperbiã, humilitatem ſentiendo, & dicat: *Ecce Ancilla Domini, Lucæ 1.* Tonet quoque contra ingratitudinem, gratias agendo, & dicat: *Magnificat anima mea Dominum. D. Bonauentura in ſpecul. B. M. Lect. 7.*

Virginis caſtitas non ſine humilitate, & gratitudine.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 21. vers. 13. *Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte meæ anguſtiæ premunt.* Quid ſignificant anguſtiæ Dauid?

℟. Quod non fuit dolor, ſicut dolor ille, qui Matris viſcera per compaſsionem pertranſiuit, vndè *in Pſal.* 44. *Verſ.* 10. notabiliter dicitur: *Circundata varietate*, videlicet, tot dolorum, quot Filium ſuum videbat patientē: hinc enim videbat caput ſpinis coronari, hinc genas auelli, hinc vultū conſpui, hinc manus, & pedes configi, hinc os felle potari, hinc caput expirantis ſuper humerum inclinari, hinc latus mortui lancea aperiri. Verè ergo circundata varietate dolorum, vt verè poſſet dicere cum Suſanna, *Daniel* 13. *Verſ.* 22. *Anguſtiæ ſunt mihi vndique.* Et cum Dauid. 1. *Paralip.* 21. *Verſ.* 13. *Ex omni parte me anguſtiæ præmunt.* Quod non fuerit tam amarū martyrium aliorum Sanctorum, manifeſtiſsimè patet, non fuit talis Filius, non fuit talis Mater, non fuit tanta charitas, ſicut inter iſtam Matrem, & Filium, non fuit tam indigna mors, non fuit tantus dolor: ſciebat ſiquidem Mater, qualis erat Filius, vndè conceptus, & quomodo, & cætera huiuſmodi, & ideò quanto dilexit teneriùs, tanto vulnerata eſt profundius, nihil habens omninò conſolationis, ſicut cæteri Martyres, ſed totum habens tribulationis: nam abſorta erant ipſius viſcera maternis doloribus, vltra quam homo, vel Angelus perpendere poſsit, non tamen vſque ad deſperationem. *Daniel Agricola Corona duodecim coronar. B. V. M.*

Non fuit dolor, ſicut dolor. Vſtg. in paſsione Chriſti.

Beata Virgo in paſsione Chriſti nihil habuit conſolationis, ſicut alij Martyres.

EX 2. PARALIPOMENON.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. v. 5. *Strauit quoque pauimentū Templi pretioſiſsimo marmore, decore multo.* Quid ſignificat pauimentum Templi, ſtratum à Salomone pretioſiſsimo marmore, & multo decore?

℟. Quod per hoc pauimentum ſignatur humilitas Virginis ſemper ſe inclinans deorſum inſtar pauimenti, quæ receptiua fuit totius virtutis, & omnis ſpiritualis decoris. In hoc autem quod pauimentum factum eſt de marmore, ſignatur ſtabilitas humilitatis mentis virgineæ, & coniunctio harum duarum virtutum pretioſiſsima, & pulcherrima eſt coram Deo, & ideò pretioſiſsimo marmore, decoreque multo. Sculpturæ huius pauimenti, vel picturæ exempla Patriarcharum, & Prophetarum, quæ omnia inter ſe tranformauit, quæ fuerunt iuſtitia Noe, fides Abrahæ, obedientia Iſaac, lucta Iacob, caſtitas Ioſeph, manſuetudo Moyſi, patientia Iob, humilitas Dauid, ſapientia Salomonis, zelus Eliæ, & huiuſmodi. Qui omnes quaſi pauimentum fuerunt reſpectu huius excellentiſsimi ædificij. *Daniel Agricola vbi ſupra.*

B. Virgo habuit omnem ſpiritualem decorem.

Habuit virtutes omnium veterum Sanctorum.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 15. *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit.* Quæ vtilitas ex hoc quod oculi Beatæ Virginis aperti ſint ad nos?

℟. Sicut ò Beatiſsima omnis à Te auerſus, & à Te deſpectus, neceſsè eſt vt intereat: ita omnis ad Te conuerſus, & à Te reſpectus, impoſsibile eſt, vt pereat. *Daniel Agricola vbi ſupra, ex D. Anſelmo.*

Impoſsibile eſt quod pereat, quē reſpexerit beata Virgo.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 16. *Elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum.* An Beata Virgo dicatur locus ſanctificationis Dei?

Templū Dei in quo Diuina Myſteria celebrantur.

℟. Ipſa enim eſt locus ſanctificationis noſtræ, quia ipſa eſt Templum Dei, in quo Diuina Myſteria celebrantur, per quæ ſanctificantur, qui de peccatoribus fiunt iuſti, & ipſa celebratum fuit illud Sacramentum, ex quo noſtra ſanctificatio proceſsit, de quo Sacramento. 1. *Timot.* 3. Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum. *B. Albert. Magn. lib.* 10. *de laudib. Beatæ Mariæ.*

Dub. 4. Ad illa verba, c. 6. verſ. 13. *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinnentibus.* Cur Arca deportata fuit cum tanta melodia vocum, & diuerſi generis muſicorum?

℟. Per iſtam deportationem Arcæ ad locum Sancti Sanctorum, figurata fuit Aſſumptio Beatæ Virginis Mariæ ad cœlum Empyreum: & ideò per iſtas melodias vocum, & diuerſi generis muſicorum, ſignificata fuit Angelorum, & Electorum exultatio: Quæ quidem exultatio propter ſui magnitudinem exprimi non poteſt vno genere melodiæ, imò nec omnibus generibus, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt in humanis. *Gregorius in Moralibus.* Balbutiendo prout poſſumus, excelſa Dei reſonamus. *Lyranus.*

Gaudium Angelorum, & Electorū in Aſſumptione B. Virginis præ ſui magnitudine exprimi non poteſt.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 11. *Filiam verò Pharaonis tranſtulit de Ci-*

uitate Dauid, in domum quam ædificauerat ei. Quid ſignificat translatio filiæ Pharaonis à Salomone de Ciuitate Dauid?

℟. Salamon interpretatur pacificus, vel retributor, & ſignat Filium Dei, qui eſt ſummè dulcis, & pacificus cum electis ſuis in gloria, qui etiam æterna ſupplicia retribuit peccatoribus pro ſuis criminibus, & delictis. Pharao interpretatur diſſipans virum, & ſignat Deum excelſum, qui viros, id eſt, eos qui confidunt in virtute ſua, quam citò voluerit, diſſipat, & tanquam vas figuli confringet eos: huius filia fuit, & eſt Beata Virgo Maria. Per Ciuitatem verò Dauid, intelligitur Militans Eccleſia, de qua dicitur *Cant. 4. verſ. 4. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*; videlicet exemplа Sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrũ, Confeſſorum, Virginum, omnium electorum, quibus quiſque fidelis exiſtens in Eccleſia contra inſultus dæmonum protegitur, & armatur. Igitur verus Salomon; videlicet, Dei Filius tranſtulit hodie B. Mariam Sororem ſuam, Matrem, & Sponſam, de Ciuitate Dauid, hoc eſt, de Eccleſia Militante, in domum ſpecioſiſsimam, opulentiſsimam, quietiſsimam, ac eminentiſsimã, vtpotè ſuper omnes Angelorum ordines fabricatam. Et verè decebat, vt illa quæ erat virtutum decore ſpecioſiſsima, & bonis operibus opulentiſsima, & pace cordis quietiſsima, necnon & Diuina contemplatione eminentiſsima, talem domum inueniret. *Beatus Albertus Magnus de Aſſumpt. B. M. Virg. Serm. 31.*

Iuſtus exemplis Sanctorũ contra inſultus dæmonũ armatur.

B. Virgo cur Aſſumpta ſupra omnes Angelorum ordines.

Dub. 6. Ad eadem verba, cap. 8. verſ. 11. *Filiam verò Pharaonis tranſtulit de Ciuitate Dauid in domum quam ædificauerat ei.* Ex qua materia erat domus, in quam Rex tranſtulit Reginam?

℟. Quod erat ſicut Magiſter, dicit in Hiſtoriis, de marmore, cedro, argento, & auro opulentiſsimè decorata. Per aurum intelligitur in æſtimabilis charitas, per argentum mundiſſima virginitas, per cedrum ancillaris humilitas, per marmorem martyrij aſperitas; per quæ Beata Virgo, licet quam pluribus aliis virtutibus ſuffulta fuiſſet, ſpiritualiter transferri meruit in domum ſibi à Deo mirificè præparatam. Per aurum igitur, quod omni metallo eſt, & nobilius, intelligitur inæſtimabilis charitas Beatæ Virginis; creditur enim etiam charitate Seraphim tranſcendiſſe. Per argentum, quod clarum eſt, & tinnulum figuratur mundiſſima virginitas Beatæ Mariæ, per quam meruit eſſe præcentrix illius cantici noui, quod à virginibus cantatur ante ſedem Dei, & Agni. Per cedrum, quæ altior eſt omnibus arboribus, intelligitur ancillaris humilitas Beatæ Virginis, per quam ſuper omnem creaturam Dei cœleſtem, ac terreſtrem meruit exaltari. Per marmor, quod ſerram patitur, & quandoque rubeis maculis eſt reſperſum, notatur martyrij aſperitas, quæ erat in viſceribus, & corde Beatæ Mariæ, vndè dixerat ei Simeon, *Lucæ 2. Tuam ipſius animam pertranſiuit gladius, Hieronymus ait*: Conſtat, quod alij Sancti, & ſi paſsi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima, quia immortalis eſt, pati non potuerunt. Beata verò Dei Genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſsibilis habetur: ideò vt ita fatear, quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſsionis Chriſti, pluſquam Martyr fuit. *Beatus Albert. Magn. Serm. 31. de Aſſumpt. B. Virginis.*

Propter charitatem, virginitatem, humilitatẽ, martyrium, meruit B. Virgo in cœlũ tranſferri.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 18. *Sex quoque gradus quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureum*? An B. Maria dicatur ſolium?

Reſp. Per ſolium Maria deſignatur, & nota quod hoc ſcabellum faciebat quaſi gradum vnum ad celſitudinem ſolij huius attingendam; quanto enim maior eſt dignitas Filij, tanto maior eſt dignitas Matris, & licet etiam ſecundum humanitatem præcellat Filius Matrem, tamen ſcabellum ante ſolium eſſe dicitur, tamquam inferius ſolio, vt per hoc ſignificaretur honor, & reuerentia, quam exhibet Matri ſuæ. *Beatus Albertus Magnus lib. 11. de laudib. B. M. cap. 3 num. 2.*

Dignitas Matris ex Dignitate Filij ſumenda.

Chriſtus magnum honorẽ, & reuerentiã exhibet Matri ſuæ.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 20. verſ. 26. *Congregati ſunt in Valle benedictionis.* An B. Maria dici poſsit vallis benedictionis?

Reſp. O quantis hæc vallis benedicta benedictionibus eſt, exaltata pro humilitate ſua tam profunda, tam vtili, tam grata, vnde *Beatus Auguſtinus ſerm. 35. de Sanctis, tom. 10.*

Pro ſua humilitate, benedictionibus exaltata.

O verè Beata humilitas Mariæ, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, Paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. *D. Bonauentura in specul. B.M. cap.* 12.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 20. vers. 12. *Hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Qualiter coram B. Virgine homo debet se gerere?

℟. Quod si sanctitatem obtinere voluerimus, debemus Mariæ reuerentiam exhibere, ne videlicet coram oculis eius aliquid indecens cogitare, desiderare, consentire, aut facere audeamus, ne illos misericordes, oculos, qui non possunt respicere ad iniquitatem, auertat à nobis. Ipsa enim est mulier illa fortis, de qua *Prouerb.* 31. *Vers.* 27. dicitur: *Considerauit semitas*, id est, secretas cogitationes conscientiarum, *domus suæ*, id est, familiæ suæ, & non solùm reuerentiam; sed & timorem ei debemus, vt coram ea non cogitemus, nedum faciamus, turpia, noxa, vel iniqua. *Sapient.* 1. *Vers.* 3. *Peruersæ enim cogitationes separant*, ab ea, & filio eius. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ.*

Coram B. Virgine, nec cogitanda, nec facienda turpia, noxa, vel iniqua.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 20. vers. 26. *Vocauerunt locum illum, Vallis.* An Beata Virgo dici possit vallis?

℟. Contra superbiæ maledictionem Maria obtinuit humilitatis benedictionem; vnde ipsa per illam vallem significari potest, de qua *in lib. Paralipom.* dicitur: *Vocauerunt locum illum Vallem benedictionis.* Si omnis humilis est quædam Dei vallis, iuxta illud *Isaiæ* 40. *Omnis Vallis exaltabitur*, quanto magis vallis fuit Maria, quæ tanta fuit humilitate profunda, quid mirum si ipsa fuit vallis vallium, quæ sit humilima humilium. *D. Bonauent. vbi supra.*

Humilima humilimum.

EX 2. ESDRÆ, seu Nehemiæ.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. vers. 21. *Et nos ipsi faciamus, opus, & media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra.* Cur ab ascensu auroræ operandum?

Patrocinio B. Virginis ad bene operandum incitamur.

℟. Vt bonis operibus fideliter insistamus, & malis viriliter resistamus, necessarium nobis est, vt Mariæ exemplum inspiciamus, Mariæ suffragium imploremus, tunc quasi ab ascensu auroræ operamur, quando irradiante exemplo, & vita Mariæ, quando irradiante patrocinio, & misericordia Mariæ ad benè operandum incitamur. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Mariæ, Lect.* 11.

Exemplo B. Virginis ad bene operandum excitamur.

EX 3. ESDRAE.

DVb. 1. Ad illa verba 3. Esdræ. cap. 3. vers. 10. *Vnus scripsit, forte est vinum. Alius scripsit, fortior est Rex. Tertius scripsit fortiores sunt mulieres.* Cur hic dixit mulierem fortiorem esse Rege, & vino?

Fortior sanctificis legis.

℟. Hæc est mulier, de qua loquitur Zorobabel mulier fortior vino, & Rege; quod enim non potuit vinum libaminum, nec aliquis Rex Hæbreorum, fecit ipsa per filium. Liberauit enim genus humanum, ad quod non sufficiebant legis sacrificia, nec Prælatorum quantacumque iustitia; confregit enim cornua Ceraste, dum contriuit pede humilitatis superbiam, & pede virginitatis luxuriam. *Daniel Agricola, Franciscanus.*

Liberauit genus humanũ.

(.i.)

EX TOBIA.

Beata Virgo non habuit grauamen in portando Filium.

DDub. 1. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 4. *Memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.* Cur Tobias, filio ſuo inculcat pericula, quæ mater eius paſſa fuit propter eum in vtero?

℟. Quamuis poſt conceptionem matres habeant grauedinem, & laborem in portando prolem in vtero, prout dicit filio ſuo Tobias: Beata tamen Maria nullam grauedinem ſenſit, quia concepit ſecundum ſtatum innocentię, ſine peccato originali in prole; vnde ſicut in illo ſtatu innocentiæ non erat grauamen in matre portante fœtum; ita nec Beata Maria habuit grauamen, ſicut corpus proprium, non grauat propriè, ſic naturaliter corpus matris, & filij in vtero eius, quaſi vnum corpus naturaliter non grauat. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 22.*

Poſt Deum habuit ſummam largitatem.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 8. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Cur miſericordiam in pauperes monet?

℟. Commendatur in Beatiſsima Virgine Maria poſt Deum largitas ſumma. Quomodo potueris, ita eſto miſericors, omnibus miſericordiam Te implorantibus præſtando, ſi multum tibi fuerit, quia gratia eſt plena, abundanter tribue, ſicut decet dare Reginam omnium creaturarum. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Motum ſuperbiæ non habuit, poſt Deum excellentiſsime humilis fuit.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 14. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Quid ſignificat hæc humilitatis commendatio?

℟. Commendatur in ipſa poſt Deum humilitas ſumma, *ſuperbiam in tuo ſenſu, Gloſſ.* id eſt, mente, *aut in tuo verbo, Gloſſ.* necdum facto: Dominari non permittas, *Gloſſ.* ſi quando ſit, tamen nõ regnet. Ipſa enim nunquam motum ſuperbiæ habuit, ſed poſt Deum excellentiſsime humilis fuit. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Obſequia ſibi impenſa feſtinãter retribuit.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue.* Cur mercedem reddere iubet Tobias.

℟. In Ipſa commendatur poſt Deum facilitas, præcipuè in ſeruitiorum ſibi impenſorum feſtinantiſsima, & ſuperabundantiſsima retributione, *quicumq; tibi aliquid operatus fuerit,* ò Maria, ſiue Iuſtus, ſiue peccator, ad laudem, & honorem tuũ, ac Filij tui, ſtatim ei mercedem reſtitue, Regaliter, quia Regina es, abundanter, quia ditiſsima es, vtiliter quai fideliſsima es. *B. Albert. Magn. in Bibl. Mariana.*

Martyrium Virginis grãde, ex magna dilectione Filij, & ex magna afflictione.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 4. *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis.* Cur fletus Annæ, matris Tobiæ narratur?

℟. Grande martyrium Virginis ex duobus oſtendit eſſe, videlicet ex grandi dilectione, & ex magna afflictione. Primò, Virginis martyrium fuit magnum ex grandi dilectione, quia flebat Mater eius; ſcilicet, Ieſu Chriſti crucifixi. *Lucæ 19. Stabat iuxta Crucem eius Mater Ieſu.* Inde *D. Gregorius* ait: Quæ enim ardenter diligimus, grauiter ſuſpiramus ablata, quantum autem Virgo Filium ſuum diligeret, tu ipſa anima excogita. Secundò, Virginis martyrium grande fuit ex magna afflictione, quia ait: *Irremediabilibus lachrymis. Thren. 1. Plorans plorauit in nocte & lrchrymæ eius in maxillis eius. Ambroſius Spiera ex Ordine Carmelitarum.*

Dolor B. M. in abſentia Filij.

2. ℟. Si Anna Tobiæ parens irremediabilibus lachrymis plangebat, abſentiam illius ferre non valens, adeò vt domi quieſcere non poſſet, quid de Sacra Deipara Maria dicemus, quæ vnigeniti ſui faciem, in quam Angeli proſpicere deſiderant, coram non habebat? *Alphonſus ab Orozco, Ordinis S. P. N. Auguſtini.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 13 *Luce ſplendida fulgebis.* Cur Beata Maria lux ſplendida dicitur?

℟. Nota, quod feneſtra vitrea talis eſt naturæ, quod per ipſam intrat lux, ſed non puluis, vel aqua; & ratio eſt, quia vitrum eſt corpus diaphanum, quod aptum eſt ad lucem recipiendam, & eſt cum hoc magnæ ſoliditatis, & ideo impenetrabile. Beata Virgo Maria fuit feneſtra lucifera, id eſt, lucem ferens generi ſaluandorum, & tam corpus eius, quàm ſpiritus adeò fuerunt ſolidati Diuina gratia, quod licet per ipſam lumen æterni Solis nobis illuxerit, tamen neq; per ipſam gutta paccati, neque macula culpæ vnquam deſcendere valuit.

Peccati expers.

Antonius Ampigollis, Ordin. Sancti Patris noſtri Auguſtini.

IVDITH.

B. Virgo facile impetrat quidquid petit.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 29. *Ora pro nobis, quoniam mulier ſancta eſt.* Cur rogamus B. Virginem, quod oret pro nobis?

℟. Quia Maria facilè impetrat quidquid petit à Filio, ideò in figura eius dictum eſt: *Ora pro nobis, quoniam mulier ſancta eſt. Daniel Agricola Corona duodecim coronarum B. V. M.*

Macula peccati venialis caruit.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 19. *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.* Cur Iudith commendatur de pulchritudine, & ſenſu verborum?

℟. In noſtra Iudith, id eſt, in Virgine Maria, commendatur pulchritudo admiranda, & ſapientia præcunctis mortalibus veneranda. *Iudith* 11. Dixerunt ſerui Holofernis; non ſolum ſerui Dei ipſam admirantur, ſed etiam ſerui mundi, & diaboli, alter ad alterum, non eſt talis mulier ſuper terram, imò nec ſupra cœlum in aſpectu, quia etiam macula peccati caruit venialis; in pulchritudine exteriori credimus eam pulcherrimam fuiſſe, & optimè diſpoſitam quoad Deum, quando dixit, *Lucæ* 1. *Ecce Ancilla Domini*; quoad Angelum, quando dixit: *Quomodo fiet iſtud?* quoad homines iuſtos, quando ſalutauit Eliſabeth; quoad peccatores, quando dixit miniſtris in nuptijs: *Quæcumq; dixerit vobis, facite*, quo etiam ad Filium ſuum, quando dixit, *Lucæ* 2. Fili cur feciſti nobis ſic. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Pulcherrima fuit exterius.

Pulchritudo Virginis in corpore, & opere.

2. ℟. Non eſt mulier talis ſuper terram in aſpectu, & pulchritudine; in aſpectu conuerſationis in opere, in pulchritudine, caſtitatis in corpore, in ſenſu verborum, id eſt, in exterioribus verbis in puritate cogitationis in corde. *B. Albertus Magnus cap.* 179. *ſuper miſſus eſt.*

Nomen Virginis nominatum ab Angelis, Iuſtis, & peccatoribus.

Dub. 3. An illa verba, cap. 11. ver. 21. *Nomen tuum nominabitur in vniuerſa terra.* A quibus nominatum eſt nomen Virginis?

℟. Commendatur Domina mundi Nominis præclara excellentia. Ipſa enim eſt poſt Deum nominatiſſima. *Iudith* 11. Dixit Holofernes ad Iudith, *Gloſſ.* quæ interpretatur confitens, vel laudans, & ſignificat Mariam. Magna eris, & nomen tuum, id eſt, Maria, vel maris ſtella nominabitur; quia nominabitur Mater Dei à Deo; ab Angelis, à Iuſtis, à peccatoribus, à Patriarchis in vniuerſa terra, imò in vniuerſo cœlo. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo noſtram quærit liberationem.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 8. *Orabat Dominum Deum Iſrael, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui.* Cur Iudith pro liberatione populi ſui orabat?

℟. Commendatur Sanctiſsima Virgo ab ampliſsima charitate, quæ conſideratur in hoc; quod non tantum propriam exaltationem, quam noſtram quærebat liberationem, *Iudith* 12. *Orabat Dominum Deum Iſrael*, feruentiſsimè, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui captiui, & afflicti. Hoc enim ſemper quærebat, vt dicit D. Bernard. *D. Albert. Magn. in Bibl. Mariana.*

B. Virgo agebat gratias pro beneficijs ſibi collatis.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 13. ver. 13. *Aperite portas.* Quid ſignificatur per apertionem portarum, quam petiuit Iudith à cuſtodibus murorum?

℟. Commendatur in Beatiſsima Domina gratitudo; gratias enim agebat indeficienter pro beneficijs ſibi collatis, & nobis per eam maximè de diabolo ſuperato, & peccato deleto, & vniuerſo populo fidelium liberato; *Iudith* 13. Abſciſſo capite Holofernis, id eſt, diaboli, laudando Deum, & nos conſolando dicit: *Aperite portas*, id eſt, deuotionem cordis. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Agendæ ſunt gratiæ Deo obtenta victoria a diabolo, & peccato.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 13. ver. 15. *Et concurrerunt ad eam omnes à minimo vſque ad maximum.* Quos ſignificant illi qui concurrerunt de Ciuitate ad Iudith.

Angeli, Iuſti, peccatores, concurrunt ad B. Virg.

℟. Concurrerunt ad eam (S. B. Virg.) omnes Angeli, quibus dedit, vt ait *Bernardus*, lætitiam, Iuſti, quibus gratiam, peccatores, quibus impetrat veniam. *B. Albert. Magn. vbi ſupra.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 13. ver. 16. *Illa autem aſcendens in eminentiorem locum.* Cur Iudith aſcendit in eminentiorem locum?

Eminentior locus in cœlo ei debebatur.

℟. Qui non aſcenderet in eminentiorem locum, quæ omnes illius Vrbis ciues ſingulari animi virtute antecelluit, & acerrimum illius populi oppugnatorem inuicto animi robore iugulauit? Sed multò eminentior locus Tibi debetur, ò Deipara, quæ non vnius Vrbis, ſed totius Orbis incolis tua vir-

virtute præluxisti, nec Hebreæ tantum gentis, sed humani generis hostem singulari fortitudine superasti. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Vers. 11. num. 16.*

B. Virgo cōfregit vires diaboli in se, & alijs.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 13. vers. 22: *Benedixit te Dominus in Virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Quos inimicos B. Virgo ad nihilum redegit?

Resp. Inimici nostri sunt dæmones, quos Beata Virgo ad nihilum redegit, dum & in se, & in multis alijs, vires eorum confregit, sicut *Beatus Bernard. testatur in deprecatione, & laude ad B. Virg.* Tu bellatrix egregia omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam est conuersa, fugiamus ergo fratres, & confugiamus ad auxilium Matris Domini in omnibus vexationibus, & impugnationibus diaboli, ipsa namque est inimicis animarum nostrarum terribilis, vt castrorum acies ordinata. *D. Bonauentura in speculo B. M. cap. 12.*

B. Virgo magnificata in Annuntiatione, & Assumptione.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 13. vers. 25. *Hodie nomen tuum, ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.* Quando Beata Virgo magnificata?

℟. Hodie; scilicet, in die Annuntiationis, quando Mater Dei effecta es, vel in die Assumptionis, quando super omnes Choros Angelorum exaltata es, Nomen tuum Angelis reuerendum, Hominibus amandum, dæmonibus tremendum, ita magnificauit in cœlo, & in terra, vt non recedat laus tua de ore hominum, & omnium Angelorum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Commendatur humilitas Mariæ quæ homines, nō seruos, sed fratres vocat.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 14. vers. 1. *Audite me fratres.* Cur Iudith fratres vocat omnes illius populi?

℟. Commendatur Regina Angelorum à maxima humilitate, quæ consideratur in hoc quod omnes vermiculos perditos filios perditi Adam fratres suos vocat. Item vocat alibi nos filios, *Prouerb. 8. Nunc ergo filij audite me* tanquam Matrem, sed hic audite me, tanquam fratres sororem. *B. Albertus Magn. in Biblia Mariana.*

Confusio diaboli à B. Virginem superati.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 14. vers. 16. *Vna mulier Hæbrea fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor.* Quam confusionem diabolo fecit B. Virgo Maria?

℟. Sicut enim magna confusio esset vni giganti à fœmina vinci, sic fuit magna confusio diabolo à puella Virgine superari. *Iob 11. Ligabis eum Ancillis tuis.* Ista fuit de præcipuis Ancillis Dei, quæ ait: Ecce Ancilla Domini, quæ diabolum ligat, quia per suam humilitatem superbiam illius refrenat. *Iacobus de Voragine serm. 3. in Natiuit. B. M.*

Humilitas Virginis superbiam diaboli reprimit.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 15. vers. 10. *Benedixerunt eam omnes vna voce.* Cur omnes benedicunt Beatam Virginem?

Benedicta à Deo, Angelo, & homine.

℟. Nota quod dicitur omnes, nam omnis est signum vniuersale requirens tria appellata, & ecce quasi tria apellata sunt Deus, Angelus, & Homo, qui Mariam benedixerunt Deus vtique benedixit Mariam, Pater benedixit Mariam, Spiritus Sanctus benedixit eam, omnes tres Personæ benedixerunt eam; Angelus etiam benedixit Mariam. Prima Herarchia benedixit eam. Secunda benedixit eam. Tertia benedixit eam, omnes Angeli benedixerunt eam. Homo quoque benedixit Mariam, coniugati benedixerunt eam, viduæ benedixerunt eam, virgines benedixerunt eam, omnes benedixerunt eam dicentes: Tu gloria Ierusalem Triumphantis, gloria in quam omnium Sanctorum, tu lætitia Israel Deum contemplantis, tu in quam lætitia omnium Angelorum, Tu honorificentia populi peregrinantis, honorificentia in quam omnium in mundo iustorum. *D. Bonauentura in specul. B. M. cap. 12.*

In Assumptione laudata, & beatificata à curia cælesti.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 15. vers. 10. *Tu gloria Ierusalem.* An Beata Maria dicatur gloria Ierusalem?

℟. Hæc est per gesta mea figurata, nam sicut occiso Holoferne à me inimico populi Dei facta terribilis exercitui eius, occurrit mihi obuiam Ciuitas Ierusalem cum Summo Pontifice congratulans de victoria per me facta, & plurimum laudans, & dicens: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*, benedicta eris in æternum: sic Beatissima ista Maria, pulcherrima corpore, pulchrior anima & admirabilis oculis omnium, acta victoria de inimico humani generis infernali, cum reuersa est huc, superna Ierusalē cum Pontifice Summo Christo qui ad eam accessit, laudans, & beatificans eam admirans tantam virtutem. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 5.*

Per B. Virginem Angelorum ruina reparata, hominum tristitia lætificata, mulierum infamia delecta, captiuitas existentium in Limbo reducta.

Dub. 14. Ad eadem verba, cap. 15. vers. 10. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri?* An Beata Virgo dicatur gloria Ierusalem, lætitia Israel, honorificentia populi nostri?

℟.

Reſp. Tu gloria Ieruſalem: vox eſt Angelorum quorum ruina per eam reparata eſt, Tu lætitia Iſrael: vox eſt hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt, Tu honorificentia populi noſtri, vox eſt mulierum quarum infamia per eam deleta eſt, quæ feciſti virilitet, vox eſt mortuorum exiſtentium in Limbo, quorum captiuitas per eam redempta eſt, & reducta. *B. Albertus Mag. lib. 1. de laudib. B. M. cap. 6. num. 3.*

B. Virgo gloria Dei propter ſuam humilitatẽ, Angelorum lætitia propter virginitatem

Dub. 15. Ad eadem verba, cap. 15. verſ. 10. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi Chriſtiani?* Quommodo hæc conueniunt B. Mariæ?

Honor generis humani propter fœcunditatem.

℟. Tu gloria Ieruſalem, id eſt, Dei quæ eſt viſio pacis noſtræ, & hoc propter humilitatem ſuam, Tu lætitia Iſrael, id eſt, Angelorum, qui ſemper Deum vident, & hoc propter ſuam Virginitatem, Tu honorificentia populi noſtri, id eſt, generis humani, & hoc propter fœcunditatem per quam nobis genuit Saluatorem. *Iacobus de Vorag. Sabbath. poſt Cineres, ſerm. 2.*

Fuit Mater Virgo, & vidua.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 11. *Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris.* Quommodo hæc verificantur de Beata Virgine?

℟. Ipſa namque viriliter fecit, quia fuit Mater incorrupta, caſtitatem amauit, quia fuit Virgo fœcunda, & poſt mortem viri ſui alterum neſciuit, quia fuit vidua, & toti Trinitati ſociata. *Iacobus de Voragine ſerm. 7. in Annuntiatione.*

Religioſis dat regulam obedientiæ.

Dub. 17. Ad eadem verba, cap. 15. verſ. 10. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi Chriſtiani.* An Beata Virgo appelletur gloria Ieruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi Chriſtiani?

Studentibus dat formam ſtudendi.

℟. Ipſa gloria Ieruſalem, id eſt, clauſtralium dans eis formam, & regulam obedientiæ, cum dixit *Lucæ 1. Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Lætitia Iſrael, id eſt, Scholarium, & Clericorum; Scholarium dans eis formam ſtudendi, & legendi, vt attenti ſint & ſolliciti intelligere, & opere complere quæ legunt. *Lucæ 1. Maria conſeruabat omnia verba hæc.* Vnde & Philippus dixit. *Actuum 8. Putas ne intelligis quæ legis.*

Honorificentia fuit credentium.

Ac honorificentia populi, id eſt, laicorum, in hoc quod ſtatim credidit maius; ſcilicet, ſe Dei Filium parituram, vbi ſummus Sacerdos; ſcilicet, Zacharias de multo minori dubitauit; ſcilicet, Eliſabeth iam ſenem, prolem de ipſo habituram. *Lucæ 1.* Gloria eſt in ſe, lætitia in nobis, honorificentia, id eſt, ab alijs ornata, quod triplici eius benè congruit interpretationi, interpretatur enim illuminata, illuminatrix, & Domina, quia illuminata gloria, quia illuminatrix lætitia, vel lætificans, quia Domina honorata. *Hugo Cardin. ad illa verba, Cant. 6. quæ eſt iſta.*

Benedicta, quia caſta.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 11. *Eris benedicta in æternum.* Cur Iudith in æternum benedicta?

℟. In hac caſta Iudith benedictione, poteſt benedictio Mariæ non ſolum ſignari, ſed etiam per locum à maiori probari: ſi enim ſic benedicta eſt vidua caſta, quanto magis Virgo caſta; maximè talis Virgo, quæ, & Deum parere, & certè ſic parere meruit, quod virginitatem non amiſit. *D. Bonauent. in ſpecul. B. M. cap. 13.*

Deum parere meruit, quod virginitatem non amiſit.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 15. *Et dixit omnis populus fiat, fiat.* Cur cum Ioachim benedixit Iuditha, omnis populus dixit, fiat, fiat?

Omnes creaturæ in laudem Virginis conueniunt, quia omnes eius beneficia participant.

℟. Per iſtum exitum Iudith ad Ioachim, ſignificatur Natiuitas Beatæ Virginis, & exitus eius de vtero matris ſuæ, & in hoc exitu laudanda eſt ab Iſrael, & ad hoc debent concordare populi, vnde ſequitur quod cum in concluſione laudis eius dixiſſent Sacerdotes; *Benedicta eris in æternum*, dixit omnis populus *fiat, fiat.* Omnes enim in laudem Beatæ Virginis conuenire debent, quia omnes eius beneficia participant. *Hugo Cardin. ad illa verba, Pſalm. 80. Iudicium Deo Iacob.*

Comminatrix omnium lædentiũ ſeruos Chriſti.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 16. verſ. 20. *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum.* Cur minatur inſurgentes ſuper genus ſuum?

℟. Ipſa eſt comminatrix omnium lædentium ſeruos, & ancillas filij ſui; *Iudith 16. Væ genti, Gloſſ.* in perpetuum inſurgenti contra genus meum, id eſt, cultores Dei. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

ESTHER.

ESTHER.

Angeli viſitabant Beatã Virginem.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Mittantur qui conſiderent per vniuerſas Prouincias puellas ſpecioſas, & virgines.* Qui ſignificantur per iſtos Nuntios miſſos ad quærendas virgines Aſſuero?

S. Gabriel ſpecialiter deſtinatus ad Virginem.

℟. Poteſt per Eſther Virgo Maria deſignari, & per Nuntios Angeli eam viſitantes, & ſpecialiter Gabriel Angelus ad eam ſpecialiter deſtinatus. *Lucæ* 1. *Lyranus.*

Quare pulchritudo Virginis dicitur incredibilis.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 15. *Erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.* An B. Virg. dicatur formoſa valdè, & incredibili pulchritudine?

℟. Formoſa valdè per charitatem, quę eſt forma virtutum, incredibili pulchritudine per inſolitam caſtitatem; inauditum enim erat à ſæculo aliquam perſonam ante Beatam Virginem emiſiſſe votum perpetuę virginitatis, quod votum ipſa prima emiſit abſque omni humano præcepto, conſilio, & exemplo, ſola inſpiratione Spiritus Sancti, ſicut dicit *Beatus Bernard.* & ideò dicitur eius pulchritudo incredibilis. *B. Albert. Magn. lib. 5. de laudib. B. M. cap. 1. num. 1.*

Abſqũ præcepto, conſilio, & exemplo, prima emiſit votũ caſtitatis.

Amata ab intuẽtibus eam in hoc mundo, ſed non male adamata.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 15. *Omnium oculis gratioſa.* An B. Virg. omnium oculis gratioſa fuerit?

℟. Oculis Angelorum, & omnium Beatorum, qui in eam ſicut in Filium deſiderant intueri. 1. *Petr.* 1. Non dico ſicutiſsimè oculis hominum; creditur enim quod fere nullus potuit eam intueri quandiu fuit in mundo, qui eam ſtatim non amarit, nunquam tamen male fuit adamata. *B. Albert. Magn. vbi ſupra.*

In Aſſumptione ſuper Angelos exaltata.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 16. *Ducta eſt igitur ad cubiculum Regis Aſſueri menſe decimo.* Quid ſignificat, quod Eſter ducta fuit ad cubiculum Regis?

℟. Hoc myſticè fuit impletum in Aſſumptione Virginis glorioſę, quando fuit ſuper Angelos exaltata. *Lyranus.*

Maiorẽ gratiam habet apud Deum, quam omnes Beati: pluſquam Angelos, & homines amata.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 17. *Adamauit eam Rex ſuper omnes mulieres.* Cur ſuper omnes mulieres Aſſuerus Eſther adamauit?

℟. Ducta in hoc cubiculum, quietis ęternę Regina Maria, gratiam Regis Aſſueri, id eſt, gratiam veri Regis habet ſuper omnes mulieres, id eſt, ſuper omnes intelligentias Angelicas, & ſuper omnes Beatas animas, vt ſit Mariæ gratia ſuper omnem gratiam omnium Beatorum. *D. Bonauentura in ſpecul. B. M. Lect. 6.*

Quæ à Deo accepit, in vtilitatem noſtram vertit.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 17. *Poſuit diadema Regni in capite eius.* Cur Aſſuerus diadema Regni poſuit ſuper caput Eſther.

℟. Huius gratiæ quam Eſther, coram Rege habuit duplex legitur fuiſſe vtilitas, vna quod ipſa diadema Regni obtinuit, alia quod ipſa gentem ſuam morti addictam à morte eripuit: ſic certè Eſther noſtra B. Maria tantam gratiam coram Rege æterno impetrauit, quod per hanc non ſolùm ipſa ad coronam peruenit, ſed etiam generi humano morti addicto ſubuenit: *Anſelmus.* Quid digne referam Genitrici Dei, & Domini mei per cuius fœcunditatem captiuus ſum redemptus, per cuius partum de morte æterna ſum exemptus, per cuius prolem perditus ſum reſtitutus, & de exilio miſerię ad patriam ęternę Beatitudinis ſum reductus. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. Lect. 5.*

Tantam gratiam coram Deo impetrauit, quod ad coronam peruenit, & generi humano morti addicto ſubuenit.

Ditiſsima, eſt, tribuit cui vult, quãtum, & quando vult.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 17. *Fecitque eam regnare.* Quommodo B. Maria regnat?

Reſp. Fecit eam regnare potenter, æternaliter; potenter regnat, quia ditiſsima, & tribuit cui vult, quantum, & quando vult, & quotieſcumque vult: æternaliter, quia Regni eius non erit finis, *Lucæ* 1. Dicitur ergo merito Regina potentiſsima, largiſsima, & æterna. Hæc tria in nulla Regina, niſi in ea concurrunt. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Regina potẽ tiſsima, largiſsima, æterna, quæ in nulla Regina, niſi in ea concurrunt.

In die Annuntiationis nuptiæ celebratæ.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 18. *Et iuſsit conuiuium præpari per magnificum cunctis Principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptijs Eſther.* Quid ſignificat conuiuium, quod præparauit Aſſuerus pro nuptijs Eſther?

Dies Incarnationis maximi gaudij in terra, cœlo, & Purgatorio.

℟. Eſt Sponſa Dei, de cuius digniſsimis nuptijs dicitur *Eſther* 2. Rex Aſſuerus, id eſt, Chriſtus pro coniunctione; & nuptijs Eſther, id eſt, Mariæ, in die Annuntiationis celebratis, quarum conciliator fuit Gabriel, iuſsit conuiuium prępararari. *Gloſſ.* id eſt, gaudium ſpirituale, magnificum in toto Orbe, in cœlo, & in Purgatorio; dies enim maximi gaudij eſt, dies Incarnationis Filij Dei, cunctis Principibus, & ſer-

ieruſs ſuis. *Gloſſ.* id eſt, maioribus, & minoribus, & dedit requiem vniuerſis Prouincijs. Requiem gratię terreſtribus, requiem glorię cęleſtibus, requiem tribulationis in Purgatorio manentibus. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 14. *Et quis nouit vtrum idcirco ad Regnum veneris, vt in tali tempore parareris* Cur dicit Eſther, in Reginam euectam?

In neceſsitate nobis patrocinatur.

Rſ. Quaſi diceret: Regina facta es, non ſolùm, vt Regia Dignitate perfruaris, ſed etiam, vt in noſtra neceſsitate nobis patrocineris: ſic & Beata Virgo, quaſi hominum cauſa in cœlum aſcenderit, res hominum iugi apud Deum oratione negotiatur. *D. Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.* Aduocatam pręmiſit peregrinatio noſtra, quę tamquam Iudicis Mater, & Mater miſericordię, ſuppliciter, & efficaciter ſalutis noſtrę negotia pertractabit. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Verſ. 11. annotat. 2. ſect. 1. num. 28.*

Salutis noſtrę negotia apud Deum pertractat.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 1. *Die autem tertio induta eſt Eſther Regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus Regiæ.* Cur dicitur quod Eſther ſteterit?

Rſ. Commendatur Regina noſtra à maxima fidelitate, bonitate, & miſericordia, quę conſideratur in hoc, quod ferè tota eius ſupplicatio eſt pro nobis coram Deo, vt ab hoſtibus liberemur, & ſtetit vt precatrix, aduocatrix, adiutrix, poſtquam Aſſumpta eſt in atrio domus Regię. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

Stat coram Deo vt precatrix, & adiutrix.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 3. *Quid vis Eſther Regina? Quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi?* Quod nam eſt Dimidium Regni B. Marię?

Deus iuſtitiã ſibi retinuit, miſericordiã verò matri cõtribuit.

Rſ. Magnifica eſt hodie B. Virgo, vt Regina cœli, immò & mundi iure vocetur, habens prœeminentiam, & virtutem influxiuam ſuper omnes. Principatum habet dimidij Regni Dei (ſi ſic dici poteſt) ſub typo Eſther, & Aſſueri, Regnum quippè Dei conſiſtit in poteſtate, & miſericordia, poteſtate Domino remanente, ceſsit quodammodo miſericordię pars Chriſti Matri, Sponſęque regnanti, hinc ab Eccleſia tota Regina miſericordię ſalutatur. *Ioannes Gerſon. tractat. 2. in Magnificat.*

2. Reſp. Iſta eſt Beata Virgo cum qua Deus diuiſit Regnum ſuum, nam cum Deus habeat iuſtitiam, & miſericordiam, iuſtitiam ſibi retinuit, & Beatę Virgini Marię miſericordiam contribuit, ideò ſi quis grauatur à foro Iuſtitię Dei, appellet ad forum miſericordię Dei. *Leonard. de Vtino ſerm. in Aſſumpt. B. M.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 2. *Cumque vidiſſet Eſther Reginam ſtantem placuit oculis eius.* Cur Eſther placuit in oculis Regis Aſſueri?

Habet corporis, & animæ gloriam.

Reſp. Eccleſia namque cœleſti Regi placuit propter eius conſtantiam, & Virgo Beata propter plenam corporis, & animę gloriam. *Lyranus.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 7. *Surrexit vt rogaret Eſther Reginam pro anima ſua.* Cur Aman rogauit Eſther Reginam pro anima ſua?

Reſp. Quid ei profuit ſupplicatio? Certè nihil. Nam ſtatim ab ipſo Reginę thalamo abreptus eſt, & vi patibulo ſuſpenſus: Non ea erat Reginę Eſther quamuis alioqui ſanctiſsimę pietas, & humanitas, vt ſuo vellet aduerſario, etiam in preces, & lachrymas effuſõ, patrocinari: at verò Tua miſericordia. O vera miſericordię Mater, ab omnibus etiam infeſtiſsimis hoſtibus, ſe exorari ſinit, ſi ad Tuas aras ſceleratiſsimus quiſque peccator, precator accedat, recedet ſine dubio exorator. *Anſelmus lib. de excellentia Virg. cap. 12.* Ab initio renouationis humanę omnibus ſub tuũ prœſidium confugientibus hucuſque ſuccurriſti, & idcirco prę omni creatura omni laude digniſsima dici, & eſſe meruiſti. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. ſect. 2. num. 3.*

Miſericordia Virginis ab omnibus, etiam hoſtibus, ſe exorari ſinit.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 16. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium honor, & tripudium.* An Beata Virgo dicatur noua lux?

Reſp. Lux autem noua dicitur aptè orta in eius Natiuitate, quia nunquam ante eam, tam lucida, tam mirabiliter nata fuit aliqua ita plena gratię luce. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 5. §. 1.*

Nullus ante eam natus eſt tam plenus gratia ſicut ea.

Dub. 15. Ad eadem verba, cap. 8. ver. 16. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* An Beata Maria dicatur lux, gaudium, honor, tripudium?

Reſp. Lux mœrores diſſoluit, & hoc eſt in quantum habet aſpectum lętificatiuum; dulce eſt enim lumen, & delectabile oculis videre Solem, vt dicitur *Eccleſ. 11.* Hoc autem competit Beatę Virgini, quę; ſcilicet, eſt mœrentium conſolatrix. Nam ſpirituales conſolationes, & gaudia deuotis ſibi mentibus fre-

Mœrentium conſolatrix.

Incipientibus conſolationes ſpirituales impendit.

Proficientes ab impugnationibus protegit proficientes in cœleſte gaudiũ introducit.

Gratiam habuit abundãtiſsimam.

frequenter infundit *Eſther* 8. *Noua lux oriri viſa eſt gaudium, honor, & tripudium.* Eſt enim gaudioſa incipientibus, quibus ſpirituales conſolationes impendit, honorabilis proficientibus, quos ab omnibus impugnationibus protegit, tripudioſa eſt proficientibus, quos in cœleſte gaudium introducit. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub 16. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 6. *Paruus fons qui creuit in fluuium.* An Beata Virgo dicatur paruus fons creſcens in fluuium?

℟. De ipſa figurate dicitur ſub nomine Eſther Reginæ, quæ humilis interpretatur, *Fons paruus creuit in flumen maximum.* Fons dicitur propter abundantem gratiam, & originem eius, quia ex ea Chriſtus, vnde nobis omnibus miſericordia, & gratia influxit. Paruus dicitur propter humilitatem, propterquam creuit in flumen maximum, quando ſcilicet, nobis genuit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *D. Antoninus cap. 15. De plenitudine gratiæ in Beata Maria, §. 1.*

Propter humilitatẽ creuit.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 6. *In lucem, Solemq; conuerſus eſt.* Qua ratione Beata Maria dici poteſt lux, & Sol?

Reſp. In lucem Solemque conuerſus eſt, id eſt, in lucem vniuerſalem, & ſtabilem. Si enim ſemita iuſtorum, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem, *Prouerb. 4.* Quanto magis ſemita illius, quæ genuit Solem Iuſtitiæ. Item ſi Apoſtoli ſunt lux mundi, *Matth. 5.* Quanto fortius Maria, quę genuit illum qui dicit, *Ioann. 8. Ego ſum lux mundi.* Roganda eſt igitur à nobis iſta lux, vt cordibus noſtris infundat gratiam Diuini timoris. *Pater Daniel Agricola, Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci.*

Lux vniuerſalis, & ſtabilis.

Omnibus Angelis innitur tuo imperio.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 6. *Et ſuper vnam quidem innitebatur quaſi prædelicijs.* Quæ nam ſunt famulæ Beatæ Mariæ?

℟. Intelligentia Angelica eſt famula, ſuper quam Domina ſua Maria innititur in cœlo. Innititur certè tamquam familiariſsima, ſe Angelis ſociando: innititur etiam tamquam delicatiſsima in Angelis deliciando; innititur quoque tamquam pleniſsima ſe cum ſua plenitudine Angelis communicando; innititur inſuper tamquam potentiſsima Angelis imperando, omnibus enim Angelis Maria innititur ſuo imperio. *D. Auguſtin.* Michael Dux, & Princeps Militiæ cœleſtis cum omnibus ſpiritibus adminiſtratorijs, Tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium ſpecialiter Tibi Domina, & die, ac nocte ſe Tibi commendantium, *D. Bonauentura in ſpecul. B. M. V. Lectione 3.*

Dub. 19. Ad eadem verba, cap. 15. verſ. 5. *Aſſumpſit duas famulas.* Quæ ſunt duæ famulæ Beatæ Mariæ?

Angelorum, & hominum Regina.

℟. Per Dominam Eſther Reginam, intellige Mariam Reginam; duæ famulę, quarum Domina eſt Regina Maria ſunt Angelica, & Humana natura, ò quantum gaudendum eſt nobis miſeris hominibus, quod Angeli Dominum, & Dominam habent ex hominibus. *D. Bonauentura vbi ſupra.*

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 7. *Altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum induménta ſuſtentans.* Quid ſignificat, quod famula ſuſtentabat defluentia in terram veſtimenta Eſther?

Virtutes, & exempla Mariæ colligenda.

Reſp. Anima humana, eſt famula, quę Dominam ſuam Mariam ſequitur in mundo, ſequitur certè colligens virtutes, & exempla Marię. *D. Bonauentura vbi ſupra.*

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 14. *Accede igitur, & tange ſceptrum.* Cur præcepit Aſſuerus Eſther quod accederet, & tangeret ſceptrum?

Iuſtum erat, vt in cœlo vbi erat Filius, eſſet & Mater eius.

Reſp. Aſcende huc, & tange ſceptrum, ſiue accede huc, & tenè ſceptrum, accipe Regiam Dignitatem. Eſto Domina cœli, & terrę, eſto Regina, & Imperatrix Angelorum, & Hominum; ſede à dextris meis in gloria, quę ſemper aſtitiſti à dextris meis, ſeruiens pro ęternis in veſtitu de aurato, id eſt, corpore glorificato. Iuſtiſsimum enim erat, cum Chriſtus Verbum Patris factum, eſſet caro de carne eius, & os de oſsibus eius, vt vbi eſſet Filius, ibi eſſet & Mater eius. *Pater Daniel Agricola cap. 6. corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ.*

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 15. *Tulit auream virgam.* Cur dicitur quod Aſſuerus tulit auream virgam?

B. Virginem dedit Deus, vt ipſa mediãte gratiam inueniremus.

Reſp. Ipſa eſt Mater miſericordię, & aduocata noſtra, & impetrat nobis miſericordiam; ſicut dicit *Beatus Bernardus.* Securum acceſſum habes homo ad Deum: vbi habes ante Filium Matrem, & ſecundum hoc ſignificata eſt per virgam Aſſueri de qua, *Eſther* 10. dicitur:

Quod

Quod extendit contra eam virgam auream, & hoc fuit in ſignum clementiæ; ſic Deus Beatam Virginem nobis dedit, vt ipſa mediante, gratiam eius inueniremus apud Deum, *Eſther* 15. *Accede igitur, & tange ſceptrum. Hug. Cardinalis ad illa verba Pſalmi* 109. *Virgam virtutis tuæ.*

Cæteris per partes, Mariæ verò plenitudo gratiæ ſe infudit.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 17. *Facies tua plena eſt gratiarum.* Quam plenitudinem habuit B. Virg?

Reſp. Plena eſt gratiarum. Hanc plenitudinem habuit Virgo Maria in ſe, quia Deum in mente plenum omnium gratiarum, ſed in ventre per Incarnationem. Vnde *B. Bernardus*: Legimus Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos plenos Spiritu Sancto, ſed longè diſſimiliter à Maria; in nullo enim alio habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter quemmadmodum in Maria, nec aliqui conceperunt de Spiritu Sancto, ſicut & Maria, & ſic videtur intelligi illud *Hieronymi*: cæteris Sanctis per partes datur; Mariæ verò plenitudo gratiæ ſe infudit, id eſt, Deus plenus omni gratia. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 15. §. 1.

IOB.

Natiuitas Virginis conſolationem, & gaudium affert bene operantibus.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 9. *Expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ.* An Virgo Maria dici poteſt Aurora?

Reſp. Regina mundi Virgo Maria dicitur Aurora ſurgens, expectet lucem, & non videat, qui parua agit, vel etiam bona non recto corde, nec ortum ſurgentis Auroræ, id eſt, Mariæ, quæ in Natiuitate ſua orta eſt tenebroſis peccatoribus. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 22. *Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis.* Cur dicitur quod reuelat profunda de tenebris?

Propter minimum obſequium, quod ei impendimus refundit nobis gratiã, & miſericordiam.

Reſp. Ipſa enim vt dicitur *Iob* 12. reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis, quia per anguſtiſsimam rimam, vel foramen ingreditur, gratiam infundendo, vnde dicit cum Filio illud. *Apocal.* 3. *Si quis mihi aperuerit, introibo ad illum*, vnde per minimum obſequium, quod ei impendimus, refundit nobis lumen gratiarum, & miſericordiæ ſuæ. *Pater Daniel Agricola, Ordinis Sancti P. N. Franciſci in corona duodecim Coronarum B. Virg. M.*

B. Virgo vehementius, quam Patres antiqui Incarnationem Verbi deſiderauit, ideo fortius Deum traxit.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 18. *Trahitur autem ſapientia de occultis.* Quid ſignificat ſapientia tracta de occultis?

Reſp. Tracta enim eſt ſapientia, quæ eſt Filius Dei de ſinu Patris, id eſt, de illis occultis ad quæ nulli creaturæ patebat acceſſus, quaſi quibuſdam funibus, vel intimis deſiderijs, lachrymis, ſuſpirijs Sanctorum antiquorum. Vnde dicebat Moyſes. *Exodi* 4. *Obſecro Domine mitte quem miſſurus eſt; & Dauid.* Emitte manum tuam de alto, & *Iſaiæ* 54. *Vtinam diſrumperes cœlos, & deſcenderes*; ſed Maria quæ magis dilexit, profundius ſuſpirauit, vehementius deſiderauit, ipſa fortius traxit dicens, *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui, ideo dictum eſt ei: *Ne timeas Maria, inueniſti quod quærebas. B. Albera. Magn. lib.* 1. *de laudib. B. M. V. cap.* 5. *num.* 6.

Pretioſior eſt Beata Virgo cunctis operibus, corporalibus, & ſpiritualibus.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 13. *Neſcit homo pretium eius.* Cur pretium B. M. V. ignoratur?

Reſp. Dicitur de ſapientia, & congrue poteſt exponi de excellentia Mariæ, *Neſcit homo pretium eius*, quia non eſt pretium, quod poſsit ei comparari, quia pretioſior eſt cunctis operibus corporalibus, & ſpiritualibus, & omnia quę conſiderantur non valent ei comparari. *B. Albert. Magn. lib.* 4. *de laudib. B. M. cap.* 5.

Fides B. Virginis vbique manifeſta.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 29. verſ. 19. *Radix mea aperta eſt ſecus aquas.* Quæ eſt radix aperta?

Reſp. Fides Mariæ, quæ eſt radix eius manifeſta eſt per totum mundum; vnde ipſa verè dicere poteſt illud *Iob* 29. *Radix mea*, id eſt, fides, qua Angelo credidi, aperta eſt ſecus aquas, id eſt, vbique manifeſta, aquæ populi, *Apocalip.* 7. *Pater Daniel Agricola vbi ſupra.*

Turpis tentatio extinguebatur in eo, qui intuebatur in faciem Virginis.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 29. verſ. 24. *Lux vultus mei non cadebat in terram.* Quid ſignificat lux vultus non cadens in terram?

Reſp. Tanta erat lux honeſtatis, quæ emicabat in facie Virginis, quod vt dicit *Hieronymus*; Quicumque reſpiciebat in faciem Virginis huius, omnis turpis tentatio extinguebatur in eo. *Iob* 29. lux vultus mei non cadebat in terram. *Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Dub.

B. Virgo Deū in ſuo vtero hoſpitio excepit.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 31. vers. 32. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* An Beata Virgo poteſt dicere, quod foris non manſit peregrinus?

℟. Tabernaculum propriè eſt peregrinantium, quando enim Filius Dei, qui dicitur *in Pſalm. Aduena ego ſum, & peregrinus ſicut omnes patres mei*, peregrinatus eſt de cœlo in terram in Incarnatione; ipſa enim ſuſcepit in Tabernaculo ſuo, vndè dicere poteſt cum *Iob* 31. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit. B. Albert. Magn. lib.* 10. *de laudib. B. Mariæ, cap.* 28. *num.* 2.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 37. verſ. 11. *Nubes ſpargunt lumen ſuum.* An Beata Virgo dicatur nubes?

Pulchritudo naturalis, & ſpiritualis B. Virginis.

℟. Nubes, ideſt, Maria, & Sancti ſpargunt lumen ſuum; ſcilicet, lumen exemplorum. Rubicunda per pulchritudinem naturalem, verecundiã virginalem, feruentiſsimam charitatem, patientiam ſingularem; vel rubicunda per martyrium animæ, quando Luna conuerſa eſt in ſanguinem per compaſsionem in vnigeniti paſsione. *Ioel* 3. Iacintina per cœleſtem conuerſationem, vel per cœleſtium contemplationem, quia veriſsimè dicere potuit mea conuerſatio in cœlis eſt. *Philippenſ.* 3. Nigra per humilitatem, quę dicitur quaſi humo latens, ſicut enim iacintinus color, propriè color eſt cœleſtis, ſic & color terreus propriè color niger eſt, & per terram propriè figuratur humilitas. *Pater Daniel Agricola vbi ſupra.*

Martyrium animæ Virginis reddidit ſanguineam.

Conuerſatio B. Virginis erat cœleſtis.

Quo humilior, eo ſplendidior.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 38. verſ. 7. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina.* An aſtra matutina B. Virg. laudabant?

Angeli exultauerunt de reparatione futura per Filium Virginis.

℟. Aſtra matutina, id eſt, Angeli, & iubilarent omnes filij Dei, ipſi ſcilicet Angeli ſummè exultantes de reparatione futura per Filium huius Virginis Benedictæ, & omnes offerebant ei famulari tempore ſuo; ſi enim vt dicitur *Lucæ* 15. *Gaudium eſt in cœlis coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, quantum debuit eſſe ſuper Mediatrice peccatorum. *Diuus Antoninus de concept. V. M. cap.* 3.

Concorditer decãtant laudes Matris, & Filij Religioſi.

Dub. 10. Ad eadem verba, cap. 38. verſ. 7. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina.* An aſtra matutina ſimul laudent B. Virg?

℟. Cum me laudarent ſimul, id eſt, concorditer, aſtra matutina, tunc enim decantant viri Religioſi laudes Matris, & Filij, *Pater Daniel Agricola vbi ſupra.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 38. verſ. 8. *Quis concluſit oſtijs mare.* Cur hoc mirandum nobis proponitur?

Valde mirum, quod Deus immenſus, in vtero Virginis cõcludatur.

℟. Vides tumentes fluctus? Vides clationes maris? Times minaris: Sed magis obtupeſcis, quando lineis, & terminis circundatum mare cernis, quando ibi confringit tumentes fluctus ſuos, mirare igitur, & inquire: *Quis concluſit oſtijs mare?* Quis ligauit? Quis pannis infantiæ illud obuoluit? Cum videris immenſitatem Dei nullis terminis circunſcriptam, nullis lineis limitatam in vtero Virginis, nube carnis veſtitam, & in præſepio pannis infantiæ inuolutam? Quis concluſit? Quis inuoluit? Illa nimirum quæ peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. *Didacus Aluarez in cap.* 5. *Iſaiæ, verſ.* 2.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 38. verſ. 12. *Oſtendiſti auroræ locum ſuum?* Cur dixit Deus Iobo, quod ad ipſum pertinet oſtendere auroræ locum ſuum?

B. Virgo dignior locũ quam Sancti habent, obtinuit in cœlo.

Reſp. Quaſi dicat non tu, ſed ego non ad te pertinet oſtendere Auroræ Mariæ locum ſuum in cœlo, ſed ad me; benè autem dicit ſuum, quaſi appropriando, & diſcernendo illum ab aliis omnium Sanctorum locis, *Diuus Bernardus Serm.* 1. *in Aſſumpt.* Nec in mundo locus dignior virginalis vteri thalamo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cœlis regali Solio, quo Mariam Mariæ Filius ſublimauit. *D. Bonauentura in ſpecul. B. M. Lect.* 11.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 38. verſ. 32. *Nunquid producis Luciferum in tempore ſuo?* An B. Virgo dicatur Lucifer.

Præeminet omnibus Sanctis in Dignitate.

Reſp. Benè Maria comparatur Lucifero, quia ſicut Lucifer præeminet cæteris ſtellis in claritate, ſic Maria Sanctorum ordinibus vniuerſis in dignitate; vndè ipſa ſtella matutina dicitur lucens antequam dieſcat, quia ortus Mariæ præceſsit ortum diei, id eſt, non ſolum cæterorum Sanctorum, ſed etiam Chriſti, qui lux eſt, & dies. *Pater Daniel Agricola vbi ſupra.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 39. *Nunquid*

quid ; ad præceptum tuum eleuabitur Aquila? An Beata Virgo Aquila dici poteſt.?

Præcellit ómnes Sanctos in contemplatione, & viſione Dei.

℟. Aquila cæteras aues præcellit in volatu, & Solis aſpectu; & ipſa Sanctos cæteros in volatu contemplationis, & aſpectu Solis Iuſtitiæ, id eſt, Filij ſui, qui lucem habitat inacceſsibilem. *B. Alb. Magn. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 7. n. 4.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 39. verſ. 27. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila?* Quommodo hęc verificantur de B. Virgine?

Eleuata ſuper Choros Angelorum.

℟. Ad præceptum Domini eleuata eſt hęc Aquila in ſua Aſſumptione, quando; ſcilicet, aſcendit ſuper Cherubim, id eſt, ſuper Choros Angelorum, & volauit ſuper pennas ventorum, id eſt, ſuper rationem, & ſuper omnem intellectum humanum. *B. Albert. Magn. Vbi ſupra.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 39. verſ. 17. *In arduis ponet nidum ſuum.* Quommodo hęc verba intelliguntur de Beata Virgine?

Conuerſatio fuit cœleſtis.

℟. Hæc Aquila in arduis poſuit nidum ſuum, id eſt, in excelſis virtutibus conuerſationem ſuam, & cor ſuum in prærupris ſilicibus, id eſt, in Angelis, de quibus prærupti fuerunt ſuperbientes Angeli, quia conuerſatio eius ſemper fuit in cœlo. *B. Albertus Magnus Vbi ſupra.*

Quanto feruebat amore, vrebatur dolore.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 41. verſ. 22. *Feruęſcere faciet quaſi ollam profundum mare.* Quomodo intelliguntur hęc de B. Virg?

℟. Feruęſcere faciet ſicut ollam profundum maris, id eſt, cor Virginis, quę quanto feruebat amore, vrebatur dolore, & ideo ipſa admodum ollæ bullientis extra effundit aquam lachrymarum. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

PSALMI.

Chriſtus plantatus in viridario vteri virginalis, quando vnitus humanæ naturæ.

DVb. 1. Ad illa verba, Pſal. 1. v. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt.* Cur Chriſtus dicitur lignum plantatum?

℟. In verbis iſtis commendatur Chriſti vita temporalis. Lignum cognoſcitur per fructificationem, vndè *Math. 7. A fructibus eorum*; ſed antequam ferat fructum, oportet quod plantetur; plantatus enim fuit Filius Dei in viridario vteri virginalis, quando vnitus eſt humanę naturę. *Iacobi 1. Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras*, digna ſumptione fructus ſui; Plantatum autem fructificauit, *Prouerb. 3. Lignum vitæ eſt his, qui aprehenderint eam. Apoc. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 18. num. 17.*

Dub. 2. Ad eadem verba, Pſalm. 1. verſ. 3. *Secus decurſus aquarum.* Cur Chriſtus dicitur plantatus ſecus decurſus aquarum?

Stetit iuxta Crucem lachrymas effundens.

℟. Propter aquas lachrymarum ab oculis Matris ſuæ, & aliorum proximorum ſuorum in Paſsione præſentium effluentes. *Ioann. 19. Stabat iuxta Crucem Mater eius, & ſoror Matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.* Ecce quot Maria interpretatur amarum amare. *Lucæ 23. Sequebatur eum turba multa populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* Inter maria vero prędicta fuit vnum amariſsimum; ſcilicet, Maria Mater eius, quod lignum iſtud vberibus irrigabat. Vndè *Anſelmus in quadam meditatione dicit ſic*: Domina mea miſericordioſiſsima, quos fontes eripuiſſe de pudiciſsimis oculis tuis, & cum attenderes vnicum Filium tuum innocentem coram te ligari, & flagellari, & mactari, quos fletus credo perfudiſſe piiſsimum vultum tuum, cum aſpiceres eundem Deum, & Dominum tuum in Cruce ſine culpa extendi, & carnem de carne tua crudeliter deſiccari. *Thomas Anglicus, Ordin. Præd. Cardinalis.*

Crucem lachrymis irrigabat.

Dub. 3. Ad illa verba, Pſalm. 2. verſ. 2. *Aſtiterunt Reges terræ.* Cur plures aduerſus Chriſtum conuenerunt?

Dolor Virginis magnus ex circunſtantia inferentium paſsionem Filio.

℟. Oſtenditur magnitudo doloris in Virgine ex circunſtantia inferentis Paſsionem Filio. Quanto enim plures concurrunt, & diuerſorum ſtatuum, & magiſtratuũ, & amici, & valdè beneficiati ad inferendum iniuriam, & mortem valdè ignominioſam alicui, tanto maior dolor, & afflictio ſequitur in paſſo, & in quolibet attinente, & amico eius; ſed ad inferendam Paſsionem tam amaram, & opprobioſam Chriſto concurrerunt de omni genere, & ſtatu, ac etiam qui prius erant Diſcipuli, ac etiã ſummè beneficiati, & ideò Virgo Mater eius dilectiſsima ſummè doluit ſtans iuxta Crucem. *Aſtiterunt Reges terræ, Pſalm. 2. D. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 42.*

Offenſa illata ab amico, & beneficiato, dolore dignissima.

Dub.

Dub. 4. Ad illa verba, Pſalm. 4. verſ. 9. *In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Virgi?

Deus Immutabilis, conformans ſe volũtati ſuę.

℟. Cum homo dormit, ſopitus eſt à vitiis, & perturbationibus paſſionum, & requieſcit in id ipſum, id eſt, in Deum, qui ſemper eſt idem ipſum, quia immutabilis conformans ſe voluntati ſuę, tunc eſt in vera pace, vt dicit *B. Auguſtin. in lib. Confeſſ.* Omnia alia ſunt aſpera, & Tu ſolus Deus es requies, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, in omnibus requiem quęſiui: at Beatiſsima Maria ſemper ſubdita voluntati Dei, & ſemper habens, non ſolùm bonam, ſed optimam voluntatem, & ideò fructum pacis habuit, mundus, caro, dęmonia diuerſa mouent prælia, & conturbant pacem noſtram, ſed mundus turbare pacem eius non potuit, quia paupercula ſpiritu; diabolus pacem eius turbare non potuit, quia humilima; caro non concupiuit aduerſus ſpiritum, quia fomes in ea extinctus fuit, & quia omne ſimile appetit ſuum ſimile, ipſe qui eſt pax noſtra, in ipſa pace pleniſsima requieuit in Tabernaculo ſuo, in illud *Pſalm. 75. In pace factus eſt locus eius. Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 26. §. 1.*

Mundus, diabolus, caro, pacem Virginis turbare non potuerũt.

Herba Solis equium ſemper ad Solem ſe conuertit.

Omnis meditatio, & actio dirigebatur in Deo.

Dub. 5. Ad illa verba, Pſalm. 8. verſ. 2. *Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* An B. M. V. dicatur magnificentia Dei?

Magnificata à Deo cum Filium ſuum ei dedit.

℟. Maria dicitur magnificentia Dei, quia magnificata eſt à Deo, & magnificauit Deum paſsiuè; ſcilicet, & actiuè; paſsiuè, quia Deus magnificauit eã, Filium ſuum ei dando, vndè ipſa dixit, *Lucæ 1. Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Actiuè, quia ipſum magnificauit, ſe tantùm ſub Deo humiliando, ſicut quod in ſe non mouetur alterius humiliatione exaltatur, ideò dixit ipſa: *Magnificat anima mea Dominum. Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6.*

Deum magnificauit Beata Virgo ſe Deo humiliando.

Dub. 6. Ad illa verba, Pſalm. 13. verſ. 11. *Quis dabit ex Sion.* An B. M. Virgo dici poſsit Sion?

Cœleſtium contemplationi vacabat.

℟. Sciendum quod Sion interpretatur ſpecula, vel ſpeculatio, & ideò Virgo Maria dicitur conuenienter Sion, quæ ſpecula, vel ſpeculatio dici poterat propter eius aſsiduam cœleſtem contemplationem, quia omninò cœleſtium contemplationi vacabat. Vnde *Hieronymus de inſtitutione virginis ad Helenam ſic ſcribit*: Hoc te ad orationem ſurgat, manè Hymnos decantet orationi lectio, lectioni oratio ſuccedat, ſic comedat, vt ſemper eſuriat, vt ſtatim poſt cibum poſsit orare, & legere. *Pſam. 1. In lege Domini fuit voluntas eius.* Hanc inſtitutionem excellentius cæteris virginibus impleuit, vt non immerito dici poſsit Sponſa Solis, quę, & Solis equium dicitur; eſt enim herba, cuius flos ſemper ad Solem ſe conuertit, & mouetur ad motum Solis, vt quamuis Sol eſſet ſub nubilo ex eius conuerſione ſciri poſſet, vbi Sol eſſet, ſic & hęc Virgo, ad motum, id eſt, ad imperium Solis Iuſtitię ſemper mouebatur, vt eius conuerſatio, id eſt, meditatio, & actio ſemper eſſet directa ad ipſum. Vnum enim ſcimus pro certo, quod omnis Marię vita, & actio, ſemper intenta fuit in Domino. Vndè ſcilicet, locum Solis huius, id eſt, voluntatem ſcire volueris, ad eius conuerſionem reſpicias; quidquid enim ipſa fecit, vel cogitauit Diuinæ voluntati conforme erat. Vndè *Diuus Ambroſius lib. 2. de virginitat.* Sit nobis tanquam in Imagine deſcripta virginitas, vita Marię, de qua velut de ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis, hinc ſuauia exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa ſunt puritatis, quę quidquid corrigere, quidquid effugere, quidquid tenere debeatis oſtendit: & hoc eſt, quod dicitur, *Iſai. 2. De Sion exhibit lex. Thomas Anglicus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis.*

Omnium virtutum exemplar.

Dub. 7. Ad eadem verba, Pſalm. 13. verſ. 11. *Quis dabit ex Sion.* An Beata Virgo Maria aſsimilatur monti Sion?

Reſp. Sciendum quod Sion mons erat ad meridiem Ieruſalem, hęc autem Virgo monti in Scriptura comparatur. Vndè *Daniel. 2.* Abſciſus eſt lapis de monte ſine manibus, & *Pſalm. 73. Mons Sion, in quo habitaſti*, & ratio eſt, propter ſublimitatem virginalis conditionis. Vndè *Cyprianus*: Nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria eſt maior circa opus integrum, atque incorruptum Dei illuſtrior portio gregis Chriſti; ideò dicitur *Sapient. 6.*

Incorruptio facit eſſe proximiorem Deo; ergo mirabilis eſt ipſius altitudo, & præcipuè in hac Virgine: licet enim omnes ſanctæ virgines montes dici poſſent propter celſitudinem virginalem, hæc tamen ſuper omnes eleuata eſt, ſecundùm illud, *Iſaiæ 2. Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini*; Nam cum cæteri montes ſteriles eſſent, mons iſte corporali fęcunditate præditus eſt; montes enim raro inueniuntur fertiles, & ſi fructificent pauciores fructus producunt, quàm valles, nobiliores tamen. Vnde dicit *Palladius lib. 1.* Campi largius vinum, colles nobilius ferunt. Rarus enim erat mons fęcundus, quia tantum vnus; ſcilicet, vterus Virginis Mariæ, nec ille multos fructus produxit, ſed vnum tantum, & iſtum nobiliſſimum, de quo *Lucæ 1. Benedictus fructus ventris tui; Pſalm. 62. Mons Dei mons pinguis.* Vnde *Hieronym. ad Euſtochium*, Virga eſt Mater Domini ſimplex, pura, ſincera, nullo extrinſecus germine cohærente, & ad ſimilitudinem vnitate fœcunda, quia ſcilicet, vnum tantùm Filium produxit. *Thomas Anglicus, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis.*

Montes ratò inueniuntur fertiles.

Sublimior aliis virginibus propter corporalem fœcunditatem, ſimul cũ virginitate.

Mons ſublimis vnũ fructum nobiliſſimum producens; ſcilicet, Chriſtum.

Dub. 8. Ad eadem verba, Pſalm. 13. verſ. 11. *Quis dabit ex Sion.* An B. Virgo comparari poſsit Sion?

Reſp. Sciendum quod mons Sion ad meridiem eſt Ieruſalem, & patriam cœleſtem figurat. Pars autem Meridionalis cœli, eſt pars eius ſuperior, quia quod eſt ſurſum, & quaſi caput in homine, hoc eſt Polus Meridionalis in cœlo ſecundùm Philoſophum. 2. *De cœlo, & mundo.* Sic, & hæc Virgo in ſupremo cœleſtis patriæ locum tenet. Vnde *Bernard. in ſerm. de Aſſumpt.* Nec in terris locus dignior virginalis vteri Templo, in quo Dei Filium Maria ſuſcepit, nec in cœlis regali Solio, quo Mariam Filius ſublimauit. *Thomas Anglicus.*

B. Virgo ſupremũ locũ cœleſtis patriæ tenet.

Dub. 9. Ad illa verba, Pſalm. 14. verſ. 1. *Domine, quis habitauit in Tabernaculo tuo.* Cur B. Maria dicitur Tabernaculum?

Reſp. Tabernaculum dicitur B. Virgo. *Eccleſiaſt. 24. Et qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo, Quis habitabit in Tabernaculo tuo.* Quaſi dicat: ſolus Chriſtus carnem de ipſa ſumendo. *Ezechiel 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi. Hugo Cardinalis.*

Solus Chriſtus habitauit in B. Virgine carnem de ipſa ſumẽdo.

Dub. 10. Ad illa verba, Pſalm. 14. verſ. 1. *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo.* An B. Virgo dicatur Tabernaculum, in quo eſt habitandum?

Reſp. Tabernaculum dicitur B. Virgo Maria, quis habitauit, de ea confitendo, & ſpem ſuam in ea totam ponendo? *Beatus Bernardus.* Ille Beata Virgo laudes tuas fileat, qui te fideliter inuocatam ſenſit in ſuis neceſsitatibus defuiſſe. In hoc Tabernaculo debemus habitare, quando pluuia tentationis imminet, *Prouerb. Vltim.* Confidit in ea cor viri ſui. *Hugo Cardinalis.*

Spes noſtra in B. Virgine ponenda.

Imminente tentatione, confugiendum ad B. Virginem.

Dub. 11. Ad illa verba, Pſalm. 17. verſ. 10. *Inclinauit cœlos, & deſcendit.* An cœlum dicatur Beata Virgo?

Reſp. Nec caret natura, & proprietate cœleſti Virgo Beatiſsima, ad cuius vterum ſub intrandum per Incarnationem Verbi eſt Diuinitas inclinata, quando inclinauit cœlos, & deſcendit: ibi Verbum Dei ſe inclinauit; & carne indutum ad nos venit: Cœli itaque puritatem in ſe habere debuit Maria, de cuius mundiſsimis particulis illa puriſsima caro Verbi cœleſtis vnibilis eſt aſſumpta. *D. Bonauentura de Eccleſiaſtica Hierarchia, part. 4. cap. 7.*

Summa puritate debuit nitere, quæ Verbum Dei in vtero erat ſuſcepturа.

Dub. 12. Ad illa verba, Pſalm. 17. verſ. 11. *Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit.* Cur dicitur quod aſcendit ſuper Cherubim?

Reſp. Aſcendit ſuper Cherubim, quod interpretatur plenitudo ſcientiæ, quia nulla humana ſcientia attingere poteſt quantum aſcenderit, vel ad quantam gloriam. *Beatus Albert. Magnus lib. 3. de laudibus B. M. §. 13. num. 2.*

Gloriam B. Virginis nulla humana ſcientia poteſt attingere.

Dub. 13. Ad illa verba, Pſalm. 17. verſ. 17. *Miſsit de ſummo, & accepit me.* In cuius perſona hæc dicuntur?

Reſp. Dicitur in perſona naturæ humanæ, vel Eccleſiæ: *Miſsit de ſummo*, ſcilicet, Archangelum ſuum ad Virginem Mariam, in cuius vtero habitauit, & accepit me; ſcilicet, in vnitate ſuppoſi-

In vtero Virginis Eccleſia, coniuncta eſt Deo fœdere ſempiterno.

positi. Nam hæc est Virgo Beata in cuius vtero Ecclesia est coniuncta Deo fœdere sempiterno. *Lucæ* 1. Missus est Angelus Gabriel. *Thomas Anglicus Cardinalis.*

Dub. 14. Ad illa verba, Psalm. 17. vers. 17. *Misit de summo, & accepit me.* In cuius persona hæc verba dicuntur?

℟. Sicut dicit hic *Hieronym.* Deus Pater misit Filium Sponsum ad Sponsam. Verbum enim Sponsum iunxit Sponsę, hoc est, carni in vtero virginis Marię. In ista autem desponsatione obseruatus est antiquus ritus nuptiarum, quo secundùm *Isidor.* 5. *Ethic. cap.* 14. Maritus se, & vxor inuicem emebant, ne videretur vxor ancillissima, id est, seruilis conditionis, & sicut dicit *Philosoph.* 2. *Politicæ*: Lex olim talis fuit in Græcia, vt vir, & vxor conuenirent portantes pretium mutuæ emptionis; sic fuit in proposito. Nam in prima desponsatione sponsus venit sibi sponsam emere, seu potius redimere portans pretium emptionis; videlicet, perfectam obedientiam, ex qua mori voluit, *Psalm.* 110. *Redemptionem misit Dominus.* Sponsa attulit insuper pretium emptionis huius sponsi, videlicet, thesaurum perfectæ castitatis, quam natura humana mediante Virgine gloriosa Sponso suo exhibuit, quæ mouit in eius vteri fieri prædictam desponsationem, *Lucæ* 1. *Magnificat anima mea, &c. quia respexit humilitatem Ancellæ suæ, Psalm.* 37. Accepisti dona in hominibus. Sic autem factum est, vt natura nostra non tanquam Ancilla, sed tanquam Sponsa à Dei Filio tractaretur, ideò dicitur, 1. *Reg.* 25. Sub figura, misit Dauid, & locutus est Abigail, vt sumeret eam sibi vxorem. *Thomas Anglicus Cardinalis.*

Antiquus ritus nuptiarū, quo maritus se, & vxor emebant.

Natura humana non tanquam Ancilla, sed vt Sponsa à Dei Filio tractata in Incarnatione.

Dub. 15. Ad illa verba, Psalm. 17. vers. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine.* Quo sensu hęc verba intelliguntur de de Beata Virgine?

Virtutū exēplis mentes nostras illuminat.

℟. Hanc verè lucernam Dominus illuminauit plenissimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, & fugauit, hoc sentiens *Diuus Bernardus*, ait: O Maria, Tu virtutum tibi in ditarum magnificis exemplis ad imitationem Tui nos prouocas, sicque noctem nostram illuminas, qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ, *Diuus Bonauentura in Speculo Beatæ Mariæ, Lect.* 3.

Dub. 16. Ad illa verba, Psam. 17. vers. 31. *Deus meus impolluta via eius.* Quę via Dei dicitur impolluta?

Beata Virgo via impollutā.

℟. Via qua venit in mundum, sancta, & immaculata Virgo. *Cassiodorus apud Glos. Ordin.*

Dub. 17. Ad illa verba, Psalm. 17. vers. 31. *Deus meus impolluta via eius;* Cur Beata Virgo Maria dicitur via impolluta?

℟. Ista via fuit impolluta, quia Beata Virgo munda fuit, & in conceptione Filij, & in conuersatione; in conceptione, quia in *Psalm.* 76. dicitur: *In Mari via tua*, id est, in Maria. Dicit enim *Diuus Ambrosius in libro quodam*: Transit per mare nauis, & nulla in vnda vestigia, venit Christus de cœlo, & aure concipitur, & in vtero Verbum formatur. Talis Maria remansit postquam peperit qualis fuit antequam Verbum aure conciperet. Vndè *Prouerb.* 3. *Tria sunt mihi difficillia viam nauis in medio maris.* Fuit etiam hæc via impolluta in tota conuersatione, causa fuit, quia semper habuit Solem Iustitiæ incedentem, & deficcantem in suo prospectu, insuper & longo tempore ipsum intra se corporaliter habuit, & ideo nulla macula luti in ea potuit esse, imo si fuisset, statim in instanti consumpta fuisset, quia si Sol esset infinitus, ageret in instanti: Sol autem Iustitiæ, infinitus est, & ideo veniens in Virgine, & agens, per suam lucem, & calorem, statim in eodem instanti omnem luctuositatem in ea consumpsit, nam fomitem peccati corporaliter extinxit, & abstulit. *Hieronymus in libro de Assumptione.* Quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & iustitia, quæ de cœlo prospexit. *Thomas Anglicus Cardinalis.*

Virginitas post partum.

Nulla macula in ea esse potuit, quia Deus inhabitabat eam.

Dub. 18. Ad illa verba, Psalm. 17. vers. 45. *Populus quem non cognouit, seruiuit mihi.* Quommodo hæc prophetia fuit completa in persona Virginis?

Populus Ægyptiorū seruiuit B. Virgini descendenti in Ægyptum.

℟. Virgo Maria valdè timuit (scilicet fugiens in Ægyptum) considerando crudelitatem Ægyptiorum ad pueros Hæbreorum initio, vt *Exod.* 1. patet; Quod occidebant omnes pue-

ros Iudæorum; hoc ſciens Virgo cogitate quommodo dicebat, Domine qui Moyſem liberaſtis ab illo periculo liberate Matrem cum Filio; ſed arbor inclinando ſe ad Virginem in via, & fons de radice ſcaturiens ſignificauit ſibi Ægyptios obſcuratos ex corde; hoc intelligens Virgo Maria fuit conſolata, & tunc fuit completa prophetia Dauid in perſona Virginis dicentis: *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi. D. Vincentius Ferrer Serm. in Octaua Innocentium.*

Quãto locus eſt Soli vicinior, tãto eſt ibi dies clarior,

Dub. 19. Ad illa verba, Pſalm. 18. verſ. 2. *Dies diei eructat Verbum.* An Beata Virgo Maria dicatur dies?

℟. Conuenienter autem Beata Virgo dicitur dies, non qualiſcumque, ſed clariſsima, & longiſsima, cui non ſuccedit nox aliqua. Et ratio eſt, quia Sol eſt cauſa diei, & ideo quanto locus Soli eſt vicinior, tanto eſt ibi dies clarior, & licet hic inferius diei ſuccedat nox propter tenebroſitatem terræ, quæ interponitur, ex quo prouenit, quod vna pars, alterius partis illuminationem impediat; ſuperius tamen in ſphera Solis, eſt dies clariſsima, & perpetua: ſic in propoſito. Nam in cęteris quidem Sanctis à Chriſto Sole Iuſtitiæ illuſtratis, dies erat, ſed non ita clara propter minorem ad Solem appropinquationem, nec ita continua pars vnius partis ad alteram, id eſt, ſpiritus à carne obumbrationem; ſed Beata Virgo fuit quaſi ſphera, & circulus Solis Iuſtitiæ, & ideo fuit dies lucidiſsima, & continua, non enim in ipſa vna pars aliam offuſcabat. *Thomas Anglicus, Cardinalis.*

Quanto Deo proximior, tanto cæteris Sanctis ſplendidior.

Dub. 20. Ad illa verba, Pſalm. 18. verſ. 6. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.* Cur Beata Virgo dicitur Sol.

Virginitatẽ non violata, genuit Chriſtum.

℟. Notandum, quod nomine Solis intelligitur Virgo Maria in Scriptura Sacra propter puritatem virginalis incorruptionis. Quoniam ſicut Sol integritate ſeruata ex ſe emittit radium: ſic Virgo Maria virginitate non violata ſuum genuit radium; ſcilicet, Ieſum Chriſtum. Et iſta ſimilitudo ponitur, *Eccleſiaſt. 26.* Sicut Sol oritur mundo in Altiſsimis Dei; ſic mulieris bonæ ſpecies. *Incognitus.*

Dub. 21. Ad illa verba, Pſalm. 18. verſ. 6. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.* Cur Beata Virgo dicitur Sol?

Habet poteſtatem Dominationis ſupra dęmones.

℟. Propter poteſtatem ſingularis Dominationis. Nam Sol ſingularem poteſtatem habet ſuper dæmones, quoniam ipſi dæmones orto nobis Sole non poſſunt contra nos tantùm ſæuire, ſicut de nocte faciunt, propter quod dicitur *Pſalm. 103.* Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabũtur, & in Hymno dicitur. Hoc excitatus Lucifer, ſoluit polum caligine, omniſque terrorum chorus viam nocendi deſerit. Sic & Virgo Maria omnes ſua poteſtate fugat dęmones, quos ſua poteſtate terret, & fugat, vndè de ipſa dicitur: Quod eſt pulchra vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, *Cant. 6. Incognitus.*

Sol habet poteſtatem ſupra dęmones.

Dub. 22. Ad eadem verba, Pſalm. 18. verſ. 6. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.* Cur Beata Virgo aſsimilatur Soli?

Inter puras creaturas maxima.

℟. Signanter Beata Virgo intelligitur per Solem, quia ſicut dicit *Albumazar*: Omnibus corporibus mundi maior eſt Sol: ſic & Beata Virgo inter omnes puras creaturas maxima eſt, quod patet. Dicit enim *Seneca*: Cum voles veram extimationem ſcire hominis, animum intuere, qualis, & quantus ſit, alieno, an ſuo Magnus. Eodem modo ſi vis extimare magnitudinem, maximè reſpicias ad animum eius, qui magnus erat magnitudine virtutis, & videas an ſuo, an alieno magnus ſit. Videbitis quod certius magni ſunt, ſed tamen alieni. Hęc autem magna fuit, & cum ſuo. Conſtat enim quod Filius Dei, quaſi pars quędam, & portio quędam Matris: igitur quę de Filio ſuo facta eſt magna, & mirabilis eſt huius magnitudo, cuius Deus pars quędã eſſe videtur, quod innuere videtur Eccleſia dicens: *Quem totus non capit Orbis, in tua ſe clauſit viſcera, Eccleſiaſt. 26.* Sicut Sol oriens mundo in Altiſsimis Dei, ſic mulieris bonę ſpecies, & *Cant. 6.* Pulchra vt Luna, electa vt Sol, *Thomas Anglicus Cardinalis.*

Sol mãior eſt omnibus corporibus mundi.

B. Virgo non alieno, ſed ſuo magna.

Dub. 23. Ad eadem verba, Pſal. 18. verſ. 6. *In Sole poſuit.* Cur Beata Virgo dicitur Sol?

Hæreſes mũdi abſtulit.

℟. Sol dicitur Beata Virgo, quia ſicut Sol illuminat, ita & ipſa, quia ipſa abſtulit omnes hęreſes mundi, ſicut cantat Eccleſia: Gaude Maria Virgo cunctas hęreſes ſola interemiſti, inuiolata permanſiſti. *Hugo Cardinalis.*

2. Reſp. B. Virgo Soli comparatur prop-

Sol est omni luce creata in quantitate maior, claritate lucidior, fœcunditate virtuosior.

propter tria, nam Sol est omni luce creatâ in quantitate maior, claritate lucidor, fœcunditate virtuosior: Ita B. Virgo est omni sancto Paradisi maior quantitate meritorum, lucidior claritate præmiorum, virtuosior fœcunditate prolis, & morum, vel miraculorum. Sicut enim Sol est fons lucis, & caloris, & in cuius virtute inferiora germinant; ita B. Virgo Maria, fuit fons illius qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, & cuius virtute, & gratia nos inferiores in bonis operibus germinamus. *Armandus de Vellouisu collat. 17. de Annuntiatione Dominica.*

B. Virgo maior omni Sancto quantitate meritorũ, lucidior claritate præmiorum, virtuosior fœcũditate prolis.

Temporalia contempsit.

Dub. 24. Ad eadem verba, Psalm. 18. vers. 6. *In Sole posuit.* Cur Beata Virgo dicitur Sol?

Resp. Sicut Sol fertur super Lunam, sic ipsa supra temporalia, vnde *Apoc. 12. Apparuit signum magnum in cœlo mulier amicta Sole*, id est, Maria habens proprietates Solis, & Luna sub pedibus eius. *Hug. Cardinalis.*

Sol fertur super Lunam.

Sola stetit in fide in Passione Filij.

Dub. 25. Ad eadem verba, Psalm. 18. vers. 6. *In Sole posuit.* Cur Beata Virgo assimilatur Soli?

Resp. Sicut lumen Solis nunquam deficit; sic sola Virgo sola stetit in fide in Passione: vnde *Cant. 7. Statura tua*, qua; scilicet, in fide stetisti, *assimilata est palmæ*; quæ virorem foliorum nunquam amittit; sic nec Tu fidei virtutem. *Hugo Cardinalis.*

Lumen Solis nunquam deficit.

Habuit priuilegia quibus maior fuit omni muliere.

Dub. 26. Ad eadem verba, Psalm. 18. vers. 6. *In Sole posuit.* Cur Beata Maria comparatur Soli?

Resp. Dicit Astronomus, id est, transcendens Philosophus, Solem octies esse maiorem terra; sic Beata Virgo octo habet priuilegia, quibus maior est omni terra, id est, omni fœmina, vel omni rationali creatura: Ipsa enim nec primam visa est nec habere sequentem. Prima, est noua professio virginitatis. Vnde *Lucæ 1. Quoniam virum non cognosco*, id est, me non cognituram propono, nulla ante ipsam professa fuerat virginitatem. Vnde rectè dicitur: *Virgo Virginum*, quasi signifera, & exemplar virginitatis. Secunda, excellentia humilitatis, Vnde *Lucæ 1. Ecce Ancilla Domini*, & infra: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Tertia, conceptio sine libidine. Vnde *Lucæ 1. Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vnde per rubum significatur *Exodi 3.* Quarta, partus sine dolore: vnde *Lucæ 1. Aue gratia plena.* Quinta, fœcunditas sine corruptione. *Lucæ 1. Ideòque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Sexta, virginitas singularis. Multæ peperierunt Duces, & Reges: sola Maria peperit Filium Dei, vt in prædicta authoritate. *Eccles. 24. Quasi cedrus exaltata sunt in libano.* Septima, ministratio specialis; Multæ aliæ, & multi alij receperunt Filium Dei in domibus suis, vt Martha. *Lucæ 10.* Zacheus. *Lucæ 19.* & Pharisæus. *Lucæ 7.* sola Maria in proprio vtero non vno die, sed nouem mensibus. *Eccles. 24. Et qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo.* Vnde in Assumptione legitur Euangelium de Maria, & Martha, quia Beata Virgo vtrumque officium plenissimè habuit. Contemplatiua fuit, & solitaria. Vnde: *Ingressus Angelus ad eam, Lucæ 1.* Item: *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Lucæ 2.* sicut Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, *Lucæ 10.* Item Marthæ habuit officium, quia Christum in hospitio ventris sui recepit, & ei multis annis ministrauit, & etiam Elizabeth cognatæ suæ, *Lucæ 1.* Octaua dignitas fuit suscitatio corporalis. *Hug. Cardinalis.*

Fœcunda fuit sine corruptione.

Multæ peperierunt Duces, & Reges, ipsa Filium Dei.

Specialiter ministrauit Christo.

Vitæ actiuæ, & contemplatiuæ dedita.

Dub. 27. Ad eadem verba, Psalm. 18. vers. 6. *In Sole posuit Tabernaculum suum.* Quomodo hæc verba de Beata Virgine intelliguntur?

Resp. Per Solem intelligitur Beata Virgo, in qua Deus posuit Tabernaculum suum, & habitationem. *Psalm. 131. Hic habitabo quoniam elegi eam, vel Tabernaculum*, id est, carnem assumptam, quam in vtero Filius Dei posuit, quia ipse eam cum Spiritu Sancto formauit. *Thomas Anglicus, Cardinalis.*

In B. Virgine congruẽtem habitationẽ Deus sibi elegit.

2. Resp. Ad bonum domus ordinatorem pertinet vnicum locum secundum conditionem conferre, vt primis, & maioribus, & nobilibus, locus prior, & honorabilior, & nobilior conferatur, & minoribus minor, & mediocribus mediocris dirigatur. Hoc similiter est in naturalibus; Deus enim qui fecit omnia in ordine, & mensura, nobilibus auibus, dedit locum altiorem, vt Aquilæ. *Iob 34. Ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponit nidum suum.* Ignobilibus dedit locum inferiorem, vt passeribus. *Psalm. 101. Passer solitarius in tecto, illic passares nidificabunt.* Ad propositum Deus Pater voluit mittere Filium in mundum, & quia ipse sicut nobilissima Aquila, quæ prouocat ad volandum filios suos. *Deuteronom. 32.* Non debuit sibi dare nidum, & tectum vte-

Locus conferendus secundum conditionem cuiusque.

Verbum Diuinum, non debuit carnẽ assumere in vtero cuiuslibet mulieris, sed in B. Virgine.

vteri cuiuslibet mulieris, vbi est nidus communis hominum, sed oportuit, vt eligeret sibi tanquam Aquilæ Regiæ nidum in arduis in loco alto, & in præruptis salicibus, hoc est, in Virginis almæ visceribus, in quo loco Altissimo per merita, & virtutes, Deus Pater Tabernaculum, & nidum Filio suo fecit, sicut ipse Filius promiserat. *Leuitic. 26. Ponam Tabernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos, & ero vester Deus.* Et hoc factum est, & completum in Annuntiatione, de quo dicitur hic: *In Sole posuit Tabernaculum suum. Armandus de Vellouisu, Ord. Prædicat. collat. 17. de Annuntiatione Domin.*

Christo similis.

Dub. 28. Ad eadem verba, Psalmus 18. vers. 6. *In Sole posuit Tabernaculum suum.* Quando Deus posuit in Sole Tabernaculum suum?

Resp. In Sole, id est, in vtero Sanctæ Mariæ Virginis; Maria interpretatur Stella Maris, Sol Iustitiæ Dominus; illuminauit Sol iste Stellam, id est, Mariam, vt esset sicut Sol, ideò posuit Tabernaculum suum in Sole, quando corpus assumpsit de vtero suo. *D. Hieronymus.*

Cui Deus misit Filium suũ vestitum carne nostra.

2. Resp. Quod Deus fecit Incarnationem, sicut sapiens piscator, qui talis volens capere pisces in hamo non proijcit, nec ostendit ferrum nudum piscibus, sed coopertum carnibus prosequuntur, & capiuntur; sic fecit Deus, volens capere homines, & ad se trahere, misit Filium, non nudum vtique, quia Diuinitatis potentiam horruissemus, & fugissemus sed vestitum carne nostra, vt ei similes prosequeremur, & ab ipso traheremur, & ideò antequam ipsum ad mundum, & ad mundanos proiiceret, posuit eum in camera vteri virginalis, vbi eum in carne nostra posuit, & vestiuit, quod factum fuit in Dominica Annuntiatione. *Armandus de Vellouisu collat. 17. de Annuntiatione Dominica.*

In B. Virgine inchoatur perfectio, vbi aliorum consumatur.

Dub. 29. Ad illa verba, Psalm. 21. ver. 4. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Cur in capite corona de lapide pretioso?

Resp. Tibi verò Sanctissima Deipara non vnus lapis pretiosus capiti imponitur, sed plurimi pedibus substernuntur, iuxta illud: *Ecce sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris. Isai. 54. num. 11.* Quia ibi Tua inchoatur perfectio, vbi aliorum consumatur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. Vers. 11. num. 22.*

Verbum Diuinum cur in B. Virg. carnem assumpsit.

2. Resp. Notando, quod nobile, pretiosum, & charum depositum non nisi in loco pretioso, & nobili debet poni; sic Filius Dei cum esset nobilissimum depositum, non nisi in loco nobilissimo à Deo debuit poni in Virginis thalamo. Fecit enim sicut Aquila, quæ ad fœcundandum in nido suo, ponit lapidem pretiosum Ethithem. *Armandus de Vellouisu collat. 20. de Assumptione B. M. Virg.*

Dub. 30. Ad illa verba, Psalm. 21. ver. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo.* Cur Christus voluit se vermi comparare?

De sola, & pura Virgine Christus natus est.

Resp. Scito præterea vniuersorum conditorem vermiculo se voluisse comparare; quoniam sicut vermis, nulla extrinsecus ad mixtione alieni corporis; sed de sola, & pura terra procreatur; ita & Saluator de sola, & pura Virgine natus est. *Didacus Aluarez, Episcopus, Ord. Prædicat. in cap. 7. Isaiæ, num. 25.*

Christus dicitur vermis.

2. Resp. Ego sum vermis, & non homo, quod videtur quidem ad commendandam humilitatem simpliciter dictum, vt se in oculis persequentium, abiectissimum quiddam, & contemptissimum demostraret. Sed non est contemnenda altitudo secreti profunditasque Mysterij præsertim in eis verbis, quæ tanto Saluatori in prædicatione prophetiæ cooptantur. Dictus est hic sensus elegantissimus à prioribus, ideò se hoc nomine Christum prænuntiari voluisse, quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut ille natus est de Virgine. *D. Augustinus epist. 120. cap. 8. & in Psalm. 21. Adrianus Mangotius. D. Ambros. in Psalm. 35.*

Humilitas Christi in Passione.

Christus sine cõcubitu natus de B. Maria.

Dub. 31. Ad illa verba, Psalm. 21. ver. 10. *Tu es qui ex traxisti me de ventre.* Cur singulariter dicit Filius, Tu extraxisti me de ventre, quasi alios Deus non extrahat?

Resp. Quid est tu extraxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum procreatum refertur, quasi alios Deus non extrahat in cuius prouidentia est ordo nascendi; an inde significare voluit partum Virginis seruata Virginis integritate mirabili, cum ait: Tu extraxisti me de ventre Matris meæ, vt quod ibi mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur. *D. Augustinus.*

Partus Virginis seruata mirabiliter integritate.

Dub. 32. Ad illa verba, Psalm. 21. ver. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Cur Passio Christi narratur in manibus, & pedibus præcipuè facta?

Passio Christi valdè sensibilis, quia delicatissimus.

Resp. Quanto quis est delicatior, & complexionem habet corporis melius dis-

diſpoſitam, tanto magis affligitur, & dolorem ſentit ex aliqua læſsione corporis ipſius, & hinc eſt quod de eadem perſecutione, & omnino ſimili infirmitate magis grauatur, & dolet delicatus, quàm ruſticus; quanto etiam pars corporis quæ patitur læſsionem, eſt magis ſenſibilis, tanto læſsio magis affligit. Vnde videmus per experientiam, quod frigus, vel alia læſsio magis affligit in manibus, vel pedibus quàm in reliquis partibus corporis; ex eo quia eſt pars magis ſenſibilis propter concurrentiam plurium oſſium, neruorum, & venarum: cum autem præcipuè Paſsio Chriſti fuerit in manibus, & pedibus facta propter confixuram eorum cum clauis in Cruce, & ſuſpenſionem totius corporis in illis: ideò quando Virgo Mater vidit impleri illud *Pſalmi* 21. in Perſona Filij dictum: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea*, id eſt, ira violenter extenderunt in Cruce, vt poſsint ſigillatim omnia oſſa mea dinumerari, maximè doluit Filius per Paſsionem, ipſa per compaſsionem. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 41. §. 1.*

Filius doluit per paſsionem, Mater per compaſsionem.

Dub. 33. Ad illa verba, Pſalm. 21. ver. 23. *In medio Eccleſiæ laudabo te.* Quo ſenſu hæc verba intelliguntur de Beata Virgine?

Reſp. In medio Eccleſiæ, id eſt, in viris perfectis, qui ſunt quaſi medium Eccleſiæ, ipſi Eccleſiæ magis intimi. Inter quos Beata Virgo fuit ſimpliciter medium propter duo. Primo, quia Eccleſia, cœlum eſt, *Pſalm.* 10. Dominus in Templo ſancto ſuo, in medium verò cœli, inter duos Polos eſt circulus æquinoctialis, in quo cum fuerit Sol, eſt æquinoctium apud omnes, id eſt, nox, & dies æquantur; ſic & Sol Iuſtitiæ in vtero Virginis æquinoctium fecit, quia nox æquata eſt diei, quia creatura ad æqualitatem, & identitatem ſuppoſiti Diuini aſſumpta eſt. Hoc autem factum eſt in vtero Virginis. In quo patet quodammodo veritas opinionis quorundam Philoſophorum, qui dicunt, quod ſub æquinoctiali eſt habitatio optima. Vnde dicit *Auicena* 1. *cauſar.* Quod omnes diſpoſitiones habitantes in linea æquinoctiali ſenſibiles ſunt, id eſt, non diſtemperatur ſenſibiliter. Sic, & quidam Theologi poſuerunt Paradiſum terreſtrem ſub æquinoctiali, propter loci temperantiam. Omnia iſta vera ſunt de noſtra æquinoctiali linea prædicta, ſub qua morantur, qui eius ſeruitio mancipantur. Iſti omnes diſpoſitiones habent nobiles, nec poteſt eis accidere aliqua diſtemperatio ſpiritualis, ſed ibi eſt vera noſtra habitatio Paradiſi. *Eccleſiaſtici* 40. *Sicut Paradiſus in benedictionibus*, quia nihil mali poteſt accidere ſic habitanti. *Bernard. homil. 2. ſupermiſſus eſt.* In periculis in angustijs, in rebus dubijs cogita Mariam, inuoca eam, non recedat ab ore tuo, ipſam ſequens non deuias, ipſam orans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corrueris, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis. *Pſalm.* 47. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui. Thomas Anglicus, Cardinalis.*

Eſt æquinoctium, cũ Sol eſt in circulo æquinoctiali.

In Incarnatione Verbi, creatura ad æqualitatem, & identitatẽ ſuppoſiti Diuini aſſumpta eſt.

Sub æquinoctiali eſt habitatio temperata.

Nihil mali accidere poteſt B. Virgini ſeruienti.

Dub. 34. Ad eadem verba, Pſalm. 21. verſ. 23. *In medio Eccleſiæ.* An B. Virgo dicatur medium Eccleſiæ?

Reſp. Ipſa eſt medium Eccleſiæ, quia Eccleſia comparatur terræ, *Pſalm.* 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem*, medium autem terræ poteſt dici B. Virgo, quia medium terræ eſt infimum mundi, ſic & Maria eſt humiliſsima. *D. Bernard. homil. 4. ſupermiſſus eſt*: ſemper ſolet familiaris gratiæ Diuinæ virtus eſſe humilitas; Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, igitur quæ fuit plena gratia, fuit plena humilitate. *Pſalm.* 103. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*; ſcilicet, gratiarum. *Thomas Anglicus, Cardinalis.*

Humilior omnibus.

Quia plena gratia, plena humilitate.

Dub. 35. Ad eadem verba, Pſalm. 21. verſ. 23. *In medio Eccleſiæ.* Cur Beata Virgo dicitur medium Eccleſiæ?

Reſp. Quia ad medium terræ mouentur naturaliter grauia tanquam ad locum conuenientem, & maximè ſe ſaluantem. Sic, & qui peccatorum onere grauantur currant ad Mariam tanquam ad ſingulare, & ſalutare refugium. *D. Bernard. homil. 2. Vbi ſupra*, ſi immanitate criminum turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij onere perterritus, baratro incipias abſorberi, triſtitiæ deſperationis abiſſo, cogita Mariam; & *ſerm. de Spiritu Sancto.* Ad iſtam enim ſicut ad medium, ſicut ad Arcanum Dei reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab eis. Merito autem in Te reſpiciunt oculi omnis terræ, & de Te, & per Te benigna manus Creatoris, quidquid creauerat recreauit, *Pſalm.* 73. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

Singulare, & ſalutare refugium peccatorum.

Tho-

Thomas Anglicus, Cardinalis.

Dub. 36. Ad illa verba, Pſalm. 23. verſ. 1. *Domini eſt terra.* An Beata Virgo huius mundi meruit Principatum?

Mundi habuit Principatū, & Regnum.

Reſp. Virgo Beatiſsima omnem huius mundi meruit Principatum, & Regnum, quia Filius eius in primo inſtanti ſuæ Conceptionis Monarchiam totius promeruit, & obtinuit vniuerſi, ſicut Propheta teſtatur dicens: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. D. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 71. cap. 7.*

Dub. 37. Ad eadem verba, Pſalm. 23. verſ. 1. *Domini eſt terra.* An Beata Virgo dicatur terra?

Reſp. Id eſt, Beata Virgo, de qua *Iſaiæ 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Pſalm. 84. Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Deuter. 33. De benedictione Domini terra eius.* Et dicitur terra propter proprietates, quæ continentur his verſibus, nigra, rotunda, capax, medians, circundata, fæta, integra, ſtans, humilis, cibat omnia, continet aurum. Nigra dicitur, quia de genere Iudæorum, & vilis exterius reputata. *Cant. 1. Nigra ſum, ſed formoſa*; item rotunda, id eſt, perfecta, *Cant. 6. Vna eſt Columba mea, perfecta mea.* Item capax, *Eccleſiaſt. 24. Et qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Item mediatrix noſtra ad Deum hæc eſt enim Eſther, quæ liberauit populum morti adiudicatum, *Eſther 6.* Vnde in die Paſsionis ſtetit iuxta Crucem ex parte Aquilonis, quaſi inter peccatores, & Filium ſuum. Item circundata in tribulatione. *Luc. 2.* Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius: Item fæta, *Geneſ. 1. Producat terra herbam virentem.* Item integra. *Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, Ezechiel 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur.* Item ſtabilis, *Eccleſiaſtes 1. Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.* Et ipſa ſola ſtetit in fide Diſcipulis fugientibus. Item humilis, *Lucæ 1. Ecce Ancilla Domini.* Item cibat omnia, *Eccleſiaſtici 24. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Item continet aurum. *Geneſ. 2. Aurum terræ illius, aurum optimum eſt, Pſalm. 84. Veritas de terra orta eſt.* Hæc terra eſt Domini, & quia eſt Dominica Mater, nutrix, cultrix, Filia, Diſcipula, & Ancilla. *Hugo Cardinalis.*

Fuit de genere Iudæorum, & vilis exterius reputata, ſed formoſa.

Virtutis perfectiſsimæ.

Mediatrix inter Deum, & peccatores.

Tribulationibus circundata.

Fœcunditas, & integritas Virg.

Sola ſtetit in fide.

Omnia cibat

Dub. 38. Ad illa verba, Pſalmus 25. verſ. 7. *Et enarrem vniuerſa mirabilia tua.* Quæ nam ſunt vniuerſa mirabilia Domini?

Ad vnam vocem concepit.

Reſp. Mirabile enim fuit in conceptione, quod ſtatim ad vnam vocem, ſcilicet: *Ecce Ancilla Domini.* Concepit mulier de Spiritu Sancto. Vnde *Bernardus*, ô Virgo quid tardas? quid trepidas? profert verbum, & ſuſcipe verbum; Mirabilius quod ſine ſemine, ſecundum quod dicit *Pſalm. 84. Terra noſtra dabit fructum ſuum*; Mirabiliſsimum quod talem virum concepit adeo ſapientem, & potentem, ſicut Deus Pater potuit ipſum facere. *Ierem. 31. Creauit Dominus nouum ſuper terram fœmina circundabit virum*, non dicit puerum, ſed virum. Item in Natiuitate inter alia mirabilia mirabile fuit quod Mater Virgo, Deus homo, Verbum caro. *Hugo Cardinalis.*

Concepit ſine ſemine.

Concepit Filium adeo magnum, ſicut Deus Pater poterat facere.

Mirabile, quod Mater, & Virgo eſſet.

Dub. 39. Ad illa verba, Pſalm. 27. verſ. 10. *Et refloruit caro mea.* Quommodo caro Chriſti floruit, & refloruit?

Reſp. Primo floruit in carne in conceptione, & ratio eſt, quia ſicut dicit *Philoſophus 2. de Vegetabilibus.* Flos de ſubtili materia tantum exit, corpus autem Chriſti fuit de ſubtili materia, quia ſecundum *Damaſcenum*, fuit formatum de puriſsimis ſanguinibus Virginis, & quia nulli fuit craſitiei peccati obnoxium. *D. Bernard. in ſermone de Aduentu.* Vtique Filius Virginis flos candidus, & rubicundus electus ex millibus, flos in quem deſiderant Angeli reſpicere, flos ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui, propterea dicitur, *Cant. 2. Ego flos campi, & lilium conuallium.* Poſt modum flos iſte emarcuit in Paſsione, *Iſai. 53. Non eſt ſpecies ei neque decor*, nec mirum ipſe eſt enim de quo dicitur *Pſalm. 18. In Sole poſuit Tabernaculum ſuum*, id eſt, Soli Diuinitatis expoſuit corpus ſuum. *Iacob. 1. Exortus eſt enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum*, id eſt, carnem, quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos eius decidit decor vultus deperiit. Refloruit autem iſta caro in ſua Reſurrectione, quando; ſcilicet, maioris gloriæ immortalitate induta eſt. Sicut dicit *Iſidorus 17. Ethimol.* Quod in floribus eſt duplex gratia; ſcilicet, coloris, & odoris, quæ ſingulariter fuit in illa carne, gratia quidem coloris, *Matth. 17. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*; gratia autem odoris, *Cant. 4. Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Et ibidem paulo ante*

Corpus Chriſti de ſubtili materia, puriſsimis ſcilicet, ſanguinibus Virginis formatum.

In flore eſt color, & odor.

Caro Chriſti in Reſurrectione maioris gloriæ immortalitate induta eſt.

odor

odor vnguentorum tuorum, ſicut odor thuris, ideò ſibi competit illud, *Eccleſ. 50. Quaſi flos roſarum in diebus Vernis. Thomas Anglicus, Cardinalis, Ord. Prædicatorum.*

Vnicornium in ſinu Virginis puellæ feritatem deponit, & mitteſcit.

Dub. 40. Ad illa verba, Pſalm. 28. verſ. 6. *Dilectus quemmadmodum filius vnicornium.* Cur Chriſtus dicitur vnicornis?

Reſp. Eſt vnicornis, vt notauit *Sanctus Greg. 31. Moralium, cap. 10. & Geminian. lib. 5. de ſimilitudinib. cap. 123.* Animal terribile, iracundum, ſed vt capiatur, Virgo puella illi in campo proponitur, cuius odore delectatus ad eam venit, & in ſinu illius omni feritate poſtpoſita, caput deponit, & manſueſcit, & à quibus quæritur, capitur ibi, & ligatur: ſic dilectus Filius Dei, quemmadmodum vnicornis terribilis erat, terra tremebat in conſpectu illius, *Pſal. 75. Tu terribilis eſt*, inquit Propheta: *Et quis reſiſtet tibi, & tunc ira tua, de cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit*: ſed ecce in ſinum Virginis deſcendit pudoris virginei odore attractus, illius videlicet de quo ſcriptum eſt; Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum, *Cant. 1.* Mira res ille in accubitu Patris Rex, ſed in ſinu Virginis Matris dilectus, ibi manſueſcit, ibi neſcit iraſci, ibi capi potuit, & ligari, & pannis infantiæ inuolui. *Didacus Aluarez, Epiſcopus, Ord. Prædicat. in cap. 5. Iſaiæ, num. 2. & Beatus Albert. Magn. lib. 6. de laudib. B. M. cap. 10. num. 2.*

Deus in ſinu Virginis deſcendens mâ fueſcit.

Dub. 41. Ad illa verba, Pſalm. 28. verſ. 4. *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Mariæ?

Reſp Poteſt verſus iſte aptari verbo Angeli, quod dictum fuit Virgini, vox iſta in virtute promiſsionis inæſtimabilis; Promiſsit enim duo, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, quod enim ex te naſcetur, ſanctum vocabitur.* Fuit etiam magnificentia operis amabilis, quod tangit *S. Bernardus ſerm. de Spiritu Sancto.* Miſſus eſt coluber tortuoſus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, totius poſteritatis originem. Miſſus eſt iterum Angelus Gabriel à Deo, vt verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, & in ipſius mentem eructaret, vt eadem via intraret antidotum, qua venenum intrauerat. Dicit *Auicena 5. de animalibus.* Quod aliquæ aues impregnantur à vento veniente à parte ſuorum maritorum, & auditu vocis eorum; ſic & auis Benedicta Virgo Beata, Dei Sponſa ſpecioſa, Spiritu Sancto afflata, & voce ſui Sponſi cum omni deuotione audita impregnata eſt. *D. Auguſtin. in ſerm. de Annuntiatione*, ſola impregnata, nec vitiata, exonerata, nec euacuata, quia ſic eſt ab Angelo ſalutata: Aue gratia plena. Ideò dicere poterat Virgo Benedicta illud *Iſaiæ 22. Reuelata eſt in auribus meis Vox Domini exercituum Thomas Anglicus, Cardinalis, Ord. Prædicatorum.*

Eadem via intrauit remedium, qua intrauit damnum.

Aliquæ aues impregnantur à vento.

B. Virgo vocem ſui Sponſi Spiritus Sancti audita, impregnata eſt.

Dub. 42. Ad illa verba, Pſalm. 30. verſ. 22. *Quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in Ciuitate munita.* An Beata Virgo dicatur Ciuitas munita?

Nec per oculos Virginis, nec per ſenſus patuit aditus ad culpã.

Reſp. Poteſt aptari Beatæ Virgini, quæ fuit Ciuitas benè munita duplici muro, & vt ita dicam muro, & antemurali. Dicit enim *Bernardus in ſermone de dedicatione.* Bonus continuè eſt, qui ſic vndique circundatur, & circum agitur, vt nec per oculorum feneſtras, nec per cæteros ſenſus detur morti ingreſſus, bonum autem murale pacientiæ quod primos hoſtis ſuſtinet impetus. Conſtat autem quod in hac Ciuitate fuerunt iſta altius, quam alibi poſſent reperiri. Fuit etiam munita foſſatis profundiſsimæ humilitatis, & obedientiæ. Non etiam defuerunt aquarum copiæ, id eſt, deuotionis, & compaſsionis lachrymæ, inſuper, & tanta profunditas fouearum, non poterat eſſe ſine magna copia aquarum, id eſt, cœleſtium gratiarum. *Pſal. 86. Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei. Thomas Anglicus, Cardinalis.*

Paticntia mũrale iuſtorũ.

B. Virgo munita humilitate, & obedientia.

Dub. 43. Ad illa verba, Pſalm. 30. ver. 22. *Mirificauit miſericordiam ſuam mihi in Ciuitate munita.* Quommodo Deus in Ciuitate munita mirificauit miſericordiam ſuam?

Reſp. In hac Ciuitate miram fecit Deus miſericordiam ſuam nobis, fecit enim vt Virgo Deum pareret, & Ancilla Mater Domini ſui fieret. *Auguſt. in ſerm. quodam Natiuitatis*: Mira eſt potentia, ſed plus miranda eſt miſericordia quod ille, qui ſic naſci potuit, ſic naſci voluit, *Lucæ 1. Fecit mihi magna. Thomas Anglicus, Cardinalis.*

Magna Dei miſericordia quod Virgo Deum pareret, & Ancilla Mater Dei fieret.

Dub. 44. Ad illa verba, Pſalm. 32. verſ. 14. *De præparato habitaculo ſuo reſpexit.* Cur Beata Virgo dicitur præparatum habitaculum?

Specialiter præparata à Deo ad habitandum.

Reſp. De præparato habitaculo ſuo, id eſt, de Beata Virgine, quam præparauit, id eſt, præ alijs parauit ad habitandum,

dum. Respexit super omnes qui habitant terram, id est, super omnes peccatores, vnde *Psalm. 101. Dominus de cœlo prospexit, vt audiret gemitus compeditorum & solueret filios interemptorum. Hug. Cardinalis.*

Deus amore B. Virginis captus venit in mundum.

Dub. 45. Ad illa verba, Psalm. 32. vers. 14. *Respexit super omnes filios hominum.* Cur dicitur quod de cœlo respexit super omnes filios hominum?

Resp. Inter quos vidit vnam puellam, quæ magis placuit ei, & captus amore eius venit in terram Beatam Virginem dico, *Eccles. last. 16. Post hæc Deus in terram prospexit*, id est, in Beatam Virginem, *& implevit illam bonis suis*, quando Angelus dicit: *Aue gratia plena Dominus tecum. Hug. Cardinalis.*

2. Resp. Bellatorum sapientum, & peritorum est, cum volunt de inimicis habere victoriam, & triumphum, quod priùs præmissa, & directa acie Princeps exercitus insidijs se abscondat in locum occultum, in vallem aliquam, vbi minimè videatur, & minimè esse credatur; & demum primo exercitu fatigato de valle exeat, de insidijs in hostes irruat, & omnes percutiens de hostibus habet victoriam, & triumphum. Spiritualiter Deus est bellator peritissimus, ipse namque fortis in prælio, vnde Dominus exercituum nomen illi. Ipse igitur de hostibus dæmonibus, qui terram suam, & homines suos inuaserant, & hostiliter captiuauerant, volens habere victoriam præmisit acies varias Patriarcharum, Prophetarum, & Sanctorum præcedentium, qui tandiu in bello fuerunt fatigati, vt Dauid vnus ex illis bellator fortissimus clamaret, *Psalm. 118. Defecit in salutare tuum anima mea, & in Verbum tuum superspraui*, tandem videns hoc non sufficere, posuit à tergo hostibus insidias, & in loco credito, & occulto, in valle humili Virginali vtero occultauit: vnde subito in hostes irruēs, & eos ex insperato percutiens, victoriam habuit, & à dæmonum seruitute suos homines liberauit. In B. Virgine absconditus Deus, & celatus, & de hac contra hostes respiciens, & in suos filios, illos quidem postrauit, & istos saluauit. Et hoc dicunt verba proposita: *De cœlo respexit, de cœlo*, id est, de B. Virgine Deum celante, quia cœlum dicitur à celando, *Respexit Dominus, & vidit omnes filios hominum*: vidit inquam oculo misericordiæ compatientis, & saluantis. *Armandus de Vellouisu collat. 28. de Annuntiatione Dominica.*

Christus in B. Virg. parauit insidias diabolo.

3. Resp. Notando quod aliter aspicit Sol, aliter basiliscus. Nam Solis aspectus res viuificat, vt patet in arboribus, & alijs viuentibus: sed aspectus basiliscj interficit, & mortificat; vnde res viuentes circa locum vbi basiliscus moratur, mortificantur, & marcescunt. Diabolus basiliscus iste semel oculo suæ malignitatis hominem viuentem aspexit; & quamuis vitam mentiendo promitteret dicens: *Nequaquam moriemini, Genes. 3.* tamen viuentem hominem interfecit, & in tantum quod totum humanum genus mortificauit, & in nullo homine esset vigor vitæ. Vnde *Abacuc 3. Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt colles sæculi.* Sed Christi veri Solis aspectus genus humanum mortificum oculo suæ benignitatis ad vitam reduxit, & hoc factum est, quando de Virgine carnem trahens oculum suæ misericordiæ ad nos direxit. *Armandus de Vellouisu vbi supra.*

Aspectus Solis res viuificat, sed basilisci mortificat.

Christi aspectus genus humanum viuificauit.

Dub. 46. Ad illa verba, Psalm. 39. vers. 1. *Expectans expectaui Dominum.* Quommodo hæc verba de Beata Virgine intelliguntur?

B. Virgo expectabat partum cum gaudio.

Resp. Sciens Virgo secundùm communem cursum quod mulieres portant nouem mensibus proles, ipsa cum Ioseph computabat menses; ideò Virgo Maria hodie expectabat illam gaudiosam Natiuitatem videre: & sicut mulieres quæ sunt iuxta partum parant sibi necessaria; ita Beata Virgo Maria: Et expectabat cum magno gaudio, & poterat dicere expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Nota *expectans*; scilicet, Deum semper expectaui, modo maximè, & *intendit mihi*, id est, accensum desiderium accendet interate, formalis est, quando ignitum plus ignitur; sic desiderium incensum Virginis, plus incendebatur hodie. *D. Vincentius Ferrer Vigil. Natiuitat. Christi.*

Desiderium Virginis plus incendebatur iuxta partum

Dub. 47. Ad illa verba, Psalm. 44. vers. 2. *Lingua mea calamus scribæ.* An Beata Virgo dicit posit calamus scribæ?

Spiritu Sancto mouente, dixit B. Virgo: Ecce Ancilla Domini.

Resp. Lingua eius eucharis, quæ calamus erat scribæ velociter scribentis; scilicet, Spiritus Sancti. Ipso scriba mouente calamum eructauit verbum bonum, mellifluum, & suaue: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* In hoc autem verbo nectareo in tantum exhilarauit de salute nostra solicitum Regem cœli, quod quasi factus immemor iniuriæ primorum parentum à Sede Regali statim descenderit

ve-

velut depoſito diademate gloriæ, & cęlos diſrumpens exiliret eodem momento de ſinu Paterno in vterum virginalem. Vociferans illud *Prouerb.* 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Beatus Albertus Magnus lib. 2. cap. 2. num. 20.*

Gratia diffuſa in orationibus, & colloquutionibus B. Virginis.

Dub. 48. Ad illa verba, Pſalm. 44. v. 3. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Quæ gratia diffuſa in labijs Beatæ Mariæ?

Reſp. Benedicta eſt Maria propter gratiam labiorum eius iuxta illud *Pſal. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* O quanta in orationibus deuotiſsimis, quanta in collationibus vtiliſsimis gratia in labijs Mariæ fuit! O quanta ad homines, quanta ad Angelos, quanta ad Dominum gratia ſemper fuit in labijs Mariæ! Ipſe namque Deus verba labiorum eius libenter audiuit. *D. Bernardus hom. 4. ſuper miſſus eſt.*

Beata Maria Deo placuit ex ſilentio, ſed magis ex verbo, dicęs: Ecce Ancilla

2. Reſp. Cui placuiſti ex ſilentio, iam magis placebis ex verbo, cum ipſe tibi clamet è cœlo ò pulchra inter mulieres fac me audire vocem tuam. *D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Mariæ, Lect. 14.*

Habet conditiones boni aduocati.

Dub. 49. Ad illa verba, Pſalm. 44. verſ. 9. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu de aurato circundata varietate.* Cur à dextris eſt in veſtitu de aurato, circundata varietate?

Reſp. Eſt aduocata generis humani. Bonus aduocatus debet habere diligentiam, & coram Rege aliquam potentiam, & coram familia Regis magna gratiam, & in proponendis allegationibus magnam ſapientiam: iſta quatuor ſunt in Maria, quæ etiam de ea tangit propheta dicens: *Aſtitit à dextris tuis*, ecce quantæ diligentiæ, *Regina*, ecce quantæ potentiæ, *in veſtitu de aurato*, ecce quantæ ſapientiæ, per aurum enim ſapientia deſignatur. *Circundata varietate*, id eſt, Sanctorum multiplicitate, ecce quantæ in conſpectu familiæ Regis beneuolentiæ, & reuerentię, ibi enim eſt color aureus Apoſtolorum, rubeus Martyrum, cœleſtis Confeſſorum, albus Virginum. Omnes enim iſti Virginem circundant, & eam tanquam Reginam ſuam aſſociant. *Iacobus de Voragine ſerm. 8. in Aſſumptione Beatæ Mariæ, & ſerm. 2. Sabbat. 3. Dominicæ Quadrageſimæ.*

B. Virgo in cœlo ad prealtum glorię, & dignitatis gradum prouecta.

2. Reſp. Si ipſam vt iam immortalem illatam cœlo, & vita glorię iam perfruentem, conſideremus: animaduerteremus eam ad prealtum glorię, & dignitatis gradum eſſe prouectam. Non enim in claſſe Virginum eſt Deipara; non in ordine Confeſſorum: non in exercitu Martyrum; non in ſacro Collegio Apoſtolorum; non in ſodalitio Patriarcharum, & Prophetarum, vt gregaria aliqua, & vna exturbis illis; minimè gentium, ſed eximia, ſed omnes cœleſtes Herarchias longè tranſcendens ſedet in throno operis ſuperbiſsimi ad dexteram Principis cœli Ieſu Chriſti, Filij ſui, inſtar Heroinę, & Herę verę, ac ſupremę illius Curię Beatorum, vt canit Rex Propheta: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu de aurato, circundata varietate.* Nemo non Beatorum locum illi primorem volens libenſque concedit, eiuſque iuſsis ad amuſsim obtemperat. Preſidet machinę huic mundi vniuerſę, negotia omnia Trinitatis etiam maxima eius nutu, & velut manu expediuntur. Non eſt quidquam, quod non in eius ſit poteſtate, adeò vt cœlicolę ipſi omnes, terrigeneque, & filij hominum, tam qui adhuc mortales ſunt, quàm qui defuncti vita, Purgatorij carceris repagulis iam clauſi meliora expectans: ſed & qui inferiorum ſupplicijs ęternum deuoti ſunt, eam agnoſcunt Heram, & Dominam ſuam, & in genua illi per quam ſubmiſſe procumbunt. *Alexius à Salo opuſc. de Artepie amandæ, & colendæ Virginis, Stella ſeptima.*

Nō eſt quidquam quod non in eius ſit poteſtate.

3. Reſp. Commendatur hęc Regina à multis. Primo, à promptitudine ſeruiendi, vel miniſtrandi, quia aſtare miniſtrātis eſt, vbi dicitur: *Aſtitit*, Daniel 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* 3. *Reg.* 10. dixit Salomoni Regina Sabà: *Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper.* Secundo, à promptitudine auxilandi, quia ſtare auxiliantis eſt. Vnde Stephanus: *Vidit Ieſum ſtantem, Actor.* 7. Scilicet, quaſi iuuare paratum. Tertio à promptitudine contradicendi aduerſarijs noſtris, accuſantibus nos in curia vnigeniti ſui, quia ſtare contradicentis eſt, & ideò ipſa dicitur aduocata noſtra, quia in conſpectu Dei bonum pro nobis loquitur, & contradicit aduerſarijs noſtris, quę ſunt duo officia aduocatorum. *Daniel. Agricola corona duodecim Coronarum.*

B. Virgo promptiſsima adminiſtrandū Deo.

B. Virgo prompta ad auxiliandum.

B. Virgo prompta ad contradicendum aduerſarijs noſtris.

Dub. 50. Ad eadem verba, Pſalm. 44. verſ. 10. *Aſtitit Regina.* Cur Dauid non dicit quę Regina obtinuit?

Claũigera cęleſtium donorum.

Reſp. Sed ſi Virgo tantum virtutum, ac meritorum ornamento in noſtrum auxilium ad Filium acceſsit, valde mirū quod pſalmographus nō explicat, quę

ab illa fuerint obtenta, ſed omnia ſilentio inuoluit. Diuina diſpoſitione factum eſt, nam in eo quod dicitur quod ipſa ſtetit, ac pro nobis ad Filium acceſsit, cumulatiſsimè omnia nobis eſſe conceſſa, dataque explicantur. Ipſa enim omnium eſt clauigera cœleſtium donorum. *Pater Silueira tom. 2. lib. 4. q. 13. num. 53.*

Stat coram Deo, vt proſpera nobis impetret.

Dub. 51. Ad eadem verba, Pſalm. 44. verſ. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu de aurato circundata varietate.* Quommodo hæc verba intelliguntur de Beata Virgine?

Reſp. Aſtitit Regina, id eſt, Beata Virgo, aſtitit tibi ad te iuuandum, vnde benè ſubdit à *dextris tuis*, id eſt, vt tibi proſpera, & ſalubria impetret, vnde dicitur aduocata noſtra, propter quod dicit, *Beatus Bernardus*: ſecurum habes ò homo acceſſum ad Deum. Habes Filium ante Patrem, ante Filium Matrem, Filius oſtendit Patri latus, & vulnera, Mater oſtendit Filio pectus, & vbera, nulla potes eſſe repulſa, vbi tot occurrunt charitatis inſignia. *In veſtitu de aurato*, id eſt, in ſtola animæ, & vt quidam pie credunt in ſtola corporis. *Circundata varietate gratiarum*, quas ſibi ſeruientibus impetrat, & largitur. *Hugo Cardinalis.*

Seruientibus ei multa dona impetrat.

Corruptionis, expers in morte.

Dub. 52. Ad eadem verba, Pſalm. 44. verſ. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu de aurato circundata varietate.* Cur in veſtitu de aurato?

R. Nunc vt Regina aſsiſtens à dextris Filij vbique regnantis, quaſi in veſtitu de aurato incorruptionis, & immortalis, variegata quantum attinet ad oſſa ſanctiſsima, quæ eius carnem ſuſficiunt, nam ex carne eius, & oſsibus eius veluti ex vetere Adamo nouus iſte Adam, vt vicem eius expleret, coſtam ſibi finxit, nimirum iſtam Incarnationem, eamque ſemel indutam perpetuo geſtat. Ac proinde iſta noua Eua Mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. *D. Athanaſius in Euang. de Sanctiſsima Deipara.*

Aſtat à dextris filij in ſtola animæ, & corporis.

Dub. 53. Ad illa verba, Pſal. 44. verſ. 10. *Circundata varietate.* Quommodo hæc intelliguntur de Beata Virgine?

Stat ad piam ſuorũ defenſionem.

Reſp. Vt vertit *D. Hieronymus in ſcutulatis.* Nam aliæ Regum filiæ holoſericis, & aureis veſtibus ad vanam ſui oſtentationem induuntur: at verò Beatiſsima Dei Mater ſcutulatas veſtes, ſeu ſcuta ſibi induit ad piam ſuorum defenſionem. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. verſ. 11. annot. 2. ſect. 2. num. 12.*

Dub. 54. Ad illa verba, Pſalm. 44. verſ. 10. *Filiæ Regum in honore tuo.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Mariæ Virgini?

Caſtitatem, humilitatẽ, paupertatem ſpirabat.

Reſp. Myrra contra carnis concupiſcentiam, gutta contra ſuperbiam, caſsia contra auaritiam, hæc ſpirant à veſtimentis Tuis, id eſt, à virtutibus, & operibus Tuis ò Beata Virgo. *Cant. 4. Odor veſtimentorum tuorum.* Sicut odor thuris. *A domibus eburneis*, id eſt, à pudore Tuæ caſtitatis, quæ fuit exemplar omnibus virginibus continendi, ex quibus, id eſt, propter quæ odoramenta, delectauerunt Te, id eſt, dulcem, & delectabilem habuerunt Filiæ Regum, id eſt, aliæ Virgines in honore tuo. De quo *Eccleſiaſt. 24. Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Hugo Cardinalis.*

Dulce, & delectabile Virginibus ſequi Beatam Virginẽ, tanquam exemplar continẽdi.

Dub. 55. Ad illa verba, Pſalm. 44. verſ. 11. *Audi filia.* Cur Dauid Beatam Virginem filiam vocat?

Reſp. Quo circa etiam de Virgine puerpera non ignarus, arcanum illud ipſum ſilentio non prætermiſsit, ſed eius rei indicium fecit in *Pſalm. 44. Audi filia, & vide*, vſque ad illud ipſe eſt Dominus tuus. Id rurſum ſimile eſt dictum Gabrielis: Salue gratioſa Dominus tecum. Et cum mentionem de Chriſto feciſſet confeſtim etiam humanam generationem, quæ ex Virgine ortum ſuum traxit, indicauit cum inquit: *Audi filia.* Gabriel quidem ſuo nomine eam Mariam vocat, vtpote genere alienus. Dauid autem illam ipſam, vt ex ſuo ſemine oriundam Filiam nominat. *D. Athan. epiſt. ad Marcell. coll. 3.*

Ex ſemine Dauid oriunda.

Dub. 56. Ad eadem verba, Pſalm. 44. verſ. 11. *Audi filia, & vide inclina aurem tuam.* Cur dicitur ei quod inclinet aurem ſuam?

Mediãte obedientia, & fide concepit Filium Dei.

Reſp. Audi Gabrielis ſalutationem, ò Filia Dei, ò Tu Beata Virgo, & vide ſcripturas Prophetarum, & confert, quoniam in te complentur, & inclina aurem tuam, vt mediante obedientia concipias Filium Dei, per fidem dictorum, fides enim ex auditu. *Ad Roman. 10. Et obliuiſcere populum tuum*, id eſt, non cures blaſphemias Iudæorum, & concupiſcet Rex decorem tuum. *Beatus Albertus Magnus lib. 6. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 5. num. 1. Hugo Cardinalis.*

Dub. 57. Ad illa verba, Pſalm. 45. verſ. 5. *Fluminis impetus lætificat Ciui-*

ta-

tatem Dei. Quommodo hæc exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Potest hoc exponi de Beata Virgine. Sic fluminis impetus, id est, obumbratio Spiritus Sancti, lætificat Ciuitatem Dei, id est, Beatam Virginem, in qua habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter. *Colosens.* 2. & ex hoc fuit in ea ciuium vnitas, id est, sensualitatis, & rationis plena concordia. *Hugo Cardinalis.*

In B. Virgine fuit sensualitatis, & rationis plena cõcordia.

Dub. 58. Ad eadem verba, Psalm. 45. vers. 5. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Cur dicitur impetus?

Resp. Et benedicitur impetus, quia quam cito dixit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, statim Filium Dei concepit, & ex hoc lætificata fuit, sicut ipsamet, dicit *Lucæ* 1. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ. Hugo Cardinalis.*

Dicens: Fiat mihi secundùm verbum tuum. Statim concepit.

Dub. 59. Ad illa verba, Psalm. 45. vers. 5. *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus.* An B. Virgo dicatur Tabernaculum?

In vtero Virginis armauit se Deus assumpta humanitate cõtra diabolum pugnaturus.

Resp. Tabernaculum eius, fuit eadem Beata Virgo, in qua ipse armauit se armis nostræ mortalitatis, quibus contra diabolum militauit, *Psalm.* 34. *Aprehende arma, & scutum. Hugo Cardinalis.*

Duplex pars in Templo, alia dicebatur Sancta, alia Sancta Sanctorum.

2. Resp. Quod dicitur B. Virgo Tabernaculum ratione reuerentiæ. Quia vt recitat Apostolus ad Hebræos 1. Duplex pars erat in Templo; vna quæ dicebatur Sancta, & hæc est communis; alia quæ dicebatur Sancta Sanctorum, & hanc partem (tantæ erat sanctitatis, & reuerentiæ) non intrauit nisi solus Summus Sacerdos semel in anno: & tunc cum sanguine: sic Ecclesia habet duas partes, vnam communem, quæ dicitur Sancta, & hæc est communis omnibus Sanctis, alia quæ dicitur Sancta Sanctorum, & hæc est sola Virgo Beata, quam solus Summus Sacerdos ingressus est, ille, scilicet, qui est Sacerdos in æternum, & tunc cum sanguine, quia nostrum sanguinem, id est, nostram humanitatẽ de Purissimis Virginis sanguinibus ibi assumpsit. Hunc ingressum cum sanguine. Apostolus ad *Hebr.* 9. sic describit: *Christus assistens pontifex, Tabernaculum non manu factum: per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta. Armandus de Vellouisu collatione* 34. *de Conceptione Beatæ Mariæ.*

B. Virgo dicitur Sancta Sãctorum.

3. Resp. Notando quod solemnes, & magnæ Ecclesiæ magnifica Tabernacula, in quibus corpus Christi, & aliæ reliquiæ seruantur, & adorantur, consueuerunt per maiores Dominos terræ fundari, & Dominus terræ maior consuetuit primum lapidem ponere in fundamento, & postea omnia vadunt benè. Beata Virgo est Dei Tabernaculum quod multis Dominis, & magnis fuit spiritualiter fundatum, & fabricatum, quia in eo debebat corpus Christi, & Diuinitatis reliquiæ, conseruari, & adorari, & ideò Dominus maior, Dominus virtutum, Rex gloriæ, primum lapidem in ea proiecit, & posuit gratiam. Vnde dicitur *Ioann.* 8. *Qui vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat*, vnde ipse manu sua hanc Ecclesia m fundauit, qui est Altissimus, ipse fundauit eam Altissimus. Est autem notandum, quod lapis qui in fundamento primùs proijcitur, communiter est maior omnibus alijs, & tunc fit magnum festum; ita fuit in Virgine, nam gratia ipsi collata maior fuit Virgini, quam in aliquo alio sancto. *Armandus de Vellouisu vbi supra.*

Tabernacula à quibus cõsueuerũt fundari.

B. Virgo Tabernaculũ in quo corpus Christi conseruabatur, & adoratur.

Magnum festum fit cum primus lapis in fundamento Tabernaculi proijcitur.

Gratia collata Virgini maior fuit, quã in aliquo alio Sancto.

Dub. 60. Ad illa verba, Psalm. 45. vers. 6. *Deus in medio eius non commouebitur.* Cur Dauid dixit de Deo, quod non commouebitur?

Deus vterum Virginis intrans per assumptam humanitatem, Diuinitatem non deposuit.

Resp. Deus in medio eius, id est, in vtero eius; scilicet, Virginis non commouebitur à Deitate in humanitatem, vt hanc assumens illam relinquat, sed idem erit Deus, & homo, & hoc est, non commouebitur, id est, totaliter non mouebitur, quodam enim modo motus fuit motu pietatis, sed non motu alterationis, quando ad eius vterum intrandum se humiliauit; sed non ex toto est motus, quia Diuinitatem non deposuit. *Beatus Albertus Magnus lib.* 4. *de laudibus B. M. cap.* 27. *num.* 4. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 61. Ad eadem verba, Psalm. 45. vers. 6. *Deus in medio eius non commouebitur.* Cur non dicitur non cadet?

Cadit homo per peccatũ mortale.

Resp. Differentia est inter cadere, & commoueri, cadit homo per peccatum mortale, ideò Apostolus: *Qui se existimat stare*; scilicet, in gratia Dei, *videat ne cadat.* 1. *ad Corint.* 10. & commouetur quis per peccatum veniale, nunquam fuit aliquis Sanctus, nec Sancta, quin ceciderint, vel commotus fuerit, nisi Christus, & B. Virgo Maria, quia Christus iã

Nec Christus, nec Beata Virgo ceciderũt per peccatum, etiam veniale.

in hac vita habuit priuilegium Sanctorum, qui sunt in cœlo, qui non possunt cadere, nec commoueri. Dauid in *Psalmo* 124. *Non commouebitur in æternum*, qui habitat in Ierusalem: sic Virgo Maria, quia nunquam peccauit mortaliter, nec venialiter, nec corde cogitando. *D. Vincentius Ferrer serm. 1. in Natiuit. B. Mariæ.*

Ascensio Christi fuit cum iubilo Angelorum.

Dub. 62. Ad illa verba, Psalm. 46. vers. 6. *Ascendit Deus in iubilo.* Quorum iubilo Deus ascendit?

Resp. Sciendum quod à Christi Resurrectione, vsque ad eius Ascensionem transierunt quadraginta dies, in quibus Christus sæpè apparuit Virgini, & Apostolis, sed in die Ascensionis bis apparuit Apostolis. Primò, dum comederent, dicens eis: Vadatis ad Matrem meam, & vos simul veniatis ad montem Oliueti, quia hodie volo à vobis recedere, & cœlum ascendere, ex quo compleui opus redemptionis; quod audientes Apostoli cœperunt flere, & Christus ait: Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, *Ioann.* 14. Et Apostoli Domine gaudemus de honore, sed tristamur, quia dimittis nos orphanos, & non poterant comedere, propter quod Christus, vt ipsi comederent, comedit cum eis. Statim post prandium Apostoli iuerunt ad domum Virginis, quæ comedebat cum Magdalena, & aliis, quæ cum videret Apostolos flentes, interrogauit de causa, cum audisset, incepit flere cum eis, & surrexit de mensa, & processionaliter iuerunt ad montem Oliueti, erat enim, vt dicit Lucas, fere centum viginti, & Christus apparuit eis iterum, & posuit se in medio eorum, salutans Matrem, & Discipulos, dicens: Pax vobis, & Virgo dixit sibi, Filij mi, & vultis recedere, & Christus ita Mater mea, ex quo perfeci opus redemptionis iam prædicaui, & dedi legem nouam, quam confirmaui miraculis, & fui suspensus in Cruce, ne aliquis mihi credens, & obediens suspenderetur in furca inferni; ideò volo redire ad Patrem, & Virgo, & omnes alij flebant ex vna parte præ gaudio de honore suo, & ex alia parte tristabantur, & Virgo osculabatur manus, & pedes dicens: O Filij mi! quare ego non ascendo vobiscum, & cum sanctis? Quorum præsentiam Virgo sentiebat; ad quam Christus ait: Mater mea vos remanebitis in loco meo, & Apostoli recurrent ad vos, ideò cantatur: Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Dicatur quommodo ascendit cum magno festo, sicut Rex victoriosus rediens de prælio, & fuerunt Angeli clamantes: Viuat, viuat Filius Virginis Mariæ, aliis clangentibus tubis. Dauid ait: *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. D. Vincent. Ferrer serm. 2. in Natiuitate Virginis.*

Ciuitas dicitur alicuius in quantum est in habitator eius.

Dub. 63. Ad illa verba, Psalm. 47. vers. 1. *Laudabilis nimis in Ciuitate Dei nostri.* An Beata Virgo dicatur Ciuitas Dei?

Resp. Dicitur Ciuitas alicuius, in quantum est inhabitator eius, & sic Nazareth dicta fuit Ciuitas Christi, quia ibi conceptus, & nutritus fuit, vnde dicitur *Matth.* 2. De Christo; scilicet, veniente de Ægypto cum Matre, & Ioseph habitauit in Nazareth; vt impleretur quod dictum est per Prophetam; Quoniam Nazareus vocabitur; & Bethelem dicta est Ciuitas Dauid, quia ibi natus est, & habitauit in pueritia, & adolescentia; & secundùm hoc dicitur Beata Maria Ciuitas Dei, quia Deus corporaliter, id est, secundùm corpus assumptum habitauit in ea, *Psal* 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*; scilicet, Dei Filius Iesus Christus in Ciuitate Dei nostri; scilicet, Beatæ Virginis ad habitandum per nouem menses continuè, & totam infantiam, & pueritiam transegit cum ea, & in ea. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 2.*

Cur B. Virgo dicitur Ciuitas Dei.

Dub. 64. Ad illa verba, Psalm. 47. vers. 10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui.* An Beata Virgo Maria dicatur Templum?

Capacissima ad Deū concipiendum.

Resp. Habuit enim vterum amplum ad Deum concipiendum, ideò dicitur Templum, quasi tenens amplum, *Psal.* 47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui*; sicut enim totum manna erat in vrna, & tota vrna erat in Arca, & tota Arca claudebatur in Templo; sic etiam Diuinitas tnquam manna tota erat in vrna, id est, in Christi anima, & vrna, id est, anima tota erat in Arca, id est, in Christi carne deifica, & hæc omnia claudebantur in Templo, id est, in Virginis vtero. *Iacobus de Voragine, Episcopus Ianuensis serm. 2. in Natiuit. B. M.*

2. Ex. Templum Dei esse Virginem gloriosam declarat Ecclesia, cum decantat: *Beata es Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, Templum Domini, Sacrariū Spiritus Sancti.* Et in sequentia quadam:

B. Maria cur dicitur Templum?

dam: *Aue decus Virginale, Templum Dei ſpeciale, Nobile triclinium.* Templum eſt locus immunitatis, & ſecuritatis. Ita inquit *Diuus Bernardus*: Securum acceſſum habes ad Deum, o homo, vbi Mater ſtat ante Filium. Filius ante Patrem oſtendit Filio pectus, & vbera, & ideo nulla poterit eſſe repulſa, vbi ſunt tot amoris inſignia, Templum eſt locus ſummę venerationis. Videte, ait *D. Bernard.* Quantò deuotionis affectu vult eam à nobis venerari, & honorari, qui totius boni plenitudinem poſuerit in Maria, vt ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis in nobis eſt ab ea, nouerimus redundare. Ad Templum fit oblatio, ſi quid autem ò homo, Deo offerre deſideras, teſtatur *Diuus Bernardus*, in manibus Beatę Marię commendare memento, quia manus eius mundiſsimę ſunt; noſtrę autem plenę ſunt ſanguine, & ideò per manus eius non noſtras acceptabuntur. *Diuus Antoninus opuſcul. de Beatæ Mariæ. cap. 4.*

Per B. Virginem ſecurũ acceſſum habemus ad Deum:

B. Virgo multo deuotionis affectu debet à nobis venerari, & quare?

Quæ offerenda ſunt Deo per manus B. Mariæ offerantur.

Dub. 55. Ad eadem verba, Pſalm. 47. vers. 10. *In medio Templi tui.* An Beata Virgo dicatur medium?

℟. Et medium noſtrę reconcilationis, ideoque vocatur Sol. *Cantic. 6.* Electa vt Sol; ſicut enim Sol habet tres Planetas ſupra ſe, & tres infra ſe, & ipſe eſt medius: ſic Virgo gloriosa Beata Maria habet ſupra ſe in Trinitate tres Perſonas, & infra ſe tres ſtatus ſaluandorum; ſcilicet, virginum, continentium, & coniugatorum, & ipſa in medio conſtituta, vbi ipſam Beatam Trinitatem reconciliat tribus ſtatibus ſaluandorum. *Iacobus de Voragine, Epiſcopus Ianuenſis, ſerm. 1. Purificat.*

Sol eſt in medio ſex Planetarum, tres habet ſupra ſe, tres infra ſe.

B. Trinitatẽ reconciliat tribus ſtatibus ſaluandorum

2. ℟. Maxima miſericordia Deus fuit vſus erga nos, quia dignatus eſt incarnari. Iſtam miſericordiam ſuſcepimus Deus in medio Templi tui, id eſt, in vtero Virginis, de qua incarnatus es; quod ergo natura non habuit, vſus non obtinet, ratio ignorauit, mens non capit humana, pauet cœlum, ſtupet terra, creatura omnis etiam cœleſtis miratur, hoc totum Marię per Gabrielem nuntiatur, & per Chriſtum adimpletur. *Diuus Antoninus vbi ſupra.*

Miſericordiã Dei ſuſcepimus in vtero V. Mariæ.

3. ℟. In medio Templi Dei, id eſt, conuerſatione Virginis glorioſę Templum Dei exiſtentis, quę conuerſatio ſemper fuit in medio, id eſt, in virtutibus, & ſecundùm rationem, ſuſcepimus miſericordiam directionis, ſeu regulam benè viuendi. Siquidem magna miſericordia eſt deuium, & errantem ad viam ſalutis reducere, & iter rectum oſtendere. Equidem errabant penè omnes in inuio, & non in via mandatorum, & virtutum incedentes, quæ ducit ad vitam, ſed per viam latam, quæ ducit ad mortem, ſed nata eſt Virgo Maria, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo. Vndè Maria interpretatur Illuminatrix, & Maris Stella dicitur, quę ducit nauigantes ad portum. Habetis in ea magiſteria probitatis, & virtutis; vt ſciatis, quid eligere, quid vitare debeatis, inquit *Diuus Ambroſius*: In me, ait ipſa. *Eccleſiaſtic. 24. Omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*, vt ſciatis quid eligere, & quid vitare debeatis. Talibus enim *teſte Diuo Hieronymo in ſermone*, decebat Virginem oppignorari muneribus, vt plena eſſet gratia, quę cœlis dedit gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitę ordinem, moribus diſciplinam. *Diuus Antoninus vbi ſupra.*

B. Virgo Maria Magiſtra probitatis, & virtutis.

Dub. 66. Ad illa verba, Pſal. 49. vers. 3. *In circuitu eius tempeſtas valida.* Quo ſenſu hęc verba intelliguntur de Beata Virgine?

In Filij paſſione emergebant gemitus, ſed reprimebantur; erumpebant lachrymæ, ſed eas reuocabat.

℟. Pectus maternum immanitate doloris arctatur, ſuſpirat intrinſecus, & erumpentes reuocat lachrymas, & eo amplius anxietas intumeſcit, quo prohibetur egredi, & per lamenta, luctuſque diſſolui. Emergebant quidem aliquando gemitus, ſed increpati reprimebantur, & collidebant ſe inuicem introrſus, eratque in anima illa tempeſtas valida, occurrentibus ſibi procellis, & quaſi ex ſartagine frigis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perſeuerans. *Arnaldus Carnotenſis ſerm. de B. Virgine.*

Dub. 67. Ad illa verba, Pſalm. 54. vers. 9. *Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus.* Quommodo hęc verba aptantur Beatæ Mariæ?

℟. Quando perſonis datur aliqua gratia, non contentantur de gratię inchoatione in ipſis, ſed ad perfectionem anhelant, paulatim augmentando, quia nemo repente fit ſummus, ideò diſponunt ſe prępparare, vt in eis gratia perficiatur, &c. Iſtam regulam ſeruauit V. Maria,

in qua Deus incepit maiorem gratiam, quam vnquam faceret alicui, quod scilicet esset Mater Dei, non Regis, siue Imperatoris, quia aliis mulieribus hoc etiam concessum est, sed dicitur sine virginitatis detrimento, non ex virili semine, sed mistico spiramine Verbum Dei factum est caro, fructusque ventris floruit, canit Ecclesia. Virgo autem non contenta de gratiæ inchoatione, ne de eius continuatione ipsum nouem mensibus in vtero portando, sed affectabat videre perfectionem. Ideò Dauid in persona Virginis dicebat: *Expectabam eum qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus*; scilicet in concipiendo, in qua aliæ mulieres habent spiritum pusillanimem ex timore, & miseria, sed Virgo Maria habuit spiritum magnanimum reuelatum plusquam fuerit vnquam alicui mulieri, & tempestate; scilicet, tædio portandi, à qua fuit salua. *Diuus Vincentius Ferrer serm. in Vigilia Natalis Domini.*

B. Virgo nec habuit spiritum pusillanimem in concipiendo, nec tædium importando

Dub. 68. Ad illa verba, Psalm. 56. vers. 9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Quo sensu hæc intelliguntur de Beata Virgine?

Gaudium B. Virginis in Resurrectione Christi.

℟. Sciendum quod post Christi Passionem, mortem, & sepulturam, Virgo certissima fuit de Resurrectione Filij sui in tertia die, quia Christus hoc prædixerat, quia nisi certa fuisset crepuisset, sed nesciebat horam Resurrectionis, quia non dixerat sibi Christus. Propter hoc Virgo Maria in Vilia Paschæ cogitans de Resurrectione, & cogitans in qua hora esset, quia non legitur, quod ei dixisset horam, sed diem, & intra se Virgo Maria ait: sine dubio Pater meus Dauid, qui præ alijs locutus est de Passione, & Resurrectione Filij mei ponit horam, & sine dubio ipsa legit psalterium, & clarè inuenit legendo in Psalmo: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Respondit Filius: *Exurgam diluculo, & cætera.* Quando Virgo sciuit horam Resurrectionis, fuit valdè læta, & respexit per fenestram vtrum erat aurora, & quia nondum erat alba, continuauit psalterium vsque ad Psalm. 107. scilicet, *paratum cor meum Deus*, & iterum inuenit eundem versum: *Exurge gloria mea*, ò dixit Virgo! Iam habeo duplex testimonium, & viso quod adhuc non erat alba, voluit videre an alij Prophetę dicerent aliquid de hora, & finaliter inuenit *in lib. Oseæ, cap. 6.* vbi sic habetur: *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus.* Et sequitur: *Quasi diluculum præparatus est egressus eius.* Sufficit, dixit Virgo Maria in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Dicatur, quommodo parauit Cathedram, vbi sederet Filius suus Iesus? Respiciendo sæpè quando appareret aurora alba; & quando incepit claritas aurorę, dixit Virgo Maria: O Filius meus est resucitatus! Et flexis genibus orabat dicens: O Fili mi velitis me consolari! Exurge in occursum meum, & vide, cogitate quommodo in Christi Resurrectione erant multi Angeli, dicentes Christo: Ecce ego Domine, mitte me; scilicet, ad Matrem tuam, *Isaiæ 6.* Sed Christus misit Gabrielem, qui cum magno splendore intrauit Cameram, & salutauit Virginem, vt fuit reuelatum Beato Gregorio, dicens: *Regina cœli lætare, Alleluia.* O quale gaudium habuit Virgo Maria auditis his rumoribus! Et statim post venit Christus cum omnibus sanctis Patriarchis, & Angelis clarus, & gloriusus, dicendo Virgini: Pax vobis, & Virgo flexis genibus, & prę gaudio lachrymãdo, osculabatur Christi vulnera resplendentia, dicendo: O vulnera benedicta, quę Feria sexta tantum dolorem mihi intulistis! Et Christus osculatus est eam in ore, quia nunquam aliquis filius tantùm dilexit matrem suam, dicendo sibi: Mater mea sitis læta, quia de cætero de me non habebitis nisi gaudium, & lætitiam, & sedentes loquebantur: O si quis fuisset in illo Parlamento! *D. Vincent. Ferrer serm. 2. in Natiuit. Beatæ Mariæ Virg.*

Plenitudo Diuinitatis habitauit in ea corporaliter.

Dub. 69. Ad illa verba, Psal. 64. v. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Quommodo hęc verba exponuntur de Beata Virgine?

Nativitate B. Virginis totus mũdus bonis repletus,

℟. Ipsa quidem est domus, in qua habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter. *Coloss. 2.* Id est, Dei Filius. *Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi Domũ.* In bonis huius Domus replebimur, quia ex ea effunduntur nobis dona gratiarũ multa; videlicet, refectio spiritualis. *Cantic. 8. Venter tuus sicut aceruus trici.* Iucundissima ebrietas. *Cant. 7. Venter tuus sicut crater tornatilis nunquam indigens pocu lis.* Medicamentum sanitatis. *Eccles. 24. Ego quasi fluuius Diorix*, quod interpretatur medicamentum generationis. *Ecclesiast. 38. Altissimus de terra creauit medicinam*, id est, de Beata Virgine. Protectio contra aduersa.

Eccle-

Eccleſiaſt.24. Ego quaſi terebinthus expandi ramos meos. Dulcedo ſpiritualis qua allicimur, *Eccleſ.24. Spiritus meus ſuper mel dulcis*, ibidem: *Qui edunt me adhuc eſurient.* Oleum conſolationis, *Eccleſiaſt.24.* Quaſi oliua ſpecioſa in campis. Refrigerium contra æſtus tentationum. *Eccleſiaſt.24. Quaſi plantatio roſæ in Iericho*, quæ refrigerat. Victoria, qua coronamur. *Eccleſiaſt 24. Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Odor quo atrahimur. *Eccleſiaſt.24. Sicut cinamomum, & balſamum odorem dedi.* Propter iſtam plenitudinem benè congruit, quod in Septembri nata eſt, qui eſt menſis plenitudinis. Vnde in *Pſalm.80. Buccinate in noemenia tuba. Hugo Cardinalis.*

Quare in Septembri nata.

Per B. Virginem orationes noſtræ ad Deum dirigendæ.

Dub. 70. Ad illa verba, Pſalm. 64. verſ.5. *Sanctum eſt Templum tuum.* An Beata Virgo dicatur Templum?

Reſp. Ipſa eſt Templum, quia per eam præces porrigimus ad Chriſtum, *Ezechiel* 46. Et adorabit populus ad oſtium portæ in Sabbathis.

Viſitauerat Deus B. Virginē per Angelos ſuos, ſed in propria perſona viſitauit eam in Annuntiatione.

Dub. 71. Ad illa verba, Pſalm. 64. verſ.10. *Viſitaſti terram.* Cur dicit viſitaſti terram?

Reſp. De conceptu Virginis diſſerens, & quaſi gratias agens, quod exaudita ſit illa eius oratio, *Viſita nos Domine in ſalutari tuo*; dicit, *Viſitaſti*, ò Domine, *terram*, id eſt, Mariam viſitaſti. Nota verbum frequentatiuum; frequenter enim viſitauerat eam Deus per Angelos ſuos officiales, ſed in propria perſona viſitauit eam, quando dictum eſt Mariæ: *Dominus tecum*, & tunc meritis ipſius viſitauit nos oriens ex alto. *B. Albert. Magn. lib.8. de laudib. B. Mariæ, cap.1. num.5.*

Terra grauia ſuffulcit, labẽtia recipit.

Dub. 72. Ad illa verba, Pſalm. 66. verſ. 7. *Terra dedit fructum ſuum?* An Beata Virgo dicatur terra?

Reſp. Per terram poſſumus intelligere Beatam Virginem; Et ratio eſt, quia terra propter ſui ſtabilitatem, quæ moueri non poteſt, aut cadere omnia grauia ſuffulcit, ipſa etiam propter ſui inferioritatem, quia eſt infima omnium, omnia labentia recipit. Sic Beata Virgo propter ſui ſtabilitatem, quæ ſibi labi non poterat in peccatum, omnes grauatos pondere peccatorum ſuffulcit. *Eccleſiaſt. 1. Terra in æternum ſtat*, propter ſuam etiam humilitatem qua ſe omnibus inferiorẽ fecit, omnes corruentes in gremium ſuum excipit. Vnde *Plinius lib.2.* deſcribens conditiones terræ dicit ſic: Terra inter omnia elementa homini nunquam iraſcitur, nam aquæ videntur iraſci, quia ſubeunt imbres glacies in grandines: aer verò condenſatur in nubibus, & fruitur procellis, de igne idem dicit. Nam de igne planum eſt, namque vocatur noli me tangere, ſed de terra non; nam vt dicit *Plinius*; Terra vero nimis benigna eſt indulgens vſibus hominum, ſemper Ancilla, peſtifera ſiquidem animalia, & pia ſuſcipit, & genita illa nutrit. Sic, & Beata Virgo benigna nimis neſcit iraſci, aut furere, ſed omnibus ancillatur, peſtiferos inſuper, & impios fouet, & nutrit, amica publicanorum, & peccatorum. Vnde ſenſibiliter experimur, quod ſi quis de malo culpæ confunditur, & erubeſcit, aut de malo dolet, & ingemiſcit, naturaliter oculos ad terram demittit, quaſi ibi foret aliquod remedium, vel refrigerium ſingulare: ſic, & qui confunditur à ſe ipſo, qui dolet, aut triſtatur in hanc terram vultum, & oculos demittit. *Daniel 10. Deieci vultum in terram*, & idem: *Vultus meus terræ inhærebat. Thomas Anglicus, Cardinalis, ad illa verba, Pſalm.23. verſ. 1. Domini eſt terra.*

Terræ condi tiones.

Neſcit iraſci, & furere in peccatores.

Qui de peccato confunditur naturaliter oculos in terram dimittit.

Qui de peccato erubeſcit ad B. Virginē confugiat.

Dub.73. Ad eadem verba, Pſalm.66. verſ. 7. *Terra dedit fructum ſuum.* An proprietates terræ aptentur B. Mariæ?

Reſp. Beata Virgo dicitur terra multis rationibus. Prima eſt, quia terra eſt infimum elementum, & Beata Virgo humilior omnibus. *Lucæ 1. Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Secunda eſt, quia omne ædificium in terra fundatur; ita bona noſtra omnia in ipſa Beata Virgine fundare debemus Vnde ipſa dicit: *Eccleſiaſtici 24. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Tertia cauſa eſt, Quia terra omnes cadentes recipit, ſic B. Virgo omnes peccatores, *Eccleſ.26. Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris.* Quarta eſt, quia qui cecidit auxilio terræ leuatur, ſic peccator qui vult ſurgere auxilio Beatæ Virginis iuuatur. *Eccleſ. 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Quinta, quia omnia elementa mobilia ſunt, terra autem immobilis eſt ſecundùm ſe totam dico, vnde *Eccleſiaſtes 1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat*, *Pſal. 92. Etenim firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur*, ſic Beata Virgo immota permanſit in fide, quando Apoſtoli moti fuerunt. Vnde dies Sabbathi ſua eſt, quia illa die ſola permanſit in fide, vt dicunt quidam. Sexta eſt, quia omnia vi-

Humilior omnibus.

Terræ proprietates.

Omnes peccatores recipit.

Auxilio B. Virginis peccator ſurgit à culpa.

Immota permanſit in fide.

Dies Sabbathi quare dicatur ei.

viuunt de terra, & Beata Virgo dicit *Eccles. iast. 24. In me omnis gratia Vitæ, & Veritatis.* Et post. *A generationibus meis implemini*, de hac ergo terra dicit: *Terra nostra*, quia nobis data, vnde in multis locis promittit Dominus: *Dabo vobis terram lacte, & melle manantem*, id est, Beatam Virginem, à qua fluxit, id est, natus est Christus, in quo est mel Diuinitatis, & lac Humanitatis. *Hugo Cardin.*

Vita omniũ per Virginẽ.

B. Virgo multoties promissa nobis à Deo.

Dub. 74. Ad eadem verba, Psalm. 66. vers. 7. *Terra nostra dedit fructum suum.* Cur non dixit reddidit, sed dedit?

Corpus Christi non ex comixtione seminis natũ, sed opere Spiritus Sancti ex carne Virginis formatum.

Resp. Dedit, inquit, non reddidit, aliæ terræ reddunt fructum, & non dant propriè loquendo, quia semen recipiunt; sed Beata Virgo semen non recepit, vnde rectè dicitur non reddidisse, sed dedisse fructum suum, id est, Filium suum, & totum suum, quia non ex comixtione seminis natum, sed tantum ex carne Virginis formatum opere Spiritus Sancti. Fructus dicitur à fruendo, vnde Dei Filius, & Filius Virginis benedicitur fructus, quia ipso fruuntur sancti. *Psalm. 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini Filij merces fructus Ventris.* Si quis esset obligatus multis debitis, & haberet petitam terram, quæ sine omni semine, & labore in vno anno tantam fructus copiam afferret, quod posset soluere omne debitum, & benè viuere de reliquo multum diligeret terram illam; ita debemus diligere, & honorare Beatam Virginem, quæ dedit nobis fructum, de quo redempti sumus ab obligatione gehennæ, & de quo viuemus in æternum in omni abundantia, & suauitate, *Deuter. 8. Benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo valde honoranda, quia nobis peperit Christum à quo omnebonum nobis prouenit.

Dub. 75. Ad illa verba, Psalm. 67. vers. 16. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.* Cur bis dicitur mons pinguis?

Pro se, & pro nobis data sunt ei omnia charismata gratiarum.

Resp. Nota quod bis dicitur mons pinguis, quia & pro se, & pro omnibus nobis data sunt ei omnium charismata gratiarum. *B. Albertus Magnus lib. 8. de laudibus B. Mariæ, cap. 5. num. 1.*

Dub. 70. Ad illa verba, Psalm. 67. vers. 18. *Dominus in eis, in Sina, in sancto.* An Beata Virgo Maria dicatur mons Sinai?

Mons Sinai fuit mons Angelicæ frequentationis

Resp. Beata Virgo Maria assimilatur monti Sinai, quia mons ille fuit mons Angelicæ frequentationis, ibi enim frequenter Angelus ex persona Domini apparuit, & locutus est Moysi, vnde dicitur *Actor. 7.* Quod apparuit ei in deserto Montis Sina in igne flammæ rubi, & dicitur etiam de Moyse; Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur in Monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba dare nobis: ita similiter Beata Maria fuit ab Angelo visitata, & salutata, & de Verbo vitæ edocta, sicut patet *Lucæ* 1. Quinto, quia Sina fuit mons Diuinæ habitationis, nam secundùm Iosephum, erat opinio hominum habitare ibi Deum propter quod non pascebant ibi oues, nec pastores communiter approximare audebant. Ita similiter Beata Virgo fuit habitaculum Dei, *Psalm. 67. vers. 17. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo,* & iterum: *Dominus in eis, in Sina, in sancto.* Sexto, quia fuit mons sapientiæ, & eruditionis, ibi enim data est populo Lex per manum Moysi. *Leuit. 20. Hæc sunt præcepta, atque iudicia, & leges quas dedit Dominus inter se, & filios Israel in monte Synai per manum Moysi*; ita similiter Beata Virgo illum mundo peperit, qui est Verbum, & sapientia Patris, qui est Dux, & Legifer noster, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Ab Angelo visitata, salutata, & edocta.

In monte Sina non pascebant oues.

Fuit aptum Dei habitaculum.

Sinai fuit mons sapientiæ, & eruditionis.

Per B. Virginem lex, & sapientia.

Dub. 77. Ad illa verba, Psalm. 68. vers. 14. *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me.* Quæ est multitudo misericordiæ Dei.

Misericordia Dei est, quod homo diligat, & honoret B. Virginem.

Resp. In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam ò Christe, maxima siquidem misericordia Dei est infundere alicui gratiam diligendi Matrem suam. *B. Albertus Magnus lib. 10. de laudibus B. M. cap. 30. num. 13.*

Dub. 78. Ad illa verba, Psalm. 68. vers. 21. *Et qui consolaretur, & non inueni.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Nullam consolationẽ habuit in passione Filij.

Resp. Quæ enim mater, quæ habens filium præsentem etiam in tormentis non valeat, vel in aliquo consolari, ipsum amplexari, osculari, potum porrigere sitienti: ecce Filius meus dilectus ad mortem sitit hoc exprimens vt refocilletur, nec stillam aquæ possum prębere, sed sibi offertur in mei præsentia acetum, & fel, vulnera video, nec possum alligare, sanguinem effluere, nec possum ipsum extergere, caput ex grauamine inclinatum, non valeo illum brachiis sustentare à me remotum, vnde nec amplexari. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 41. §. 2.*

Dub.

Dub. 79. Ad illa verba, Pſalm. 70. verſ. 16. *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Mariæ Virgini?

Reſp. Numquid quia ita deificata ideò noſtræ humilitatis oblita es? Nequaquam Domina, ſcis in quo diſcrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum deliquerint ſerui tui, non enim conuenit tantæ miſericordiæ tantam miſeriam obliuiſci, quia etſi ſubtrahit gloria, reuocat natura, non ita memoraris luſtitiæ Dei ſolius, vt miſericordiam non habeas, neque ita es impaſsibilis, vt ſis incompaſsibilis. *D. Petr. Damianus ſerm. 1. de Natiuit. Virg.*

Non eſt in cœlo ita impaſsibilis, vt ſit incompaſsibilis.

Dub. 80. Ad illa verba, Pſalm. 71. verſ. 3. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam.* Quid eſt permanere ante Lunam; ſcilicet, Beatam Virginem?

Reſp. Ante Lunam, id eſt, Beatam Virginem, antequam permanet, qui eam continuè colit, & veneratur. Hæc autem permanentia fit in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam. *Hugo Cardinalis.*

Continuè colenda, & veneranda.

2. Reſp. Ante Lunam, id eſt, Beatam Virginem Mariam, ipſam deuotè pro ſe, & ſuis ſubditis deprecando. *Lyranus.*

Prælatus pro ſe, & ſubditis deprecetur Mariam.

Dub. 81. Ad illa verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Deſcendet ſicut pluuia.* Quommodo Deus deſcendit in Beatam Virginem?

Reſp. Placidè in placidam, quietè in quietam, ſuauiter in ſuauem, ſine ſtrepitu in pacificam, ſecrete in abſconditam, benigne in benignam, iocunde in iocundam, vtiliter in perutilem, & in fructiferam fructuoſe. *B. Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Mariæ, cap. 5.*

Chriſtus ad mores B. Virginis ſe affinxit, & accommodauit.

Dub. 82. Ad eadem verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Deſcendet ſicut pluuia.* Cur Deus deſcendit in Beatam Virginem ſicut pluuia?

Reſp. Notandum quod in Incarnatione ſua, non venit cum magnitudine poteſtatis; ſed benignitate humilitatis, maximè ſecundùm quod fuerat prophetatum. *Zachariæ 9. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, & hoc notans dicit: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus*, id eſt, ſuauiter, & imperceptibiliter deſcendet in Virgine; quia in humilitate ſumma, & lenitate veniet, & hoc eſt, deſcendet in vterum Virginis ſicut pluuia in vellus Chriſtus, qui magna poteſtate venire potuiſſet, ſi voluiſſet, leniter, ſine aliquo ſtrepitu in vterum Virginis deſcendit, ſicut pluuia in vellus. *Incognitus.*

Chriſtus in primo aduentu venit cum lenitate, & benignitate.

Dub. 83. Ad eadem verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Sicut pluuia in vellus.* An B. Virgo dicatur vellus?

Reſp. Sicut pluuia perfundens vellus illud integrum, illibatumque conſeruat; ſic Diuinitas integram, illibatamque Virginem conſeruauit æquè ad ingreſſum, ſimiliter, & egreſſum. *Caſsiodorus. Incognitus.*

Deus illibatam Virginitatem Mariæ conſeruauit.

Dub. 84. Ad eadem verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* An rectè comparetur velleri B. Virg. Maria?

Reſp. Sicut de vellere ſumitur portio, vt inde fiat veſtimentum; ſic de ſubſtantia Virginis velut de vellere lanam, modicam portionem ſumpſit Spiritus Sanctus. Artifex, de qua ineffabili artificio tunicam texuit, qua indutus eſt Filius Dei, & ideo Chriſtus de Spiritu Sancto dicitur incarnatus, ſicut videlicet de corpore Adam dormientis ſublata eſt portio, de qua formata eſt Eua. *B. Albert. Magnus lib. 12. de laudibus B. Mariæ, cap. 5.*

Spiritus Sanctus de ſubſtantia Virginis portionem ſumpſit ad formandum corpus Chriſti.

Dub. 85. Ad eadem verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* An Beata Virgo aſsimiletur velleri?

Reſp. Rectè ergo Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta texuntur. Vellus planè Maria eſt, ſiquidem de molli ſinu eius agnus egreſſus eſt, qui & ipſe matris laniciem, id eſt, carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus, Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti ſanguine fouetur, & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur. *Ruffinus Aquileienſis. D. Ambroſ. ſerm. 2. de Natiuitate Domini.*

Chriſtus mitis egreſſus eſt de vtero Virginis.

Dub. 86. Ad eadem verba, Pſalm. 71. v. 6. *Sicut pluuia in vellus.* Cur B. Maria dicitur vellus?

Reſp. Vellus cum ſit de corpore, neſcit corporis paſsiones: ſic Beata Virgo immunis fuit ab omni immundicia. *D. Hieronymus.*

Ab omni paſſione, & immunditia immunis.

2. Reſp. Vellus cum ſit de carne excreſcit extra carnem, & carnis paſsiones ignorat. Attactu leni colore humili, manſuetudinem, & humilitatem denuntiat. Formæ etiam habilitate, ſimplicitatis, & innocentiæ gerit indicium, & naturali velamine membrorum fouet teneritudinem. Deſignat autem glorioſam Virginem, quæ in carne degens extulit ſe extra carnem, & carnis paſsiones mactauit robore ſpiritus. Nam manſuetudine, & humilitate nulli

B. Virgo extulit ſe extra carnem.

B. Virgo virtute nulli ſimilis.

li ſimilis extitiſſe dignoſcitur. Simplicitatem eius, & innocentiam dicere nullus ſufficiet. Charitatem, qua humanum genus inceſſanter protegit, & fouet mentis intelligentia non comprehendit. *B. Amadæus Lauſanenſis, ſeu Amadæus Franciſcanus.*

B. Virg. charitas genus humanum protegens.

Pluuia ſilenter in vellus deſcendit.

3. Reſp. Quid enim tam ſilenter, & ſine ſtrepitu ſit, quàm cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſſionis aſpergit, ſed ſine inquietudine ouium totum imbrem per multiplices effuſſum partes, toto corpore in ſe trahat, vnius meatus ſciſſuram neſciens, ſolida mollitie plures præbens meatus: & quod clauſum videtur per denſitatem, eſt patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quia ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore, nec eius diſciſſuram corporis pateretur, ſed eſſet mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam. *D. Ambroſius ſerm. 2. de Natiuitate Domini.*

B. Virgo Deũ concepit, abſque diſciſſura corporis.

Verbum Diuinum ſuſcepit, quia humillima fuit.

Dub. 87. Ad eadem verba, Pſalm. 71. verſ. 6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus?* Cur B. Virgo hunc rorem cœleſtem ſuſcepit?

Reſp. Mons pluuiæ, & roris fuit Virgo Maria in Filij Dei conceptione, *Pſalm. 71. Deſcendet ſicut pluuia in vellus*, & hanc pluuiam ſiue rorem cœleſtem meruit Beata Virgo ſuſcipere, quia humilima fuit: nam à ſuperbis, & elatis, 2. *Reg.* 8. *Montes Gelboe nuros, nec pluuia veniat ſuperuos. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Terra corpus infimum inter quatuor elementa.

Dub. 88. Ad illa verba, Pſalm. 73. verſ. 12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ?* An B. Virgo dicatur terra?

Reſp. Primo Beata Virgo aſſimilatur terræ, quia terra eſt corpus infimum, ſcilicet, inter quatuor elementa ſecundùm ordinem naturalem elementorum: ſicut cœlum eſt ſupremum in ordine corporum. *Prouerb.* 25. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum*: ita Beata Virgo fuit infima omnium Sanctorum per ſui reputationem, vnde & appellauit ſe viliſſimo, & infimo nomine fœminarum; ſcilicet, Ancillam: *Ecce*, inquit, *Ancilla. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Infimum per ſui reputationẽ.

2. Reſp. Medium virginale eſt Virgo Maria, de qua aſſumpſit carnem noſtram, in qua operatus eſt ſalutem noſtram. Vnde dicit *D. Bernardus.* Quod ad ipſam Virginem, tanquam ad medium concurrunt vniuerſi. Qui ſuprà ſunt Angeli, vt reſtaurentur; ſcilicet, in ruinis ſuis. Qui infra ſunt, id eſt, Patres in Limbo, vt liberentur de tenebris. Qui autem fuerunt Patriarchæ, & Prophetæ, vt verificentur in ſuis; ſcilicet, prophetijs, & figuris de hoc. Qui poſt nos erunt, & nos vt ſaluentur. Adde quì à dextris ſunt, ſcilicet, Iudæi, vt honorificentur, quod de eis nata ſit Mater Dei. Qui à ſiniſtris, id eſt, Gentiles idolatræ, vt illuminentur ad fidem: *Operatus eſt ergo Deus ſalutem in medio terræ*, id eſt, in Virgine, quæ eſt perfectio hominum. *D. Antoninus in opuſc. de B. Virg. cap.* 2.

Ad B. Virginem tanquã ad medium concurrunt vniuerſi.

Dub. 89. Ad illa verba, Pſalm. 73. ver. 16. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus eſt Auroram, & Solem.* Cur inter Solem, & noctem, Auroram poſuit mediam?

Mediatrix inter Deum, & peccatorem.

Reſp. Benè Pſalmiſta in prædicto verſu Auroram inter noctem, & Solem ponit mediam; quæ certè etiam ordine naturali media eſt, Aurora itaque eſt Beatiſsima Virgo Maria, quæ inter noctem, & Solem, inter hominem, & Deum, inter hominem iniuſtum, & Deum iuſtum eſt optima mediatrix, optima iræ Dei refigeratrix. *D. Bernard.* Securum iam habet homo acceſſum ad Deum, vbi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Filius nudato corpore Patri oſtendit latus, & vulnera, Maria Filio pectus, & vbera. *D. Bonauentura in ſpeculo, Lect.* 11.

Iram Dei temperat.

B. Virgo Aurora fuit in Natiuitate, Luna in Annuntiatione, Sol in Aſſumptione, luminaria in Purificatione.

Dub. 90. Ad illa verba, Pſalm. 73. ver. 16. *Tu fabricatus es Auroram.* An Beata Virgo Maria dicatur Aurora?

Reſp. Per Auroram Beata Virgo poteſt intelligi. *Cant.* 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora.* Ipſa enim fuit Aurora in Natiuitate, Luna in Annunciatione ecclypſans Solem Iuſtitiæ, Sol in Aſſumptione, luminaria in Purificatione, de qua thema eſt hic ſecundùm litteram, *Hieronymi*, quæ habet: *Tu ordinaſti luminaria*, in Purificatione enim ordinantur, & portantur luminaria. *Hugo Cardinalis.*

Luminaria portantur in Purificatione.

B. Virgo tribulationes ſeruientium ei conuertit in iucunditatem.

Dub. 91. Ad illa verba, Pſal. 74. verſ. 9. *Et inclinauit ex hoc in hoc.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Mariæ?

Reſp. Et inclinauit ex hoc in hoc; ſcilicet, ex vno vaſe in aliud vas, ſed quandoque vas continens vnum vinum, vel vnum liquorem, inclinatur in vas continens aliud vinum. Sic enim Filius, & Mater ſeruientibus ſuis in calicem tribulationis inclinat calicem æternę iocun-

cunditatis vbi, sunt multæ bonæ species, tribulatis consolationis infundendo de consideratione retributionis, & hoc sæpè experti sunt, qui Mariæ deuotè seruiunt; Illos etiam qui studiosè seruierant in hac vita, creditur ipsa misericorditer in Purgatorio visitare, & aut verbum solatij, aut iocunditatem suæ visionis, aut aliquod sperimentum iocundi odoris, aut aliquod huiusmodi, quo refocillentur, & leuius ferant ipsis piè creditur impartiri. *B. Albert. Magnus lib. 12. de laudibus B.M. Virg. cap. 1. num. 9.*

Pie creditur, quod deuotis suis aliquod solatium impartitur in Purgatorio.

Dub. 92. Ad illa verba, Psalm. 75. vers. 3. *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*? An Beata Virgo dici potest Sion?

Diuina Mysteria sibi nota secum ipsa versabat.

Resp. Sion interpretatur speculum, vel speculatio, ò quis enarrare, vel etiam cogitare sufficiat in qualibus quotidie speculationibus Sancta illa Sion, Sancta illa mens Mariæ fuerit, dum omnia illa mysteria præ omnibus mortalibus, sibi nota, feruentissima sibi mente reuoluit. *Hieronymus serm. de Assumpt.* Si qua sunt in vobis viscera pietatis considerate, quo cruciabatur amore, quo ve desiderio æstuabat hæc Virgo, dum reuolueret animo cuncta quę audierat, & viderat quę cognouerat, quantis ve mouebatur repleta Spiritu Sancto cœlestium secretorum incitamentis. *D. Bonauentura in specul. B. Virg. Lect. 11.*

Auxilio B. Virginis citius peruenitur ad gratiã, & gloriam.

Dub. 93. Ad illa verba, Psalm. 76. vers. 20. *In mari Via tua.* An B. Virg. dicatur mare?

Resp. Mare est itineris compendium. Ita similiter, siue ad statum gratię, siue ad portum glorię Beatæ Virginis auxilio citius peruenitur, *Psalm. 76. In mari Via tua. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Verbum Diuinum comparatur naui in Incarnatione.

2. Resp. Notando quod Scriptura Sacra loquens de nouitate Virginis, & Incarnationis Filij Dei, comparat Matrem concipientem mari: Filum autem venientem comparat naui, & quoad ingressum, processum, & egressum. Comparatur ergo Dei Filius ratione Incarnationis naui. Primo ratione ingressus. Ratio est. Nauis constituitur ex diuersis lignis, & postibus, quæ inuicem coniunguntur: nauis autem mare ingrediens, & egrediens non frangit aquam, sed super aquam portatur, & aquam pertransit, intrat, & exit sine aliquo vestigio, sine aliquo remanente signo. Ita Persona Filij Dei, Persona Christi est in Incarnatione constructa ex duobus diuersis lignis: scilicet, duobus postibus Diuinitatis, & Humanitatis, humanæ naturæ, & Diuinæ, quæ in ista naui coniuncta fuerunt in vno supposito. Hoc igitur suppositum intrauit mare, id est, vterum Virginis Mariæ in Incarnatione, quando hæc ligna Humanitatis, & Diuinitatis in virginali vtero coniuncta fuerunt, & exiuit nauis formata in portu Natiuitatis, sed semper sine fractura, sine violatione Virginitatis Matris, saluis portis, & clausis portis maris, quia Virgo gessit, Virgo peperit, & post partum Virgo permansit, per quod nulla vestigia, nulla signa, quæ alij nascentes relinquunt, in Matre Virgine dereliquit. Ideò loquitur ipsi Dauid: in mari, id est, in Virgine Maria, *Via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. Armandus de Vellouisu collat. 57. de Annuntiat. & Natiuitate Dominica.*

Verbum Diuinum exiuit in Natiuitate, sine violatione Virginitatis Matris.

Dub. 94. Ad illa verba, Psalm. 77. vers. 14. *Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* An Beata Virgo dicatur nubes?

Proregit ab ira Dei.

Resp. Maria est nobis columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æstu Diuinæ indignationis, protegit etiam ab æstu diabolicæ tentationis, sicut iterum dicitur in *Psalm. 104. Expandit nubem.* Maria quoque columna ignis, ignis est illuminans nos, imò illuminans mundum multis misericordiæ suæ beneficijs. Quid nos miseri, nos obtenebrati, Quid in nocte huius sæculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus. *Bernard. serm. de Natiuit B. M.* Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum vbi dies? Tolle Mariam hanc Maris Stellam, quid nisi caligo inuoluens? Vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquentur. *D. Bonauentura in specul. Lect. 3.*

Protegit à diaboli tentatione.

Lux illuminans peccatores, beneficia largiens.

Dub. 94. Ad illa verba, Psalm. 77. vers. 24. *Pluit illis manna ad manducandum*? Cur Beata Virgo manna appellatur?

Incarnatio Christi per vermiculum figurata.

Resp. De hoc manna vermiculus procreabatur, quando Christus in Virgine incarnabatur. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laudibus B.M. cap. 5. §. 11. num. 4.*

Dub. 95. Ad illa verba, Psalm. 77. vers. 24. *Pluit illis manna.* Cur Eucharistia per manna signatur?

Incarnatio Christi significata per rorem, & pluuiam. Sine strepitu descendentes.

Resp. Nota quod per istud manna Sacramentum Eucharistię figuratur, quod ad instar mannę fuit sicut ros, & pluuia. Nam sicut ros, & pluuia de cœ-

lo

lo descendit, & terram infundit; sic Christus in Virgine per terram, significata descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Signanter autem dicitur simile semini coriandri, quę est herba odorifera; quia Christus, fuit fructus Beatę Virginis signatę per odoriferam, & fructiferam herbam, vt sic ipsa merito possit dicere, illud *Ecclesiast. 24. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. Incognitus.*

Natura vnicorni.

Dub. 96. Ad illa verba, Psalm. 77. vers. 69. *Et ædificauit sicut vnicornium.* Qui significantur per vnicornium?

Gentiles per partum Virginis ad fidē Christi conuersi.

Resp. Mystičè per vnicornium intellige Gentiles superbos, per partum Virginis ad fidem Christi conuersos. Natura enim vnicornii, vt ait *Gregorius 31. Moral. cap. 13.* Est quod isto modo capitur; Nam puella Virgo proponitur, quę venienti sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput deponit, sicque ab eis, à quibus capi quęritur, repente velut inermis, inuenitur, & capitur. Sic & de populo Gentili, qui cornu gestabat in fronte; scilicet, superbię despiciens Deum ab Apostolis, eorumque successoribus captus fuit, dum prę posuerunt sibi Virginem puellam, scilicet, Virginem Mariam, quę eis sinum suę gratię aperuit, & statim omni ferocitate dimissa per fidem Christi captus fuit, & hoc tangens, Psalm. ait: *Et ædificauit sicut vnicornis sanctificium suum*, vbi *Gloss.* Sanctificium est plebs sancta ad Deum conuersa Regale Sacerdotium, vt ait *Petrus.* Hoc ergo sanctificium fundauit sicut vnicornis, quia admodum vnicornis gentes per partum puellæ fide captę sunt. *Incognitus.*

In Natiuitate maximè honoranda, & prædicanda.

Dub. 97. Ad illa verba, Psalm. 80. vers. 4. *Buccinate in Neomenia tuba.* Cur in Neomenia buccinandum tuba?

Thema in Natiuitate B. Virg.

Hoc est thema in Natiuitate Beatę Virginis, quę etiam est in Septembri, tunc enim quando nata est Beata Virgo, progressa est noua. *Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra, vt Luna*; scilicet, bicornis. Vt nauis ampla quę nos portat in cœlum, vnde de ipsa muliere forti dicitur. *Prouerb. 31. Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum*, id est, Christum, qui est panis viuus, qui de cœlo descendit. *Ioann. 6.* in hac Neomenia debemus buccinare tuba, vt eandem Beatissimam Virginem prędicemus, & laudemus, quia est omni laude dignissima. *Hug. Cardinalis.*

Dies Natiuitatis solemnis, Prophetarum oraculis præsignata.

Dub. 98. Ad illa verba, Psalm. 80. vers. 4. *In insigni die solemnitatis vestræ.* Cur dies Natiuitatis B. Marię dicitur insignis solemnitatis nostræ?

Resp. Dies illa insignis est, quia multis Prophetarum oraculis præsignata. Vnde *Numer. 24. Orietur Stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel. Psalm. 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Num. 17. Inuenit germinasse virgam Aaron.* Item eo tempore Sol est in signo quod dicitur Virgo, & Sol Iustitiæ Christus Deus noster in Beata Virgine habitauit. *Hug. Cardinalis.*

Natiuitas B. Virginis celebrāda à Laicis, Clericis, & Religiosis.

Dub. 99. Ad illa verba, Psalm. 80. vers. 5. *Quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob.* Quommodo hæc verba aptantur B. Mariæ?

Resp. Festum enim Beatæ Virginis celebrandum, & laus ipsius prędicit Israel, id est, contemplatiuis; scilicet, Clericis, & Religiosis. Populus autem, qui buccinare nesciunt, id est, prędicare, quasi bonæ pecudes debent eis in laude Beatæ Virginis congaudere, & assentire eis. Vnde addit: *Et iudicium approbationis Deo, id est, ad honorem Dei est in Iacob*, id est, in actiuis, & in populo, quasi dicat: Quod Israel de Beata Virgine prędicat, Iacob approbare debet. *Hug. Cardinalis.*

Religiosus per tria vota honorat Beatam Virginē.

Dub. 100. Ad illa verba, Psalm. 80. vers. 6. *Testimonium in Ioseph posuit illud.* Quid significat testimonium positum in Ioseph?

Resp. Ioseph filius accrescens, & patri charissimus Religiosus est, in quo posuit Dominus testimonium honoris Beatæ Virginis, quia per votum castitatis eius virginitatem honorat, per votum obedientiæ, obedientiam Ancillæ Domini, per votum paupertatis illius etiam paupertatem, quia vt dicit *Hieronymus.* Ita pauper erat, quod manu & acu acquirebat, vnde se, & Saluatorem mundi pascebat. Posuit etiam testimonium in Ioseph, quia ipsa Beata Virgo est testis, & aduocata in causa eorum, qui eam honorant, sicut frequenter cantamus de ipsa: *Eia ergo aduocata nostra*, de hoc testimonio dicit in *Psalm. 88.* Deus Pater: *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo*, id est, Beata Virgo, quæ est thronus veri Salomonis Christi, & *sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis*, ibi enim testatur, & allegat pro nobis. Vnde quidam Sanctus homo narrauit, quod cum quidam Religiosi frequenter cantantes illam antipho-

Aduocata eorū qui eam honorant.

Oratio salue Regina acceptissima B. Virgini.

phonant salue Regina dicerent verbum illud: *Eia ergo aduocata nostra*, pluries viderant in spiritu ipsam Matrem Domini ante Filij sui prosterni sapientiam, & pro totius illius ordinis conseruatione precari. *Hugo Cardinalis.*

Orat pro decantantibus salue Regina.

Dub. 101. Ad illa verba, Psalm. 83. vers. 6. *Ascensiones in corde suo disposuit.* Quæ ascensiones B. Mariæ?

Resp. Ascensiones in corde suo disposuit Virgo conuersatione pariter, & oratione ascendens, abijt in montana, & salutauit Elisabeth, vt iam tunc posset dicere Matri, Mater sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam; Quid hac humilitate sublimius? venisse eam mirabatur Elisabeth, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*, sed magis miretur, quod instar vtique Filij, & ipsa non ministrari venerit, sed ministrare, ascendit planè supra omnem creaturam nimirum supra Angelos, hauriat necesse est quam refundat hominibus aquam viuam. *D. Bernardus sermon. in Natiuitat. Virgin.*

B. Virgo instar Filij venit ministrare.

Dub. 102. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 1. *Benedixisti Domine terram tuam.* An Benedicta dicatur B. Virgo?

Benedicta propter Christum.

Resp. Terra illa est Maria, de qua in eodem Psalmo dicitur: *Veritas de terra orta est*, veritas est Christus, qui ait *Ioan. 14. Ego sum via veritas, & vita*, Benedicta est ergo hæc terra propter benedictum fructum. Benedicta est Maria propter benedictum Filium. *D. Bernar. Homil. 3. super missus est.* Non quia Tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quia ille Te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò Tu Benedicta. *D. Bonauent. in specul. Lect. 14.*

Dub. 103. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 1. *Benedixisti Domine terram tuam.* Quam terram benedixit Dominus?

Bi Anna specialiter dicitur nostra.

Resp. Potest exponi de ea; scilicet, Sancta Anna illud *Psalm. 84.* Benedixisti Domine terram tuam, quia primo erat sterilis, & sequitur: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra*; scilicet, Beata Anna, nostra propter vtilitatem, quam ex ea habuimus, *dabit fructum suum*; scilicet, Virginem Mariam. *D. Vincentius Ferrer serm. 2. in Natiuit. B. M.*

Benedicta à Deo, cum ei tribuit potentiam generandi.

Dub. 104. Ad eadem verba, Psalm. 84. vers. 1. *Benedixisti Domine terram tuam.* An Deus benedixerit Beatæ Virgini?

Resp. De Beata Virgine potest legi, quæ est terra benedicta, id est, ferax. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* De hac igitur dicit: *Benedixisti Domine terram tuam*, id est, Beatam Virginem, quam benedixit Deus potentiam generandi illi tribuendo; De ista terra dicitur in *Psalm. 66.* Terra nostra dedit fructum suum. id est, Beata Virgo peperit Filium. De dit non reddidit, quia semen non recepit. *Hugo Cardinalis.*

Semen non recepit.

Dub. 105. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 1. *Auertisti captiuitatem Iacob.* Quo sensu hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Orat pro luctantibus cõtra peccata, ne in peccata prolabantur.

Orat pro tentatis, ne in captiuitatem diaboli incidant consentiendo peccatis.

Resp. Hæc terra Benedicta non tantum fructum dedit, sed quotidie peccatoribus remedium præstat. Vnde addit auertisti, ò Christe Matris precibus captiuitatem Iacob, non dormientium, sed reluctantium, qui contra vitia luctantur resistendo, & cum Deo luctantur orando. Horum captiuitatem auertit Christus precibus Beatæ Matris eius, quia ipse nihil ei negat quod petat, & ipsa pro peccatoribus, & tentatis orat. Vnde vocatur Aduocata nostra. 3. *Reg. 2. vers. 20. Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Et de ea dicit *Beatus Bernardus.* Ille solus à laude eius taceat, qui eam in necessitatibus suis fideliter aduocatam sibi senserit defuisse. Pro his inquam orat, ne in captiuitatem diaboli transeant consentiendo peccatis, vel si transierint, vt reuertantur. *Isaiæ 49.* Equidem & captiuitas à forti tolletur id est, à diabolo, vel à forti, id est, per fortem mulierem Beatam; scilicet, Virginem, de qua propriè dicitur illud *Prouerb. vlt. Mulierem fortem quis inueniet. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo captiuos peccatores tollit à diabolo.

Dub. 106. Ad illa verba, Psal. 84. ver. 12. *Veritas de terra orta est.* An Beata Virgo dicatur terra?

Resp. Veritas, id est, Christus, qui dicit *Ioann. 14. Ego sum via, veritas, & vita, de terra orta est*, id est, de Beata Virgine, quę dicitur terra propter suam humilitatem; terra enim est humilius elementum, vnde de ipsa dicitur: *Isaiæ 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, id est, appareat humilitas Beatę Virginis humiliter consentientis verbis Angelicis, & dicentis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum.* Et sic concipiat Saluatorem. Vnde *Beatus Bernardus*, quasi loquens ei dicit: Quid tardas? quid trepidas? profer verbum, & suscipe verbum. *Hugo Cardin.*

Humiliter consentiens concepit.

Dub. 107. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 12. *Benedixisti Domine terram tuam.* Et vers. 12. *Veritas de terra orta est.* An Beata Virgo nomine terræ designetur?

Sine virili semine protulit Filium.

Resp. Aduertendum quod nomine terræ propriè Virgo Maria designatur, eo quia sicut terra sine maris commixtione, fructum suum profert; sic, & Virgo Maria sine virili semine protulit benedictum fructum ventris sui Iesum. Vnde de isto ortu ex terra dicitur: *Isaiæ 53. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, id est, de Virgine, non fœcundata semine virili. *Incognit.*

Concepit illibata virginitate.

Dub. 108. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 13. *Dominus dabit benignitatem.* Quam benignitatem dedit Dominus Beatæ Virgini?

Resp. Exponens Beda dicit: *Dedit Dominus benignitatem*, quia in ingressu vnigeniti sui, virginalis vteri Templum Spiritus Sancti gratia consecrauit. *D. Bonauentura in speculo, cap. 14.*

Dub. 109. Ad eadem verba, Psalm. 84. vers. 13. *Dominus dabit benignitatem.* Cur dicitur Deum dedisse Beatæ Virgini benignitatem?

Deus sua bonitate, absq; nostris meritis in vtero Virginis carnem assumpsit.

Resp. Secundum enim grammaticos benignus deriuatur ab igne, & bene, & dicitur benignus, quasi bono igne ignitus, vnde hæc benignitas benignitatis; & est benignitas virtus sponte ad benefaciendum exposita, lenis, blanda, dulcis, alloquio, & sua cunctos inuitans dulcedine: quid est ergo benignitas Dei, nisi sua bonitas exposita lætanter omnibus gratis benefacere? Dedit ergo Dominus benignitatem, quando mera sua bonitate absque nostris meritis, gratia vterum Virginis Mariæ impleuit, non solum ad sanctificationem mentis, sed etiam ad fœcundationem ventris, quia virtute Spiritus Sancti concepit. *Incognit.*

Responsio, quam B. Virgo datura erat Angelo, à Dauide prædicta.

Dub. 110. Ad illa verba, Psalm. 84. vers. 16. *Saluum fac filium Ancillæ tuæ.* Cur Propheta responsionem quam Beata Maria datura erat Angelo, prædixit?

Resp. Vide claram Prophetæ illuminationem, quia non solum præcognouit Christi mysteria Passionis, & Resurrectionis; sed etiam hic præuidit responsionem, quam Virgo Maria erat Angelo datura, dicens: *Ecce Ancilla Domini*, ideo hic Christum vocat Filium Ancillæ Domini. *Incognit.*

Dub. 111. Ad eadem verba, Psal. 85. vers. 16. *Filium Ancillæ tuæ.* Cur Beat. Virgo vocatur Ancilla?

Mater, & Virgo.

Resp. Nota hic quam propriè Virgo Maria Ancilla vocatur, quæ sua humilitate nos omnes informat. Hæc enim Ancilla fuit Mater, & Virgo. Sed [illegible] Ancilla quommodo Mater? Si Mater, quommodo Virgo? Sed Ancilla fuit per humilitatem, Mater per fœcunditatem, Virgo per puritatem. *Incognitus.*

Filius petiuit à Patre à morte saluari meritis, & obedientia Matris.

Dub. 112. Ad eadem verba, Psalm. 84. vers. 16. *Saluum fac Filium Ancillæ tuæ.* Cur Filius cum petit à morte saluari, filium Ancillæ se nominat?

Resp. Saluum fac à morte, ait, Filium Ancillæ tuæ Mariæ, ac si dicat: non solum hoc promeretur obedientia mea, vt me salues, sed & obedientia Matris meæ, cui cum per Gabrielem mandasses, vt me conciperet. *Ecce*, inquit, id est, parata sum, Ancilla namque Domini sum. *Bruno Carthusianus.*

Dub. 113. Ad illa verba, Psalm. 86. vers. 1. *Fundamenta eius in montibus altis.* Ad quod respicit relatiuum eius?

Originem traxit à Patriarchis, Regibus, & Prophetis.

Resp. Nota quod Propheta præuidens in spiritu dignitatem, & excellentiam huius Ciuitatis; scilicet, Virginis Gloriosæ, quasi vehementer admirans gloriam ipsius, ex improuiso prosilijt in hæc verba: *Fundamenta eius, in montibus sanctis.* Et cum nihil præcesserit ad quod respicit relatiuum eius refertur ad mentem Prophetæ. Dicit ergo: *Fundamenta eius sunt in montibus sanctis*, id est, in Patriarchis, Regibus, & Prophetis ex quibus originem traxit, sicut patet in genealogia Christi, *Matth. 1. Beatus Albertus Magnus lib. 11. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 1. num. 2.*

Dub. 114. Ad eadem verba, Psal. 86. vers. 1. *Fundamenta eius in montibus altis.* Qui montes alti super quos fundata est hæc Ciuitas?

Petrus cecidit in peccatum per infirmitatem, Paulus per ignorantiam, Iudas per malitiam.

Resp. In montibus altis, id est, in altitudine Trinitatis; scilicet, Patris, cui attribuitur potentia, Filij cui attribuitur sapientia, Spiritus Sancti, cui attribuitur bonitas, & gratia, & ideò cadere non potuit, neque per ignorantiam, nec per aliquam malitiam, omnis namque casus in peccatum fit aliquo istorum trium modorum, & isti tres modi inter Sanctos Apostolos reperti fuerunt. Petrus namque cecidit per infirmitatē, dū timore mortis Christum negauit, & ratio est quia nondum fun-

fundatus erat, ſuper altitudinem Diuinæ potentiæ. Paulus cecidit per ignorantiam, *Thimoth.* 1. *Ignorans feci in incredulitate*, & ratio eſt, quia nondum erat ſupra altitudinem Diuinæ ſapientiæ. Iudas verò cecidit per malitiam excogitatam, & affectatam, vnde *Pſalm.* 108. *Dilexit maledictionem, & inueniet eam*, & ratio eſt, quia nondum fundatus erat ſupra altitudinem Diuinæ Gratiæ. Nullo autem iſtorum modorum iſta domus cadere potuit, quæ dicit *Eccleſ.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*; non enim domus huiuſmodi cadere potuit per malitiam, quia fundata erat ſupra altitudinem Diuinæ Gratiæ, ideò dicit: *In me omnis gratia vitæ*, nec per ignorantiam quia fundata erat ſupra altitudinem Diuinæ ſapientiæ, & propterea ſubiungit, *& veritatis*, nec per infirmitatem humanam, quia fundata fuerat ſupra altitudinem Diuinæ potentiæ, ideò ſubdit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Iacobus de Voragine ſerm. 2. in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

B. Virgo non potuit cadere, nec per infirmitatem, nec per ignorantiam, nec per malitiam in peccatum

Dub. 115. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 2. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia Tabernacula Iacob.* Quid ſignificant portæ Sion?

Reſp. Cuius Sion portæ fuerunt quinque ſenſus, qui clauſi fuerunt, contra omne noxium, & in honeſtum, & aperti ad bonum. Vnde aures eius, quę clauſæ erant contra mundi ſtrepitus, quando ingreſſus eſt Angelus ad eam, apertæ ſunt ſalutationi eius, & porta cordis, quæ contra conſenſum viri erat clauſa, aperta eſt Diuinæ voluntati, quando dixit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ezechielis* 44. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Diligit ergo Dominus portas Sion, id eſt, ſenſus Beatæ Virginis ſuper omnia Tabernacula Iacob, id eſt, pluſquam corpora aliarum Virginum. Corpora enim dicuntur Tabernacula. 2. *Petr.* 2. *Velox eſt depoſitio Tabernaculi mei. Hebr. vlt. Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt.* Virgines autem benè dicuntur Iacob, quia luctatæ ſunt, & ſupplantauerunt fomitem, qui in Beata Virgine omnino fuit extinctus. *Hugo Cardinalis.*

Senſus B. Virginis clauſi ad malũ, aperti ad bonum.

Fomes in B. Virgine omnino extinctus.

Dub. 116. Ad eadem verba, Pſal. 86. verſ. 2. *Diligit Dominus portas Sion.* Cur Beata Virgo dicitur Sion?

Eminentiſsima in cœlo.

Reſp. Dicitur autem Beata Virgo Sion, quia ſicut Sion erat locus eminentiſsimus, & tutiſsimus in Ieruſalem: ſic Beata Virgo in Eccleſia etiam Triumphante. *Hug. Card.*

Dub. 117. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 3. *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* An Beata Virgo dicatur Ciuitas Dei?

Reſp. Sunt autem multæ rationes, quare Beata Virgo dicitur Ciuitas; ſcilicet, quia multa in ipſa fuerunt, quæ in Ciuitate contingit reperire, quæ poſſunt notari his verbis. Rex, Præſul, Populus, Defenſio, Templa, domus, lex, fons, ſchola, ludus, opes, commercia, pax, cibus, arma. In Beata enim Virgine fuit Rex; ſcilicet, Chriſtus. De quo *Apoc.* 19. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Item in ea fuit Præſul, ipſe Chriſtus, aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, *Hebr.* 9. Item in ipſa fuit populus, quia viſceribus miſericordiæ ſuæ omnes continebat, & adhuc continet, vnde dicitur: Mater miſericordiæ, ſic Paulus habebat in ſe populum, cum dicebat *Philippenſ.* 1. *Sicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus eo quod habeam vos in corde meo, & Galat.* 4. *Filioli mei quos iterum parturio*, ergo habebat eos in vtero. Item defenſio, *Cant.* 8. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris.* Item Templa, *Apocal.* 21. *Dominus Deus Omnipotens Templum illius eſt.* Et ad litteram multa Templa, & Eccleſiæ factæ ſunt in honore ipſius. Item domus eſt in ea; ſcilicet, virginalis aula, in qua Chriſtus habitauit. *Prouerb.* 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Et lex de qua. *Prouerb. vltim. Et lex clementiæ in lingua eius.* Et Fons *Eccleſiaſt.* 24. *Quaſi fluuius dorix, & quaſi aquæductus exiui de Paradiſo.* Et ſchola. *Lucæ* 2. *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Et ludus. *Zachar.* 8. *Plateæ Ciuitatis implebuntur infantibus, & puellis ludentibus.* 2. *Reg.* 6. *Dauid ſaltabat totis viribus ante Arcam*; ſcilicet, Chriſtus ante Beatam Virginem, quando reduxit, vel adduxit eam in ſupernam Ieruſalem. Vnde cantat Eccleſia: *Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli. Laudantes benedicunt Dominum*, ecce ludus. Et opes virtutis, & gratiæ, vnde dixit ei Angelus: *Lucæ* 1. *Aue gratia plena. Prouerb. vltim. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu autem ſupergreſſa es vniuerſas.* Item comer-

Omnes in viſceribus miſericordiæ continet.

Omnium defenſio.

Templa ad honorem B. Virg.

Virginalis aula, domus Dei.

Lex clementiæ in ea.

Schola eſt doctrinæ.

Aſſumpta eſt exultatione, & tripudio.

In ea omnes diuitiæ virtutis, & gratiæ.

tia. *Prouerb.* 23. *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam. Prouerb.* 31. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananeo.* Et pax. *Pſalm.* 47. *Qui poſuit fines tuos pacem.* Quia in Beata Virgine non fuit guerra carnis contra ſpiritum, caro enim eius non concupiuit aduerſus ſpiritum, quia omnino fuit extinctus fomes in ipſa. Item cibus, *Cant.* 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici*, venter eius ad litteram, in quo fuit granum frumenti, cibus Angelorum, & Hominum, vel venter, id eſt, pietas. Item arma. *Cant.* 4. *Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Hugo Cardinalis.*

Pacificata in ea caro, & ſpiritus.

In B. Virgine cibus Angelorum, & hominum.

In ea armatura fortium.

2. Reſp. Secundum Iſidorum Ciuitas eſt concors hominum multitudo, ſocietatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, id eſt, ab ipſis incolis vrbis, pro eo quod plurimorum conciſcat, & contineat vrtas. Hæc omnia B. Virgini poſſunt adaptari, quæ eſt illa Ciuitas, de qua in *Pſalm.* 86. *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* Hæc glorioſa ſunt, quod Beatam dicunt eam omnes generationes. Maria Ciuitas, quæ dicitur quaſi ciuium vnitas, id eſt, ſenſualitatis, & rationis plena concordia. Ciues huius Ciuitatis Sanctæ cogitationes, deuotæ affectiones, feruentia deſideria, & huiuſmodi, quæ omnia tendebant ad illud vnum, quod eſt *neceſſarium*, *Lucæ* 10. regebantur etiam ciues iſti conſilio Spiritus Sancti, quia ciues conſilio ſunt regendi, & aduerſarij fugandi, vel fugiendi, benè etiam Ciuitas vnitas, quia nec ibi caro concupiſcebat aduerſus ſpiritum, nec ſpiritus aduerſus carnem, nec aliquid rebellionis, aut contradictionis in corpore eius, vel anima. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ.*

Ciuitas cur ſic dicta.

In B. Virg. fuit ſenſualitatis, & rationis plena cõcordia.

3. Reſp. B. Virgo dicitur Ciuitas Dei ad differentiam Ciuitates Babylonicæ, quæ diaboli eſt, in quam Dominus non ingreditur. *Oſeæ* 11. Benè Ciuitas Dei, quæ tota fuit Dei, & nullius niſi Dei, quia nihil in ea habuit pars aduerſa. Item Ciuitas Dei, quia ſola digna tanto Rege, tanto Pontifice, tanto fundatore, tanto inhabitatore. *Daniel Agricola vbi ſupra.*

B. Virgo tota fuit Dei.

B. Virgo ſola digna tanto Filio.

Dub. 118. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Nunquid Sion dicet.* An Beata Virgo dicatur Sion?

De Iudæis nata.

Reſp. Hoc de Beata Virgine exponitur, quæ Sion dicitur, eo quod de Sion, id eſt, de Iudæis nata eſt. ſicut prophetatum eſt in *Pſalm.* 119. de ipſa: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Item dicitur Sion, quia contemplatiua erat. *Hug. Cardinalis.*

Contemplationi dedita.

Dub. 119. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Nunquid Sion dicet, Homo, & Homo natus eſt in ea.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Beata Virgo credidit Chriſtum, non purum hominẽ, ſed Deũ, & hominem.

Reſp. De hac dicit: *Nunquid Sion*, id eſt, Beata Virgo contemplans cœleſtia, dicet corde, vel ore de Filio ſuo, Homo ſupple purus eſt, quaſi dicat: non credet Beata Virgo, nec dicet, quod Filius ſit purus homo. *Oſeæ* 11. *Ego Deus, & non homo, & Ciuitatem non ingrediar*; ſcilicet, quia Deus, & homo; vnde de vtraque eius natura ſubiungit; *Et homo natus eſt in ea*, ecce Humanitas: *Et ipſe fundauit eam Altiſſimus*, ecce Diuinitas. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 120. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Et ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Cur prius dicitur: *Homo, & homo natus in ea*, & poſtea quod *fundauit eam Altiſſimus*, cum nunquam auditum ſit quod architector prius domum fabricauerit, & poſtea in eadem domo naſceretur?

Chriſtus prius fundauit B. Virginem vt Deus, poſtea de ea natus eſt vt homo.

Reſp. In hoc enim conſiſtit nouitas miraculi indicibilis, & hæc ſunt glorioſa, quæ dicuntur de hac Ciuitate Dei; ſcilicet, quod Altiſſimus, in quantum Deus, fundauit eam prius, & poſt eius fundationem natus eſt in ea in quantum homo, ideò cum loquitur Propheta de fundatione, ponit præteritum; ſcilicet, *fundauit*, cum ſubiungit de natiuitate in vtero, ponit præſens tempus; ſcilicet, *eſt*, ad oſtendendum: quod poſtquam eam, fundauerat, vt Deus, homo natus eſt ex ea, quod eſſet impoſsibile in puro homine, nuſquam enim auditum eſt, quod architector prius domum fabricauerit, & poſtea in eadem, domo naſceretur, ſed Chriſtus hoc fecit ad innuendum, quod eius Natiuitas omnes alias præcelleret. *B. Albert. Magn. lib.* 11. *de laudib. B. Mariæ, cap.* 1. *num.* 10.

Natiuitas Chriſti omnes alias præcellit.

Dub. 121. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Mater Sion dicet.* Quid dicit iſte homo Ieſus?

Mater Dei naturalis, eſt Mater omnium ſpiritualis.

Reſp. Quid autem dicit iſte homo Ieſus Sion, id eſt, Eccleſię, illud Mater ſcilicet, eſt Tibi, Patrem habebas miſericordiarum, accipe & Matrem totius conſolationis, & miſerationum. Ecce Mater tua ò Sion, ò Eccleſia, quę eſt Mater mea, volo vt ſit, & Mater tua, mea eſt Mater naturalis, tua ſit Ma-

ter

ter ſpiritualis, ecce Mater Dei Saluatoris eſt Mater peccatoris in Eccleſia. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Dub. 122. Ad eadem verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Cur dicitur quod Altiſſimus fundauit eam?

Reſp. Homo natus eſt in ea Ciuitate Dauid, id eſt, Virgine Maria, & Ipſe natus in ea, Chriſtus eſt ille Altiſſimus Deus, qui ſolus Sanctus per eſſentiam, ſolus Dominus per vniuerſam prouidentiam, ſolus Altiſſimus per omnipotentiam, qui fundauit, & fecit Ciuitatem iſtam Virginem Glorioſam, quam inhabitauit: idem vnus Deus, & homo, vna perſona fundator, & creator Virginis per Diuinitatem, Natus in ea per Humanitatem. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Deus fundauit B. Virginem per Diuinitatem, & natus eſt in ea per humanitatem.

Dub. 123. Ad eadem verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Cur ſignanter dicitur; quod Beatam Virginem fundauit Altiſſimus?

B. Virgo opus Dei ſpeciale, non Angeli, vel hominis.

Reſp. Et ipſe non Angelus fundauit eam; ſcilicet, Beatam Virginem. Hæc eſt enim Ciuitas fundamenta habens, cuius artifex, & conditor Deus, *Hebreor. 11. Eccleſiaſtic. 24. Qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo*: fundauit in virtutibus, ſicut Ciuitatem, vel Templum, ipſa enim fuit Ciuitas Summi Dei, ipſa Templum veri Salominis, de cuius fundatione, 3. *Reg. 5. Præcepit Rex Vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum Templi*, id eſt, virtutes eminentes in fundatione Beatæ Mariæ; Nec mirum quia vt dicitur 1. *Paralipom. 29. Neque enim homini paratur habitatio, ſed Deo. Hugo Cardinalis.*

Fundata ſuper eminentiam omnium virtutum.

Dub. 124. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 5. *Dominus narrabit in ſcripturis Populorum, & Principum, horum qui fuerunt in ea.* Quo ſenſu hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Prophetæ, Apoſtoli, Doctores, & alij concorditer ſcripſerunt de B. Virgine.

Reſp. *Dominus narrabit in ſcripturis* quaſi dicat; In multis ſcripturis narratur, & prædicitur de Beata Virgine. Populorum, & Principum, *Eccleſiaſt. 38.* Narratio eorum in filijs taurorum. Item *Eccleſiaſt. 6. In multitudine Preſbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſsis audire.* Populos poſſumus vocare pauperes Prophetas, ſicut fuit Amòs. Principes verò Ditiores, & Nobiliores, ſicut Dauid, & Iſaias, vel Populorum, id eſt, Gentilium, quia Sybillinis verſibus eſt prædicta, & Iob qui Gentilis fuit, & Principum, id eſt, Prophetarum de Iudæis. Vel Principes dicunt editores ſcripturarum, vt Prophetæ, & Euangeliſtæ, & Apoſtoli; Populi verò expoſitores eiuſdem, vt Hieronymus, & Auguſtinus, & alij. Vel Populi dicuntur Sancti alij ab Apoſtolis. Principes verò Apoſtoli, *Pſalm. 44. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, & hi omnes fuerunt in ea*, id eſt, concordes fuerunt laude Beatæ Virginis, in ea non contra eam, vt hæretici, nec extra eam ſicut Philoſophi. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 125. Ad illa verba, Pſalm. 86. verſ. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* An Beata Virgo dicatur habitatio lætantium?

Commoratur inter perſeuerantes, in eius obſequio.

Reſp. Ipſa eſt enim habitatio lætantium; ſcilicet, perſeuerantium in ea; quod notat nomen habitationis; & benè dicit lætantium, quia quicumque dolens ad illam piiſsimam præcordialiter ſe ingerit, non eſt exors gaudioſæ ſpei. *B. Albert. Magnus lib. 10. de laudib. B. M. Virg. cap. 12. ex D. Iſidoro.*

Non fruſtratur ſpes in Ea Virgine collocata.

Dub. 126. Ad eadem verba, Pſalm. 86. verſ. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* An Beata Virgo dicatur habitatio omnium lætantium?

Fortiſsima ad defenſionem noſtram.

Reſp. In forti enim munitione habitant homines ſecuri, & læti; in infirma autem ſunt timidi. Item in magna munitione, & opulenta multi, in maxima omnium eſt ſpes, & refugium: ſic ad Beatam Virginem omnes confugere debent, quia eſt turris fortiſsima, & inexpugnabilis, & terribilis inimicis vt caſtrorum acies ordinata. *Cant. 6.* Opulenta eſt virtutum, & gratiarum abundantia, quia Gratia plena, & etiam Gloria plena. Maxima autem eſt charitatis amplitudine, quia omnes amplectitur. Vnde cantat ei Eccleſia: *Sub tuum præſidiũ confugimus Sancta Dei Genitrix.* Benè competit ei, quod de Filio ſuo dicitur: *Deut. 33. Dilexit populos, omnes Sancti in manu eius ſunt*, propter hoc benè dicit: *Sicut lætantium*, quia ex his omnibus multa eſt lætitia his, qui ad eam cõfugiunt. *Iſaiæ 66. Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam.* Nos poſſumus, & debemus ei dicere illud *Iudith 15. Tu gloria Ieruſalem, Tu lætitia Iſrael, Tu honorificẽtia populi noſtri, quæ feciſti viriliter. Hug. Car.*

Multam lætitiam habent, qui ad eam confugiunt.

Dub. 127. Ad illa verba, Pſal. 88. ver. 5. *Et ædificabo in generationem, & generationem ſedem tuam.* Quo ſenſu ſedes Dei, dicitur ædificari?

Templa, Altaria ædificata in honorē B. Virginis.

Resp. Ædificabo in generatione præsenti per gratiam, & generationem futuram per gloriam, sedem tuam ô Christe, id est, Beatā Virginem. Adhuc enim non cessat hæc sedes quodammodo ædificari, quia ad honorem eius quasi quotidie nouæ Abbatiæ construuntur, nouæ Ecclesiæ ædificantur, noua Altaria dedicantur, & quæ inueterauerant renouantur, & pulchrificantur, &

Sacra Scriptura expolita à Doctoribus de B. Virgine.

ad ostendendam ipsius gloriam, à modernis de ea Sacræ Scripturæ multipliciter exponuntur. *B. Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 7. vers. 3.*

Dub. 128. Ad illa verba, Psalm. 88. vers. 12. *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti.* Cur Beata Virgo dicitur Orbis terræ?

Terra est figuræ sphæricæ.

Resp. Terra est figura sphærica; & Beata Virgo fuit figuræ sphæricæ, in quantum habuit plenitudinem gratiæ. Nam sicut figura sphærica probatur à Philosopho esse perfectissima figurarum, & ipsa fuit perfectissima fœminarum. Istud autem quod Philosophi vocant *sphæram terræ*, Sacra Scriptura vocat *Orbem terræ*. Vnde eadem est figura sphærica, & orbicularis, de qua in

B. Virgo habuit plenitudinem gratiæ.

Perfectissima fœminarum.

Psalm. 88. dicitur: *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 129 Ad illa verba, Psalm. 88. vers. 33. *Visitabo in virga iniquitates eorum.* In qua virga visitabit Deus iniquitates peccatorum?

Exemplis virtutum B. Virginis corrigit Deus peccatores.

Resp. Istum textum magis mysticè exponit *Adam. in libr. de perseuerantia*, ostendens quod ista virga, qua Deus peccatores corrigit, est Virgo Maria dicens: *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Hæc virga est Beata Virgo Maria, qua mundus corrigitur, dum per eius exemplum, & partum ipsius, in quo sit reprehensibilis, & damnabilis demonstratur. Nec odij, sed pacis est talis vltio, qua flagellat filium pater, ne pereat, qua non reo seueritas impenditur, sed reatui: nec se iudicem Dominus exhibet, sed amicum. Zelus Domini exercituum facit hoc, dum in virga visitat iniquitates Orbis. Tot enim verberibus atterit peccata hominum, quot virtutibus illustrat Virginis partum. Hæc virga quasi tot ictus in dorso peccantium dedit, quot virtutibus ostensis in se mundi insipientis vitia debellauit. Et quia vitiorum meta, & origo virtutum extitit, ideò rectè *Virga virtutis appellatur*, cum dicitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Non immerito virga Diuinæ virtutis dicitur Virgo Maria: Cuius fide vita parta, expirans vitijs ad virtutem sæculum respirauit. Hæc virga virgam excludit, cum per eam factus est, vt non relinquat Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Hæc est virga Moysi, quæ virgas Magorum Ægypti legitur deuorasse, quia Virginei partus veritas totius mundi hæreses interemit. Hęc est virga ferrea, qua mundus regitur, qua mundi Princeps prosternitur, confractus inferus aperitur. Hac virga fortior fortem armatus in pacè possidentem Rex virtutum veniens percussit, & attriuit. O quanta ergo nobis ad Deum per te fiducia esse poterit. Tu enim Mater Regis, Mater exulis, Tu Mater rei. Tu Mater iudicis. Tu Mater Dei. Tu Mater hominis. Per te enim reus factus est frater iudicis. Vnde cum sis vtriusque Mater, discordiam inter filios sustinere non poteris. Quid ergo reo timendum est, cui in causa sua, idem frater est, qui & Iudex, cui semper proprium est misereri, & parcere, & qui misericordia super exaltat iudicium. Timere ergo non debet vt pereat, cui misericordię Mater clementissimi fratris, & iudicis, se pijssimam Matrem exhibet, & potentissimam aduocatam. Tu misericordię Mater non rogabis pro filijs Filium? Rogabis quidem, quia qui Filium tuum inter Deum, & hominem posuit mediatorem, Te quoque inter reum, & iudicem posuit mediatricem. Ad hoc namque electa es, & Assumpta in Matrem omnipotentis, vt in partu tuo inueniat locum iniquitas peccatorum. Ad hoc in cellam aromatum suorum erexit Medicus, vt apud te, & per te reperiat ęgrotus sanitatem. Si ergo causam tantę tuę solemnitatis attendas, te totam debes miseris, vt eis reportes antidotum reconciliationis, Neque Tu vnquam poteris faciem iudicis inuenire difficilem, sic nec Te reus vnquam inuenit inexorabilem. Abundas enim, & superabundas visceribus pietatis, quia non solum implcuit Te, sed superuenit in Te accumulationis gratię plenitudine Spiritus Sanctus. *Incognitus.*

Hæreses interemit.

B. Virgo diabolum prosternit.

Inter reum, & iudicē mediatrix.

Dub. 130. Ad illa verba, Psalm. 88. vers. 38. *Thronus eius sicut Sol in conspectu eius, & sicut Luna perfecta in æternum.* An Beata Virgo potest vocari Luna perfecta?

Luna plena habet perfectionem figura circularis.

Resp. Notandum quod Luna plena non

non tantum habet pulchritudinem lucis, ſed etiam perfectionem figuræ circularis, quia tunc tota eſt rotunda, & ideò magis pulchra; quod etiam Beatæ Virgini congruit, & ideò in Pſalm. vocatur: *Luna perfecta in æternum.* Hæc eſt perfectio ſuæ charitatis, per quam admodum figuræ rotundæ fuit mobiliſſima, id eſt, promptiſſima ad benè operandum, capaciſſima, & ampliſſima ad omnes ſuſcipiendum, item fine carens, id eſt, indeficientiſſima ad perſeuerandum, & ideò etiam dicitur perfecta in æternum. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo. & elementis, cap. 48.*

Charitas reddidit eam promptiſſimam ad benè operandum.

Perſeuerantiam habuit in optrando.

Dub. 131. Ad eadem verba, Pſalm. 88. verſ. 38. *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo.* An thronus B. Mariæ rectè comparetur Soli?

Sol habet ſublimitatẽ in ſitu.

Reſp. Quia Sol habet ſublimitatem in ſitu, quia videlicet Sol eſt poſitus in medio planetarum habens tres ſupra ſe, & tres infra ſe: ſic Beata Maria exaltata, & ſublimata eſt in gloria in ſua aſſumptione; ſcilicet, vt ſupra ſe habeat Tres Perſonas Diuinas, infra ſe, ſiue ſub ſe, Tres Angelorum Hierarchias, & per conſequens totam eſſentiam hominum Beatorum, quia homines in cœlo non facient ordinem per ſe, vt dicit *D. Auguſt.* ſed aſſumendi ſunt ad ordines Angelorum. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi ſupra.*

B. Virgo habet in cœlo Tres Perſonas Diuinas ſupra ſe, omnes Beatos infra ſe.

Dub. 132. Ad eadem verba, Pſalm. 88. verſ. 38. *Thronus eius ſicut Sol.* An Beata Virgo dicatur thronus Dei?

Chriſtus ſedit in ea tanquam in throno.

Reſp. Ipſa enim fuit thronus veri Salomonis, id eſt, Chriſti, qui in ea ſicut in throno à ſtatura Diuinitatis ſe dimiſit; vt ſedens in ea carnem, & humanam naturam ſumeret, vnde dicitur *Eccleſ.* 24. *Thronus meus in columna nubis*, id eſt, in Beata Virgine. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 133. Ad illa verba, Pſalm. 88. verſ. 38. *Et ſicut Luna perfecta.* An Beata Virgo vocetur Luna?

Luna, frigida eſt, & humida.

Reſp. Verba ſunt *Innocentis Papæ*, quę ſequuntur vſque ibi, ſicut rationabiliter aſſerunt, qui de rerum naturis ediſſerunt. Luna frigida eſt, & humida; quia frigida eſt deſignat virginitatem, quia humida deſignat humilitatem. Ignis enim de quo venit ſiccitas naturaliter petit ſublimia: Aqua verò, de qua procedit humiditas quaſi grauis, naturaliter petit humilia. Frigiditas igitur, & humiditas Lunę, virginitas, & humilitas eſt Marię, quę frigida fuit contra æſtum luxuriæ, humida contra faſtum ſuperbiæ, quia verò ſemper perſeuerauit in virginitate, & humilitate, & in gloria, etiam apparet eius humilitas, & virginitas: ideò benè dicit quod eſt in conſpectu Dei, ſicut Luna perfecta in æternum, quia; ſcilicet, nunquam patitur detrimentum. *Hugo Cardinalis.*

B. Mariæ humilitas cum virginitate.

Perſeuerantia in virtute

Dub. 134. Ad illa verba, Pſalm. 88. verſ. 38. *Et teſtis in cœlo fidelis.* An Beata Maria appelletur teſtis fidelis?

Teſtificatur quod Filius Dei pro hominibus factus eſt homo.

Reſp. Ipſa enim orat ibi pro peccatoribus, & teſtatur quod Filius Dei pro eis factus eſt homo, ſicut dicit *Beatus Bernardus*: Mater oſtendit Filio pectus, & vbera. Propter hoc dicit: *Hierem. 14. Solÿ gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum. Hugo Cardinalis.*

Orat pro peccatoribus.

Dub. 135. Ad eadem verba, Pſalm. 88. verſ. 38. *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* An Beata Virgo nominatur rectè thronus, Sol, Luna, teſtis.

Iudicem tenet.

Reſp. Beata Virgo eſt thronus, Sol, Luna, Teſtis; Quia thronus eſt, continet iudicem; Quia Sol, producit terræ naſcentia; Quia Luna, noctis tenebras diſcutit; Quia teſtis, cauſas abſoluit. Si peccator es, & times iudicem, hæc tenet eum. Si pœnitens cupis de terrenis curis exire, hæc calorem Solis producit. Si nox aduerſitatum, vel ignorantiæ te premit, Luna eſt. Si cauſis vexaris à ſpiritibus immundis, vel deſideriis importunis, vel in morte impeteris, teſtis tibi erit, ſi eam inuocaſti ad videndum opera tua, & vitam. Vnde in generali confeſsione dicitur, *Confiteor Deo, & Beatæ Mariæ*, quaſi dicat: volo quod ipſa ſciat pœnitentiam meam, & ſit teſtis confeſsionis meæ, ipſa, & etiam omnes Sancti. Vnde dicitur *Oſeæ 11. Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo, & cum Sanctis fidelibus*, nec tantum teſtis eſt, ſed teſtis fidelis. Videas ergo quod habeas bonam cauſam, quia pro te non mentietur, *Prouerb. 14. Teſtis fidelis non mentietur. Hug. Cardinalis.*

Temporalia largitur.

Reorum cauſas abſoluit.

Cur in confeſsione generali dicimus confiteor Deo, & B. Virgini.

Teſtis eſt notorum operum.

Dub. 136. Ad illa verba, Pſalm. 88. verſ. 48. *Memorare quæ mea ſubſtantia.* Quare Dauid dicit Deo memorare, quæ mea ſubſtantia?

Ex Dauid originem duxit.

Reſp. Oratio eſt, vel prædictio quę mea ſubſtantia ſit radix; ſcilicet, Ieſsè, videlicet, Beata Virgo, & Apoſtoli, & loquitur hic Propheta in perſona ſua orans pro genere ſuo, quod licet peccauerit ex eius tamen ſubſtantia orta eſt Beata Virgo, de qua Chriſtus carnem ſumpſit, in qua genus humanum redemit.

Meritis B. Virginis venia impetranda.

mit. Dicit ergo: *Memorare quæ mea ſubſtantia*, in ſenſu illo, in quo nos dicimus: *Memento ſalutis auctor, quod noſtri quondam corporis, ex illibata Virgine, naſcendo formam ſumpſeris*, & hoc decet vt facias. *Hugo Cardinalis.*

Fuit Chriſti adiutorũ ad ſaluandũ genus humanũ.

Dub. 137. Ad illa verba, Pſalm. 90. verſ. 1. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi.* An B. Virgo Maria dicatur adiutorium Altiſſimi?

Reſp. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, id eſt, in Beata Virgine, quæ eſt Ciuitas, & thalamus in qua Chriſtus habitauit, vnde ſupra *Pſalm.* 86. dictum eſt ei: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, & alibi dicitur de Chriſto: *Pſalm.* 18. *Ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*, id eſt, de virginali vtero, vt dicit *Gloſſ.* vbi Deus humanæ naturæ, vt Sponſus Sponſæ copulatus eſt. Hæc eſt adiutorium Altiſſimi, quia iuuat eum ad ſaluandum genus humanum. Vnde de ipſa verè dicitur *Geneſ.* 2. *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Hug. Cardinalis.*

Angeli Cuſtodes habẽt prouidẽtiam ſingularem, de hominibus ſingulariter commiſſis.

Dub. 138. Ad illa verba, Pſalm. 90. verſ. 11. *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Mariæ Virgini?

B. Virgo vniuerſalem de omnibus.

Reſp. Singuli eorum ſingulos homines cuſtodiunt, & *D. Hieronymus* ſuper Matth. dicit: Magna prorſus dignitas animarum, vt vnaquęque ab exordio Natiuitatis ſuæ habeat Angelum ſibi delegatum; & hanc proprietatem cuſtodiæ B. Maria habet cum excellentia, nam vbi Angeli cuſtodiunt ſinguli ſingulos homines, ipſa cuſtodit vniuerſaliter ſingulos, & ſingulariter vniuerſos, ſinguli enim ſeruorum proſſunt ſibi commiſſis, Dominæ autem, & Domini eſt cuſtodia, & prouidentia vniuerſalis. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 44. §. 1.

Præparata Filio Dei, opere Spiritus Sancti.

Dub. 139. Ad illa verba, Pſalm. 92. verſ. 2. *Parata ſedes tua ex tunc.* Ad quod tempus referuntur hæc verba?

Reſp. Ex tunc, id eſt, ab initio temporis gratiæ parata in quam opere Spiritus Sancti, vel ſapientia Filij, vnde Dominus in cœlo, id eſt, in Beata Virgine parauit ſedem tuam, & ei inſedit tempore ſuæ Incarnationis. *B. Albert. Mag. lib.* 10. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 7. *num.* 3.

Stabilis in gratia, & in fide.

Dub. 140. Ad illa verba, Pſalm. 92. verſ. 2. *Etenim firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur?* Cur terra non commouebitur?

Reſp. Terra eſt cœli centrum, Tale autem centrum cœli habet ſtabilitatem, & fixionem: & ſic Beata Virgo ex dono Dei habuit ſtabilitatem, & fixionem in gratia, & fide. *Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Sanctitas decebat B. Virginem, quæ Deum erat ſuſceptura.

Dub. 141. Ad illa verba, Pſalm. 92. verſ. 5. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* An Beata Virgo ſingulariter dicatur domus Dei?

Reſp. O verè ſingulariter Beatam domum, quæ ſola tam ſingulariter talem meruit habere Dominum! *D. Bernard. in Deprecatione, & laude ad B. V.* Tu ſola digna inuenta eſt, vt in Tua virginali aula Rex Regum, & Dominus Dominantium à regalibus ſedibus veniens, primam ſibi inter filios hominum manſionem eligeret. *D. Bonauentura in ſpeculo B. M. Lect.* 10.

Nomen Ieſu ſumma puritate colendum. Similiter nomen Virginis.

Dub. 142. Ad illa verba, Pſalm. 99. verſ. 4. *Laudate nomen eius.* Cur cum tota Scriptura nos prouocet ad laudem, & honorem nominis Ieſu Chriſti, vt hic: *Laudate nomen eius.* Nomen Ieſu Chriſti in Baptiſmo aliquibus non imponitur, cum tamen nomen Matris eius; ſcilicet, Maria multis imponatur mulieribus?

Cur Nomen Ieſu non imponitur hominibus in Baptiſmo, ſicut mulieribus Nomen Mariæ.

Ad hoc reſpondetur; quod ideò nomen Chriſti Ieſu nulli in Nouo Teſtamento imponitur, ne hoc nomen ab aliquo ſic nominato per peccatum aliquod deturpetur, vel vilipendatur. Nomen verò Matris poteſt imponi, quia ſi aliqua mulier vocata Maria peccet, non ad Mariam Matrem Domini refertur vilipenſio nominis, ſed ad alias mulieres hoc nomine vocatas, quæ ipſum nomen deturpauerunt. A tribus enim mulieribus iſtud nomen Maria mirabiliter fuit vituperatum. Primo à Maria ſorore Moyſi, quæ ipſum deturpauit per ſuperbiam, & murmurationem. *Num.* 12. Secundo à Maria matre Ioannis, & Iacobi, quæ ipſum deturpauit per auaritiam, & cupiditatem, Chriſto dicens: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, Matth.* 20. Tertio à Maria Sorore Lazari, quæ ipſum deturpauit per luxuriam, & carnalem delectationem. *Lucæ* 7. *Ecce Mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix. Incognitus.*

Nomen Maria à tribus mulieribus deturpatum.

Propter B. Virginem Deus miſericors in peccatores.

Dub. 143. Ad illa verba, Pſalm. 101. verſ. 20. *Dominus de cœlo in terram aſpexit.* An B. Virgo dicatur cœlum?

Reſp. Per cœlum intelligamus Glorioſam Virginem de qua carnem aſſumens, in terram, id eſt, in peccatores aſpe-

Conditiones cœli habuit B. Virgo.

pexit ſua miſericordia. Quod autem Virgo Maria, propriè cœlum dicatur; apparet ſi conſideres cœli conditiones ei propriè conuenire. Nam cœlum in ſuo motu habet viuacitatem, in ſuo ſitu ſubtilitatem, in ſuo effectu luminoſitatem, in ſuo motu regularitatem, in ſuo eſſe ſtabilitatem, in ſuo aſpectu ſpecioſitatem. *Incognitus.*

In ſuis actionibus lucida, regularis, ſtabilis, ſpecioſa.

Fundata ſuper conſtantiam virtum, & morum.

Dub. 144. Ad illa verba, Pſalm. 101. verſ. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti.* Quommodo Deus fundauit Beatam Virginem?

Reſp. Initio, id eſt, antequam ego carnem aſſumerem, Tu Domine Pater, terram fundaſti, id eſt, Beatam Virginem de qua dicitur in *Pſalm. 66. Terra dedit fructum ſuum.* Quam fundauit Deus in fide, & morum conſtantia. Vnde de ipſa ſic fundata, benè exponitur quod dicit *Eccleſiaſtes* 1. *Terra in æternum ſtat.* Et *Cant. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Palma in æſtate, & hyeme aſſidue ſeruat virorem foliorum. Sic Beata Virgo in aduerſitate, & proſperitate virorem fidei, & aliarum virtutum ſeruauit. *Hugo Cardinalis.*

Eadem aduerſitate, & proſperitate.

In Paſſione Filij ſeruauit virorem fidei

Palma ſemper ſeruat virorem.

Dub. 145. Ad illa verba, Pſalm. 103. verſ. 18. *Petra refugium herinacÿs.* An B. Maria vocetur petra refugij?

Hæretici cõuerſi ad B. Virginem, apud eam refugium inueniunt.

Reſp. Hericij ſunt magni peccatores obſiti denſis peccatorum aculeis, qui cum corriguntur armant ſe ſpinis ſuis, id eſt, excuſationibus; tamen ſi humiliter ad Mariam conuertantur, poſſunt apud eam refugium inuenire. *B. Albertus Magnus lib. 8. de laudib. B. M. cap. 8. num. 1.*

Plena bonis operibus, & virtutibus, talibus enim decebat Virginem oppignorare muneribus.

Dub. 146. Ad illa verba, Pſalm. 103. verſ. 24. *Impleta eſt terra poſſeſſione tua.* Qua poſſeſſione Deus impleuit terram; ſcilicet, Beatam Mariam?

Reſp. Fructus autem, & poſſeſſiones pleniſſimæ terræ Mariæ, ſunt opera, mores, exempla, & diuerſa merita ſanctiſſimæ vitæ Mariæ, talibus enim poſſeſſionibus eam Dominus repleuit, talibus eam bonis impleuit. De hac plenitudine *Hieronymus*, mentionem faciens, ait *in ſerm. de Aſſumpt. B. M.* Talibus decebat Virginem oppignorare muneribus, vt eſſet gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitijs, ordinem vitæ, & moribus diſciplinam. *D. Bonauentura in ſpecul. B. M. Virg. Lect. 7.*

B. Virgo Apoſtoli, & alij Sancti orauerunt poſtulãtes aduẽtum Spiritus Sancti.

Dub. 147. Ad illa verba, Pſalm. 103. ver. 30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur.* Qualis fuit oratio B. Virg. ante aduentum Spiritus Sancti?

Reſp. Apoſtoli poſt Aſcenſionem Chriſti recordantes de Chriſti promiſſione, neſciebant tamen diem certum miſsionis Spiritus Sancti, ideò in craſtinum Aſcenſionis expectantes dicebant hodie, idem in Sabbatho; Quia non venit ſiue miſsit, Apoſtoli cœperunt inter ſe loqui. Dixit vnus Apoſtolorum; Non dubitetis quia eras, quæ erit dies Dominica mittet, quia tali die formauit lucem, & diuiſit à tenebris; ideò rationabiliter in die Dominica debet in nos mittere lumen Spiritus Sancti, & non venit; dixit alius in die Lunæ mittet, quia tali die fecit etiam firmamentum, & diuiſit aquas; ideò tali die mittet ad nos, vt nos fortificet, & diuidat ab aquis peccatorum, nec miſsit. Dixit alius: Non, in die Martis veniet, vt poſſimus plantare Fidem Catholicam, vt faciat flores. Dixit alius: Die Mercurij mittet, ratio quia tali die Deus formauit Solem, Lunam, & Planetas. Dixit alius: Feria quinta mittet, quia tali die aſcendit. Dixit alius: Non Feria ſexta, quia tali die doluimus de ſua Paſsione, ideò tali die mittet nobis ſpiritum conſolationis. Dixit alius: Sabbatho mittet, quia in Sabbatho poſt Paſsionem fuimus diſperſi, ita quod vnus non remanſit cum altero, ideo vt adiuuemur mittet, ſed non venit. Finaliter die Pentecoſtes omnes Apoſtoli, & Diſcipuli, qui erant congregati in eadem domo propter metum Iudęorum, venerunt ad portam Virginis Mariæ. Dicatur quommodo ipſa ſurgebat in media nocte ad orandum, iuxta illud Dauid: *Media nocte ſurgebam*, & quando exiuit cameram, vidit omnes Sanctos, & Sanctas Congregatas, & flentes. Virgo dixit, de quo fletis? Nunquid Filius meus regnat in cœlis. Reſponderunt Apoſtoli. Virgo Benedicta Filius veſter, & Magiſter noſter promiſit nobis Spiritum Sanctum, dicens; quod non dimitteret nos orphanos, & hodie ſunt decem dies, quod aſcendit, & non miſsit. Reſpondit Virgo: non dubitetis, quia Filius meus non habet conditionem hominum mundanorum, qui in paupertate cognoſcunt amicos, ſed quando ſunt in honore, & proſperitate, non curant de eis; non ſic de Filio meo; ſed neſcitis vos quod quando extraxit populum de Ægypto in quinquageſima die deſcendit vt daret legem? Illud fuit figuratum, hodie eſt quinquageſimus dies à Reſurrectione Filij mei; ideò hodie mit-

tet

tet Spiritum Sanctum, ideò ponatis vos in oratione, quia quæ à Deo ſunt ordinata ſunt. Et Petrus, & alij Apoſtoli dicebant, & quilibet orando: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum in noua in viſceribus meis, Pſalm.* 50. Lazarus, & alij Diſcipuli ſeptuaginta orando dicebant: Senſum tuum quis ſciet niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis, *Sapient.* 9. Maria Magdalena, & aliæ ſanctæ mulieres orando dicebant: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*, & dixerunt Virgini Marię: Virgo Benedicta oretis vos, etiam quia Filius veſter ſtatim exaudiet vos. Tunc Virgo Maria flexis genibus orauit, dicens: *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur*; ſcilicet, virtutes, & perfectiones, *& renouabis faciem terræ*; ſcilicet, per prędicationem, *& ſubito factus eſt de cœlo ſonus*, & fuit quaſi vox reſponſiua Virgini. *D. Vincentius Ferrer ſerm. 2. in Natiuitate Beatæ Mariæ Virg.*

Mediatrix inter Deum, & peccatorē, irā mitigans.

Dub. 148. Ad illa verba, Pſalm. 104. verſ. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem.* An Beata Virgo dicatur nubes, & ignis?

Reſp. Poteſt hoc eſſe Thema de Virgine Beata, quę dicitur nubes, *Eccleſiaſ.* 24. *Thronus meus in columna nubis.* Hęc nubes media eſt inter terram, & Solem, id eſt, inter peccatores, & Deum, & eius ardorem, id eſt, iram mitigat. Item hęc nubes plena eſt imbre gratiarum. *Luc.* 1. *Aue gratia plena*, & hęc data eſt non tantum in protectionem à feruore irę Dei, ſed in ignem, quia Beata Virgo lux eſt, ſi enim Sancti ſunt lux mundi, multo fortius Beata Virgo. *Matth.* 5. *Vos eſtis lux mundi.* Eſt ergo ignis contra diabolum, & tenebras peccatorum, vnde benè competit ei illud *Zach.* 2. *Ego ero eis murus ignis in circuitu*, non enim tantum lucet nobis per exempla virtutum, ſed & arcet inſultus tentationum. Vnde dicitur. *Cant.* 6. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Hug. Cardinalis.*

Lux eſt per exempla virtutum.

Omnium malorū noſtrorum mitigatiua.

2. Reſp. Quia eſt caloris mitigatiua, & vmbratiua, quia, ſcilicet, Virgo Maria eſt omnium malorum noſtrorum mitigatiua. *Pſalm.* 104. *Expandit nubem in protectionem eorum. Matth.* 18. *Nubes lucida obumbrauit eos. Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Virginitas cum fœcunditate.

Dub. 149. Ad illa verba, Pſalm. 109. verſ. 2. *Virgam virtutis tuæ.* An Beata Virgo Maria dicatur virga virtutis?

Reſp. Virga virtutis eſt Virgo Maria. Ipſa eſt virga Aaron florida per virginitatem, & fructifera per fœcunditatem. Hæc virga, Virgo Maria, virga virtutis eſt contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur; & ideò Domina tam magna, tam magnæ virtutis merito à nobis amatur, merito à nobis laudatur, merito à nobis exoratur, vt nos contra inimicos iſtos tueatur. *Anſelmus*, Te Domina magna, & valde magna, Te vult cor meum amare, Te cupit os meum laudare, Te deſiderat venerari mens mea, Te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ ſe commendat tota ſubſtantia mea. *D. Bonauentura in ſpecul. Lect.* 3.

Magna virtute dominatur diabolo.

Dub. 150. Ad eadem verba, Pſalm. 109. verſ. 2. *Virgam virtutis tuæ.* An Beata Virgo nominetur rectè virga virtutis Dei?

In B. Virgine potentia Dei operata eſt mirabilia.

Reſp. Nota quod virtus Dei dicitur potentia Dei, ſecundum hoc Maria dicitur virga virtutis, quia in ipſa virtus, & potentia Dei mirabilia operata ſunt; ſcilicet, quod Deus homo, Verbum caro, Mater Virgo, & huiuſmodi propter hoc præ dictum fuit ei, *Lucæ* 1. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. B. Alb. Magnus lib.* 10. *cap.* 6. §. 20. *num.* 24.

Thema pro Natiuitate Virginis.

Dub. 151. Ad eadem verba, Pſalm. 109. verſ. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* An Beata Virgo conuenienter appelletur virga?

Reſp. Hoc eſt, bonum Thema in Natiuitate Beatæ Virginis, vt prophetando dicat propheta Chriſto: *Virgam virtutis tuæ*, id eſt, Beatam Virginem, *emittet Dominus ex Sion*, id eſt, Iudæis, de quibus nata eſt. Quod autem Beata Virgo nata ſit virga, habetur, & authoritate, & ratione; dixit enim *Iſai.* 11. *Egredietur virga de radice Ieſſè.* Et flos, quod exponit Eccleſia cum ſic cantat: Virgo Dei Genitrix virga eſt, flos Filius eius. Et *Numer.* 24. *Conſurget virga ex Iſrael.* Ratione autem ſimilitudinis id ipſum poteſt oſtendi. Virga enim non recipit virtutem fructificandi ex commixtione ſeminum, ſed ex pluuia, & rore cœli: ſic Beata Virgo non concepit ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, *Iſai.* 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Item *Pſalm.* 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Non dicit reddet, ſed dabit, quia non ſuſcepit ſemen,

Virga recipit virtutem fructificandi ex rore, & pluuia.

Concepit nō ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine.

vt aliæ terræ. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 152. Ad eadem verba, Pſalm. 109. verſ. 2. *Virgam virtutis tuæ*, An Beata Virgo dicatur non tantum virga, ſed virga virtutis Dei?

Reſp. Virtus enim Dei dicitur triplex; ſcilicet, Dei potentia, & Dei miſericordia, & virtus à Deo infuſa. De prima *Pſalm. 20. Exaltare Domine in virtute tua*, ſecundum hoc Beata Virgo dicitur virga virtutis, quia in ipſa virtus Dei, id eſt, potentia mirabilia operata eſt; ſcilicet, quod Deus homo, quod Verbum caro, quod Mater Virgo, & alia plura, vnde dicitur ei, *Lucæ 1. Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Secundum hoc, benè ſignificata eſt per virgam Aaron, quæ operata eſt mirabilia in terra Ægypti. De ſecunda virtute, ſcilicet, de miſericordia dicitur in collecta, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas*; & in *Pſalm. 53. In virtute tua iudica me*, id eſt, in miſericordia. Secundum hoc, Beata Virgo dicitur virga virtutis, quia in ipſa fecit nobiſcum miſericordiam ſumendo pro nobis carnem ex ea, *Lucæ 1. per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.* Item quia ipſa eſt Mater miſericordiæ, & aduocata noſtra, & impetrat nobis miſericordiam, ſicut dicit *Beatus Bernard.* ſecurum acceſſum habes homo ad Deum vbi habes ante Filium Matrem; & ſecundum hoc, ſignificata eſt per virgam Aſſueri, de qua *Eſther* 10. dicitur: *Quod extendit contra eam virgam auream*, & hoc fuit in ſignum clementiæ. Sic Deus Beatam Virginem nobis dedit, vt ipſa mediante gratiam eius inueniremus apud Deum. *Eſther* 15. *Accede igitur, & tange ſceptrum.* De tertia virtute Dei, ſcilicet, de virtute infuſa. *Pſalm. 28. Dominus dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ.* Sic optimè fuit Beata Virgo virga virtutis, quia plena fuit omni gratia, & virtute. Vnde dixit ei Angelus: *Lucæ 1. Aue gratia plena*, ſecundum hoc, benè ſignificata eſt per virgam Aaron, *Numer.* 17. quæ germinauit, & floruit, & fronduit, & fructum fecit. *Hugo Cardinalis.*

Potentia Dei in Beata Virgine operata eſt mirabilia.

Deus in Beata Virgine fecit nobiſcum miſericordiã

Mediante Virgine homo inuenit gratiã apud Deum.

Plena omni gratia, & virtute infuſa.

Dub. 153. Ad illa verba, Pſalm. 109. verſ. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.* Tranſtulit Flaminius *Populus tuus aderit voluntarius in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctitatis, ab vtero Auroræ tibi ros generationis tuæ.* Qui ſenſus horum verborum?

Reſp. In ſplendoribus Sanctitatis, hoc eſt, populo illo tuo omni Sanctitatis ſplendore perfulo, ac moribus, ac pietate illuſtrato: & vt ros ex Aurora decidens terram vberem, lætamque efficit: ita puriſſimus ſanguis Mariæ virginis Spiritus Sancti in vterum influens, ſine vllo virili ſatu concreuit in corpus Chriſti, qui in lucem editus humanum genus mirabiliter exhilarauit, atque omni genere virtutum fertilem reddidit. *Thomas à Maluenda, Ordin. Prædicatorum.*

Ros terram vberem facit

Puriſſimus ſanguis Mariæ Virg. vi Spiritus Sancti concreuit in corpus Chriſti.

Incarnatio Chriſti attulit fertilitatẽ

Dub. 154. Ad illa verba, Pſalm. 109. verſ. 3. *Ex vtero ante Luciferum genui te. Felix.* Tranſtulit *ex vtero ortus eſt tibi, ros generationis tuæ.* Quo ſenſu exponuntur hæc verba?

Reſp. Id eſt, fœcunditas, & materia, ex qua corpus tuum efformatum eſt, tota fuit ex vtero Virginis, non ex viri lumbis deciſa Spiritu Sancto irrorante, & efformante. *Thomas à Maluenda.*

Materia ex qua corpus Chriſti formatum eſt, tota fuit ex vtero Virginis.

Dub. 155. Ad illa verba, Pſalm. 110. verſ. 9. *Sanctum, & terribile nomen eius.* Cur ponitur nomen Dei terribile?

Reſp. Horribilis quidem dulcedo tanto furore reſperſa gratias autem ei, qui aliud prouidit refugium peccatoribus, delectationis, & ſecuritatis plurimum habens, terroris nihil. Maria ſiquidem interpretatur ſyro ſermone, *Domina. B. Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. Mariæ, cap. 2.*

Data in refugium peccatorum.

Dub. 156. Ad illa verba, Pſalm. 112. verſ. 6. *Humilia reſpicit in cœlo.* Cur dicitur de Deo quod humilia reſpicit?

Reſp. Nota Sol ſpeculum aſpiciens aliud operatur in concauo, & aliud in conuexo; in conuexo enim calorem, ſeu ignem non gignit, ſed in concauo, ſic Deus Pater videns concauitatem, id eſt, humilitatem in ſpeculo virginali, ibi Filium incarnauit, ideò dicitur: *Humilia reſpicit. Armand. de Vellouiſu, Ordin. Prædicat. collat. 28. de Annunt. Dominica.*

Sol in ſpeculo conuexo ignem non gignit, ſed in concauo.

Videns Deus humilitatem Virginis incarnauit.

Dub. 157. Ad eadem verba, Pſalm. 112. verſ. 6. *Humilia reſpicit in cœlo, & in terra?* Cur dicitur de Deo quod humilia reſpicit in cœlo, & in terra?

Reſp. Humilia reſpicit; ſcilicet, humilitatem Beatæ Virginis. *Lucæ 1. Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; & hoc in cœlo, id eſt, in ſua virginitate; & in terra, id eſt, in ſuo coniugio, quia in vtroque humilitatem ſeruauit. *Hugo Cardinalis.*

In virginitate, & coniugio humilitatem ſeruauit.

Dub. 158. Ad illa verba, Pſalm. 112. verſ. 7. *Suſcitans à terra inopem.* Quo ſen-

ſenſu dicitur Deum ſuſcitare inopem à terra?

Reſp. Suſcitans à terra, id eſt, de Beata Virgine inopem; ſcilicet, ſe ipſum, quando natus eſt pauper de ipſa. Suſcitans dicit benè, propter miraculum, quo de Virgine natus eſt. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus natus eſt pauper de B. Virg.

Chriſtus miraculoſe natus.

Dub. 159. Ad illa verba, Pſalm. 113. verſ. 16. *Terram autem dedit filijs hominum.* Cur terra data eſt hominibus?

Reſp. Terra eſt omnium viuentium receptaculum; ita & Beata Maria omnes recipit ad ſe confugientes, immo ipſa inuitat dicens: tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, *Eccleſiaſt.* 14. & hoc eſt, quia ipſa eſt plena miſericordię, ſecundum illud *Pſalmi* 32. Miſericordia Domini plena eſt terra, & ideò ipſa data eſt in refugium, *Pſalm.* 113. Terram autem dedit filijs hominum. *Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Data in refugium omniũ

Dub. 160. Ad illa verba, Pſalm. 122. verſ. 3. *Sicut oculi Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ.* Quæ dicitur Ancilla Virginis Mariæ?

Reſp. Ancilla Dominæ Mariæ eſt quælibet anima fidelis, immo etiam Eccleſia vniuerſalis; oculi huius Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ ſemper debent eſſe, quia oculi Eccleſiæ oculi omnium noſtrum ad manus Mariæ ſemper debent reſpicere, vt per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quidquid boni agimus Domino offeramus. *D. Bernard. ſerm. in Natiuit. B. M.* Modicum illud quod offerre deſideras gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. *D. Bonauentura in ſpecul. B. V. Lect.* 3.

Quidquid boni agimus per manus B. Virg. Deo offeramus.

Dub. 161. Ad illa verba, Pſalm. 127. verſ. 3. *Vxor tua ſicut vitis abundans.* An Beata Virgo dici poteſt vitis abundans?

Mater ſpiritualis omniũ viuentium vita gratiæ.

Reſp. Vxor tua; ſcilicet, Maria, ſicut vitis, ipſa enim dicit ſe eſſe vitem; Vnde: *Ego quaſi vitis, abundans* in multitudine ſpiritualium filiorum, quia ipſa eſt Mater omnium viuentium vita gratiæ. *B. Albert. Magnus lib.* 6. *cap.* 7. *de laudibus B. M. num.* 2.

Dub. 162. Ad illa verba, Pſalm. 127. verſ. 3. *In lateribus domus tuæ.* Cur hæc vxor eſt in lateribus domus?

Contra diabolum protegit.

Reſp. Vxor tua; ſcilicet, Maria in lateribus domus tuæ, id eſt, Eccleſiæ, quam ipſe circuit ad protegendum contra circuitum diaboli, qui circuit quærens quem deuoret. *B. Alber. Magnus vbi ſupra.*

Dub. 163. Ad illa verba, Pſalm. 131. verſ. 8. *Surge Domine in requiem tuam tu & Arca.* Quo ſenſu hæc verba aptantur Beatæ Mariæ?

Thema in Aſſumptione B. Virginis.

Reſp. Hoc poſſet eſſe Thema in Aſſumptione Beatæ Virginis. Surrexit enim Dominus in requiem ſuam, & poſtea ſurrexit in requiem ſuam Arca ſanctificationis, id eſt, Beata Virgo in die Aſſumptionis. Vtraque aſcenſio mirabilis fuit, vnde vtramque mirantur Angeli. De prima quærentes, *Iſaiæ* 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edon?* De ſecunda quęrentes, *Cant.* 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* Angeli vſque ad illa tempora non viderant aliquem carne veſtitum in cœlum aſcendentem; ſed tunc viderunt Chriſtum, & poſtea Matrem eius cum noſtra carne glorioſè aſcendentem, & ideò mirabantur. Prętera mirabantur quomodo de mundo tam deformi, & horribili deſerto veniebat tam formoſus, & tam formoſa tota delitijs affluens, cum in mundo nullæ ſint, ſed miſeriæ multæ, & magnæ. *Hugo Cardinalis.*

Aſcẽſio Chriſti, Aſſumptio Virginis vtraque mirabilis.

Dub. 164. Ad eadem verba, Pſalm. 131. verſ. 8. *Tu & Arca.* An Beata Virgo dicatur Arca?

In B. Virgine tanquam in Arca pretioſa gemma; ſcilicet, Chriſtus, repoſita.

Reſp. Surge in requiem tuam, Tu & Arca ſanctificationis tuę, quę eſt haud dubie Virgo Deipara; ſi enim Tu eſt gemma, merito illa eſt Arca. *Heſychius Ieroſolimitanus hom.* 2. *de Maria Deipara.*

Dub. 165. Ad eadem verba, Pſalm. 131. verſ. 8. *In requiem tuam.* In quam requiem ſurrexit hęc Arca?

Surrexit ad plenam facilitatẽ, & gloriam corporis, & animæ

Reſp. Arca iſta eſt Beata Virgo Filij Dei contentiua: iſta autem Arca ſurrexit in requiem, id eſt, in corporis, & animę plenam fœlicitatem. *Iacobus de Voragine ſerm.* 1. *in Aſſumptione B. M.*

Dub. 166. Ad eadem verba, Pſalm. 131. verſ. 8. *Surge Domine in requiem tuam tu, & Arca.* Quando B. Virgo ſurrexit in requiem Chriſti?

In die Reſurrectionis ſummo gaudio perfuſa.

Reſp. Exurge Tu Domine in hac ſacratiſsima die a vinculis mortis, exurgat & Mater à dolorum nexibus quibus afligebatur, nam viſo Filio reſuſcitato reuixit ſpiritus eius, vt dicitur de Iacob, *Geneſ.* 49. *num.* 27. *Cum audiſſet quod filius ſuus Ioſeph viueret*, à tantiſque anguſtijs maximè Virgo recreata eſt, ſummoque gaudio perfuſa. *Pater Silueira tom.* 5. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 8. *n.* 52.

Dub.

Ex puriſsimo ſanguine Virginis conceptus eſt Chriſtus.

Dub. 167. Ad illa verba, Pſalm. 131. verſ. 11. *De fructu Ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Cur non dixit de fructu lumborum tuorum?

Reſp. Signanter autem dicit de fructu ventris tui, non lumborum tuorum, in conceptione enim hominis deciditur ſemen à lumbis Patris, & materia conceptus à ventre Matris, ſed quia Chriſtus non ex virili ſemine, ſed ſolum ex puriſsimo ſanguine Sanctiſsimæ Virginis eſt conceptus; ideò dicit de fructu ventris tui, id eſt, de fructu naturali; ſcilicet, Filio ventris; ſcilicet, ſolius Virginis Mariæ, qui tuus dicitur, quia ex te deſcendet ex progenie tua. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 25. §. 1.*

De fœmina tantum natus eſt Chriſtus ad quam vir non acceſsit.

2. Reſp. Et nota quod dicit de fructu ventris, & non fœmoris, per hoc ſiquidem notatur quod de fœmina tantum natus eſt Chriſtus ad quam vir non acceſsit, vnde *Pſalm. 83. Terra noſtra dedit fructum ſuum,* ideò Beata Virgo dicitur apis. *Eccleſiaſt. 11. Breuis in Volatilibus apis*, quæ de ſe tantum generat, vt dicit *D. Aug. lib. de mirabilibus Sacræ Script.* Ob hoc etiam Chriſtus dicitur vermis, quia de ſola terra naſcitur, vt dicitur ibidem. *Hugo Cardinalis.*

Apis de ſe tantum generat.

Dub. 168. Ad illa verba, Pſalm. 131. verſ. 15. *Viduam eius benedicens benedicam.* Quo ſenſu hæc verba aptantur Beatæ Mariæ Virg?

Reſp. Notandum autem eſt quod in ſcripturis inuenimus Benedictam coniugatam, Benedictam viduam, & Benedictam Virginem. Benedicta coniugata fuit Sara, de qua dicitur *in Tob. cap. 9. Dicatur benedictio ſuper Vxorem Tobiæ.* Benedicta autem vidua fuit Iudith de vidua quoque Benedicta in Pſalm. dicitur: *Viduam eius benedicens benedicam.* Benedicta verò fuit Virgo Maria, teſte Angelo, qui dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, Benedicta ergo quæ coniugalem, Benedicta magis quę vidualem, Benedicta maximè, quæ virginalem amauerit caſtitatem, Benedicta certè, quę cum Sara, & Suſanna fuerit caſta coniugaliter, Benedicta magis, quę cum Iudith, & Anna fuerit caſta vidualiter, Benedicta maximè, quæ cum Maria fuerit caſta virginaliter. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. cap. 12.*

Habuit caſtitatem coniugalem, vidualem, & virginalem.

Dub. 169. Ad illa verba, Pſalm. 135. verſ. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Quæ ſunt mirabilia magna quę fecit Dominus?

Reſp. Magnum, & mirabile eſt quod fecit cœlum, & terram, & cętera elementa de nihilo, *Geneſ. 1.* Magnum, & mirabile eſt, quod fecit hominem de limo terrę, & fœminam de coſta eius, *Geneſ. 2.* Magnum, & mirabile fuit inundatio diluuij, *Geneſ. 7.* Diuiſio maris rubri, *Exodi 14.* & Iordanis retorſum conuerſio, *Ioſue 3.* Magna, & mirabilia ſunt miracula, quę fecit in Euangelio; ſcilicet, illuminatio cęcorum, curatio leproſorum, ſuſcitatio mortuorum. Magnum, & mirabile fuit quod pauit de quinque panibus quinque millia hominum, *Ioann. 6.* Magnum, & mirabile, quod quotidie facit de vno grano putrido centum, vel mille recentia naſci inter omnia maius, & mirabilius eſt, quod fecit Deum hominem, Virginem Matrem. *Hug. Cardinalis.*

Inter mirabiliaoperaDei, mirabilius eſt, quod Deus factus ſit homo, & Maria ſit Mater, & Virgo.

Dub. 170. Ad illa verba, Pſalm. 144. verſ. 16. *Aperis tu manum tuam.* Quando Deus aperuit manum ſuam?

Reſp. Notandum quod per iſtam apertionem manus Dei, ſignificatur Chriſti Incarnatio, qua omne animal benedictione fuit plenum, quid enim eſt manus Dei niſi vnicum eius verbum, per quod tanquam per manum omnia operatur, *Pſalm. 118. Manus tuæ Domine fecerunt me.* Hęc manus primo videbatur clauſa, quando ante Incarnationē à nobis manebat abſcondita. Fuit autem aperta, quando ad nos fuit miſſa, vt quī primo nobis loquebatur in Prophetis, nobis ore proprio loqueretur, & vt iſta manus nobis aperiretur, primo aperta fuit terra vnde oriretur; ſcilicet, quando Virgo Maria dicta terra ratione ſuę humilitatis, ſtabilitatis, & fœcunditatis, eſt aperta vt in ipſa Verbum carnem induat. *Incognitus.*

Ante incarnationem Deus erat abſconditus, in incarnatione manifeſtus, & apertus.

Dub. 171. Ad illa verba, Pſalm. 147. verſ. 13. *Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Cur dicitur de Deo quod confortauit feras portarum?

Deus carnem aſſumens B. Virg. ſeruauit intactam.

Reſp. De eo dictum eſt ad Eccleſiam, quoniam confortauit ſeras portarum ſuarum, & ſuam portam confortare non potuit? confortauit profecto, & ſeruauit intactam, quam ſemel clauſit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit. *D. Ambroſius de inſtitut. Virg. cap. 8.*

Dub. 172. Ad illa verba, Pſalm. 149. verſ. 1. *Cantate Domino canticū nouum.* An canticum Magnificat dicatur nouum?

Canticum Magnificat dicitur nouū, & quare.

Reſp. Canticum canticorum iſtud;

ſcilicet, Magnificat, omnia cantica continet Paradiſi, vbi ſine ceſſatione cantatur canticum nouum Magnificat, ſecundum illud *Pſalm.* 149. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia Sanctorum*, quod canticum dicitur nouum, nouitate vniuerſitatis, quia factum eſt à Matre omnium, & Domina, illud *Magnificat*. Nouitate poteſtatis, quia nunquam viſa eſt tanta poteſtas: *Nouum faciet Dominus ſuper terram*. Nouitate iucunditatis, nullum canticum cantatur in Eccleſia tanta iocunditate, & ſolemnitate ſicut *Magnificat*. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 28.*

PROVERBIA.

Receditab homine propter peccatum mortale.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 6. *Ne dimittas eam, & cuſtodiet te.* Quommodo B. Virgo Maria dimittitur?

Reſp. Ne dimittas eam, id eſt, ne effugias eam peccando mortaliter, quia non recedit à ſeruo ſuo niſi propter peccatum, ipſa eſt enim Apis, *Eccleſiaſt.* 9. quam fugat fex peccati. *B. Albertus Magnus lib. 2. de laudibus B. Mariæ, cap. 4. num. 17.*

B. Virgo Api comparata, & quare?

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 8. *Arripe illam, & exaltabit te.* Quommodo B. Virgo ſuos exaltat?

B. Virgo deuotos ſuos ad alta virtutum exaltat.

Reſp. Arripe Mariam ad ſeruiendum ei, & exaltabit te à terrenis ad cœleſtia. *Et infra.* Exaltabit te ab imò vitiorum ad alta virtutum, & à terra ad cœlum. *B. Albertus Magnus ibidem.*

Benefica eſt, & liberalis in omnes.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 18. *Sit vena tua benedicta.* Quo ſenſu Beata Virgo dici poteſt vena benedicta?

Reſp. Maria meruit largitatis, & profuſionis benedictionem. Ipſa tanquam vena fontana ſemper fuit effluens, ſemper larga, & ideò verè benedicta, iuxta illud *Prouerb.* 5. *Sit vena tua benedicta.* In temporalibus vena illa Maria pluſquam larga fuit, quia largè, & perfectè omnia contempſit. Vnde ſecundum expoſitionem, *Haymonis in 12. Apocal.* Beata Dei Genitrix Lunam ſub pedibus habuit, quia cuncta temporalia deſpexit. O quantæ gratiæ per hanc venam ad homines defluxerunt! Sit ergo ò Eccleſia vena tua benedicta, per quam tibi tanta affluunt bona, benè vena nobilis, vena Spiritu Sancto plena, vena fontis vitæ, vena ſalutis noſtræ Maria, per hanc namque venam fons vitæ Chriſtus ad nos venit, & per hanc ad fontem vitæ Ieſum Chriſtum, etiam nos venimus, & ideo verè eſt benedicta. Vnde *B. Bernardus ſerm. 2. de Aduentu.* Per te acceſſum habemus ò benedicta iuuentrix gratiæ, Genitrix vitæ. Mater ſalutis, vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 13.*

Temporalia contempſit.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 10 *Et ecce occurit illi mulier ornatu meretricio, garrula.* Cur de muliere garrula facit mentionem?

Mulier garrula vix caſta.

Reſp. Talis mulier vix eſt caſta. Vnde Beata Virgo in Euangelio non legitur alij locuta, niſi quater. Primo, Angelo reſpondendo *Lucæ* 1. Secundo, Eliſabeth ſalutando, & canendo: *Magnificat anima mea Dominum, Lucæ* 1. Tertio, Filio ſuo quaſi increpando, Filij quid feciſti nobis ſic. *Lucæ* 2. Quarto, in nuptijs. *Ioann. 2. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo quater locuta eſt

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 11. *Quietis impatiens, nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis.* Quo ſenſu hæc aptantur in laudem Beatæ Virginis?

In compoſitio corporis ſignum inhoneſtæ mulieris.

Reſp. Signum inhoneſtæ mulieris, eſt incompoſitio corporis, quando mulier incedit tota laſciua, vel diſſoluta ribalda, videtur quod habet formicas in pedibus. *Ambroſ.* Corpus hominis eſt ſimulachrum mentis. Item Salomon: *Mulier in ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens domi conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, Prouerb.* 7. Et ſtatim facit ſe ad feneſtras. Sed hoc ſignum Ioſeph non inuenit in Beata Virg. quia nunquam exibat domum, niſi quando ibat ad Templum, & tunc ibat tota compoſita, ſemper habebat oculos ſuos ad terram cum geſtu ſanctitatis, nunquam tripudiabat, ſed oculis demiſsis ibat. *D. Vincentius Ferrer ſerm. in Vigil. natalis Domini.*

B. Virgo incedebat tota modeſta, & cõpoſita demiſsis oculis ad terram.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 20. *In die plenæ Lunæ.* An Beata Virgo dicatur Luna plena?

Lumine ſapientiæ, & veritatis à Deo plenè illuminata.

Reſp. Luna eſt Maria, Luna plena, Maria plena. Lunæ plenæ Maria benè comparata eſt, quæ lumine ſapientiæ, & veritatis à Sole æterno plenè illuminata eſt; vnde Maria plenè illuminata interpretatur. *Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, cap. 6. Lect. 7.*

Dub.

A Trinitate poſſeſſa.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 6. *Audite quoniam de rebus magnis loquutura ſum.* Quæ magna loquuta eſt Beata Maria?

Reſp. Audite me tanquam Matrem Filij, quoniam de magnis rebus locutura ſum: *Dominus poſſedit me*, quaſi diceret: Magna ſunt quæ dico, *quia fecit mihi magna qui potens eſt. Lucæ* 1. De hoc gratias ago, quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; ſcilicet, poſſedit me, Pater per omnia poſſedit me ab omni peccato potentialiter eripiendo. Filius poſſedit per ſapientiam, me aſſumendo in cooperationem ad generis humani redemptionem. *Geneſ.* 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Spiritus Sanctus poſſedit me tanquam Templum gloriæ diguanter inhabitando, & omni gratia totaliter implendo. *Lucæ* 1. *Aue gratia plena*, & iterum: *Spiritus Sanctus ſuperueniet. Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

A peccato erepta.

A d redemptionem generis humani cooperatrix.

Dignum Spiritus Sancti habitaculum

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 17. *Ego diligentes me diligo.* Quommodo B. Virgo fuit dilecta à Deo?

Reſp. Qui magis diligit Deum, magis diligitur ab eo, ita tamen quod prior ipſe dilexit nos, vt ait *Ioann. in Canon.* Maximè autem ſuper omnes puras creaturas fuit ipſa dilecta à Deo, quod patet ex eo quod maximum donum ei largitus eſt Deus, vt ſcilicet, Filiũ ſuum dilectiſsimum ſummum bonũ ei communicaret, vt communis eſſet Filius ſui in Deitate, cuius in humanitate vna, & eadem perſona Deus, & homo. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 17. §. 2.

Super omnes puras creaturas dilecta à Deo.

In B. Virgine inuenitur omne bonum.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 17. *Ego diligentes me diligo.* Quommodo Beata Virgo diligentes ſe diligit?

Reſp. Inuenta Virgine Maria inuenitur omne bonum, Ipſa namque diligit diligentes ſe, imò ſibi ſeruientibus ſeruit. Ipſa ſuper Benedicto Filio ſuo irato potentiſsimè reconciliat ſeruos, & amatores ſuos, & ſæpè quos iuſtitia Filij poteſt damnare, Matris miſericordia liberat, quia theſaurus Domini eſt, & theſararia gratiarum ipſius. *Idiota.*

Nunquam duriter excludit, qui ſe humiliter implorant.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 17. *Qui mane vigilant ad me inuenient me.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Pater ille familias etiam amico tres panes de nocte poſtulanti durior, ac ſeuerior reſpondit: *Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei me cum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi, Lucæ* 11. *num.* 7. At vero hæc mater familias nemini rigida, ſeu immitis, omnibus benigna, & ſuauis: *Qui mane*, inquit, *vigilant ad me inuenient me. Prouerb.* 8. *Et rurſus. Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Nunquam duriter excludit, qui ſe humiliter implorant. *Pater Mendoza* 1. *Reg.* 4. *verſ.* 11. *annotat.* 2. *ſect.* 1. *num.* 16.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 18. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloriæ. Symachus. A me ſunt diuitiæ, & gloriæ.* Quommodo à Beata Virgine diuitiæ, & gloriæ?

Sine B. Virgine nihil refectum, & reſtauratum.

Reſp. Per ipſum, & cum ipſa eorum hoc faciendum decreuit, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine ipſa nihil refectum eſt. *Petrus Damianus ſerm. de Annuntiatione.*

Dub. 12. Ad eadem verba, cap. 8. ver. 18. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloriæ.* Legunt *Septuaginta*: *Poſſeſsio multorum.* An in B. Virgine ſit poſſeſsio multorũ?

Bona ſpiritualia, & temporalia diſtribuit cum his qui eam honorant, & colunt.

Reſp. Tanquam ſi Beata Virgo dicat: Meæ poteſtati commiſſa ſunt omnia bona tam ſpiritualia, quàm temporalia, vt illa diſpenſem, & diſtribuam cum his qui me colunt. *D. Bernard. ſerm. de Natiuit. Virg.* Totis medullis cordium, totis quidem præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia hæc eſt voluntas Domini, qui totum nos habere voluit per Mariam. *Et Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Encomio in adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ, cap.* 11. Nemo eſt, qui liberetur à malis niſi per Te ò puriſsima, nemo eſt cui donum concedatur niſi per Te ò caſtiſsima, nemo eſt cuius miſereatur gratia, niſi per Te ò Honeſtiſsima. *Pater Silueira tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 25.

Deus omnẽ bonum voluit nos habere per illam.

B. Virgo fuit terminus legis, & initium gratiæ.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 22. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum.* An Beata Virgo dicatur poſſeſſa à Deo in initio viarum Dei?

Reſp. Ab initio temporis gratiæ creata ſum ad litteram, quo ad animam, vel creata, id eſt, genita à patre, & matre. Tempus enim ante gratiam deſitio erat temporis, ſeu vitæ, quia totum erat in morte. Vnde initium appellatur tempus gratiæ, & erat deſitio quantum ad tempus, & vitam naturę, & gratię, omnes enim moriebantur natura,

nec erat vita reparabilis ante Chriſti Reſurrectionem; & etiam quantum ad vitam gratiæ, quia omnia ſub peccato, *ad Galat. 3. Ab initio ergo*, id eſt, tempore gratiæ vbi omnia initiata ſunt, & renouata, *creata ſum ad litteram*, & ideo dicor Aurora, quæ eſt terminus noctis, & initium diei; ipſa enim fuit terminus legis, & initium gratiæ. *B. Albert. Magn. lib. 4. de laudib. B. Virg. cap. 4.*

B. Virgo cur comparatur Auroræ?

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 23. *Ab æterno ordinata ſum.* An fuerit B. Virgo ab æterno ordinata?

Reſp. Quanta putamus prouiſio Angelorum circa tam Deo gratiſsimos parentes ab initio ſuæ procreationis, & excubatio ſuper tam ingentem ſobolem? Nulli fidelium dubium eſt, quod circa eam iam iam tunc communis frequentia cœleſtium agminum inuigilabat. *Fulbertus Carnotenſis in ſerm. de Natiuit. Virginis.*

Ab inſtanti ſuæ conceptionis Angeli inuigilabant circa eam.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 23. *Ab æterno ordinata ſum.* Quommodo ordinata à Deo?

Habuit officium ſacris initiatorum.

Reſp. Summus Pater ordinauit me in exorciſtam, quantum ad dæmonum expulſionem. Vnde *Geneſ. 3.* Ipſa conteret caput tuum. In oſtiariam quantum ad immundorum excluſionem, & mundorum introductionem. *Ezech. 44. Porta hæc clauſa erit Principi, & Princeps ingredietur in eam*, quaſi diceret. Porta hæc Principem, & imitatores ſuos introduxit, & indignioribus clauſa erit. In Lectorem quantum ad omnium Prophetarum expoſitionem ad litteram in ſe ipſa. Vnde *Iſaiæ 7.* Ecce Virgo concipiet, & Angelus ad ipſam, *Lucæ 1. Ecce concipies.* In Acolytum quantum ad illuminationem, *Cant. 6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit quaſi Aurora conſurgens.* Et illud *Num. 24. Orietur Stella.* In Subdiaconum quantum ad Verbi Diuini obſeruationem, quo aliis ſcribendum narrauit. Vnde *Lucæ 2. Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens.* In Diaconum, & Sacerdotem, quantum ad corporis Domini de ipſa formationem, & diſpenſationem; communicauit enim nobis corpus Filij ſui in cibum, & ſanguinē ſuum in potum. In Epiſcopum quantum ad ſolicitudinem omnium Eccleſiarum. In Papam qui eſt Pater patrum, habens in cœlo, & in terra poteſtatem; ſic & ipſa Mater eſt omnium Chriſtianorum, & habet poteſtatem in cœlo, & in Terra, & in Purgatorio, & in Inferno. Sic ergo Mater Dei Regina cœli eſt totaliter ordinata. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dæmones expellit.

Mundos introduxit in cœlum immundos excludit.

Scripturæ impletæ in B. Virgine.

Alijs narrauit ſcribenda in Scriptura.

Communicauit corpus Filij ſui, & ſanguinem in cibum, & potū.

De omnibus Eccleſijs ſollicita.

In cœlo, & terra habet poteſtatem, & in Purgatorio.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 23. *Ab æterno ordinata ſum.* Ad quid Beata Virgo fuit ab æterno ordinata à Deo?

B. Virgo ordinata à Deo ad Angelorum, & hominum vtilitatem.

Re. Angelo in lætitiam, iuſto in gratiam, peccatori in veniam, triſti in conſolationem, captiuo in redemptionem, diabolo in conculcationem. *D. Bernard. ſerm. 2. in Pentecoſte.*

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 30. *Cum eo eram cuncta componens.* Quæ cum Deo compoſuit B. Virgo Maria?

Dei coadiutrix in Verbi Incarnatione

Reſp. Cum eo eram cuncta componens in vtero meo per Incarnationem, cōponens eram primū cum vltimo, paruum cum magno, Deitatem cum Humanitate: Item eram in mundo componens per Filij mei Paſsionem, & totius humani generis Redemptionem. Item eram componens cum Filio mea cœleſtia ad inhabitandum, terreſtria ad peregrinandum, infernalia ad cremandum. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

In Generis humani redemptione.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 32. *Nunc ergo Filij audite me.* Cur filios vocat?

Cœleſtium, & terreſtriū coadiutrix cum Chriſto.

Re. Commendatur Beatiſsima Virgo Maria à ſua fideli charitate, quia Matrem ſe noſtrā nominat, & nos, & filios ſuos appellat. *Prouerb. 8. Nunc ergo filij audite me*, vocantem, conſolantem, pro vobis intercedentem, & vos inſtruentem. *B. Alb. Magn. in Biblia Mariana.*

Gloriatur, quod ſit Mater omnium.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 32. *Beati qui cuſtodiunt vias meas.* Quæ ſunt viæ B. Mariæ?

Reſp. Beati ſunt in corpore, & anima, qui cuſtodiunt vias meas, vias humilitatis contra ſuperbiam, caſtitatis contra luxuriam, largitatis contra auaritiam. *B. Albertus Magnus vbi ſupra.*

Viæ B. Virginis humilitas, caſtitas, largitas.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 35. *Qui me inuenerit hauriet ſalutem à Domino.* Quommodo Beata Virgo inuenienda?

Inuenitur B. Virgo à humiliter, & deuote ei ſeruientibus.

Reſp. Qui me inuenerit humiliter, & deuote, & fideliter ſeruiendo, inueniet vitam gratiæ, & gloriæ, & hauriet ſalutem à Domino animæ, corporis, à Domino qui eſt ſalus æterna. *B. Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Cur dicitur quod ſapientia ſibi domum ædificauit?

Qui humiliter, & deuote ei ſeruiunt inuenient gratiam, & gloriam.

Reſp. In ipſa quippe, ex ipſa ſapientia ædificauit ſibi domum, & in ipſa parauit ſibi thronum, cum in ea, & ex ea aptauit ſibi, ita ad omnia perfectum, &

Congruum fuit Dei habitaculum.

congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primo ei Tabernaculum fuit ad pugnandum; & cathedra ad docendum. *Guarricus Abbas serm. 1. de Annuntiatione.*

Tabernaculū Dei ad pugdum. Cathedra Dei ad docendum.

Dub. 22. Ad eadem verba, cap. 9. ver. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum.* Cur sapientia domum sibi ædificauit?

Resp. Inter omnia huius artificis opera, Maria speciale est opus. De quo dicitur *Eccles. 42. Gloria Domini plenum est opus eius*, quam ad hoc fecit, vt quod de priori artificio fuerat deformatum, per eam reformaretur. Hic enim artifex primo condiderat Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quę corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat peiorata; sed ad hæc omnia fecit Deus Mariam, cuius fructu Angelica natura repararetur, iuxta illud *Psal. Implebit ruinas*, humana renouaretur, vnde *Apoc. 21. Ecce noua facio omnia*, inferior à seruitute liberaretur. Vnde *Roman. 8. Ipsa creatura liberatur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. B. Albertus Magnus lib. 10. de laudibus B. M. cap. 30. num. 1.*

Fructu B. Virgi. Angelica natura reparata, humana renouata, inferior à seruitute liberata

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 9. vers. 1. *Excidit columnas septem.* Quæ nam sunt columnæ huius domus?

Thema pro Annuntiatione.

Resp. Domus sapientiæ est Beata Virgo, septem columnæ sunt septem virtutes, quas ponit *Iacob 3. Sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione.* Quæ etiam notantur *Lucæ 1.* in salutatione Angeli. Prima, igitur columna est pudicitia, quæ notatur, ibi: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Secūda, est pax, siue cōcordia, ibi: *Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Tertia, suadibilis, ibi: *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quarta, modesta, ibi: *Quommodo fiet istud.* Quinta, consensus facti, ibi: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Sexta, plenitudo misericordiæ, ibi: *Exurgens Maria abijt in mōtana cum festinatione.* Septima, iudicium sine simulatione, ibi: *Ecce Ancilla Domini. Hug. Cardin. Vide num. seq.*

Septem virtutes B. Virginis, quas ostēdit in die Annuntiationis.

Dub. 24. Ad eadem verba, cap. 9. ver. 1. *Columnas septem.* Quæ sunt columnæ B. Virginis?

Taciturnitas B. Virginis Mariæ.

Resp. Prima columna est virtus, siue virginitas, quæ tangitur, ibi: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Secunda taciturnitas, ibi: *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Vel ibi: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Vnde, & in Euangelio legitur: Tantū quater locuta fuisse. Primo, Angelo respondendo *Lucæ 1.* Secundo, Filium increpando, *Lucæ 2. Fili quid feci sti nobis sic.* Tertio, Elisabeth salutando. *Lucæ 1.* Quarto, ministris consulendo. *Ioann. 2. Quodcunque dixerit vobis facite.* Tertia columna est stabilitas, quæ tangitur, ibi: *Ingressus est Angelus ad eam.* Quarta strenuitas, quæ tangitur, ibi: *Exurgens autem abijt in montana cum festinatione.* Quinta humilitas, ibi: *Ecce Ancilla Domini.* Sexta pietas, ibi: *Mansit autem Maria cum illa quasi tribus mensibus.* Septima prudentia, ibi: *Quommodo fiet istud:* vnde versus.

Quater locuta fuit.

Septem (Pentiales virtutes, quæ in B. Virgine inuentæ fuerūt in die Annuntiationis.

Casta, tacens, residens, operans, humilis, pia, prudens.
Hoc septiformi munere Virgo micat.
Hugo Cardinalis.

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 9. vers. 1. *Excidit columnas.* Cur dicitur quod excidit?

De massa humanæ naturę abstracta, & separata.

Resp. Excidit, id est, de lapidina, vel massa totius humanæ naturæ, abstraxit, & separauit. *B. Albertus Magn. lib. 10. de laudibus B. Mariæ, cap. 30.*

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 9. vers. 5. *Comedite panem, & bibite vinum quod miscui vobis.* Quo sensu hæc de Beata Virgine exponuntur?

Duæ naturæ vnitæ, credente, & consentiente B. Virgine.

Resp. Deus enim Trinitas aquam humanitatis cum vino Diuinitatis miscuit, quando humanam naturam Diuinæ vniuit, & Beata Virgo miscuit, quando vnionem credidit, & ei consentit. *B. Albertus Magnus libr. 1. de laudib. B. Virg. cap. 4. num. 8.*

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 11. vers. 2. *Vbi est humilitas, ibi & sapientia.* Qualis fuit sapientia Beatæ Virginis?

Quo humilior eo sapientior.

Resp. Ptolomeus ait; Quod inter sapientes, ille sapientior qui & humilior; sed Beata Maria humilima super omnes, & secundum regulam datam à Filio, *qui se humiliat, exaltabitur*, & quanto magis humiliat, tanto magis exaltatur. Sed Beata Maria exaltata fuit super omnes Choros Angelorum, ergo ipsa fuit humilima vnde, & sapientissima. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 18. §. 1.*

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 11. vers. 16. *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Quo sensu hæc de Beata Virgine exponuntur?

Nullā creatura tantā gratiam in mundo, gloriā in cœlo inuenit sicut B. Virgo.

Resp. O verè fœlix inuentrix Maria, quæ tam magna in mundo, tam magna in cœlo, nulla pura creatura tantam gratiam

tiam in mundo, nulla tantam gloriam in cœlo inuenit. *D. Bonauent. in speculo B. Virg. Lect. 5.*

Inuenit gratiã quam perdidit Eua,

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 11. vers. 16. *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Quommodo Beata Virgo inuenit gloriam?

Resp. Mulier gratiosa, id est, Beata Virgo, plena Dei gratia; ita vt nec modicum locum, sibi culpa vendicauerit & in ea, tantum plena, vt de plenitudine eius nos omnes acceperimus, hæc inueniet gloriam, quia inuenit gratiam apud Deum, quam perdiderat Eua. *Hugo Cardinalis.*

Per fructum B. Virginis recepimus, quod amisimus per Adã, & Euam,

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 11. vers. 30. *Fructus iusti lignum vitæ.* Quommodo fructus iusti, est lignum vitæ, id est, confert vitam?

Resp. Sicut enim lignum vitæ, quod fuit in medio Paradisi terrestris, virtutem habuit seruandi vitam naturę, sic certè fructus ventris Marię, qui est lignum vitę, & fructus vitę in medio Paradisi Ecclesię; conseruat vitam gratię, in medio Paradisi cœlestis patrię vitam glorię, conseruat quidem vitam gratię à corruptione culpę, vitam vero glorię à corruptione omnis miserię, vt sic recipiamus in fructu Marię, quod amisimus in fructu Adam, & Euę. Sicut benè notauit *Beda* dicens: Benedictus fructus ventris illius, per quem, & semen incorruptionis in agro supernę hęreditatis, quam in Adam perdidimus, fructum recipimus. *D. Bonauentura in specul. B. Virg. cap. 14.*

Quo maior fuit humilitas Beatæ Virginis, eo maior gloria,

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 15. vers. 33. *Gloriam præcedit humilitas.* Quommodo humilitas præcedit gloriam?

Resp. Præcedit humilitas gloriam, non solum tempore, sed ordine, & merito, & causa, vnde quanto maior fuerit humilitas, tanto maior erit gloria, vt patet in Domino Iesu, qui super omnes fuit humilis, & super omnes glorioſus; & post ipsum Beata Virgo. *Hugo Cardinalis.*

Incarnationem Verbi lumen naturale penitus ignorat,

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 30. vers. 18. *Quartum penitus ignoro viam viri in adolescentia*, id est, viam Christi in Virgine Maria, vt notat *Hug. Cardinalis.* Cur hoc ignorauit Salomon?

Resp. Intelligunt locum istum *Gloss. & Foreirus* de Beata Virgine, per quam transiuit Christus vir perfectus in scientia quamuis corpore paruulus, clauso exiens vtero, quod cognoscere dificilimum est, & lumen naturale penitus ignorat; quia, id res noua est, & inaudita iuxta illud *Ierem. 31. Nouum creauit Dominus super terram fœmina circundabit virum.* Tria priora difficilia mysterium partus virginei obumbrant, atque designant, sed non satis explicant, nam Aquila volans aerem diuidit, nauis transiens aquam scindit, quamuis nullum sui vestigium relinquant, sed Christus Dominus per vterum Virginis transiens, omni modam eius integritatem non solum seruauit, sed perfecit, & sanctificauit. *Didacus Aluarez, Episcopus Tranensis in cap. 7. Isaiæ.*

Christus virginitatẽ Mariæ perfecit.

2. Resp. Hoc penitus ignorauit Salomon, quia supra naturam, & rationem, & intelligentiam est, & sola fide capitur. Vnde *Ierem. 31. Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circundabit virum, Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem suum coram Domino. Hug. Cardinalis.*

Fortitudo Christi ad dubolum prosternendum, ex B. Virgine.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 31. vers. 10. *Mulierem fortem, quis inueniet?* An B. Virgo dicatur mulier fortis?

Resp. Oportebat quod fortis esset mulier, quæ paritura erat masculum, & talem masculum, qui Principem mundi huius foras eiiceret. *B. Albertus Magnus libr. 6. de laudibus B. Mariæ, cap. 9. num. 7.*

Virtus, & fortitudo B. Virginẽ potest plenè intelligi.

Dub. 34. Ad eadem verba, cap. 31. vers. 10. *Mulierem fortem, quis inueniet?* Cur Salomon interrogat, quis inueniet mulierem fortem?

Resp. Quasi dicat; paucissimi, & quasi nullus intelliget plenè virtutem Beatæ Mariæ, quæ est ita fortis, quod pretium eius, valor, & virtus eius est procul, & de vltimis finibus, id est, talis quod vltimos fines in natura intellectuali coniunget ad inuicem; scilicet, Deum summum, & hominem infimum in vna persona Christi cum concipiendo. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 18. §. 4.*

Verbum concipiens, coniunxit Deum summum, & hominem infimum in vna Persona Christi,

Dub. 35. Ad eadem verba, cap. 31. vers. 10. *Mulierem fortem, quis inueniet?* An Beata Virgo commendetur à fortitudine?

Resp. Commendat eam Salomon à fortitudine, *Prouerb. vltim. Mulierem fortem, quis inueniet?* Sicut Mariam? Tria sunt quibus fortitudo maxima appropriatur; scilicet, Deus, Mors, & Diabolus. Deum per humilitatem quodammodo superauit. Vnde *Gregorius*

Per humilitatem Deum superauit.

lib.

lib. 34. *Moral. cap.* 18. Quanta ergo humilitatis virtus est propter quam solam veraciter edocendam; is qui sine æstimatione magnus est, factus est paruus vsque ad passionem? Item mortem cui nemo mortalium resistere potest, superauit, quia per eam vita redijt. Item diabolum in nihilum cum omni eius potestate redegit. Vnde *Genes.* 3. *Ipsa conteret caput tuum. B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Mortem superauit, cum per eam vita redijt.

Diabolum contriuit.

Dub. 36. Ad eadem verba, cap. 31. vers. 10. *Quis inueniet?* Cur Salomon interrogat, quis inueniet?

Resp. Nota quod mentio fit hic de inuentione. Similiter *Lucæ* 1. dictum est Mariæ: *Inuenisti gratiam apud Dominum*, sicut enim Mariæ fuit inuentio habere talem Filium; sic Christi fuit inuentio habere talem Matre; Vnde sicut Maria dicere potest de sapientia Dei ex ea carnem assumentem; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, Sapient.* 7. Sic & Christus de Maria; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, quia natus sum mundus de munda, Immaculatus de Immaculata, & de Virgine Virgo. *B. Albertus Magnus lib.* 6. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 9. *num.* 8.

Gloriatur B. Virgo quod talem Filium inuenerit; & filius quod talem Matrem.

Dub. 37. Ad eadem verba, cap. 31. vers. 10. *Quis inueniet?* Cur Salomon notat difficultatem inueniendi mulierem fortem?

Resp. Hic notatur maxima difficultas, quia nec alia sufficienter fortis potuit inueniri, nec alius quam Christus ipsam potuit inuenire, vnde ipsa dicit *Cant.* 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi. B. Albertus Magnus vbi supra.*

Solus Christus talē Matrem potuit inuenire.

Dub. 38. Ad eadem verba, cap. 31. vers. 10. *Procul & de vltimis finibus pretium eius.* Cur pretium B. Mariæ fuit de vltimis finibus?

Resp. Ad litteram pretium, id est, excellentissima, & gloriosissima celsitudo Mariæ fuit procul; & de vltimis finibus, quando venerabiles Magi de longinquis regionibus; ad sanctissimum eius partum venientes, obtulerunt Filio munera pretiosa, & Dei hominis veram Natiuitatem ostenderunt. *B. Alb. Magnus vbi srpra.*

Gentiles ad partum Virginis venerunt, vt munera offerrent Filio.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 31. vers. 10. *Mulierem fortem, quis inueniet?* Cur nullus Doctorum sciuit respondere?

Resp. Ipsa fuit illa mulier fortis, de qua Salomon quæsiuit à suis Doctoribus, dicens: *Mulierem fortem, quis inueniet?* nullus Doctorum sciuit respondere, & spiritus Sanctus sibi respondit dicens: *Procul, & de vltimis finibus pretium eius*, quia in vltima ætate debuit esse. Nota quod ista quæstio *Mulierem fortem* incipit per Aleph, quod interpretatur *mille*, quia tot anni fluxerunt à Salomone, vsque ad Virginem Mariam. *D. Vincentius Ferrer serm.* 1. *in Natiuit. B. M. Virg.*

B. Virgo data mundo in vltima ætate?

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 30. vers. 10. *De vltimis finibus pretium eius.* De quo fine pretium Virginis?

Tota fuit cœlestis, nihil de terra contraxit.

Resp. Procul & de vltimis finibus pretium eius, hoc est, non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terra, sed de cœlo, non de cœlo proximo terris pretium fortis mulieris; scilicet, Mariæ, sed à summo cœlo. *D. Bernardus serm.* 2. *super missus est.*

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 30. vers. 11. *Confidit in ea cor viri sui?* Quommodo confidit in ea cor viri sui?

Peccati venialis expers.

Resp. Commendatur à confidentia, quam quis habet in ipsam. Confidit in ea cor viri sui, vt Rex in castro inexpugnabili; omnes enim Sancti expugnabiles fuerunt, saltem quantum ad venialia. Vel confidit in ea, vt negotiator in vxore negotiosissima, quia nullus Angelorum, vel hominum tantas animas Deo lucratur sicut ipsa, vel confidit in ea, vt pater in filia prudentissima, ipsa enim scit sola præ omnibus prudenter allegare coram omni cœlesti Principe de peccatorum salute. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Nullus Angelorum, vel hominum tantas animas lucratur sicut ipsa.

Præ omnibus Sanctis allegat pro peccatoribus.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 30. vers. 14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Cur B. Virg. commendatur, quod sit nauis de longè portans panem suum?

Dignitas Virginis pensanda ex pane quem portauit.

Resp. Attenditur dignitas eius ex mercatore quem portauit: Iste est panis, de quo dicitur *Ioann.* 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendit*, & iste panis venit de longè, quia verè de longè, quādo de cœlo in terram, verè de longè cum iste panis constet ex duplici pasta; scilicet, natura Diuina, & humana, ille tamen verè in infinitum à se distant. Verè de longè quia talis portatio, id est, Incarnatio longè est à meritis nostris, quoniam nulla nostra merita meruerunt, vt Deus fieret homo. *Iacobus de Voragine serm.* 2. *Sabbath. post Cineres.*

Incarnatio Verbi longè à meritis nostris.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 30. vers. 15. *Deditque prædam domesticis suis.* Quo sensu hæc de Beata Virgine exponuntur?

Resp.

Resp. Tota Trinitas eleemosynariam suam fecit; Omnes enim eleemosynæ, quæ de cœlo fluunt per suas manus transeunt. Ipsa autem tanquam bona eleemosynaria defendit oppressos, pascit famelicos, & vestit nudos, ideò dicitur de muliere forti: *Dedit prædam domesticis suis, & cibaria Ancillis suis,* & sequitur: *Omnes domestici eius Vestiti duplicibus.* Sunt enim quidam oppressi à diabolo, carne, & mundo, sed ista domesticis suis, id est, sibi deuotis, tales hostes dat in prædam, & facit eos de ipsis habere victoriam, & hoc est, quod dicitur: *Dedit prædam domesticis suis.* Sunt etiam quidam famelici, quos nutrit cibo spirituali, ideò dicitur: *Et cibaria Ancillis suis.* Sunt etiam quidam nudi, quos ipsa vestit duplici vestimento, ideò dicitur: *Omnes domestici eius*, deuoti eius, *Vestiti duplicibus*, illud duplex vestimentum est, de quo ibidem dicitur: *Byssus, & purpura indumentum eius*, per byssum quæ est candida intelligitur munditia carnis, per purpuram quæ est rubicunda, intelligitur charitatis feruor, tunc enim suos deuotos vestit duplicibus, quando dat munditiam in carne, & feruentem amorem in mente. *Iacobus de Voragine, Episcopus Ianuensis, serm. 2. Sabbatho 5. Quadragesimæ.*

Deuotis suis dat victoriã de diabolo.

Cibo spirituali cibat.

Deuotis suis dat munditiã in carne, feruorem in mẽte.

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 30. vers. 19. *Manum suam misit ad fortia.* Quæ nam opera fortia ad quæ misit B. Virgo manum suam?

Resp. Commendatur à fortitudine. *Manum suam misit ad fortia*, fortia dicit perfecta opera, vt est diligere inimicos, benefacere odientibus, & orare pro persequentibus nos. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dilexit inimicos, orauit pro persequẽtibus.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 30. vers. 14. *De longè portans panem suum.* Cur dixit panem suum?

Resp. Si dixisset Salomon panem nostrum, benedixisset, sed notabiliter maluit dicere suum, totus enim fuit suus, proprius, scilicet, non communis sibi, & viro, quia in se, & de se sola factus est; scilicet, de purissima substantia carnis suæ. Vnde *Galat. 4.* dicit Apostolus: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Panem suum, quo; scilicet, ipsa dignius, saporosius, & ineffabilius fruebatur in præsenti omni creatura. *B. Albertus Magnus lib. 11. de laudibus B. M. cap. 8.*

Christus factus est de purissima substantia carnis suæ.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 30. vers. 20. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes.* Cur largitas huius mulieris describitur?

B. Virgo liberalissima.

Resp. Ipsa autem in suis misericordijs non est auara, sed multum liberalis, & larga iuxta illud quod dicitur: *Prouerb. Vltim. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes.* Si esset aliqua Domina, quæ semper brachium suum extenderet ad pauperes, & manus apertas teneret, & ipsas manus plenas haberet, multum liberalis esset, per istum modum loquitur Salomon de Mulieri forti, id est, de Beata Virgine, quæ sic fuit fortis, quod Deum de cœlo traxit, & diabolum vicit. Ista igitur Mulier fortis, versus peccatores tenet brachium extensum, quia eius misericordia ad omnes extenditur vniuersaliter. Tenet manum apertam, non clausam, quia suas misericordias, non dat difficulter, sed valde faciliter, quia non multum, nec diu facit se rogare. Habet manus plenas eleemosynis, quia suas misericordias largiter dat, & abundanter. Si quis ergo eius misericordiam non habet Beatæ Mariæ non imputet postquam ipsa brachium extendit dando vniuersaliter, postquam manum plenam habet dando abundanter, postquam manum habet dando faciliter. *Iacobus de Voragine, Episcopus Ianuensis serm. 2. Sabbatho 4. Quadragesimæ.*

Misetieordia Virginis ad omnes se extendit.

Non finit se diu rogari.

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 30. vers. 20. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Cur manum aperuit inopi?

Totã se apẽruit per largitatem.

Resp. Commendatur à largitate, tanta enim eius fuit largitas, vt se totam aperiret per largitatem. Aperuit vterum Filio, oculos pro peccatoribus ad flendum, aures ad preces eorum audiendum, & os ad placandum. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 30. vers. 25. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Quare fortitudo huius mulieris commendatur?

Labores patientissime tulit.

Resp. Id est, fortitudo decora, quia; scilicet, sine motu perturbationis alicuius, quod non fuit in Sanctis, hac fuit induta semper, & ornata. Vnde Mater Dei effecta appropinquans ad partum, magnanimiter aggressa est iter, cum Sponso Ioseph in Bethleem, per montana Iudeæ, vt describeretur, & censum daret Præsidi, pro Romano Imperio, & cum illic non reperissent hospitium, siue propter multitudinem concurrentium, siue propter paupertatem, non habens ad expendendum, secessit in diuersorium, vbi media nocte in hyeme

pe-

peperit Filium ſuum, frigus cum eo conſtantiſsimè ferens, natum inde ad paucos dies magnificè expoſuit paruulum pœnæ maximæ circunciſionis, non ſine ſui dolore immenſo, & poſt modicum quæſitus paruulus, ab Herode ad perdendum, ſeceſsit in Ægyptum ad terras idolatrantium pluribus annis ibi demorata, & poſt mortem Herodis reuerſa in Nazareth. Semper fiduciam habens in Domino, vt eriperet de inimicis, ſecuta Filium prædicantem, & miracula facientem. O quot opprobia, quot blaſphemias, quot perſecutiones, quot inſidias ad capiendum eum illata, & facta patientiſsimè tulit! *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 18. §. 4.*

Habuit ſummam Beatitudinem ſuper omnes.

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 30. verſ. 28. *Surrexerunt filij eius, & Beatiſsimam prædicauerunt eam.* Cur laudatur de ſumma Beatitudine?

Reſp. Commendatur à ſumma beatitudine. Prædicauerunt eam Beatam in natura, Beatiorem in gratia. Beatiſsimam in gloria. Vel prædicauerunt eam Beatam ſuper omnes coniugatas, Beatiorem ſuper omnes viduas, Beatiſsimam ſuper omnes Virgines. Vel prædicauerunt eam Beatam in conuerſione peccatorum, beatiorem in conuerſione iuſtorum; Beatiſsimam in coronatione electorum. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Beata ſuper cõiugatas, viduas, & virgines.

Beatiſsima in coronatione electorũ.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa eſt vniuerſas.* Quomodo Beata Virgo ſupergreſſa eſt alias?

Reſp. Nota hiſtoriam breuiter ſpeculando de aſcenſu Virginis per quindecim gradus in Templum Dei: Nam illa aſcenſio fuit miniſterio Angelorum facta eam ducentium cum dicit *D. Greg. primo Dialogor.* In hoc mundo viſibili nihil per creaturam inuiſibilem diſponitur, quod poteſt intelligi, & declarari admodum Sponſarum in die nuptiarum, quæ vſque ad Eccleſiam ducuntur per parentes earum, & ex tunc aſſumuntur à conſanguineis Sponſi. Iſte aſcenſus quindecim graduum ſignabat aliquod myſterium futurum, & maximè de Beata Virgine, vt tangit *D. Hieronymus*; ſcilicet, quod ſupra nouem ordines Angelorum, & Archangelorum, ideò cantatur: *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna.* Et ſupra ſex gradus Sanctorum: ſcilicet, Virginum, Confeſſorum, Martyrum, Apoſtolorum, Prophetarum, & Patriarcharum erat ſublimanda, multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa eſt vniuerſas. *D. Vincentius Ferrer ſerm. 1. in Natiuit. B. M. Virginis.*

Super Choros Angelorum, & Sanctorum exaltata.

Dub. 51. Ad eadem verba, cap. 31. verſ. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias tu ſupergreſſa eſt vniuerſas.* Quænam ſunt diuitiæ quas multæ filiæ congregauerunt?

Reſp. Filia Agnes, filia Cęcilia, filia Agatha, filia Chatarina, & multæ aliæ filiæ, & multæ aliæ Virgines Sanctæ, multæ animæ iuſtæ congregauerunt diuitias virtutum, & gratiarum, diuitias meritorum, & præmiorum; ſed Maria vniuerſis diuitijs, ſupergreſſa eſt excellentiſsimè vniuerſas. O quam dies eſt Maria in gloria, quæ tam dies fuit in miſeria! O quam dies eſt in cœlo, quæ tam dies fuit in mundo! O quam dies eſt in anima ſua, quæ tam dies fuit in carne ſua! *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. Lect. 8.*

B. Virgo ſupergreſſa eſt omnes meritis, & præmijs.

Dub. 52. Ad eadem verba, cap. 31. verſ. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias tu ſupergreſſa eſt vniuerſas.* Cur Salomon poſuit tempus præteritum congregauerunt?

Non dubitauit de promiſſo ab Angelo, imò credidit.

Reſp. Per hoc, quod Salomon ponit tempus præteritum, dicens *congregauerunt*, videtur hoc debere intelligi de ſanctis mulieribus Veteris Teſtamenti, quibus ipſa figuratur, quæ diuerſis virtutibus claruerunt. Commendatur Sara à fidelitate, *Hebr. 11. Fide, & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit*; ſed Maria fidelior Sara, quæ de promiſſo dubitauit, ipſa vero non, *Lucæ 1. Beata quæ credidiſti*, quia nunquam de promiſſo Angeli hęſitauit. Rebecca à ſpecioſitate, *Geneſ. 24.* quę fuit Virgo pulcherrima, ſed Maria ſpecioſior. *Sapient. 6. Eſt enim ſpecioſior Sole.* Rachel ab amabilitate, *Geneſ. 29.* quam diligens Iacob; ſed Maria amabilior, in qua conſumatus eſt ille amor, per quem reuocata ſunt antiqua odia. Propter hoc in Canticis tam ſępe vocatur dilecta. Lia à fœcunnditate, *Geneſ. 29. & 30.* ſed Maria fœcundior, quia etſi non genuit niſi vnum, tamen in illo vno genuit ſalutem omnium, *Matth. 1. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Debora à ſapientia vnde & Prophetes erat, & populum iudicabat. *Iudith 4.* ſed Maria ſapientior, quæ ędificata eſt in domum ſapientię, *Prouerb. 9.* Eſther ab humiliſtate, & deteſtatione glorię mundanę, quę dicebat Domino, *cap. 14. Tu*

B. Virgo pulcherrima.

Virgo Maria omnibus amabilior.

In vno filio genuit ſalutem omnium.

Fuit ſapientiſsima.

ſcis

Humilitas Virginis ſuperbiam diaboli deiecit.

ſcis quod abominer ſignum ſuperbiæ, ſed Maria multo humilior, cuius humilitatem reſpexit Deus, & per eam veterem deiecit ſuperbiam diaboli. Iudith à fortitudine, quia occidit Holofernem, *Iudith* 13. ſed Maria fortior, quę contriuit caput ſerpentis antiqui, *Geneſ.* 3. Ipſa conteret. Propter hęc omnia, & multa alia Benedicta inter mulieres, id eſt, ſuper omnes mulieres. *B. Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 21. num. 2.*

Diabolum contriuit.

Gloria ſingularis Virginis, quod fœcunditas virginitatę non violauit.

Dub. 53. Ad eadem verba, cap. 31. verſ. 29. *Tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Quo ſenſu B. Virg. ſupergreſſa eſt multas filias?

Reſp. Multę filię, id eſt, Virgines ſanctę, congregauerunt diuitias virtutum, & operum bonorum. Tu vero ò Beata Virgo ſupergreſſa es vniuerſas, excellentia humilitatis, fœcunditate virginitatis, & virginitate fœcunditatis. Virginitas enim eius fœcunditatem non excluſit, nec fœcunditas virginitatem violauit, quę eſt Beatę Virginis gloria ſingularis. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ſupergreſſa eſt in gratia omnes Sanctos.

Dub. 54. Ad eadem verba, cap. 31. verſ. 29. *Tu ſupergreſſa es vniuerſas.* In quo ſupergreſſa eſt alias Beata Virgo Maria?

℟. Supergreſſa eſt Maria in gratia vniuerſas animas Sanctorum, dum non ſolum gratia plena, ſed etiam ſuper plena fuit, teſte Gabriele, qui prius dixit: *Aue gratia plena*, & poſtea ſubiunxit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*; ſi autem gratia plena fuit, ergo quidquid ſibi ſuperueniens, poſtea ſpiritus contulit, in hoc vtique pluſquam plena, in hoc certè ſuper plena fuit. *Diuus Bernardus Serm. 2. de Aſſumptione.* Veniente iam Spiritu Sancto plena ſibi, eodem quoque ſuperueniente nobis ſuper plena, & ſuperfluens fuit Maria. *Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 13.*

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 30. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.* An Beata Virgo pulchritudinem corporalem habuerit?

℟. Ratio dubitandi eſt, quia hìc dicitur: *Vana eſt pulchritudo*, ſed in Beata Virgine nihil fuit de vanitate, ergo nec pulchritudo. Secundo, pulchritudo mulierum occaſio magna eſt mali, vnde *Eccleſiaſt. 9. verſ. 5. Virginem ne conſpicias, ne ſcandalizeris in pulchritudine eius.* Tertio, propter ſpeciem mulierum, luſti perierunt. Vnde *Iob 31. verſ. 1. Pepigi cum oculis meis, ne quid cogitarem de Virgine*, ſed Beatiſsima Virgo omnibus debuit eſſe cauſa ſaluandi, & nulli cauſa eſſe pereundi, ergo nō debuit eſſe pulchra corporaliter. Quarto, quanto plures ſunt cauſæ humilitatis, tanto fortior & maior humilitas: ergo quę ſummam habuit humilitatem, omnes cauſas habere debuit humilitatis: ſed fauſtus ineſt pulchris, deformitas autem eſt cauſa humilitatis, ergo Beatiſsima Virgo debuit eſſe deformis. Quinto, Dominus in incarnatione maximam oſtendit humilitatem: quia exinaniuit ſemetipſum, ſed maior eſt humilitas carnem accipere de deformi, quam de pulchra, ergo Deus naſci debuit de deformi.

B. Virgo pulcherrima inter filias hominum.

Reſp. Quod ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus fuit ſpecioſus forma prę filijs hominum: Ita Beatiſsima Virgo ſpecioſiſsima, & pulcherrima fuit inter filias hominum, & quod ipſa habuit ſummum, & perfectiſsimum gradum in pulchritudine, qui potuit eſſe in mortali corpore ſecundum ſtatum vię operante natura. Quod autem Euangelium nihil deſcribit ſuper eo poſſunt plures eſſe cauſę. Vna cum Domina noſtra poſita ſit nobis in ſpeculum, & exemplum ſaluos faciendi, non vult eam actibus laudari, quorum appetitus inordinatus, vel abuſus multis eſt cauſa pereundi. Alia cauſa eſt, quod ſcripturę ſufficit hoc ſub ſilentio, quaſi per locum à minori inferre quod quidquid vnquam bonitatis, vel pulchritudinis in aliquo Sanctorum fuit, minimè credendum in ipſa defuiſſe, vnde ſcriptura magis laudat eam hoc tacite ſupponendo. Tacendo enim pro reuerentia, regulam nobis tradit infalibilem, quod quidquid boni, vel laudis in alijs fuit, hoc etiam in Beatiſsima Virgine fuiſſe, de hoc minimè oportebit dubitari. Nec in quęſtione venire debet, quod nefas eſt dubitare. Item ſicut Angeli ſupremi à donis nobilioribus laudantur, & denominantur, & non ab inferioribus: ita & Beata Virgo donis ſpiritualibus pleniſsima, donis gratuitis, & nobiliſsimis, ita occupat & implet animas laudantium Euangeliſtarum; quod eorum admiratione, obliuiſcuntur bonorum corporalium. Ita cum rota ſit in medio rotę, Euangelium magis reſpicit, & attendit ſpiritualia, vetus lex corporalia. Proprium ergo eſt Euangelij de gratuitis, & ſpiritualibus laudare, proprium Veteris Teſtamenti commendare corporalia. Ideo Domina noſtra Nouo Teſtamento de ſpirituali

Cur Euangeliſtæ non laudant Beatam Virg. de pulchritudine corporali.

perfectione per Angelos, Apostolos, Euangelistas commendatur. Raro, vel nunquam in Nouo Testamento inuenitur, quod aliquis à pulchritudine corporali commendetur. *B. Albert. Magnus in Mariali de laudibus Virg. super missus est quæst.* 15. §. 3.

Ad argumenta respondetur. Quod pulchritudo corporalis simpliciter in suo genere bona est. Nihil autem adeo bonum est, in quo non contingat malos scandalizari. Qui non tantum in Christo homine scandalizabantur in eo, sed etiam in ipso Deo scandalizabantur. Vnde super illud *Psalm.* 72. *Quam bonus Israel his.* Glossa dicit: *Peruersis autem peruersus esse videtur.* Talis autem occasio mali, siue scandali non est vitium bonum naturam habentis, sed culpa est patientis: sicut etiam dæmones in pulcherrima Dei iustitia scandalizantur. *Psalm.* 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*, nec propter hoc non debet esse iustitia, sed dæmones, vel mali scandalizantur in ipsa, maximè cum boni efficerentur, vnde mali scandalizantur. *B. Albertus Magn. vbi supra.*

Nihil adeò bonũ in quo non contingat malos scandalizari.

Scandalum passiuum culpa est patientis.

Ad alia argumenta respondetur. Quod congrua fuit pulchritudo Beatissimæ Virginis, & ad sui ipsius commendationem, vt naturam perficeret, & gratiam augmentaret, quia *forma pudicitiæ rara, sed apta comes*, & ad nostram ædificationem, & deuotionem. *Sapient.* 4. *Pulchra enim est casta generatio cum claritate*, & ad corporis Dominici commendationem. Non enim potest arbor bona fructum malum, & nobilis ignobilem facere, nec etiam perfectior humilitas, quæ ex pluribus causis causaretur. Quarum aliquæ erunt naturales, aliquæ gratuitæ, quam illa, quæ ex Solis gratuitis est: imò sicut gratia nobilior est natura, & perfectior: ita & humilitas, quæ est simpliciter à gratia, nobilior est, quam illa, quæ est partim ex gratia partim ex natura, vt etiã esset maior humilitas, quod Deus incarnaretur de deformi potius, quam de pulchra. Humilitas enim gratiæ collatiua, & augmentatiua, & nunquam diminutiua, non esset verè Filij humiliatio, si humilitatem Matris in sua nobilitate diminueret, & castitatis laudem auferret. Vnde nimirum, neque laude dignum operatio iudicaret, si Mater diformis humilis esset, & quod despecta Mater Virgo permaneret, & è conuerso autem quanto Virgo Beatissima profundior est humilitate, & quanto ab altiori infra se ipsam descendit, tanto maior est Filij Dei humiliatio, qui se à summo cœlo post ipsam inclinauit. *B. Albertus Magnus ibidem*, §. 4.

ECCLESIASTES.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. ver. 5. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.* An B. Virg. laudetur à Natiuitatis vtilitate?

Cœlum locus B. Virginis à Deo præparatus.

Resp. Imperatrix Virgo Maria commendatur à Salomone, à suæ Natiuitatis vtilitate, & Assumptionis suæ gloriositate. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.* Sol iste est Virgo Maria, qui ortus est, toti Ecclesiæ, quando Nata fuit. *Et occidit*, quia vitam suam per mortem soluit, *Et ad locum suum reuertitur*, id est, ad cœlum, à Deo æternaliter præparatum. *B. Albertus Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 2. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 5. *Oritur Sol.* A quibus orta fuit Beata Virgo?

Resp. Quod ipsa orta fuit, vt in sua genealogia narratur, à bonis, & malis. Quod à bonis orta fuit, textus potest esse ratio vna, vt antiquitas nobilitatis ipsam nobilitatem extolleret. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur, & quod naturale, magis tale per virtutem perficitur, quia ad ipsam ex naturæ origine inclinatur. Virtutes enim partim innatæ sunt nobis, perfectè autem per consuetudinem. Secunda causa est, vt sanctitas eam vndique circumdaret, retro per humilitatem, per nobilitatem, ante per vtilitatem, supra per dignitatem, infra per potestatem: à dextris per virtutum suauitatem, à sinistris per peccati immunitatem, intra per charitatem. Tertia causa est, vt humilitas humilior appareret, quia vt dicit *D. Bernardus*. In alto positus non alta sapere, sed humilibus consentire, nullum donum carius, nihil apud homines rarius inuenitur. Triplici enim ratione orta fuit à malis. Prima est, vt comparatio alterorum extremorum extolleret, iuxta illud, oppositum, iuxta se positum magis eluceſcunt, & illud *Cant.* 2. *Sicut lilium inter spinas*, sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam. Secunda causa est, vt sapientia Dei, misericordior ap-

B. Virgo cur Nata à bonis

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Cur B. Virgo orta à malis.

Prima ratio.

Secunda ratio.

pa-

pareret. Erat enim exitus de bono ad bonum, *Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Eſt ex tus de malo ad malum. Eccleſiaſt. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Et eſt exitus de malo ad bonum, & hoc ſolius Dei eſt proprium: cuius ſapientia vincit malitiam, attingens à fine vſque ad finem. Tertia cauſa eſt, vt confidentiam peccatoribus generaret, & augmentaret per hoc quod mediatrix eorum eadem propinquitate, vtramque extremitatem attingeret, vt ſicut eſſet Mater, ſoror & Filia Dei: ſic eſſet & Mater, & ſoror & filia rei, & ſic etiam à natura inclinaretur ad miſerendum peccatori. Hic eſt arcus poſitus in nubibus cœli. *Geneſ. 7. In ſignum fœderis inter cœlum, & terram.* Non enim potuit Deus cum peccatoribus ſtabilire pacem efficaciter, quam quod filiam peccatorum Filio ſuo accepit in Sponſam, & in Matrem. Nec alias fidelius inter Deum, & hominem pacem facit, quam quę Mater vtriuſque exiſtit. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Tertia ratio.

Nullus melior quam B. Virgo; pacē inter Deum, & hominem potuit facere

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Quo ſenſu hęc de Beata Virgine exponuntur?

Habuit omnem gratiam quæ fuit in alijs Sanctis.

Reſp. Sicut omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ita in Maria omnes aquę gratiarum, quę fuerunt in alijs Sanctis, vel fluuijs intrauerunt, in Maria Virgine, & tamen iſtud mare plenum omni gratia, non redundauit excedens terminos ſuos, in aliquam elationem, vel iactantiam. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 2.*

B. Virgo non exceſsit in aliquam ſuperbiam, & iactantiam.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Quando fuit B. M. Virg. tempus tacendi, & tempus loquendi?

In mundo tacuit, in cœlo pro nobis loquitur.

Reſp. Prout Beata Virgo fuit in hoc ſęculo habuit tempus tacendi. *Lucæ 2. num. 19. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.* At vero modo prout eſt in cœlo, tunc eſt ei tempus loquendi. *Rupertus lib. 2. de gloria filij hominis.*

B. Virgo poſt Chriſti mortem reuelauit Myſteria quę conſeruauit in corde.

2. Reſp. Tempus tacendi ei fuit ante mortem Chriſti, loquendi poſt. Debuit tacere in preſentia Verbi, nec radiare debuit Luna preſente Sole, ſicut nec Luna radiat in preſentia Solis. Sed Verbo obmuteſcente per mortem, ipſa debuit reuelare Myſteria quę conſeruabat in corde ſuo contra ſcandalum Crucis, quia ſuper omnes nouit. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virginis Mariæ ſexta Stella.*

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 2. *Melius eſt nomen bonum, quam vnguenta pretioſa.* Cur Nomen eſt melius quàm vnguenta pretioſa?

Nomen Mariæ anguſtias releuat.

Reſp. Mariæ Nomen longè melius quam diuitiæ corpotales, quia melius anguſtiam releuat paupertatis, & dolori peccatorum medetur melius quam vnguenta; Pauper es confuge ad Nomen Mariæ, quæ tibi pauperrima exhibetur, & ſi deuotè attendas, quod de hac paupertate exaltata eſt, etiam ſuper Angelos, iam non erit tibi oneroſa paupertas. Peccator es ad Mariæ Nomen confugias, ipſum ſolum ſufficit ad medendum, nam peſtis tam efficax nulla ſic hæret, quæ ad Nomen Mariæ non cedat continuo ſicut patet exemplo Theophili *B. Albertus Magnus libr. 1. de laudibus B. M. Virg. cap. 2. num. 4.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 2. *Ego os Regis obſeruo.* Quommodo hæc verba aptantur B. Virgini?

B. Virgo loquebatur quę Deum decebant.

Reſp. Quod *D. Bernard.* poſt maiorum chariſmata gratiarum in omnium maxima mulierum Dei Genitrice Maria grauitatem ſilentij, dignis laudibus prædicabat. Ipſa enim dicit de taciturnitate ſua. Eccleſiaſtes 8. *Ego os Regis obſeruo*, id eſt, os meum quod eſt Regium, vt; ſcilicet, nihil aliud loquatur, quam quod Regem deceat, & Reginam; ſcilicet, verba lenitatis, & clementiæ, verba pietatis, & iuſtitiæ. *Daniel Agricola vbi ſupra.*

Verba B. Virginis pietatis, & lenitatis.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 5. *Florebit Amygdalus.* An B. Virgo aſſimiletur Amygdalo?

Prima votum virginitatis emiſsit.

Reſp. Habuit virginitatem exemplarem, ideò ſignificatur per Amygdalum; quia ſicut inter cæteras arbores primo flores producit, ſic & ipſa prima votum virginitatis emiſsit, quæ alijs in exemplum fuit. *Pſalm. 44.* Adducentur Regi virgines poſt eam. De iſto Amygdalo dicitur. *Eccleſ. vltimo. Florebit Amygdalum*, tunc enim Amygdalus floruit, quando ipſa Virgo votum virginitatis emiſsit. *Iacobus de Voragine ſerm. 5. in Natiuit. B. M.*

Dub. 8. Ad eadem verba, cap. 12. ver. 5. *Florebit Amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſsipabitur capparis.* Quo ſenſu hæc de B. Virg. exponuntur?

Filium ſuum de ſe ſola protulit.

Reſp. Florebit Amygdalus, quia florem ſuum Chriſtum, qui dicitur primogenitus, tam Patris, quam Matris, de ſe ſola protulit, in cuius ortu impinguata eſt locuſta, quia inſtabilis Gentilitas per gratiam fœcundata, diſsipata eſt cap-

Natiuitate Chriſti Gentilitas recepit gratiam, manente vacua Iudea.

paris,

ris, quia Iudea aculeis peccatorum ſpinoſa, ſpirituali pinguedine remanſit vacua. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laudibus B.M. §. 23. num. 1. Abſalon Abbas ſerm. 1. in Aſſumpt. B.M.*

CANTICA. CANTICORVM.

B. Virgo adſimilata Diuæ Trinitati.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cuius oſculum Beata Virgo deſiderat?

Reſp. Hæc eſt ſpecies, & imago pulcherrima, & conformata, & adſimilata Diuinæ Trinitati, quæ per gratiam eſt ad ipſum, quod Deus per naturam. Exultabat ad hanc adſimilationem pertingere ſpiritus Mariæ, & æſtuans aſsidue deſiderio Sponſi ſui oſculetur me oſculo oris ſui. Quid quæris ô Beata? Quid oſculum Sponſi petis ô Benedicta? Quid eſt illud oſculum niſi Spiritus Sanctus, qui vtique ſuperuenit in te quando virtus Altiſsimi obumbrauit tibi. Imo iam præierat, nec poſtmodum receſsit à Te, quia Dominus ſemper tecum eſt. *Gerſon tract. 2. ſuper Magnificat.*

B. Virgo deſiderabat adueum Spiritus Sancti in ſe.

2. Reſp. Oſculetur me oſculo oris ſui. Hoc eſt, quod alibi dicitur: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Audierat ergo cœleſtem Paranymphum ad ſe miſſum Gabrielem Archangelum, qui ſpeciali, & inaudita ſalutatione honorans virginem, & ſpirituali benedictione refertam, ait: *Aue Maria gratia plena Dominus tecum.* Quæ cum audiſſet de ſe Filium Dei naſciturum non tumida de Nuntio, non eleuata de verbo, non ſuperba de Filio, ſed in omnibus, & per omnia ſe humilians Deo, non diffidens de oraculo, ait: *Ecce Ancilla Domini.* Quaſi dicat: *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum*, id eſt, ad verbum tuum concipiam Dei Verbum. Et hoc eſt, quod hic dicitur: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Os Patris dicitur Filius multiplici de cauſa. Sicut enim aliquis alicui loquitur ore proprio, ſic Pater per Filium loquutus eſt mundo. Os eſt eiuſdem naturæ cum reliquo corpore, ita Filius eſt eiuſdem naturæ cum Patre. Et ſicut ore propinatur oſculum, ita Pater per Filium fideli animæ propinat gratiæ ſerculum. Petit ergo Virgo triplex oſculum, vnum oſculum eſt Incarnatio, ſicut enim in vno oſculo duo labra vniuntur, ſic per Incarnationem Diuina natura humanæ vnitur. Aliud oſculum eſt Spiritus Sancti, quo Patrem oſculatur Filius, quo Pater Filium diligit, qui Patrem, & Filium vnit, qui eſt amborum amor nexus, & oſculum. Tertium oſculum eſt præſentia doctrinæ Chriſti, vt os Chriſtus non intelligatur: ſed per os Chriſti doctrina figuretur, & per oris oſculum doctrinæ præſentia. Petit ergo vt in ſe celebretur Incarnatio, & vt Spiritus Sanctus ſuperueniat, & virtus Altiſsimi obumbratio, & doctrinæ Chriſti adſit præſentia: *Quia meliora ſunt vbera tua vino.* Quaſi dicat: Tu deſideras mea oſcula, & ego tua vbera, quia meliora ſunt vbera tua vino. Ad litteram poſſunt hæc referre ad naturalia vbera Virginis. De quibus dicitur in Euangelio, *Lucæ 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Quæ delectabiliora, quæ meliora, quam illa vbera, quæ propinauerunt lac Chriſto, non ex libidinis fœditate, ſed virginitatis fœcunditate? Talia optabat Chriſtus vbera. A tali vbere lac ſugere, quod non ſaperet carni lubricum, ſed virginitatis antidotum. Hæc vbera dulciora fuerunt Chriſto omni vino, id eſt, omni delectabili potu. Quia vinum eſt priuilegiatus potus: per ipſum intelligitur delectabile poculum. *Beatus Alanus de Rupe, Ordin. Prædicat. ſuper Cantic. de B. Virgine.*

B. Virgo ad verbum Angeli concepit Dei Verbum.

Filius cur dicitur os Patris.

Incarnatio Verbi comparatur oſculo, & quare.

B. Virgo petiuit Verbi in ſe Incarnationem, Spiritus Sancti obumbrationē, doctrinæ Chriſti præſentiā.

Chriſtus cui optabat vbera B. Virg.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Cur Nomen Beatæ Mariæ oleo comparatur?

Ex nomine Mariæ ſalus refunditur hominibus.

Reſp. Rectè hoc nomen Maria oleo comparatur, quia ſuper omnia Sanctorum nomina poſt nomen Filij, reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, vngit agoniſtas, putrefacit iugum diaboli, ſuperenatat omni nomini, ſicut oleum omni liquori. Dedit enim tota Trinitas nomen quod eſt ſuper omne nomen poſt nomen Filij ſui, vt in Nomine eius omne genu flectatur ſicut manifeſte patet, cœleſtium terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur huius Sanctiſsimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem, non eſt enim in aliquo alio nomen poſt nomen Filij tam potens adiutorium, nec eſt aliquod nomen ſub cœlo datum

hominibus poſt dulce nomen Ieſu, ex quo tanta ſalus reſundatur hominibus. *B. Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. M. cap. 2. num. 2.*

Proprietates olei Nomini B. Virg. adaptatæ.

2. Reſp. Quia propter priuilegiata Spiritus Sancti dona, quæ reſultant in Virgine glorioſa, Nominis eius fama, & gloria per vniuerſum Orbem eſt dilatata. Cuius enim Nomen preconatur mundus, niſi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, niſi Virginis Matris? Cuius humilitas nobis proponitur in exemplum, niſi Virginis Mariæ? Cuius virginitas nobis datur in ſpeculum, niſi Genitricis incorruptæ? Et eleganter fama, & gloria Nominis eius oleo effuſo comparatur, oleum eſurientem reficit, ægrotantem ſanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic, & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduerſitatibus feſſi, eius patientia recreamur, vitæ eius forma illuſtramur. *Beatus Alanus de Rupe.*

Nominatio Nominis Mariæ accendit ad amorem.

Dub. 3. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Cur nomen Mariæ aſsimilatur oleo?

Reſp. Oleum eſt calidum ab effectu, quia deuota nominatio eius, mirabiliter accendit ad amorem prout norunt experti. Vnde dicit *Bernardus*, ad Mariam, O pia, O magna, O multum amabilis Maria; Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te, Tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis, & hæc eſt olei propietas, quod igni infuſſum ipſum feruentiorem reddit. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Inuocantes Nomen Virginis nō poſſunt à diabolo capi, nec diu teneri.

Dub. 4. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Cur Nomen Virginis oleo comparatur?

Reſp. Oleum enim oſſa, & neruos indurat, & medullas confirmat. Vnde, & antiqui luctatores ſuo toto corpore oleo perungebant, & pugiles vncti hoc oleo per dilectionem, & crebram huius Nominis recordationem, vel capi nequeunt, vel diu teneri non poſſunt à diabolo aduerſario. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Luctatores corpus oleo perungebāt.

Nomen Virginis inuocatū extinguit incendium peccati.

Dub. 5. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Quid Nomen Virginis cum oleo?

Reſp. Oleum extinguit ignem in lapide, & accendit in ligno, ſi enim aliquando lapideus, & durus fuiſti peccando, & ex toto corde conuerſus fueris ad Mariam incendium peccati extinguet in te, quia proprietas eſt extinguere ignem græcum, & lapidem ignitum, & conſuetudo Mariæ in ſuis amatoribus, extinguere feruorem peccati. Si lignum fueris, id eſt, tractabilis, & patiens, ſuccendet in te dulcedinem Dei, ſi nominis eius miſericordiam inuocaueris toto corde. *B. Albertus Magnus vbi ſupra.*

Nomen Virginis, prædicatione per totum mundū diffuſum.

Dub. 6. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 2. *Oleum effuſum nomen tuum.* Quare Nomen B. Virginis dicitur oleum effuſum?

Reſp. Dicitur ergo Mariæ nomen tuum, id eſt, fama Nominis tui, quod prius clauſum fuit, quandiu morata eſt in mundo ſicut oleum in vaſe, poſt Aſſumptionem tuam ad cœlum, effuſum eſt per omnia mundi climata, nam in prædicatione Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus eius, & manifeſtatum eſt toti mundo. *B. Albertus Magn. vbi ſupra.*

Quanto magis nomē Virginis dilatatur, tanto magis gloria eius augetur.

2. Reſp. Non ſolum oleo, ſed & oleo effuſo comparatur nomen eius. Quia ſicut oleum effuſum magis redolet, ſic quanto magis Nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur. Vnde ſequitur: *Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quia quanto magis forma eius declaratur tanto magis aliæ Virgines ad illius imitationem, & dilectionem inuitantur. Et eleganter reſpectu Virginis Matris aliquæ Virgines adoleſcentulæ dicuntur, quia hæc Mater, hæc filiæ, hæc Regina, hæc famulę, hęc matrona, hęę adoleſcentulę, hęc Magiſtra, hęę diſcipulę. *Beatus Alanus de Rupe.*

Cur aliæ Virgines reſpectu B. Mariæ, adoleſcentulæ dicuntur.

Dub. 7. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 3. *Trahe me.* Cur fidelis anima petit trahi à Beata Virgine?

Nullus venit ad Chriſtum niſi B. Virgo ſuis precibus trahat eum.

Reſp. Ideò trahi petit à Maria fidelis anima, quia ſicut dicit Filius de Patre, *Ioann. 6. Nemo venit ad Patrem niſi per me*, ſic quodammodo dicere videtur de Matre; Nemo poteſt venire ad me niſi Mater mea ſuis precibus traxerit eum. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Mariæ, cap. 2. num. 12.*

B. Virgo cupit optauit venire ad Filium poſt Aſcenſionem

2. Reſp. Notando quod Virgo glorioſa, ſicut deſiderauit Chriſti aduentum in carnem; ita omnibus modis optauit venire ad ipſum poſt Aſcenſionem; vt ſicut cum Fi-

Filio fuerat peregrinata in terris ita cum eodem regnaret in cœlis. Sicut enim dolor pertranſijt Mariæ animam in paſsione, cum Filius moreretur, ita in Aſcenſione cum à Filio ſeparatur. Et ideò optans Filij præſentiam, ait: *Trahe me poſt te.* Et bene ait: *Poſt te*, quia poſt Filium aſcendit Virgo, & Filij ſubſidio. Et interim ante quam trahar, vt trahar, vt trahi merear. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. Virgo Filij ſubſidio aſcendit in cœlum.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 4. *Recti diligunt te.* Cui dicuntur hæc verba?

Serui B. Virginis debent eſſe recti.

Reſp. Iſtud dicitur Matri, & Filio debent enim recti eſſe ſerui, & laudatores Mariæ, quia rectos decet collaudatio. Rectus eſt cuius intentio ad Deum propter Deum dirigitur, ſunt enim qui laudant Deum, vel Mariam cum benefecerit eis, vel vt benefaciat eis, quarum laus etſi tendat ad Deum, vel Mariam, tamen reciprocatur ad ipſos. *Beatus Albertus Magnus.*

2. Reſp. Illi recti dicuntur, qui directè peruiam Regiam incedunt, non declinantes ad dexteram illecti proſperitate, nec ad ſiniſtram fracti aduerſitate; qui non incuruantur ad mundana amore terreſtrium, ſed diriguntur ad cœleſtia amore cœleſtium, qui non diligunt Deum propter mundum, ſed propter ipſum Deum. Vel recti dicuntur, qui altero pede non claudicant, Ille altero pede claudicat, qui vtramque virginitatem non ſeruat corporis; ſcilicet, & mentis. Hic non ſequitur agnum quocumque ierit, nec Matrem agni. Illi vero qui vtroque pede recti incedunt verè vberum Virginis memores ſunt, & eam rectè diligunt. Illi etiam ſpecialiter recti ſunt, qui duo vbera Virginis diligendo, & imitando ſugunt, id eſt, humilitatem, & virginitatem, & ſic eorum vberum ſpecialiter memores ſunt. *Beatus Alanus de Rupe.*

Recti qui dicuntur.

Humilitas, & virginitas B. Virginis imitanda.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 5. *Nigra ſum, ſed formoſa?* Quo ſenſu nigra, & formoſa dicitur Beata Virgo Maria?

Deſpecta à non cognoſcentibus eam.

Reſp. Virgo erat nigra oculis ignaris eam non cognoſcentibus, ſed erat formoſa Angelis Dei: *Nolite me conſiderare*, ſupple deſpiciendo, *quia decoloravit me Sol*, quia ardor Diuini amoris ſic humiliari faciebat ſuper incendendo. *D. Vincentius Ferrer ſerm. in feſto Purificat.*

Humilitas Virginis, ex ardore Diuini amoris, quo accendebatur.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 6. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

In conceptione Chriſti gratia infuſa à Deo.

Reſp. Sol Iuſtitiæ, id eſt, Chriſtus decoravit Beatam Virginem in Conceptione infuſione gratiæ. Decoravit in paſsione doloris, recoloravit in Aſſumptione gloria immortalitatis. De coloratione dicitur: *Lucæ 1. Aue gratia plena*; De decoloratione dicitur: *Lucæ 2. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* De recoloratione dicitur: *Cant. 6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna. Hugo Cardinalis.*

In Aſſumptione gloria immortalitatis ornata.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 6. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quommodo Filij Matris eius pugnauerunt; ſcilicet, Iudęi, contra B. Virginem?

B. Virgo paſſa eſt in ſpiritu, quæ Chriſtus in corpore.

Reſp. Sacerdotes, Scribæ, & Phariſei filij ſinagogæ matris meæ, me acriter perſequuti ſunt, ſiquidem quidquid iniuriæ, detractionis, amaritudinis conuitij, ac tormenti Filio meo intulerunt, & mihi, quæ vnus ſpiritus eram cum eo: *Dioniſius Cartuſianus.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 8. *Paſce hædos tuos.* Qui hædi Beatæ Virginis?

Peccatores conuertit.

Reſp. Piæ Matris hædos vocat, non quod ipſa fecit, vel vult eſſe hędos, qui ſtatuantur ad ſiniſtram, ſed quos magis magiſque conuertit in oues ponendas ad dexteram. *Gullielmus Abbas.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 10. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Quare pulchritudo B. Virg. ſicut genæ turturis?

Gennæ turturis non habent pilos.

Reſp. Genæ turturis pilos non habent, ſed plumas, quæ nullum aquarum veſtigium retinent, & iuuant ad volatum, & in hoc notatur quod perfectè renuntiauit omnibus ſuper fluitatibus mundi, quæ per pilos. Munditia etiam cordis, & decor virtutum poſſunt in hoc notari, & per hæc tria volauit ſuper pennas ventorum; ſcilicet, in Aſſumptione ſuper omnes ordines Angelorum. *B. Albert. Magn. lib. 5. de laudib. B. M. cap. 2. num. 13.*

Perfectè renuntiauit omnibus ſuper fluitatibus mundi.

2. Reſp. Turturum fertur natura huiuſmodi eſſe; vt neque maſculus præter fœminam ad coitum, neque femella amplius, quam vnum patiatur marem, ita vt ſi accidat altero interempto, ſiue intercepto ſupereſſe alterum, pariter cum coniuge, extinctus ſit ei concubitus amor. Conuenienter ergo ſimilitudo turturis aptatur Virgini

Similitudo turturis B. Virgini aptata.

Turturis natura.

B. Virgo alterius, quã Chriſti coniugia neſciuit.

Mariæ, quod alterius viri, quam Chriſti coniugium neſciat, vel quod continentiæ, & pudicitiæ in ea tanquam turturum volitet multitudo. Gennæ autem vultus dicuntur in quibus honeſtas, & verecundia cognoſcitur. Eleganter autem genne eius turturibus comparantur, quia in huiuſmodi auibus, & honeſtas vultus, & ſimplicitas denotatur. *B. Alanus de Rupe.*

Cur gennæ Virginis turturibus comparantur.

Honeſtas, & ſimplicitas B. Virg.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum.* Cuius perſonæ ſunt hæc verba?

Humilitas B. Virginis Deum induxit.

Reſp. Verba ſunt Beatæ Mariæ de ſua humilitate, quæ effudit deuotionem ſuam vſque ad cœlos aſcendentem, & Dei Filium vſque ad terram inclinantem, qui in altis habitat, & humilia reſpicit. Dicit ergo: *Dum eſſet Rex*, id eſt, Chriſtus, qui regit omnia, *in accubitu ſuo*, id eſt, cum adhuc eſſet Filius in ſinu Patris nondum factus viſibilis, vel in accubitu ſuo, id eſt, in excelſo cœlorum habitaculo, nardus mea, id eſt, deuotio humilitatis meæ, dedit odorem ſuum, id eſt, placuit Altiſſimo, cuius ſuauitatis odor, non ſolum mundum circumquaque perfudit, ſed etiam totam ſupernam Ciuitatem aſperſit, vſque ad nares Domini perueniens, & vſque ad illum qui in ſinu Patris diu expectauerat, & deſiderauerat hunc odorem, quia in aliquo Angelorum talem non poterat inuenire, laudabilius enim eſt in carne fragili vitam Angelicam ducere, quam eſſe Angelum, ſicut dicit *D. Hieronymus*. Odor autem huius nardi fuit eius humilis virginitas, & virginalis humilitas, quo odore ſuauiſſimo Dei Filium, & illexit, & totum rapuit, qui illectus, & totus raptus de ſinu Patris ſalit in vterum Matris, & à ſummo cœlo egreſſio eius. *B. Albertus Magnus lib. 1. de laudibus B. M. cap. 5. num. 5.*

2. Reſp. Dum eſſet Rex Chriſtus videlicet me, & alios regens, in accubitu ſuo, id eſt, in me, in qua erat non ſolum in mente per gratiam, verum etiam in ventre per humanam naturam, nardus mea dedit odorem ſuum, id eſt, caro mea fragilis, per nardum arborem humilem ſignificata, ad ventu Spiritus Sancti mundata fomite peccati extincto, in ea dedit odorem ſuum, aliis propoſita eſt in exemplum, vt per carnis mortificationem purgarent propriam carnem. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. M. Virgo poſita in exemplum mortificationis carnis.

3. Reſp. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt, Dominus Ieſus in requiem aſſumptus, nardus mea dedit odorem ſuum, id eſt, fama mea, quæ prius erat humilis, & deiecta per totum Orbem eſt diffuſa. *Beatus Alanus de Rupe.*

Fama B. Virg. per totũ Orbem diffuſa.

Dub. 15. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 12. *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Quare Nardus ſignificat humilitatem B. Mariæ?

Humilitas Virginis magis ex calore charitatis, quam ex veritatis cognitione proceſsit.

Reſp. Nardus eſt herba humilis, & calida, & valde propriè Mariæ ſignat humilitatem, vnde ſignanter dicit: *Nardus mea*, quia eius humilitas magis ex calore charitatis quam ex veritatis cognitione proceſsit, eſt enim humilitas quam veritas parit, quæ conſiſtit in cognitione, & hæc eſt in intellectu, ſi enim te ad lumen veritatis, ſine diſſimulatione inſpicias, eris profecto vilis in oculis tuis, quamuis id nondum patiaris in oculis aliorum; Humiliaueris ergo ex veritate, & non ex charitate; eſt & alia humilitas, quam charitas format, & informat, & hæc eſt in affectu, quam ſi habueris volens quantum in te eſt eam de te omnes tenere ſententiam, quam apud te veritatem habere cognoſcis. *B. Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 1. num. 11.*

Humilitas, alia eſt quàm veritas parit, alia quàm charitas formatꝫ

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* An Dominus Ieſus dicatur faſciculus myrrhæ inter vbera Matris?

B. Virgo magnam paſſionem pertulit præ oculis habens tormenta Filij.

Reſp. Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam in qua vidi talem dilectum ab improbis comprehenſum male tractari; ſcilicet, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, cum igitur carne mea taliter progenitum talem Filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem ſemper præ oculis haberem, qualem quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſsionem. Hoc eſt, quod dico: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Rupertus.*

Dub. 17. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Cur faſciculus inter vbera?

Memoria Paſsionis Filij vulnerabat cur virgo.

Reſp. Quaſi diceret: *Dilectus meus mihi* ſingulariter, & ſpecialiter. Ipſe eſt faſciculus myrrhæ, id eſt, multarum amaritudinum congregatio colligata vinculo tenacis

mer-

memoriæ, & iſtè faſciculus commorabitur inter vbera mea, id eſt, in corde meo, quod eſt inter vbera concluſum; quia non poſſum ei non compati, non poſſum ei non commori, quem genui, quem lactaui, qui pro me tot amaritudines tolerauit; & hoc quaſi perſuaſiſſe videtur ei Filius, *Trenor.* 3. dicens: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis. B. Albertus Magnus lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ, cap.* 17. *num.* 6.

Chriſtus ſimilem ſibi ſociat.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 15. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Cur pulchram eam appellat?

Reſp. O qualis ſocietas? Totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat. Ego totus pulcher, & Tu tota pulchra, Ego per naturam, & Tu per gratiam, Ego totus pulcher, quia totum, quod pulchrum eſt in me eſt; Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe eſt, in te eſt, pulchra in corpore, pulchra in mente, in corpore pulchram te fecit integritas virginitatis, in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Nec alia talem decebat, nec alius tali inueniri poterat. O Digna digni, Formoſa pulchri, Munda incorrupti, Excelſa Altiſſimi, Mater Dei Sponſa Regis æterni. *Hugo Victorinus ſerm. de Aſſumptione.*

Pulchritudo virginitatis cum pulchritudine humilitatis.

Dub. 19. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 15. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Cur bis dicit *ecce*?

Nihil eſt in virgine quod non ſit admiratione dignum.

Reſp. Bis dicit *ecce*, vnam demonſtrationem faciens ad oculum, aliam ad intellectum. Bis dicit pulchra, ad inuendũ quod in ea eſt quod miretur oculus carnis à foris, & quod diligat ab intus oculus mentis. Vel in hoc etiam commendat eam à duplici dilectione, ſcilicet, Dei, & proximi, charitas enim pulchritudo eſt animæ, *Sapient.* 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Vel in hoc commendat eam à pulchritudine intellectus quæ eſt veritas, & affectus, quæ eſt bonitas. Vel commendat eam ab innocentia quoad ſe, & beneficentia quoad proximum, vel à dilectione totius boni, & odio totius mali. *Beatus Albertus Magnus lib.* 5. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 2. *numer.* 8.

Dilectio Dei, & proximi B. Virginis.

Pulchritudo mentis & voluntatis B. Virginis.

Habuit dilectionem totius boni, & odium totius mali.

Dub. 20. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 16. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cur ſi pulcher eſt Sponſus, decorus dicitur?

Chriſtus in gremio Matris decorus.

Reſp. Pulcher eſt in ſolio Patris, decorus in Matris gremio. Pulcher omnia creando, Decorus perdita redimendo. Pulcher iuſtis gloriam conferendo, Decorus pœnitentibus veniam, & indulgentiam tribuendo. Vel pulcher, & decorus dicitur Sponſus, quia pulchram, & decoram fecit Sponſam. Pulchram fecit in creatione, decoram in recreatione, tunc enim ſuper candorem naturæ ruborem gratiæ ſuperfudit, vt ſicut ipſe candidus, & rubicundus eſt, ſic & ipſa. *Hugo Cardinalis.*

Deus in eius conceptione ſuper candorem naturæ gratiam ſuper fudit.

Dub. 21. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 15. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Cur de Sponſæ pulchritudine mentionem facit?

Pulcherrima inter homines, & fœminas.

Reſp. De pulchritudine Virginis noſtræ ſciendum, quod ſicut Filius eſt ſpecioſiſſimus forma præ filijs hominum, *Pſalm.* 44. ita ipſa pulcherrima inter filias, & filios hominum. Habuit enim pulchritudinem, quæ potuit eſſe in mortali corpore. Quod autem Euangelium nihil ſcribit de pulchritudine eius, vna poteſt eſſe cauſa, quod cum Domina noſtra nobis poſita ſit in exemplum, & in ſpeculum ſaluos faciendi, non vult eam à talibus laudari, quorum inordinatus appetitus, vel vſus, fuit multis, & eſt hodie cauſa pereundi. Alia cauſa eſt: ſicut Angeli ſupremi à donis nobilioribus laudantur, & denominantur, & non ab inferioribus quæ tamen in ipſis eſſe non dubitantur: ita & Beatiſsima Virgo donis ſpiritualibus pleniſsima, donis gratuitis nobiliſsima, ita occupat animos laudantium, quod bonorum corporalium obliuiſcuntur. Tamen pro ineſſalibili regula debemus habere, quĩ eam diligimus, quod quidquid vnquam bonitatis in aliquo Sanctorum fuit, vel pulchritudinis, in ipſa hoc per excellentiam excreuerit, & per ipſam in eos. *Beatus Albereus Magnus in Biblia Mariana.*

Cur in Euangelio non laudatur de pulchritudine corporali.

B. Virgo potius vult laudari à bonis ſpiritualibus quam à corporalibus.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *Lectulus noſter.* Cur lectulum communem Filio, & Matri, dicit?

Commortua Chriſto per maternum affectum.

Reſp. Lectulus ille tuus in quo caro Tua per triduum requieſcit, nonne & Meus? Nempè per maternum ero tibi commortua affectum. *Guillel. Abbas.*

In vtero Virginis dignatus eſt Deus humanæ naturæ copulari.

Dub. 23. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 16. *Lectulus noſter floridus.* Cur non dicit lectus, ſed lectulus?

Propter humilitatem gratioſior, & acceptior Deo.

Reſp. Lectulus eſt vterus Beatæ Virginis, in quo Sponſus Beatiſsimam copulam celebrauit, qũa humanæ naturæ dignatus eſt copulari. Lectulus autem dicitur, & non lectus propter humilitatem, & quanto lectulus fuit humilior,

tanto amplexus iucundior, & ſocietas inſeparabilior, & ipſa vnio vnitior, vt ita dicam, fuit. *Hugo Cardinalis.*

Virginis charitas, ſimul cum humilitate, & caſtitate.

Dub. 24. Ad eadem verba, cap. 1. ver. 16. *Lectulus noſter floridus.* Quare lectulus floridus?

Reſp. Floridus lectulus iſte omnium florum varietate, ibi roſa excellentiſsimæ charitatis, ibi lilium ſingulariſsimæ caſtitatis, ibi viola omnimodæ humilitatis; & quid dicam? Ortus eſt ipſe qui dicit, ego flos campi, & lilium conuallium. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 17. *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſsina.* Quid ſignificant tigna cedrina huius domus, laquearíaque cypreſsina?

B. Virgo nulla vetuſtate peccati fuit corrupta.

Reſp. Hæc tigna ſunt membra corporalia Beatæ Virginis, ex quibus connexa eſt domus ſapientiæ, quæ velut cedrus fuerunt peccatis incombuſtibilia. Laquearia ſunt thalami ornamenta, & deſignant interiora bona ſpiritualia quæ admodum cypreſsi nulla vetuſtate peccati comam virtutum diſpoſuerant, tigna enim ſunt ad fortitudinem domus, laquearía ad decorem. Tigna ergo domorum pluraliter; ſcilicet, corporis Chriſti, & corporis Beatæ Virginis cedrina, quia corpora eorum, vel corporum membra non verminſcebant, vel aliquo peccato, vel aliquo motu prauo, laquearia cypreſsina, quia etſi dilatabantur, & groſſeſcebant inferius ad exemplum aliorum, tendebant tamen in acutum, vt cypreſſus, hoc eſt, ad illud vnum quod eſt neceſſarium. *Lucæ 10. B. Albertus Magnus libr. 10. de laudibus B. Mariæ, cap. 30. num. 4.*

Nec corpus Chriſti, nec corpus B. Virginis vermeſcebant.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 1. *Ego flos campi.* Cur Chriſtus florem campi ſe appellat?

Chriſtus natus de virgine, alij vero de muliere corrupta.

Reſp. Ego ſum flos campi, id eſt, Virgo de virgine natus, Alij virgines ſunt flores horti, id eſt, de corrupta muliere nati. *Hugo Cardin.*

Non ex virili ſemine ſed myſtico ſpiramine Deũ nobis protulit.

2. Reſp. Ex eo Chriſtus Dominus in ſacro eloquio flos campi appellatur ipſo dicente: *Ego flos campi, & lilium conuallium*, vt deſignaretur, Mariæ virginitas, quæ non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Deum nobis protulit, & hominem ſicut campus, qui ſine humano floret adminiculo. *Didacus Aluarez, Epiſcopus Tranenſis in cap. 7. Iſai. num. 24.*

Præ cæteris virtutibus, humilitas Virginis placuit Deo.

Dub. 27. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 1. *Et lilium conuallium.* Quare Chriſtus ſe nominat lilium conuallium?

Reſp. Quaſi dicat: Mihi iuſtitia placet, placet charitas, ſed ſpecialiter placet humilitas. Vnde non charitatem Mariæ dicitur reſpexiſſe, ſed humilitatem. Et humilitatis Magiſter ſpecialiter fuit Dominus. *Matth. 11. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Hugo Cardinalis.*

Puritas Mariæ enituit ad imitationem puritatis Chriſti.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias.* Cur Chriſtus Virginem appellat lilium? Cur non potius roſam, vel cinnamonum?

Reſp. Chriſtus immmediatè antea ſe dixerat lilium ob candorem puritatis, ac odorem virtutum, *Ego flos campi, & lilium conuallium. Cant. 2. verſ. 1.* ideò ergo & virginem lilium vocat, quia ad imitationem puritatis Chriſti enituit puritas Mariæ. *Pater Silueira tom. 1. lib. 2. cap. 5. quæſt. 4. num. 19.*

Dub. 29. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* An B. Virgo lilio aſsimiletur?

Laboribus preſſa in Filij paſsione ſemper eandem retinuit mentis innocentiam.

Reſp. Sicut lilium candorem ſuum retinet inter ſpinas, & quanto magis ab illis pungitur maiorem mittit odoris fragrantiam: ſic Maria dum à nequam Iudæis in Filio pungeretur, ſemper retinuit mentis innocentiam, non reddens malum pro malo, nec pro maledicto reddens maledictum.

Secundo Reſp. Sicut lilium totum quod habet odoris, & decoris fructus, & amœnitatis tranſmittit ad ſummum, & collocat in capite ſuo: ſic Maria Deo Trinitati quidquid boni habet attribuit dicens: *Fecit mihi magna qui potens eſt*, quaſi diceret cum Apoſtolo illud 1. *Corint. 15. Gratia Dei ſum ad quod ſum*, & hoc facit exemplo Filij ſui, Patri à quo habet originem totum attribuentis, vnde dicit *Ioann. 17.* Pater omnia mea tua ſunt.

B. Virgo bona ſua Deo tribuebat.

Virgo Maria concupiſcentias extinguit.

3. Reſp. Quia ſicut lilium dolores mitigat, & ardores extinguit, ſic Maria præcibus ſuis, & exemplis in nobis peccatoribus, & in ſeruis ſuis, quam maximè noxias refrenat, & extinguit concupiſcentias, & mitigat dolores animæ, conſolationem gratiæ transfundendo in eam, vt ei veriſimè poſsit dici: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ.* O Maria lætificauerunt animam meam. *B. Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, num. 29.*

Pœnitenti conſolationẽ gratiæ tranſfundit.

Dub. 30. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica*

mea

inter filias. Cur non dicit lilium infra ſpinas, vel ſupra ſpinas, ſed inter ſpinas?

Virginitas ſubiecta criminibus.

Reſp. Eſt autem lilium infra ſpinas, lilium intra ſpinas, lilium ſupra ſpinas. Lilium infra ſpinas eſt virginitas ſubiecta criminibus, eſt enim crimen ſpina ſicut ſpina peſsima. Lilium inter ſpinas,

Virginitas impugnata tentationibus.

eſt virginitas impugnata tentationibus. Tentatio enim ſpina eſt valde pungens lilium, ſupra ſpinas lilium eſt virginitas

Virginitas ſuperans tentationes.

ſuperans tentationis impugnationem. De primis dicitur. *Deuter.* 32. *Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul, ac virginem lactentem cum homine ſene.* De ſecundis vero dicitur: *Thren.* 1. *Sacerdotes eius gementes, Virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.* De tertijs dicitur: *Apocal.* 14. *Hij ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocumque ierit.* Primum lilium repreſentant fatuæ virgines, quæ fulgentes lampades virginitatis habuerunt, ſed charitatis oleum intus non receperunt. Secundum repreſentant virgines ſapientes, quæ cum lampade virginitatis, oleo charitatis accepto fatigatæ tentationibus dormitauerunt. *Matthei* 25. Tertium lilium repreſentant eędem virgines, quando omni dormitione ſuperata intrauerunt cum Sponſo ad nuptias. Primum lilium fuit puellæ ſaltantis, id eſt, Herodiadis.

B. Virgo nullum ſenſum motum libidinis.

Matth. 14. Secundum Beatæ Agnetis, quæ paſsionem ſuſtinuit ne ſeruiret copulæ coniugali. Tertium fuit Beatæ Virginis, quia nullum ſenſit vnquam aculeum libidinis. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Quare iſte fructus dulcis dicitur eſſe gutturi Sponſæ?

Reſp. Quid mirum ſi fructus iſte, tam dulcis eſt, qui tam altus eſt. Dicit enim *B. Bernard.* Fructus quanto altior, tanto dulcior, ergo Tu ſolus dulciſsimus, quia

B. Virgo magna in oculis Dei, parua in oculis ſuis.

Tu ſolus Altiſsimus, quommodo autem poteſt Altiſsimus eſſe ille fructus cuius breuiſsima eſt arbor? Sed certè arbor huius fructus Maria, & Altiſsima ſimul eſt, & breuiſsima, Altiſsima dignitate, Breuiſsima humilitate, Altiſsima in oculis Domini, Breuiſsima in oculis ſuis. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. cap.* 14.

Charitas ordinata in B. Virgine ad Deũ ad ſe ipſam, ad proximũ.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 4. *Ordinauit in me charitatem.* Quommodo charitas B. Virginis dicitur ordinata?

Reſp. Habuit enim ordinatam charitatem ad id quod eſt ſupra ſe; ſcilicet, Deum; ſcilicet, ad corpus proprium, ipſum rationi ſubijciendo, ad id quod eſt intra ſe; ſcilicet, ei perfectè obediendo, ad id quod eſt infra ſe; ſcilicet, animam, ipſam cuſtodiendo, ad id quod eſt iuxta ſe; ſcilicet, proximum, ei ſubueniendo. *Iacobus de Voragine, Epiſcopus Ianuenſis ſerm. 4. in Natiuit. B. Mariæ.*

2. Reſp. In quo fuit charitas ordinata niſi in Virgine Maria, quæ dilexit Chriſtum ex toto corde, quia ſine intellectus errore, ex tota mente, id eſt, memoria ſine obliuione, ex tota anima, id eſt, voluntate ſine corpore, & poſt Deum ſe. *B. Alanus de Rupe.*

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Quare Sponſa dixit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis?*

Chriſtus in ſua paſsione, B. Virginem confortauit ſpeciali robore, ne præ dolore vitam afflaret.

Reſp. Cum Virgo Mater aſpiceret Filium ſuum mortuum, tam vehementi vulnere erat ſauciata, vt niſi à Filio ſuo Ieſu, qui eſt flos campi, & malus inter ligna ſiluarum, *Cant.* 1. *num.* 3. fulciretur, ac confortaretur ſuo diuino, ac ſpeciali robore, omnino dolorum vehementia vitam afflaret, & ad hanc doloris magnitudinem declarandam ſemel, & iterum imploratur auxilium. Primo: *Fulcite me floribus.* Secundo: *Stipate me malis. Pater Silueira tom.* 5. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæſt.* 1. *num.* 1.

B. Virgo inuitabat alias ad virginitatem & fortitudinem.

2. Reſp. Quia Virgo tempore Veteris Teſtamenti ſpecialiter ſe voto virginitatis aſtrinxit, & contra omnes ille cebras fortis fuit, inuitans alias ad florem virginitatis, ad robur fortitudinis, volens habere ſodales in virginitate, in fortitudine comites, ait: *Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore langueo.* Habeam in veſtris virginitatibus meæ virginitatis ſolatium in veſtris patientijs meæ fortitudinis exemplum, quia hoc amore langueo. *B. Alanus de Rupe.*

3. Reſp. Alma Virgo, quæ nuper dixerat: *Introduxit me Rex in cœllam Vinariam, & ordinauit in me charitatem,* hoc eſt, in arcana ſecretorum tuorum, & contemplationis ſecretum, duxit me, vexillum amoris ſui ſuper me affigens, ius erat vt amore cœleſti vulnerata languorem pateretur. Hac mirabili virtute, Virgo ſancta ſe fatetur vulneratam, & pro medicamento huius medicabilis vulneris, duo expoſtulat, flores videlicet, & mala: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ad ſuas aſſeclas loquitur, proinde dicat:

Au-

B. Virgo languebat amore hominum in Christo, & Christi in hominibus.

Audistis orantem in cellaria introduciam, & ordinem charitatis accepisse, quid moramini? Fulcite me floribus, & in lege Domini die, ac nocte meditantes imitamini Sponsam adolescentulæ. Rursus malis stipate me, sine intermissione mandata Sponsi mei operantes. Amore vtique langueo. Quo amore? Plane vestri in Sponso ipso, & ipsius in vobis. *Alphonsus ab Orozco annotat. 8. de eximia Virginis charitate in Christum.*

Christus festinus ad benefaciendum.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 2. vers. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Quo sensu de Filio suo potuit dicere Beata Virgo quod venit saliens in montibus, transiliens colles?

Resp. Cum audito conceptu Elizabeth instigata à Spiritu Sancto pergeret ad visitandum Elizabeth per montana Iudeæ transiens conferens in corde suo, quod ait Salomon in Canticis, *cap. 2. Ecce dilectus meus venit saliens in montibus*, poterat dicere in corde suo. Modo impletum est illud, nam dilectus Filius meus, quem iam concepi, venit in me saliens, in montibus quos ascendo, & collibus excedens omnem; scilicet, perfectionem montium sublimium Angelorum, ac etiam collium Sanctorum virorum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 36. §. 2.*

Christus excelsi: perfectionem omnium Angelorum, & Sanctorum.

2. Resp. Nonne vox Domini erat vox Gabrielis faustissimum Nuntium enarrans Virgini Sacræ? Pulsabat vox illa dilecti, ore Angelico pronuntiata, vt alma Virgo præstaret assensum, & diceret: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tunc venit Filius saliens in montibus, & transiliens colles. Montes Patriarchæ, & Prophetæ, colles autem sunt alij Sancti, quos omnes transiliuit, & agili cursu Choros Angelorum pertransiens, aluum Mariæ intrauit, trabeam mortalitatis nostræque assumpsit. Sub hęc vox dilecti Christi Iesu per intimam inspirationem insonuit, & ob id surgens abijt in montana cum festinatione. Alioqui Virgo sancta, & tenera lares proprios non dimitteret, & in montana Iudeę pergeret. En dilectus saliebat in montibus, & transilibat colles, in vtero Matris Benedictę, ceu in vehiculo iter agens. Denique non absre asserere poterimus montes, tum Angelos, tum viros probos fore, in quibus gaudet, & vltro salit dilectus Sponsus: colles vero transilit, desertos eos relinquens, sic alto Dei consilio gestum est, Pastoribus Saluator, non Pharisæis innotesceret. Magi eum adorant, & mystica dona ei offerunt, versutus Herodes, quærit Dominum, nec inuenit delusus manens, atque confusus. *Alphonsus ab Orozco, Ordin. S. P. N. Augustini annotat. 9. profesto Visitationis B. Mariæ.*

uinũ pertransiens Patriarchas, & Prophetas aluum B. Mariæ intrauit.

B. Virgo vehiculum Christi.

Deus in probos viros, & humiles vltro salit, superbos pertransit, peccatores relinquit.

Dub. 35. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Vnde venit, & quomodo?

Incarnatio Christi dicitur saltus.

Resp. De cœlo in mundum, de sinu Patris in vterum Virginis, vnde *Ioann. 16. Exiui à Patre, & veni in mundum.* Et propter quid? Quem quærere? Quem perierat, drachmam requirere, quam perdideram. *Lucæ 15.* Et quomodo venit exultanter, festinanter, quia saliens in montibus, id est, de monte saliens in montem, & pertransiens colles desiderio veniendi ad me, de sinu Patris venit in montem Seraphim, de monte Seraphim salijt in montem Cherubim, & de illo in montem Thronorum, deinde salijt in montem dominationum, & de illo in montem Principatuum, deinde in montem Potestatuum, de illo in montem Virtutum, deinde in montem Archangelorum, & tunc transilijt colles, id est, montes Angelorum, & salijt in montem, id est, in ventrem Beatæ Virginis. *Hugo Cardinalis.*

Christus festinanter transilijt ordines Angelorum, & descendit in vterũ Virginis.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Similis est dilectus meus capreæ.* Cur Christus capreæ comparatur?

Christus capreæ comparatus.

Resp. Similis est dilectus meus Filius summe à me amatus, capreæ quæ facit magnos saltus, quia descendit de cœlo in vterum, postea in præsepium, exinde in Crucem ascendit, post in Limbum descendit, & super terram Resurgens ascendit, & postea in cœlum. *D. Antoninus 4. part tit. 15. cap. 36. §. 2.*

Ascensio in cœlum dicitur saltus.

2. Resp. Similis capreæ dicitur secundum Diuinitatem. Asserunt namque hij, quibus peritia medicinæ est, inesse huic animali inter viscera humorem quendam, qui caliginem depellit oculorum, & obtusiones quoque visus exacuit. Merito quoque capreæ comparatur, quia non solum ipse videt Patrem, sed videri ab his facit, quorum visus ipse creauit. Hinnulo ceruorum comparatur, quia secundum carnem Filius est antiquorum Patrum, qui ceruorum nomine designantur. Et verè similis est hinnulo ceruorum, quia ipse assumpsit carnem humanam, vnde sequitur: *En ipse stat post parietem nostrum.* Paries noster

Inter viscera capreæ humor inest, qui caliginẽ depellit oculorum.

Christus cui capreæ comparatur, & hinnulo ceruorum.

Christus secũdum carnem filius est antiquorum Patrum.

fier dicitur caro nostra, quæ inter nos, & Deum est posita, quæ impedit ne Deum possimus perspicaciter comprehendere. *B. Alanus de Rupe.*

Virgo Maria omnibus Euæ opposita.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 2. vers. 10. *Surge propera amica mea.* Cur Beata Virgo dicitur amica?

Resp. In omnibus Euæ opposita est, Eua mihi inimica, viro suo vipera, sibimet confusa, & ignominiosa. Tu verò mihi amica, per humilitatem; columba mea, per charitatem, formosa mea, per castitatem. Veni ergo Maria veni, nam Eua ad latebras fugit, nam credidit serpenti susurranti: at Tu Maria, quæ credidisti Angelo annuntianti, veni & contere caput serpentis, iam enim hyems transiit, id est, peccatorum tempestas. *Rupertus.*

Quæ credidit Angelo nuntianti, meruit conterere caput diaboli.

2. Resp. Nota quoniam Mater Christi super omnia Filium suum diligebat, cum emphaticè dilectum suum vocat dicens: Dilectus meus loquitur mihi, post Resurrectionem in hunc modum mihi solatium præstans: *Surge propera amica mea*, per fidem, *columba mea*, per simplicitatem, *formosa mea*, per virtutum decorem, surge à dolore, & veni ad me habitura consolationem. *B. Alanus de Rupe.*

Christus Matrē suam vocabat ad cōsolationem in die Resurrectionis.

3. Resp. Ventum est ad diem mortis, vt iam regnaret in cœlis Virgo Deipara: cui Saluator ait: *Surge propera amica mea.* Ac si dicat: Tempus adest Mater Sancta, vt è terris ascendas in cœlum, noli timere mortem, quia amica mea es: Nam quæ Mater est Authoris vitæ, nullatenus mortem timeat, oportet ò amica mea ob gratiarum plenam, absolutamque exuberantiam, & bonorum omnium communicationem, surge, propera. *Alphonsus ab Orozco.*

A Filio vocata ad cœlum.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 2. vers. 14. *Ostende mihi faciem tuam.* Cur Sponsus desiderat Sponsam videre?

Resp. Sicut Mater desiderabat Filium videre, ita Filius Matrem aspicere, nec solum intueri, sed etiam colloqui, vnde sequitur: *Sonet Vox tua in auribus meis*, & ideò desidero vocem. *B. Alanus de Rupe.*

Christus in die Resurrectionis desiderabat Matrem intueri, & colloqui.

Dub. 39. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 14. *Ostende mihi faciem tuam.* Cur Sponsus desiderat quod Sponsa ostendat ei faciem suam?

B. Maria speculum totius pulchritudinis post Deū.

Resp. Ipsa est speculum totius pulchritudinis post Deum. *Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam*; scilicet, faciem humilitatis, quam ostendisti in incarnatione, dicens: *Ecce Ancilla Domini*, *Lucæ* 1. faciem palloris quam ostendisti in mea passione, faciem summi decoris, quam ostendisti in tua Assumptione. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 2. vers. 14. *Sonet Vox tua in auribus meis.* Cur Sponsus desiderat audire vocem Sponsæ?

Christus in die Resurrectionis gaudisus est auditu congratulationis, & visu Matris.

Resp. Solet humilium, & maximè virginum vox esse benigna, & dulcis: cuius vox maiorem dulcedinem habet, & quantum ad exteriorem sonum, & quantum ad interiorem intellectum, quam illius quæ fuit inter omnes humillima, & specialius sigillo virginitatis signata, quasi diceret: Audiui tempore meæ passionis, vocem tuæ conquæstionis, volo audire in Resurrectione vocem tuę congratulationis, nec tantum gaudeo auditu, sed etiam visu, quia & facies tua decora. *B. Alanus de Rupe.*

Dub. 41. Ad eadem verba, cap. 2. ver. 14. *Sonet Vox tua in auribus meis.* Quam vocem desiderat Sponsus audire?

Maximè delectatur filius cum B. Virgo erat pro nobis.

Resp. Vox pietatis quando dixisti; *Ioann. 2. Vinum non habent.* Vox fidelitatis, quando consuluisti ibidem: *Quæcumque dixerit vobis facite.* Vox doloris quando dixisti: *Lucæ 2. Fili quid feci sti nobis sic.* Vox inuitationis ad famelicos peccatores inuitandum. *Prouerb. 9. Venite comedite panem meum. Eccles. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Hę voces dulciter sonant in auribus meis, & sermo tuus decorus. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

An B. Virgo musicæ notitiam habuerit.

2. Resp. Quantum ad musicam in lege veteri, & noua erant, & sunt cantores ordinati ad cultum Dei, & diuersa instrumenta ad pulsandum, & melodiam excitandam. Sed hoc pertinet ad musicam, ergo & illius notitiam habuit, cum excitetur affectus ad Deum per ista, vt patet in Eliseo, qui faciens psalterium adducere, & pulsare excitata est mens eius ad prophetiam. Præterea auditus Filij Dei nobilissimus fuit, & sic ei conueniebat delectabilissima vox ad audiendum. Hęc autem vox Matris suæ delectabilissima ad audiendum, quia summe harmonica, quod pertinet ad musicam. Vnde in *Cant. 2.* ipse dicit: *Sonet Vox tua in auribus meis, Vox enim tua dulcis. D. Antoninus, Archiepiscop. Florentinus, Ordin. Prædicator. in opuscul. de B. Virg. cap. 19. Quod B. M. habuit omnes gratias gratis datas, §. 2.*

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 2. vers. 17.

Re-

B. Virgo Resurrectionē Christi vehementer desiderabat.

Reuertere similis esto capreæ hinnuloque ceruorum. Cur Beata Virgo petit Filium suum assimilari capreę, & hinnulo?

Resp. O dilectè mi qui ad nos venisti per carnem, reuertere per Resurrectionem, & sic similis esto capreę quantum ad agilitatem, & subtilitatem, quam humana natura Christi assumpsit in Resurrectione, hinnuloque ceruorum quantum ad humanę naturę innouationem, quasi diceret: Depone vetustatem pœnę, & assume nouitatem immortalitatis, & glorię. *B. Alanus de Rupe.*

Christus in sua Resurrectione deposuit vetustatē pœnæ, & assumpsit nouitatē immortalitatis.

B. Virgo sepultum filiū vehementissimo dolore quærebat.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 3. vers. 1. *Quæsiui illum, & non inueni.* Quo sensu hęc de Beata Virgine exponuntur?

Resp. Quęsiui illum nunquid hoc mihi fuit inuenisse Dilectum? Immo fuit mihi inuenisse gladium, qui pertransiuit animam meam. Sepultus est, clausum, & signatum fuit monumentum, & ego quali mente quęrebam eum. Quali desiderio desiderabam eum? *Rupertus.*

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 3. vers. 2. *Surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea?* Per quos vicos, & plateas B. Virg. Maria quęsiuit filium?

B. Virgo loca sancta in quibus passus fuerat filius deuote percurrebat.

Resp. Nec factum est satis ardenti illi glorioſę Virginis desiderio, vt in lectulo domo; scilicet, illa dilectum quęreret in qua filium mansisse, & qua Sanctis consecrasse mysteriis cognouerat; sed etiam surgens abijt, vt per vicos, & plateas Ciuitatis quęreret, dum etiam loca sancta, in quibus passus fuerat deuota veneratione percurrebat. Aiunt enim ipsam Virginem Glorioſam, post Filij passionem sedula deuotione loca passionis suę perlustrasse, vt donec assumeretur ad requiem in his qualemcunque reciperet consolationem. *B. Alanus de Rupe.*

2. Resp. Deipara Virgo reuersa post festiuitatem, vnius diei iter agens, puerum benedictum Iesum non adesse agnouit. Quem minimè cœlos ascendisse cogitauit, vt quidam autumant. Ratio quia ipsa Spiritu Sancto edocta prophetarum oracula optimè norat, & quę ille passurus erat pro salute mundi, eam non latebat. Dolore autem nimio affecta, abunde flebat corporalem dilecti sui abscessum. Verum noctes illas duxisse insomnes non dubito. In lectulo habere desiderabat Filium suum vnice dilectum, per præsentiam, & consolationem. Quæsiuit cum solerticura, tamen non inuenit. Vbi notandum quod geminatum quærendi studium, iteratos conflictationum turbines insinuat: *Surgam, & circuibo Ciuitatem per vicos, & plateas.* Profecto ad litteram hoc factum est, nam Luca Euangelista testante Virgo Sanctissima, & B. Ioseph inter cognatos, & notos puerum Benedictum quærebant, nec inuenerunt, donec reuersi sunt in Ierusalem, in qua hac, & illac Iesum solerter quærebant. Per vicos, & plateas Deipara Iesum quærebat, spiritus cœlestes minores, & maiores inuocans. Mente siquidem lustrabat ciues illos ministerio deputatos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. O miranda res! Iesus qui tam tenere Sanctam Matrem adamabat, & Ioseph diligebat, probare sic voluit eos hoc igne tribulationis, & incalamitate tam dura exercere. *Alphonsus ab Orozco annotat. 10. in Cant. cap. 3.*

Tribulationibus probat Deus dilectos.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 3. vers. 6. *Quæ est ista.* Cur Angeli quærunt quæ est ista?

Angeli desiderant audire dulce nomen Mariæ.

Resp. Ter ad minus in canticis in persona Angelorum quæritur: *Quæ est ista*, non tantum quia personæ mirentur excellentiam, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem, sed forsitam, quia dulce nomen sibi desiderant responderi. Sicut enim antiquis Patribus Isaiæ, & cæteris nomen Domini in desiderio erat, vt; scilicet, inter homines nominaretur Christus, qui notus erat in cœlo, & nomen quod claudebatur in cœlo, effunderetur in terra: sic Angeli nomen Mariæ desiderabant nominare, & in notitiam effundi, vt non intra terræ terminos claderetur, sed etiam celebre haberetur in cœlis. *B. Albertus Magnus lib. 1. de laudibus B. M. cap. 2. num. 4.*

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 3. vers. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit?* Cur Beatæ Virgini verbum ascendendi attribuitur?

Eua descendit per culpā, B. Virgo ascēdit per gratiam.

Resp. Notandum quod Eua descendit, sed Maria ascendit, vnde & competenter verbum attribuitur ascendendi, Eua enim descendit tripliciter. Primo, per culpam inobedientiæ, magis obediens serpenti, quam Deo. Secundo, per maledictionem. Vnde dictum est ei: *Multiplicabo ærumnas tuas, & in dolore paries filios.* Tertio, per subiectionem. Maria autem ascendit contra culpam per gratiam, contra maledictionem, per fructus benedictionem, contra seruitutem per integerrimam libertatem, effecta est enim Regina Angelorum. *Beatus*

Dolor B. Virg. amisso Filio.

Passio Christi non latebat B. Virginem.

rus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 3. num. 2.

B. Virgo ascendit de humilitate Ancillæ, ad dignitatem Reginæ, & Genitricis.

Dub. 47. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 6. *Quæ ascendit.* Quommodo ascendit B. Virgo?

Resp. Ascendit de gratia virginitatis ad gloriam Genitricis, nec cuiuslibet, sed Dei, item quæ ascendit de humilitate Ancillæ ad dignitatem Reginæ, vel quæ ascendit de sterilitate virginitatis ad fœcunditatem Genitricis, Virgo purissima perseuerans. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Dub. 48. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 6. *Quæ est ista quæ ascendit.* Cur admirantur in ascensu Virginis?

Concupiscentiam non sensit.

Resp. Admirando fit hæc quæstio, non dubitando, & admirantur quatuor in Virgine, qui hoc quærunt. Primum, est puritas innocentiæ, quam tantum habuit, quod nec concupiscentiam sensit, quod est supra consuetudinem. Secundum, superabundans gratia, quam tantam habuerit, vt sibi, & toti mundo sufficeret copiosè. Vnde dicta est: *Gratia plena*, & hoc supra meritum. Tertium, fructus ventris sui, quia natura mirante suum genuit genitorem, Deũ; scilicet, quod fuit supra naturam. Quartum, gloria ascendentis, quod fuit supra omnem rationem. Quis enim capere possit delicias ascendentis. Vnde *Cant.* 8. dicitur: *Delicijs affluens*, aut delicias ad quas ascendit, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Habuit plenitudinem gratiæ supra meritum.

Concepit supra naturam.

Nullus capere potest delicias quas habuit in Assumptione.

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 3. vers. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum.* Cur Angeli admirantur de ascensu per desertum?

Tam arduam virtutis viam arripuit, vt à nemine mortalium vnquam arriperetur.

Resp. Tam arduam virtutis viam arripuit, vt à nemine mortalium vnquam arriperetur, nam sicut cœlum in quo Diuinus Pastor nonaginta nouem oues, hoc est, Angelos reliquit, vnam ouem perditam, id est, hominem quæsiturus appellatur desertum. Dimittit nonaginta nouem in deserto, *Lucæ* 15. *num.* 4. quia tanquam desertum propter suam altitudinem inuium erat, & inaccessum, vnde Matthæus retulit, *cap.* 18. *num.* 12. relinquit nanaginta nouem in montibus, vt inuiam cœli altitudinem apertius declararet: ita illa virtutum semita, quam Beata Virgo in cœlum arripuit, desertum non immerito appellatur, quia adeo celsa erat, adeo ardua, ac sublimis, vt tanquam desertum, nullo humano vestigio trita fuerit, nullo studio, ac labore comprehensa. *P. Mendoza* 1. *Reg.* 4. *vers.* 11. *num.* 31.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 3. vers. 6. *Sicut virgula fumi.* Quid est quod Virgo Maria cum fumo comparatur, cum fumus quandam obscuritatem in se inuoluat, cum ipsa sit tota lucida, & fulgida?

B. Virgo est quasi signum naturale, & euidens Dei.

Resp. Deus noster ignis est, & sub igne ostenditur, & prædicatur, hinc Maria summo iure ab Angelis veluti fumus prædicatur; Nam sicut fumus signum naturale est ignis, & ignem euidenter, ac naturaliter ostendit; sic & Maria Mater veluti virgula fumi ex aromatibus omnium virtutum, veluti quoddam signum naturale, ac euidens est Dei, qui ignis est, vel sub igne latet, cum quo intimam habet connexionem. *Pater Silueira tom.* 5. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst.* 14. *num.* 83.

Ex B. Virgine fragrabat odor virtutũ etiam Angelis.

2. Resp. Benè quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt *virgula*, inquit, *fumi ex aromatibus*, nimirum quia multis erat repleta virtutum odoribus, nam ex ea fragrabat suauissimus odor etiam spiritibus Angelicis. *Beatus Alanus de Rupe.*

Amor Virginis erga Deũ.

3. Resp. Virgula fumi odoriferi eo agilius in altum conscendit, quo ignis, in quo odoramenta ponuntur maior est. O quantus & quam magnus amoris ignis in corde virgineo ardebat, quando quidem flammantia desideria sacræ Virginis cœlos ipsos penetrabant! Myrrha, & thus nominantur, vt tam mortificationem carnis Christiferæ agnoscamus, quam eius orationis fragrantiam. Quod vero puluis pigmentarij memoratur admirabilem eius humilitatem spectat, ipsa attestante: Respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. *Alphonsus ab Orozco.*

Humilitas Virginis exaltata.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 3. vers. 6. *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Cur Beata Virgo puluis dicitur?

Resp. Tu dicis ò Virgo sum puluis cum Abraham, sed puluis est pigmentarius, qualem conficit Spiritus Sanctus. Dicis propter humilitatem sum fumus cum Dauid, sed est fumus ex aromatibus ascendens ex aureo thuribulo ad olfatum Dei. *Rupertus.*

Dub. 52. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 6. *Sicut virgula fumi, ex aromatibus myr-*

Angeli admirati ſunt in eius Aſſumptione.

myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Quare B. Virgo comparatur virgulæ fumi, myrrhæ, & thuri, & vniuerſo pulueri pigmentario?

Reſp. Vt dicit *D. Hieronym. in ſermone*: Admiratur Spiritus Sanctus, quia admirantes facit; ſcilicet, Angelos eius in Aſſumptione, aſcendit autem de hoc ſeculo nequam ad cœli faſtigium, ſicut virgula diminutiuè per humilitatem, erectam per erectam in Deum intentionem fumi ſalientis, & ſe dilatantis per contemplationem, & dilectionem, ex aromatibus thuris per odoriferam orationem, myrrhę per veram ſenſuum mortificationem, & vniuerſi pulueris pigmentarij omnium; ſcilicet, virtutum perfectionem. *D. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 45. §. 5.*

Habuit rectã in Deum intentionem.

Cœleſtia contemplabatur.

Oratio eius accepta.

Senſuum mortificatio.

Virtutum perfectio.

Dub. 53. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 6. *Sicut virgula fumi.* Cur non dicitur virgula ligni, ſed fumi?

Videbatur eſſe per carnis ſpeciẽ in mũdo, ſed non erat per mundi dilectionem.

Reſp. Nota quod non dicitur hic virgula fuiſſe ligni inſenſibilis, & duri, ſed fumi, qui ſpeciem habet, ſed ſubſtantiam non habet. Cum enim cernitur, aliquid eſſe videtur, cum manus apponitur, nihil inuenitur: ſic Beata Virgo videbatur hic eſſe per carnis ſpeciem, ſed hic non erat per dilectionem. *Beatus Albert. Mag. lib. 12. de laudib. Virg. Mariæ, cap. 3. num. 2.*

Nulla virtus defuit B. Virgini.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 6. *Vniuerſi pulueris pigmentarij.* Cur dicit vniuerſi pulueris pigmentarij?

Reſp. Per hoc quod dicit vniuerſi innuitur, quod Beatę Virgini nulla defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec ſcientia Prophetarum, nec zelus Apoſtolorum, nec pacientia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec innocentia, aut humilitas Virginum. *B. Albert. Magn. Vbi ſupra.*

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Cur ſexaginta fortes ambiunt lectulum Salomonis?

Chriſtus requieuit in B. Virg. tanquã in lectulo.

Reſp. Hęc poſſunt eſſe verba Angelorum deſcribentium quanto ſtudio Angeli famulabantur in terris Virgini Glorioſę. Lectulus Salomonis, id eſt, veri pacifici Beata Virgo dicitur in quo Deitatis inclinato capite Dei Filius requieuit, velut in lectulo, vnde ipſa dicit: *Et qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Oſtenditur in hoc loco, quod ad cuſtodiam, & obſequium Beatę Virginis non inferioris, ſed ſuperioris dignitatis Angeli deputati ſunt, cum dicitur; Quod hunc lectulum ambiunt ſexaginta fortes de fortiſſimis Iſrael. Nam Beatam Virginem ambiebant diligenti cuſtodia, & obſequioſa reuerentia Angelici ſpiritus fortes inter fortiſſimos ſpirituum, qui pro eo, quod aſſidua contemplatione Deum conſpiciunt, Iſrael nomine deſignantur. *B. Albertus Magnus lib. 10. de laudibus B. M. cap. 10. num. 1.*

Angeli ſuperiores deputati ſunt ad obſequium, & cuſtodiam B. Virginis.

Dub. 56. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael.* Qui ſexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis?

Reſp. Lectulus eſt Virgo Glorioſa, quia in eo recubuit Chriſtus humanitate aſſumpta. Hunc lectulum ambierunt ſexaginta fortes, per hos fortes intelligitur bonorum operum vniuerſalitas, quę ſunt fortia contra dęmones, vel vitia, in ſexagenario quippe numero ſenarius, & denarius continentur, ſexies enim de decem, vel decies ſex ſunt ſexaginta, per ſenarium opera miſericordię, quæ in Euangelio leguntur intelliguntur, per denarium vero decem prȩcepta legis ſignificantur, & ideo per ſexaginta, perfectiſſima opera exprimuntur, quę vndique lectulum Salomonis, id eſt, Beatam Virginem munierunt ſui exercitatione, & intentione, quę per fortes, & electos ex fortiſſimis Iſrael figurantur, quia ſemper Virgo Mariæ meliora, & fortia opera habuit, quę ad ſui cuſtodiam deputauit, Tenere autem gladios dicuntur, propter defenſionem, & munitionem, quibus Virginem defendunt, & muniunt. *B. Alanus de Rupe.*

Exercuit opera fortiora virtutum quibus muniuit ſe.

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 8. *Vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum.* Cur enſis ſuper femur?

Carnalis voluptatis expers.

Reſp. Vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum, id eſt, ſuper carnalia opera, vel contra delectationes erat vniuſcuiuſque boni operis defenſio, quia ipſa Virgo ita bonis operibus, & cogitationibus cor firmauerat, quod fluxum carnalis voluptatis, quæ per fœmur intelligitur, omnino extinguebat. *B. Alanus de Rupe.*

Cibum Angelorum nobis miniſtrauit.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon.* An B. Virgo dicatur ferculum?

Reſp. Fecit primo ſibi in ipſa domo cœnaculum, quia fecit eam ferculum. Poteſt etiam vocari ferculum vas eſcarum, ipſa enim vas eſcarum fuit, quia no-

nobis cibum Angelorum ministrauit, *Prouerb. 31. Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum. Iacobus de Voragine, Episcopus Ianuensis, serm. 2. in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

Dub. 59. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Cur Salomon fecit sibi ferculum?

Resp. Benè per ferculum signatur vterus virginalis, quia ferculum quandoquè dicitur idem quod vehiculum à fero fers, quandoque idem quod Cathedra, quandoque idem quod cibus. Dicitur ergo Salomon, qui interpretatur pacificus, scilicet, Christus terrenus, & cœlestia pacificans, fecit, id est, præparauit sibi, id est, ad honorem suum ferculum, id est, Beatæ Virginis vterum, in quo quiesceret, vt Sponsus in thalamo, sederet Iudex in solio, delectaretur vt comedens in ferculo. Vnde *Ezechiel* 44. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 4.*

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 3. vers. 9. *De lignis Libani.* Quid significant ligna Libani huius ferculi?

Resp. De lignis Libani, id est, de membris omni puritate candidissimis quo ad corpus, & altis virtutibus quo ad animam. *Hug. Card.*

Dub. 61. Ad illa verba, cap. 3. vers. 10. *Reclinatorium aureum.* Quid significat aureum reclinatorium?

Resp. Reclinatorium, id est, Virginis vterum, in quo & habitauit, & se reclinauit Filius Dei, fecit aureum, id est, pretiosum, vel aureum quia in eo aurum sapientiæ se reclinauit, & in eo habitauit. *Hug. Cardinalis.*

Dub. 62. Ad illa verba, cap. 3. vers. 10. *Ascensum purpureum.* Quid ascensus purpureus?

Resp. Ascensus Mariæ purpureus, quia per martyrium mentis ascendit in Regiam Dignitatem; Vt sicut dicitur Regina Virginum, sic dici debeat Regina Martyrum. *Beatus Albertus Magnus libr. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 4.*

Dub. 63. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 10. *Ascensum purpureum.* Quid significat ascensus purpureus?

Resp. Ascensum fecit purpureum, quia ipsa expers martyrij non fuit, sicut dixit Simeon: *Lucæ 2. Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius.* Vel ascensum eius fecit purpureum, quia eam in Ascensione sua, siue Assumptione sua regali gloria ornauit, quæ significata est in purpura. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 3. vers. 10. *Media charitate constrauit.* Quod est medium huius ferculi?

Resp. Media eius, id est, cor quod est in medio pectoris, vel concupiscibilem, quę est media trium virium, charitate constrauit, id est, decorauit & ornauit, & implcuit propter filias Ierusalem, id est, propter debiliores, qui sunt in Ecclesia, vt possint imitando charitatem Beatę Virginis cum ea ascendere, & videre Regem Salomonem in diademate suo, quo coronauit eum mater sua, id est, in decore suo. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 65. Ad illa verba, cap. 3. vers. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.* Quo diademate?

Resp. Id est, in corona misericordię, qua coronauit eum Virgo Maria, siquidem cum hac corona natus est ex ea. Vnde *Iob* 31. *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Hac corona coronatur in exilio, quia mansuetus & ideò imitabilis, sed in iudicio coronabitur corona iustitię, & ideò erit tunc terribilis, tandem coronabitur in Regno corona glorię, & ideò amabilis. Vide ergo eum in corona misericordię imitando, vt postea videas in corona iustitię non timendo, & tandem videas in corona glorię cum eo perpetuo gloriando. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 66. Ad eadem verba, cap. 3 vers. 11. *In diademate quo coronauit illum mater sua.* Cur mater sua dicitur eum coronasse?

Resp. Mater sua eum coronasse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiem prębuit. *D. Thomas Aquinas.*

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 3. vers. 11. *In die desponsationis illius.* Ad quem referuntur hęc verba, & quis dies desponsationis?

Resp. Si *illius* referimus ad Matrem, dicimus in tempore Annuntiationis: *D. Gregorius Magnus.*

Dub. 68. Ad eadem verba, cap. 3. ver. 11. *In diademate, quo coronauit illum mater sua.* Quare corpus à Virgine ministratum, diadema Christi appellatur?

Resp. Inter omnia stemmata Regalia, corona à Rege maximè estimatur, in ea omnia illius magnalia con-

Cor B. Virginis charitate impletum propter homines.

Christus coronat misericordiæ coronatus à B. Virgine.

Christus in iudicio habebit coronam iustitiæ, qui modo habet coronam misericordiæ.

B. Virgo de sua carne Christo materiam præbuit.

Christus in die Annuntiationis B. Virginis, naturâ humanam sociauit sibi in Sponsum.

Christus maximè gloriatur de carne à B. Virgine formata.

continentur; Hac de causa supra Regis caput locum habet: Merito caro Christi à Virgine effœmata Saluatoris diademati comparatur, de qua maximè gloriabundus in die maiestatis suę apparet. *Pater Silueira tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 41. num. 113.*

Dub. 69. Ad illa verba, cap. 31. vers. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.* Quo sensu hęc verba exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo corpus proprium glorificatum videt in Deo.

Resp. Gaudebat nimirum Maria vacare, & videre quoniam Iesus est Deus, visio prorsus ineffabilis gaudij, summæque delectationis, omnibus qui diligunt Iesum, cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi, sicut & prærogatiua gloriandi in eo, quem genuit, omnino singularis, atque incomparabilis gloria Virginis Matris, videre Deum Regem omnium, in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoscat, & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. *Guarricus Abbas serm. 4. de Assumptione.*

Dub. 70. Ad illa verba, cap. 4. vers. 2. *Dentes tui sicut greges tonsarum.* De quo commendatur his verbis Beata Virgo Maria?

A beatis à mundo datur intelligentia Sacræ Scripturæ.

Resp. De notitia scripturarum commendat Matrem Filius, *Cant. 4.* dicens: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Greges tonsarum sunt illi, qui possessionum onera tanquã vellera deponentes, omnia reliquerunt pro Christo, qui quanto plus se abstraxerunt de mundo, tanto liberiori animo Sacras Scripturas intelligere potuerunt, quibus quoque non fecerunt obicem peccatorum tenebræ; nam in lachrymis pœnitentiæ, & deuotionis frequenter abluti, ascenderunt de virtute in virtutem, & viderunt Deum Deorum in Sion, quod interpretatur speculum; scilicet, vt mundi cordis oculo Deum conspicerent in speculo scripturarum. His igitur omnibus, qui quasi grex Domini in pascuis Sacræ Scripturæ ruminarunt, assimilantur dentes Virginis, id est, sensus, & studiositas, quibus ipsa decerpsit, attriuit, masticauit, ruminauit, & incorporauit animæ suæ, velut herbas virentes Sacræ Scripturæ summas. *B. Albert. Magn. lib. 4. de laud. B. M. cap. 30. num. 4.*

B. Virgo intelligentiam Sacræ Scripturæ obtinuit.

Dub. 71. Ad illa verba, cap. 4. vers. 3. *Sicut vitta coccinea, labia tua.* Cur labia B. Virgin. dicuntur coccinea?

Verba B. Virginis ad amorem Dei, & proximi inflammabant.

Resp. Ad litteram labia Mariæ, quibus formabat dulcia verba sua, dicuntur coccinea, quia ad amorem Dei, & proximi inflammant. Coccinũ enim sanguineum habet colorem, quibus etiam labijs dulciflua orationes suas pro nobis format in conspectu vnigeniti sui. Item labia Mariæ coccinea, quia coccinum Dominicæ Passionis, & ordinem creditur docuisse Euangelistas, & maximè sicut dicitur per Beatum Lucam, quo etiam coccino, per iugem recordationem, & compassionem colorati erant, intellectus eius, & affectus, imò ipsa tota erat coccinea per Dominicæ Passionis imitationem, & carnis propriæ mortificationem, vt verè posset dicere illud. *Galat. vltimo. Stigmata Filij mei Iesu Christi in corpore meo porto. B. Albertus Magn. lib. 5. de laud. B. M. cap. 2. num. 19.*

Ordinem Dominicæ Passionis docuit Euangelistas.

Dub. 72. Ad illa verba, cap. 4. vers. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Cur labia B. Virginis dicuntur sicut vitta?

Passionis Filij imitatrix per affectum.

Resp. Labia Ecclesiæ sunt labia Beatę Virginis quæ dicuntur sicut vitta, quia crines, id est, iustos ne effluant capiti, & inuicem suis orationibus, & exemplis constringit, & adunat, ne per errores, & vitia dispergantur, & eos vinculo pacis, & mutuæ charitatis colligat. *B. Albert. Magnus vbi supra.*

B. Virgo iustos adunas vinculo pacis, & mutuæ charitatis.

Dub. 73. Ad illa verba, cap. 4. vers. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ; absque eo quod intrinsecus latet.* Cur genæ B. Virginis commendantur?

Pulchritudo corporis, & animæ simul.

Resp. In genis, decor, & species mulieris consistit. Dicitur Beata Virgo speciosa propter ruborem pulchritudinis naturalis, verecundiæ virginalis, eximię charitatis, & patientiæ singularis, & propter candorem innocentiæ, virginitatis, & immortalitatis, & etiam propter immunitatem peccati, absque eo, id est, præter illud quod intrinsecus latet, soli Deo cognitum, nemini manifestum. Nam quanta sit Mariæ species, ille solus nouit, qui dedit. Vel absque eo quod intrinsecus latet, id est, absque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam se ipsam. *B. Albert. Magnus lib. 5. de laudibus B. M. cap. 2. num. 14.*

Peccati expers.

B. Virginis sanctitas omnes homines latuit, soli Deo nota.

Dub. 74. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum.* Cur collum B. Vir. comparatur turri Dauid?

Humilitas reddit hominem inexpugnabilem in aduersitate.

Resp. Dicitur de humilitate Mariæ: *Cant. 4. Sicut turris Dauid collum tuum,* id est, humilitas tua est turris, id est, sicut humilitas Dauid, quæ ipsum reddit inexpugnabilem, in omni aduersitate. Vel sic collum tuum, id est, humilitas

tua,

tua, id est, Tu humilis es sicut turris Dauid, id est, Christi, & hæc dictio sicut, non est nota similitudinis, sed expressio veritatis. Tale est illud *Ioann. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti*, id est, verè Vnigeniti, sed quare comparatur humilitas Virginis, humilitati Dauid, cum Virgo incomparabiliter fuerit humilior quam ipse Dauid? Certè quia in puro homine non potuit maior humilitas inueniri, & ita nec conuenientius exemplum sumi. *B. Alb. Mag. lib. 5. de laudib. Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 21.*

B. Virgo humilior omnibus.

Dub. 75. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum*, vbi nos habemus, *collum tuum*, dicit alia littera; *ceruix tua*. Cur ceruix est sicut turris Dauid?

Resp. Ceruix enim, id est; Eminentia sublimitatis Mariæ, est sicut turris Dauid, quam scilicet, turrim verus Dauid, id est, Christus in Ierusalem, id est, In Ecclesia sua ædificauit, & erexit vt esset peccatoribus refugium, & munimen. *B. Albert. Magn. lib. 11. de laudib. B. M. cap. 5. num. 1.*

Virgo Maria peccatoribus est refugium & munimen.

Dub. 76. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid*. Cur B. Virg. comparatur turri?

Resp. Maria turris propter fortitudinem, Ipsa est mulier fortis cui tota innititur Ecclesia militans, cuius fortitudo maximè apparuit sepulto Domino, quando defecit omnis Sanctus, vel titubabat in fide. Vnde Christus dicit Patri: *Elongasti à me amicum, & proximum*, & tunc ipsa per fortitudinem Fidei, Spei, & Charitatis, totam sustentauit Ecclesiam. Ipsa est etiam quæ suis orationibus dat lasso virtutem, & his qui fortes sunt fortitudinem, & robur multiplicat, *Isai. 40. Sicut turris munit, & roborat existentes in ea. Beatus Albertus Magnus vbi supra. num. 2.*

In Filij passione per fortitudinē, fidei totam sustentauit Ecclesiam.

B. Virgo lassis præstat fortitudinem, & robur.

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid*. Cur Maria turris?

Resp. Maria dicitur turris propter præsidium, & defensionem, habitantium in castro, vel in Ciuitate Ecclesiæ, qui in cunctis necessitatibus, & angustijs suis necesse habent per orationem refugere ad hanc turrim, quia turris fortissima nomen eius, sicut dicit *B. Bern.* Dicat ergo qui à carne, Mundo & diabolo qualitercunque tentatur, esto mihi Domine turris fortitudinis à facie inimici. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Virgo Maria præsidium in tribulatione.

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Mille clypei pendent ex ea*. Quare clypei pendent ex hac turri?

Resp. Nulla hic ad feriendum arma plurima ad protegendum; scilicet, bellatricem turrim circundant gladij, pacificatricem vero clypei. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. annotat. 2. sect. 2. num. 12.*

B. Virgo non habet arma ad feriendū, sed ad protegendum.

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Quæ ædificata est cum propugnaculis*. Quæ propugnacula huius turris?

Resp. Stabat iuxta crucem velut turris Dauid statu vere pulchro regio, ac forti, *cum propugnaculis*, hoc est, quod sequitur: *Et soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene, & Ioannes dilectus*. Vel sensus est stabat velut turris Dauid *cum propugnaculis*, hoc est omni virtutum præsidio exornata, & munita, & coronata. Facitque in eiusdem Virginis laudem Hæbraizantium interpretatio, qui pro eo quod vulgatus dixit, *cum propugnaculis*, vertunt, Ad dirigendum, vel ad docendum, vel ad monumenta, documenta, & disciplinas. *Sotomaior in Cantica, Feria 6. in Parasceue.*

D. Ioannes Euangelista stetit iuxta Crucem tanquā propugnaculum.

Iuxta Crucē stetit virtutum præsidio munita.

Iuxta Crucē dedit documenta virtutum.

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 4. vers. 5. *Duo vbera tua*. Quare vbera Sponsæ laudantur?

Resp. Adeò pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ; nec possis miserias scire, & non subuenire; Et quid mirum si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in Te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent, cum enim misericordiam lactasti ab eadem misericordiæ vbera accepisti. *Richardus Victorinus in Cantica, part. 2. cap. 23.*

Non potest miserias scire, & non misericorditer subuenire.

Dub. 81. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 5. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*. Cur vbera lactant hinnulos?

Resp. Porrò eo ipso quod sibi magnum illum hinnulum, id est, Verbum Incarnatum corporaliter genuit, duos sibi hinnulos; scilicet, teneriora eius membra in vtroque sexu spiritualiter adoptauit, siquidem per hoc quod facta est Verbi Mater corporalis, facta est membrorum eius Mater spiritualis, per hoc quod caput nostrum secundum carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit. Habet ergo vnumquem pro tempore lacte corporeo nutriuit, habet & gemellos, id est, ex vtroque sexu adoptatos quos lacte pietatis nutrire non desinit. *Guillelmus Abbas.*

Mater corporalis Christi, sed spiritualis omnium.

B. Virgo expers vanæ cogitationis.

Dub. 82. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non es in te.* Cur tota pulchra dicitur?

Nunquam locuta fuit ociose.

Resp. Nota quod est dictio admirantis, & dicitur ter. Pulchra fuit in anima, quia nunquam habuit malam, nec vanam cogitationem secus de nobis. Secundo pulchra in ore, quia nunquam vanè, seu ociosè, vel indiscretè locuta fuit, nos vero non habemus os pulchrum. Tertiò pulchra in toto corpore, quia sine omni defectu, & negligentia, temperata in cibo, & potu, diligens in seruitio Dei, secus de nobis. *D. Vincentius Ferrer serm. in Purificatione.*

Temperata in cibo, & potu.

B. Virgo pulchra per naturã, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam.

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Tota pulchra es.* In quo hęc pulchritudo Virginis?

Resp. Pulchra es intus, pulchra foris, intus in corde, foris in corpore, intus rubicunda, foris candida, vtrobique composita; Rubicunda per charitatem, candida per castitatem, composita per humilitarem. Totum quod in te es pulchrum es, & nihil inest tibi, quod sit sordidum, in toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo displices; Tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam. *Hugo Victorinus serm. 9. instit. Monast. qui est in Festiuit. Conceptionis.*

In corpore, & anima assumpta, hoc requirit potentia Dei, iustitia, sapientia, & bonitas.

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Tota pulchra es.* Cur tota pulchra describitur?

Resp. Fuit tota pulchra, ex hoc autem habetur, quod in corpore, & anima fuit assumpta. Si enim anima glorificata esset, & caro putrefacta in terra iaceret, tota pulchra non esset. Hoc autem competit Diuinę potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, & bonitati. Potentiæ quidem vnde dicit *Augustinus*: si Iesus, quem scimus omnia posse voluit in Matre integrum seruare pudorem, cur non potuit eam à putredinis seruare fœtore? Quis nisi peruersi sensus audeat dicere, quod Matrem, quam à putrefactione faciliter seruare potuit seruare noluerit. Hoc etiam competit Diuinæ sapientiæ, sicut dicitur: *Prouerb. 9. Sapientia ædificauit domum suam*; sapiens Architector domum suam pulchram facit, intus & extra, talem Christus in præsenti vita Matrem suam sibi ædificauit; scilicet, pulchram intus in mente per puritatem, & exterius in corpore per Virginitatem; si igitur Diuina sapientia tam pulchram eam in corpore, & anima ædificauit, non debuit in morte istam pulchritudinem sibi diminuere, sed magis augere, competit etiam hoc Diuinæ iustitiæ. Honorat quidem multorum Sanctorum corpora, honorat etiam & sua tormenta sicut Crucem, clauos, spineam coronam, & lanceam, si in tanto honore haberetur Crux sancta, in qua corpus Christi ad horam requieuit, in quanto honore debet habere Matrem suam gloriosam, in cuius vtero nouem mensibus requieuit, & habitauit, etsi in tanto honore habentur corpora Sanctorum, ex eo; scilicet, quod fuerunt organa Spiritus Sancti, in quanto honore tunc haberi debet corpus illud, quod fuit Spiritus Sancti organum, & Christi speciale domicilium, imò totius Trinitatis nobile triclinium? Si in tanto honore habentur imagines pictæ in quanto honore debet haberi illud corpus, in quo Filius qui est imago Patris habitauit, in quo quidem imago Dei sibi impressa illibata permansit, in quo, & per quod imago nostra quæ erat corrupta reparata fuit: competit etiam hoc suæ bonitati, bonique Filij semper interest magis parcere Matri, quam sibi ipsi, constat autem quod Filius sibi ipsi parcere voluit ab illa generali sententia qua dicitur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & Matrem suam excepit ab illa alia sententia qua dicitur: *In dolore paries filios*, quare ergo non excepit à prima; scilicet, ne in puluerem reuerteretur, quia tam bonus Filius extitit, quod etiam inter Passionis vulnera curam habuit de Matre dilecta, tam bonus Filius fuit, quod in ortu voluit flere, & Matrem gaudere voluit; Qui igitur mortalis tantam curam de ea habuit, nunquid factus gloriosus de ea amplius non curabit? Absit. Requirit ergo potentia Dei, sapientia, iustitia, & bonitas, quod Virgo Mater non tantum in anima sit glorificata, sed etiam in corpore sit stola immortalitatis induta. *Iacobus de Voragine serm. 3. in Assump.*

Excepta à generali sententia, qua dicitur in puluerem reuerteris.

Corpus B. Virginis seruatum à putredine.

Dub. 85. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Tota pulchra es.* Vnde tanta Virginis pulchritudo?

Resp. Sicut enim ferrum ab igne extractum, non solum ignitum, imò totum est ignis, & sicut aer illustratus à Sole, qui dum inflammat aerem suum ei imprimit calorem, induitque calorem, totus Sol efficitur, & velut aquæ gutta dolio vini optimi infusa tota transit in saporem, in odorem, & in colorem vini; & sicut vitrum can-

B. Virgo tota Deificata.

candidum, & purum illustratum à Sole transit in splendorem, & colorem Solis, & sicut lana candida, & pura tincta in sanguine muricis, vel conchilij, tota coloratur secundum qualitatem tincturæ; sic anima Mariæ Spiritu Sancto repleta, & maximè luce illa cœlesti, id est, Filio Dei in eam descendente, non solum luminosa est iam effecta, sed tota est Deificata. Sicut Dei Filius carnem assumens in ea informatus est, vsque sic quando de eius substantia Filius carnem induens, ipsa Beata Virgo quoddam Diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentia nuntiauit. *Beatus Albertus Magnus lib. 5. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 1.*

Dub. 86. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 7. *Tota pulchra es.* Cur dicitur tota, cum sufficeret dicere pulchra es?

B. Virgo interius, & exterius sancta.

Resp. Dicit tota; scilicet, intus, & extra ad differentiam hypocritarum, qui habent solum extra in apparientia pulchritudinem sanctitatis, sed ipsa pulchra fuit intus per puritatem, extra per Virginitatem, & ideò etiam significatur per arcam, quæ intus, & extra erat deaurata. *Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Pulchritudo animæ ex splendore gratiæ, corporis vero ex congrua proportione membrorum.

Dub. 87. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Vnde tanta Virginis pulchritudo?

Resp. Nulla amicitior Deo, & coniunctior charitate Beata Maria. Hæc tota pulchra, quia in anima, & corpore; Pulchritudo animæ ex refulgentia gratiæ cum debita ordinatione operum resultat, sicut & pulchritudo corporis extat ex quadam claritate cum congrua proportione membrorum, quod totum fuit in Beata Virgine præ cæteris; sicut enim propinquior fuit cunctis principio influxiuo gratiæ; scilicet, Christo in omnes secundum Diuinitatem efficienter, secundum humanitatem instrumentaliter, quia Mater eius; ita copiosius cunctis recepit gratiæ refulgentiam omnium operum bonorum perfectiorem operationem, macula non fuit in ea, nec corporaliter, nec spiritualiter; scilicet, culpæ actualis, nec etiam venialis, quod de nulla alia creatura pura dici potest. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 10. §. 2.*

B. Virgo copiosius recepit gratiam, quam alij Sancti.

Peccati venialis expers.

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 4. vers. 8. *Veni de Libano.* Cur de Libano iubetur venire?

Resp. Non immerito de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata Maria multis meritorum virtutibus, & dealbata, niue candidior Spiritus Sancti muneribus, quoniam quidquid in ea gestum totum puritas, & gratia fuit, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. *Diuus Hieronym. in epist. de Assumpt. ad Paulam, & Eustochiam.*

B. Virgo in nullo corrupta.

Dub. 89. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 8. *Veni de Libano Sponsa mea.* Ad quid venier de Libano?

Resp. Nota quod Libanus mons quidam est in terra Promissionis, in quantum ergo Libanus mons, qui est terra super terram exaltata, designat magnum cumulum meritorum, & excellentiam virtutum, & operationum ipsius, nostra autem merita, & pauca sunt, & impura, vnde *Isaiæ 64. Omnes iustitiæ nostræ*, virtutes etiam nostræ, si quas habemus squalidæ sunt, & fœtulentæ ex vicinia virtutum, dicitur ergo veni, vt veniat de Libano monte receptura pro magno cumulo virtutum, & meritorum magnum cumulum præmiorum. *B. Albert. Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 7.*

Pro cumulo meritorũ datus est B. Virgini cumulus præmiorum.

Dub. 90. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni.* Cur ter dicitur Mariæ veni?

Trinitas Personarum vocabat eam ad coronam.

Resp. Mariæ dicitur veni quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vocabant eam ad coronam. Pater cui potentia, vt ei redderet præmium humilitatis. Filius qui est sapientia, quæ non habitat in corpore subdito peccatis, præmium virginitatis. Spiritus Sanctus, qui est benignitas præmium charitatis, & ideò veni ter positum signat Trinitatem Personarum, ipsam ad coronam vocantium. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus B. Virg. cap. 7.*

Dub. 91. Ad illa verba, cap. 4. vers. 8. *Veni coronaberis.* Cur coronanda?

Iustitia exigebat, vt à Filio coronaretur Mater corona gloriæ.

Resp. Iustitia enim exigebat, vt Mater à Filio Rege coronaretur corona gloriæ in Regno; & quæ prius eundem Filium diademate gloriosæ carnis coronauerat in exilio, vnde *Cantic. 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in diademate quo coronauit eum Mater sua. Beatus Albertus Magnus vbi supra.*

Christus munus à Matre acceptũ, munere compensat.

Dub. 92. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 8. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Senir, & hermon, de cu-*

Peccatores conuerſi corona ſunt B. Virginis in cœlo.

bilibus Leonum, de montibus Pardorum. Cur de cubilibus Leonum, & montibus Pardorum dicitur coronari?

Reſp. Beata Virgo dum ab illorum corde, quos vel aperte ſæuiendo, deuicerat; ſcilicet, dæmon, vel occulta, & varia fraude rectè deceperat, meritis, & interceſsione ſua liberauit, de cubilibus, ſeu montibus Leonum, atque Pardorum coronari perhibetur. *Richardus de Sancto Victore.*

Peccatores per orationē B. Virginis mutantur in melius.

Dub. 93. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 8. *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Senir, & hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Cur promittitur Virgini quod coronabitur de feris, & montibus, cum *Apocal.* 12. dicatur Maria coronari de Stellis?

Reſp. Nota quod *Apocal.* 12. dicitur Maria coronari de Stellis; hic promittit ei Filius, quod coronabitur, de feris, vel montibus, & quid eſt hoc niſi quod feræ per gratiam, & orationes Mariæ fiunt Stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ, vt de Stellis corona ei videatur exhibita, quæ de feris fuerat promiſſa, & hæc eſt mutatio dexteræ excelſi. De capite Amana, id eſt, non ſolum de his qui inueniuntur in peccato, cum cæteris, ſed qui præ cæteris peccatores exiſtunt. Sæpè enim vbi ſuperabundauit peccatum per eam ſuperabundat gratia, & ita de nobis peccatoribus nouam coronam ſibi præparat in cœlis. *B. Albertus Magn. lib. 3. de laudib. Beatæ Mariæ, §. 13.*

De peccatoribus à ſe conuerſis nouam coronam, ſibi præparat in cœlo.

Primogenita fuit Redemptoris Filij ſui.

Dub. 94. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 9. *Vulneraſti cor meum.* Quando B. Virgo vulnerauit cor Filij?

Reſp. Pro amore tuo carnem ſumpſi, & vulneribus primis vulneraſti in cruce cor meum, nam primogenita Redemptoris Filij ſui fuit Virgo Beata. *D. Bernardus ſerm. de Aſſumpt.*

Quod defide randum indicabat intellectus, B. Virginis deſiderata voluntas.

Dub. 95. Ad eadem verba, cap. 4. ver. 9. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Quare Filius dicitur vulneratus in vno oculorum Beatę Virginis?

Reſp. Vulneraſti cor meum vulnere charitatis non doloris, id eſt, me ad amorem tuum delectabiliter attraxiſti, vt te profunde diligerem, de corde meo. In vno, id eſt, in vnitate oculorum tuorum; ſcilicet, affectus, & intellectus, quę in te ita ſunt vnum, quod non aliud deſiderat affectus, niſi quod deſiderandum indicat intellectus. *Beatus Albertus Magnus lib. 5. de laudib. Beatæ Mariæ, cap. 2.*

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 9. *Et in vno crine colli tui.* Cur in vno crine colli ſui vulnerauit filium?

B. Virgo humilis tam in mente, quàm in voce.

Reſp. In hoc notatur quod B. Virgo non ſolum humilis in mente, ſed etiam in voce, per collum quod continet guttur, in quo formatur vox, vnde, & de quibuſdam dicitur: *Non clamabunt in gutture ſuo*, ſignificatur humilitas verborum eius, quia per humilitatem ſonuit verbum obedientiæ dicens: *Ecce Ancilla Domini*, & quia additur colli tui, ſingularis, & vnica humilitas vocis eius. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

A deo dilecta à Deo quod multiplici nomine appellatur.

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 10. *Soror mea Sponſa.* Cur vocatur Sponſa, quę ſoror, columba, & amica dicitur?

Reſp. Nota quod multum dilecta Regis multiplici nomine ſolet à diligente appellari; ſic Beatiſsima Virgo à Deo vocatur, amica, columba, dilecta, ſpecioſa, formoſa, ſoror immaculata, perfecta, electa, Sunamitis, filia. Diuerſitatem horum nominum nota, & glorioſæ Virgini adapta. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Verba Virginis Mariæ, quæ Angelo ſi, ódit, plena fuerunt dulcedine.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 11. *Mel, & lac ſub lingua tua.* Quare dicitur quod mel, & lac ſub lingua Virginis fuerint?

Reſp. Benè mel, & lac ſub lingua habuit in duobus verbis, quæ ipſa Gabrieli reſpondit: Nonne Maria lac ſub lingua habuit, quando lacteum illud continentiæ verbum reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nonne etiam mel ſub lingua habuit quando mellifluum dulcedinis verbum reſpondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* De mellifluentia namque huius melliflui verbi per totum mundum melliflui facti ſunt cœli. *D. Bonauentura in ſpecul. Lect. 10.*

De pleniſsima redundantia gratiæ eius, gratiã, & miſericordiã accipiũt vniuerſi.

Dub. 99. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 11. *Fauus diſtillans labia tua Sponſa.* Cur labia B. Virg. comparantur fauuo diſtillanti?

Reſp. Rectè labia Mariæ comparantur fauuo diſtillanti: Nam ſicut fauus melleus à tactu leuiſsimo diſtillat ipſum mel; ſic de pleniſsima redundantia dulcedinis eius accipiunt vniuerſi ſitientes. Ipſam tange fide plena, dilectione ſincera, oratione deuota. Et nota quod fauus etiam ſine tactu, vel motu aliquo tunc diſtillat, quando plus habet mellis, quam capiat theca eius. Maria ſiquidem ad menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem ac-

accepit in ſinu ſuæ charitatis, & humilitatis de melle cœleſti, quod eſt gratia Dei, quod deſignabatur per hoc, quod poſtquam dictum eſt ei: *Aue gratia plena*, ſubiungitur; *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, Ad quid ergo in plenam gratia ſuperueniſſet Spiritus Sanctus, niſi vt eam faceret redundare? Diſtillans quaſi in diuerſas partes ſtillans, ſupra ad Angelos, qui per partum eius ſunt reintegrati, infra ad captiuos, qui per ipſam ab inferis ſunt extracti, dextrorſum ad iuſtos, qui donis gratiæ per ipſam ſunt illuſtrati, ſiniſtrorſum ad iniuſtos, qui per eam ſunt iuſtificati. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus B. Virg. cap. 26. num. 1.*

Virgo quæ à Deo accepit, in vtilitatem noſtram vertit.

Dub. 100. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 11. *Odor veſtimentorum ſuorum, ſicut odor thuris.* Cur veſtimenta Sponſę comparantur odori thuris?

Per Beatam Virginē dæmones effugantur.

Reſp. Aſſerunt odore thuris dæmones effugari, & ego libenter dixerim odore virtutum Sanctæ Mariæ, Angelos tenebrarum effugari, & quoddam valido turbine huc, illucque raptari, vt in eis impleatur, quod dictum eſt: *Fiant tanquam pulis ante faciem Venti.* Odor iſte mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad opti na. *Diuus Amadeus homil. 2. de iuſtificatione, ac ornatu Virginis.*

B. Virgo pro iuſtis, & peccatoribus filium interpellat.

Dub. 101. Ad eadem verba, cap. 4. verſ. 11. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Quo ſenſu hæc exponuntur de B. Virgine?

Reſp. Vnguenta medicinalia ſunt, & odorifera, thus ſignat orationem: nihil enim animę infirmę medicinalius, nihil animę delicatę odoratius, quam quod Beata Virgo tam pro iuſtis, quam pro peccatoribus Filium interpellet. Ideò dicitur ipſa coronari de cubilibus Leonum, *Cant.* 4. Leones iſti ſunt dęmones quorum cubilia ſunt peccatores, pro quibus orat aſsidue, & inde glorificatur ab omni rationali creatura. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 2.*

Fructus Beatæ Virginis nunquam defuit, nunquā marceſcit.

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 12. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa.* Cur B. Virg. dicitur hortus?

Reſp. Inde nominatur hortus, quod ſemper ibi aliquid oriatur, quia cum alia terra ſemel in anno aliquid creet, hortus nunquam ſine fructu eſt. Vnde ergo hortus es Tu ò dilecta dilecti, niſi quia in te natum eſt aliquid, quod nunquam defuit, & fructus tuus nunquam marceſcit? *Rupertus.*

B. Virgo omnigena virtute ornata.

Dub. 103. Ad eadem verba, cap. 4. verſ. 12. *Hortus concluſus.* Cur B. Virg hortus appellatur?

Reſp. Exponitur hoc de Beatâ Virgine, quę eſt hortus voluptatis, & delitiarum amęniſsimus omnigena arborum plantatione conſitus. De quo *Geneſ. 2. Plantauerat Dominus Deus hortum voluptatis à principio.* Et hoc tribus modis, eam ſcilicet, ab æterno prædeſtinando, eam multipliciter præfigurando Beatam, Patriarcharum, & Regum progenie quibus ipſa naſceretur ſuo ordine producendo, & ſicut in primo horto poſitus eſt primus Adam ſolâ Dei manu de limo terræ formatus, ſic & in iſto horto ſecundo poſitus eſt ſecundus Adam noſter ſola Spiritus Sancti operatione de Beata Virgine procreatus. Poſitus eſt autem ibi, *vt operaretur.* Vnde *Lucæ 1. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & cuſtodiret illud*, vnde & ad Mariam dixit Angelus in eodem: *Et virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, item *vt operaretur*, id eſt, fœcundam eam faceret, *& cuſtodiret*, id eſt, integram conſeruaret. *Hug. Cardinalis.*

Chriſtus ſolâ Spiritus Sancti operatione de Beatâ Virgine procreatus.

Chriſtus B. Virginem integram conſeruauit.

Dub. 104. Ad eadem verba, cap. 4. verſ. 12. *Hortus concluſus.* Cur Beata Virgo dicitur hortus concluſus?

Vterus Virginis nulli carnali comercio acceſsibilis.

Reſp. Vterus tuus nulli carnali commercio acceſsibilis, & mens tua, nulli ſpirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis. *Rupertus.*

Nullus error in intellectu B. Virg. nec in voluntate iniquitas venialis.

Dub. 105. Ad eadem verba, cap. 4. verſ. 12. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus.* Cur dicitur hortus bis concluſus?

Reſp. Dicitur bis concluſus, quia nec in intellectu error intrauit, nec affectum iniquitas venialis. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 5. §. 1.*

2. Reſp. Bis appellatur Maria hortus concluſus. Concluſus in concipiendo, concluſus in pariendo, & poſt partum retinens integritatis ſignaculum, vnde & ter dicitur porta clauſa. *Ezech. 44.* vbi *Cant. 4.* Bis dicitur hortus concluſus, quia hortus hic Beata Virgo fructum fecit actiuæ, & contemplatiuæ, vel præceptorum, & conſiliorum, vel quia ibi eſt ſpiritualis habitatio ſæcularium, & contemplatiuorum, vel Prælatorum, & ſubditorum, vel Iudæorum, & Gentilium conuerſorum ad Fidem, vnde ei dicitur: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus*

B. Virgo neque corrupta eſt conceptu, neque violata partu.

B.

B. Virg. cap. 1. §. 1.

3. Resp. Bis hortus diceris propter conceptum, & partum, quia in vtroque mirabile est, & amabile miraculum, quod neque corrupta est conceptu, neque violata partu. *Rupertus, & Hugo Cardinalis.*

Voluntati Dei per omnia obediuit.

Dub. 106. Ad illa verba, cap. 4. vers. 12. *Soror mea Sponsa.* Cur Beata Virgo dicitur soror?

Resp. Soror autem dicitur Beata Virgo adoptionis, & hoc ex prærogatiua quadam speciali, nam si quis fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic Christi frater, & soror est; Multo magis & Beata Virgo, quæ Dei Patris voluntati per omnia obediuit, vnde sicut Christus primogenitus in multis fratribus dicitur *Rom.* 8. sic & ipsa in multis sororibus primogenita potest dici. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo dicitur primogenita Dei in multis sororibus.

Virgo Maria soror, & Spōsa Dei.

2. Resp. Soror dicitur Beata Virgo Maria, quia creatura rationalis creata à Deo, vt Patre omnium, vnde & soror nostra Sponsa dicitur Dei ex quo genitus est Christus; scilicet, opere Dei supernaturali. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 5. §. 1.*

Dub. 107. Ad illa verba, cap. 4. vers. 12. *Fons signatus.* Cur Beata Virgo dicitur fons signatus?

Resp. Ingeniosa est, & subtilis ad saluationem peccatorum, sicut diabolus ingeniosus est, & subtilis ad damnationem eorum, qua autem iustitia, vel quo iure ipsa saluat damnabiles, & sine pœnitentia defunctos in mortali quis sufficiat enarrare? Constat autem quod & ita facit, & quod salua iustitia facit, & ad huius rei euidentiam dicitur ipsa: *Fons signatus*, nam sic exuberans est iste fons misericordiæ, quod semper fluunt miserationes eius, integro tamen, & illibato sigillo iustitiæ, quia sic ingeniose scit facere misericordiam, quod non frangit iustitiam. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudib. B. Virg. cap. 29. num. 2.*

B. Virgo ita facit misericordiā, quod non frangit iustitiam.

In partu pudoris signaculum non amisit.

2. Resp. Fons autem signatus dicitur, quia in partu quo Filium Dei edidit pudoris signaculum non amisit. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 108. Ad illa verba, cap. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Quo sensu hæc de Beata Virgine exponuntur?

B. Virgo multa docuit Apostolos de filio suo in cœlum assumpto.

Resp. Quandiu Filius hominis manere debuit minoratus paulò minus ab Angelis, fere tandiu fuit Beatæ Virginis tempus tacendi, & tandiu tacuit velut hortus conclusus: vbi autem gloria, & honore coronatus est Filius hominis ex tunc fuit Beatæ Virginis tempus loquendi, & hoc amicis; scilicet, & Sanctis Apostolis, ita vt dicat dilectus: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum. Rupert. lib. 2. de gloria Filij hominis.*

Dub. 109. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Si est hortus conclusus, & fons signatus, cur dicitur habere emissiones fructuum?

Omnes Religiones à Beata Virgine emanarunt.

Resp. Licet enim ipsa sit hortus conclusus, & fons signatus, tamen vberes fructus emittit; scilicet, plures Religiones emittit, vt Paradisus, id est, amenitas malorum punicorum, id est, Religionum diuersarum per ea significatarum. Dicatur *cum pomorum fructibus*, id est, aliarum Ecclesiarum minus austeritatis, & asperitatis habentium, immo aliquid dulcedinis in exteriori conuersatione protendentium, quia omnes in humilitate fundantur, quę plane fuit in Maria, vnde *Lucæ* 1. *Respexit Deus humilitatem Ancillæ suæ*, sed ab ea in Christo plenissime emanauit qui dicit, *Matth.* 11. *Discite à me, qui mitis sum, & humilis corde.* Ideò dicit: *Emissiones tuæ. Hugo Cardinalis.*

Dub. 110. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Cur dicitur habere emissiones fructuum?

B. Virgo fructus vberes attulit, Dei filium pariendo.

Resp. Fructus iste Dominus est Iesus Christus ab vtero Virginis licet conclu so, & signato sine signaculi ruptura emissus. De quo *Lucæ* 1. *Benedictus fructus Ventris tui*, de quo pluraliter dicit: *Fructibus*, propter plures ipsius fructus vtilitates, vnde ipsa B. Virgo est hortus Dei Patris, qui fructus vberes attulit Dei Filium pariendo. Ipse enim est granum frumenti, quod in terra mortuum fructum attulit copiosum. *Ioann.* 12. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 111. Ad illa verba, cap. 4. vers. 14. *Cypri cum Nardo. Nardus, & Crocus, Fistula, & Cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe.* Quo sensu hęc aptantur B. Virgini?

Quidquid bōni mundus à Deo accepit, per Beatam Virginem accepit.

Resp. Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuę sunt, vt vbi erant prius spinę, & vepres, carduus, lappa, tribulus, vrtica, & paliu-

rus

rus vniuersitas nequitiarum, ibi sit Cyprus, & Nardus, Crocus, Fistula, & Cinnamomum, myrrha, & aloe vniuersitas gratiarum iuxta numeri septenarij Sacramentum. *Rupertus.*

Virtutes iustorum crescunt per gratiam B. Virginis, quæ in ipsos fluit.

Dub. 112. Ad illa verba, cap. 4. vers. 15. *Fons hortorum.* An Beata Virgo dicatur fons hortorum?

Resp. Hortus Beatæ Virginis sunt boni, & sibi deuoti, suos sensus claudunt, ne ad illicita dirigantur. In istis oriuntur flores virtutum, sed tamen crescere non possunt nisi ab isto aquæductu Virginis fluat in eis fons gratiarum, ideò dicitur: *Fons hortorum*; Campus sunt peccatores, in quibus non est aliqua clausura sensuum, & in quibus aruerunt flores, & herbæ virtutum & bonorum operum, sed si ad Beatam Virginem conuertantur, mox ab isto aquęductu fluent in eos aquæ viuentes, quæ omnia arida, & mortua viuificabunt, & ideò dicitur: *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt.* Viridiarium Beatæ Virginis, sunt Beati, qui sunt in patria, in quibus ipsa spaciatur, modo spaciatur inter rosas Martyrum, modo inter lilia Virginum, modo inter violas Confessorum. *Iacobus de Voragine, Episcopus Ianuensis, serm. 2. Sabbat. 5. Quadragesimæ, vide num. 118.*

Omnia arida, & mortua viuificat in peccatoribus fluentis gratiæ suæ.

B. Virgo delectatur in patria inter Beatos.

Dub. 113. Ad illa verba, cap. 4. vers. 15. *Puteus aquarum viuentium.* Quare Beata Virgo dicitur puteus aquarum viuentium?

Sacræ Scripturæ notitia plene fuit in B. Virgine.

Resp. Maria puteus aquarum viuentium, nam ipsa est armarium scripturarum, quæ profundæ sunt, & obscuræ, sicut aquæ putei, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, obscura scientia in Prophetis, cuius notitia plenè fuit in Maria, & viuæ dicuntur ab effectu, quia conferunt vitam gratiæ, & gloriæ amatoribus suis. *Beatus Albertus Magnus lib. 9. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 1.*

Misericordia fluit à B. Virgine tanquã à fonte.

Dub. 114. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Quare B. Virgo fons hortorum, & puteus aquarum viuentium nominatur?

Resp. De Beata Virgine potest hoc exponi, quæ fons est misericordiæ, de qua *Ioel vlt. Fons de domo Domini egredietur.* Eadem etiam est puteus per humilitatis profunditatem, De quo *Num. 21. Ascendat puteus, quem foderunt principes. Hug. Cardinalis.*

Profunda humilitas B. Virginis.

2. Resp. Nota quod Maria dicitur fons, & puteus in hac authoritate, sed fons quantum ad communia beneficia quæ exhibet, quibus vult gratis, id est, absque cooperatione liberi arbitrij, sicut in Sacramentis puteus quantum ad illa, quæ labore, & cooperatione liberi arbitrij ab ea, & per eam acquiruntur. Aquarum viuentium, id est, gratiarum, vel doctrinarum, quæ vitam præstant hic gratię, & gloriæ in futuro. Et dicuntur hæ aquę viuæ, aquæ quia sitim sedant, & cæteras aquæ proprietates explent in anima viuæ quia viuificant animam, & eam salire faciunt in vitam æternam. Vnde Maria videtur dicere cum Filio *Ioann. 4.* Qui biberit ex hac aqua, sed aqua, quam ego dabo fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Quæ fluunt impetu*, id est, rapide, vt terram, id est, terrenitatem subuertant in amatoribus suis, *Iob 12. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit eas subuertent terram. B. Albertus Magnus vbi supra.*

Beneficia communia exhibet.

Cooperandũ B. Virgini, vt per eam beneficia accipiat homo.

Religiosi de facili impetrant gratiã à B. Virgine, sæculares vero cum labore.

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 4. vers. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Qui sunt horti huius fontis, & aquæ huius putei?

Resp. Fons hortorum, id est, Religiosorum, & puteus aquarum, id est, populorum sæcularium viuentium cum vita gratiæ saltem primæ, nam de facili impetrant ab ea aquas gratiarum Religiosi: cęteri autem sęculares, non ita de facili, sed cum quodam labore, vt aqua de puteo extrahitur aqua; scilicet, gratiarum. *Hug. Cardinalis.*

Eminens vitæ altitudine

Dub. 116. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 15. *Quæ fluunt impetu de Libano.* Cur Beata Virgo dicitur Libanus?

Super Choros Angelorum exaltata.

Resp. Per Libanum designata, quia candida, munda, & casta, & vitæ altitudine eminente, ac meritorum prærogatiua super Choros Angelorum exaltata. *Hug. Cardinalis.*

Dub. 117. Ad illa verba, cap. 4. vers. 15. *Quæ fluunt impetu de Libano.* Cur de Libano hęc gratiæ fluunt, & cum impetu?

B. Virginis larga distributio nescit tarda molimina.

Re. Libanus Spiritus Sanctus est, qui candidat per gratiam, prius nigros peccatores, à quo fluunt aquæ viuæ, Mariæ precibus ad amicos suos: & hoc cum impetu, quia Spiritus Sancti largitio, nec Mariæ larga distributio tarda sciunt rerum molimina. *Beatus Albert. Magnus lib. 9. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 1.*

Dub. 118. Ad eadem verba, cap. 4. vers. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum vi-*

viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Quinam sunt horti huius fontis?

Resp. Habuit Virgo hortum, campum, & viridarium, Hortus sunt electi, qui sensus suos clauserunt, in quo sunt flores, & herbæ redolentes, id est, gratiæ, & virtutes. Campus autem sunt peccatores, qui nullam habent in sensibus suis clausuram, & in quibus sunt multæ arbores steriles, & infructuosæ, viridarium vero sunt Beati in quibus Virgo benedicta spaciatur, & delectatur. Habet igitur iste fons triplicem riuum vnum qui habet virtutem fœcundandi, istum mittit in hortum Electorum, fœcundans eos per opera virtutum, ideò dicitur: *Fons hortorum, Isaiæ 55. Quommodo descendit imber de cœlo.* Secundo habet riuum, qui habet virtutem viuificandi, & istum mittit in campum peccatorum, qui cum sint mortui, & steriles ipsos viuificat, & fœcundat, ideo subditur: *Puteus aquarum viuentium, Ezech. 47. Omnia ad quem venerint viuent.* Tertio habuit riuum, qui habet virtutem lætificandi, & istum mittit in viridarium Beatorum, quos adeò inebriat, quod semper eos lætificat. *Psalm. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*, ideò subditur: *Quæ fluunt impetu de Libano. Iacobus de Voragine serm. 5. in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

B. Virgo electos fœcundat per opera virtutum.

Peccatores viuificat.

Beatos lætificat.

Dub. 119. Ad illa verba, cap. 5. vers. 1. *Comedi fauum cum melle meo.* Quid significatur per fauum, quod comedit Sponsa?

Resp. Per fauum in quo est cera, & mel intelligitur Christus, in quo est cera Humanitatis, & mel Diuinitatis, ipsa igitur comedit fauum cum melle, quia sume delectatur in visione Humanitatis, & in contemplatione Diuinitatis: isto cibo nos pascit, quando gratiam nobis infundit, per quam delectamur, in Humanitate, & Diuinitate Christi. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. 5. Quadragesimæ.*

B. Virgo delectatur in visione Humanitatis, & in contemplatione Diuinitatis.

Dub. 120. Ad illa verba, cap. 5. vers. 1. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Quare non dixisti Domine Iesu, bibi acetum meum cum lacte meo?

Gloriatur Christus de lacte quod sugit.

Resp. Virginalibus enim vberibus lactabatur. *D. Antonius de Padua Dominica 3. Quadragesimæ.*

Dub. 121. Ad eadem verba, cap. 5. vers. 1. *Bibi vinum cum lacte meo.* Quando Beata Virgo vinum cum lacte bibit?

B. Virgo lactat se de spirituali lætitia, & virginali munditia.

Resp. Tunc vinum cum lacte bibit, quando spiritus eius mentem perfundit vino spiritualis lætitiæ, & eius carnem lacte virginalis munditiæ, isto potu etiã nos potat, quando nos facit habere vinum iocunditatis in mente, & lac puritatis in carne. *Iacobus de Voragine vbi supra.*

Dub. 122. Ad illa verba, cap. 5. vers. 6. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.* Quommodo anima B. Virginis liquefacta est?

Anima B. Mariæ liquefacta ad ardorem Diuini amoris.

Resp. Dulciter eum dilexit, quia præ nimia dulcedine tota liquefacta fuit, sicut enim aurum liquescit ad ardorem ignis; sic eius anima tota liquefacta fuit ad ardorem Diuini amoris. Tam dulciter dilexit, quod amor eius in ea extasim faciebat, fecerat quidem amor extasim in Filium, quando & in Cruce existens sua vulnera obliuioni tradebat, & Matris memor erat, sic extasim fecerat in matre, quando in medio interfectorum manebat, nec ipsos expauescebat. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. post primam Dominicam Quadragesimæ.*

Amor in B. Virgine extasim faciebat, quãdo in medio interfectorum manebat, nec ipsos expauescebat.

2. Resp. Dicit ipsa anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est illud verbum: *Mulier ecce Filius tuus. Hugo Cardinalis.*

Anima B. Mariæ liquefacta ad illa verba: Ecce Filius tuus.

Dub. 123. Ad illa verba, cap. 5. vers. 8. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Cur filias Ierusalem adiurat Beata Virgo?

Quot annis vixit B. Virgo post Ascensionem Christi.

Resp. Cum Virgo fuit in domo videbat loca vbi fuerat Filius eius, & fleterat, cogitans de cętero non videbo ipsum, sed flebat, duodecim annis vixit post Christi Ascensionem, vel viginti quatuor secundum alios, & tantum dilexit Filium suum, quod si omnes amores matrum ad filios essent in vna muliere, adhuc amor Virginis ad Christum esset maior, & perquirebat omni die loca Natiuitatis, Apparitionis, Baptismi. De hoc prophetauerat Salomon dicens: *Adiuro vos filiæ Ierusalem*, id est, creaturæ Angelicæ, si inueniſtis dilectum meum, vt annuntietis ei, quia amore langueo. *D. Vincentius Ferrer serm. 2. in Natiuitat. Virginis.*

B. Virgo quotidie perquirebat loca, vbi filius fuerat, & fleterat.

Dub. 124. Ad illa verba, cap. 5. vers. 11. *Comæ eius sicut elatæ palmarum.* Quid significant comæ sicut elatæ palmarum?

Omnes cogitationes Virginis in Christum tendebant.

Resp. Comæ, id est, sanctæ cogitationes eius, capiti suo, id est, Christo per amorem ad hærentes, sicut elatæ, id est, sicut folia palmarum; quæ ideò dicuntur elatę, quia erectę, & in sublime tendentes

dentes meditando iugiter de cœlestibus parum, aut nunquam de terrenis, sicut & folia palmæ directè tendunt in sursum contra morem aliarum arborum. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus B. Virg. cap. 2. num. 3.*

B. Virgo cogitabat de salute generis humani.

Dub. 125. Ad eadem verba, cap. 5. vers. 11. *Comæ eius sicut elatæ palmarum.* Quid significant comæ Virginis sicut elatæ palmarum?

Cogitationes phantasticæ non molestabant eam.

Resp. Latæ erant cogitationes eius per charitatem, & pietatem cogitando de salute generis humani, & acutæ propter cogitandi subtilitatem, & libertatem, quia non molestabant eam cogitationes phantasticæ, cogitabat enim quod volebat, & nihil nisi quod volebat. *B. Albert. Magn. ibi.*

B. Virgo cogitabat quod volebat.

Dub. 126. Ad illa verba, cap. 5. vers. 11. *Nigræ quasi coruus.* An comæ Virginis, id est, cogitationes eius, dicantur nigræ sicut coruus?

B. Virgo cogitat de peccatoribus à diabolo tollendis, & Ecclesiæ incorporandis.

Resp. Quasi coruus, qui est auis diligenter, sibi incorporans cadauera: sic Beata Virgo quæ propter cadauerosos peccatores factam se recolit Matrem Dei, de ipsis a diabolo rapiendis, & Ecclesiæ incorporandis, cuius ipsa est collum, quo mediante descendunt in ventrem cibaria, iugiter creditur cogitare. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 127. Ad illa verba, cap. 5. vers. 12. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum.* Quare oculi Beatæ Mariæ comparantur oculis columbæ, quæ est super riuulos aquarum?

B. Virgo in speculo Trinitatis aspicit præterita, præsentia, & futura.

Resp. In Columba notantur simplicitas, & innocentia; quod videlicet columbæ super riuuos aquarum sedentes, & aquas aspiciunt, quæ in præsentiarum fluunt, & illas quæ iam fluxerunt, & illas quæ effluunt; sic & oculi Virginis in speculo Trinitatis præterita, præsentia, & futura, & vmbram accipitris, id est, diaboli. *Beatus Albertus Magnus lib. 5. de laudib. B. Mariæ, cap. 2. num. 10.*

Respectus Virginis pietatis, & misericordiæ dulcedine perfusus.

Dub. 128. Ad illa verba, cap. 5. vers. 12. *Quæ lacte sunt lotæ.* An oculi Beatæ Virginis assimilentur oculis columbarum, quæ lacte sunt lotæ?

Resp. Oculi eius comparantur columbis, quæ lacte sunt lotæ; quia respectus eius, pietatis, & misericordiæ dulcedine perfusus est. *B. Albert. Magn. vbi supra.*

Oculi Christi, & B. Virginis in humilem respiciunt.

Dub. 129. Ad illa verba, cap. 5. vers. 12. *Oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ.* In quem respiciunt oculi Beatæ Mariæ?

Resp. In lacte duo, candor qui ad castitatem, dulcedo quæ debet referri ad pietatem. Vnde petimus *Illos Tuos misericordes oculos*: sed si vis vt te respiciant oculi isti oportet te fieri pauperem spiritu, id est, humilem, quia oculi Christi, & Mariæ in pauperem respiciunt. *Beatus Albertus Magnus Vbi supra.*

B. Virgo velocior cæteris Sanctis, miseris subueniendo.

Dub. 130. Ad illa verba, cap. 5. vers. 14. *Manus illius tornatiles.* Cur manus B. Virgin. dicuntur tornatiles?

Resp. Tornatiles describuntur manus istæ. Nam sicut ars tornaturæ promptior est aliis artibus celeriter operando; sic Maria velocior cæteris Sanctis omnibus miseris subueniendo; vt dicere de ipsis miseris videatur cum Filio illud *Isaiæ 65. Ante quam clament ad me exaudiam eos. Beatus Albertus Magnus libr. 2. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 14.*

Misericordia ita impendit miseris, quod iustitiam non frangit.

Dub. 131. Ad eadem verba, cap. 5. vers. 14. *Tornatiles aureæ.* Quare manus B. Virg. tornatiles aureæ describuntur?

Resp. Dicuntur hæ manus aureæ propter sapientiam, quę signatur in auro, nam tam subtiliter misericordiam miseris impendit, quod Diuinę Iustitię sigillum nunquam frangit. *B. Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo facilime impetrat quidquid complacet ei dare.

Dub. 132. Ad illa verba, cap. 5. vers. 14. *Plenæ hyacinthis.* Cur manus Beatę Virginis plenę hyacinthis?

Resp. Habet enim hyacinthus gratiam impetrandi, nam quidquid complacet ei dare facilimè orando impetrat, ab vnigenito Filio suo, qui non solum dat ei, secundum quod petit, sed etiam ipsam incitat ad petendum. Hyacinthus in sereno clarus, in obscuro, & nubilo apparet obscurus, nam illuminati per gratiam, de ipsa digne sentiunt, & ei seruiunt ex amore; tenebrosi infidelitate, & vitijs honorem, & seruitium suum parui pendent. *B. Albert. Magnus ibidem.*

Peccatore non seruiunt B. Virg. secus iusti.

Dub. 133. Ad illa verba, cap. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quo sensu hęc verba aptantur Beatę Virgini?

Christus Filius Virginis sine virili seminis admixtione.

Resp. Ego dilecto meo Filia, Mater inter mulieres cęteras sum electa, & Dilectus meus mihi, tamen supple secundum humanitatem est Filius, sine virilis seminis admixtione, quod in eo solo est reperire. Vel Ego dilecto meo consentiens respondeo: *Ecce Ancilla Domini. Lucæ 1. Et Dilectus meus mihi, fa-*

Christus Virgini merita dabat, conseruabat, remunerabat.

Gloriatur B. Virgo quod Filius vbera sua sugit.

fauens, & annuens merita dando, data conseruando, conseruata remunerando; Qui pascitur inter lilia, dum mea vbera fugit. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo pulchra per humilitatem.

Dub. 134. Ad illa verba, cap. 6. vers. 3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Quare B. Virgo appellatur pulchra, suauis & decora, terribilisque vt castrorum acies?

Suauis vbertate misericordiæ.

Resp. Pulchra per humilitatem in qua sibi in ipsa complacuit Filius Dei. Vnde *Lucæ 1. Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Suauis misericordiæ vbertate. Vnde & Regina misericordiæ dicitur, decora plenitudine gratiarum. Vnde in eodem: *Aue gratia plena. Terribilis vt castrorum acies ordinata*, ad cuius memoriam dæmones contremiscunt, & eam omnino sustinere non possunt, exemplum de Theophilo. *Hugo Cardinalis.*

Decorata plenitudine gratiarum.

Ad memoriam B. Virginis dæmones contremiscunt.

Dub. 135. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.* In quo Beata Virgo suauis est, & decora sicut Ierusalem?

Quos B. Virgo visitat, facit cœlestem ducere conuersationem.

Resp. In eo videlicet, quod & anima tua supernam videt pacem, & ex visitatione tui discunt animæ plurimæ cœlestem ducere conuersationem. *Rupertus lib. 6. in Cantica.*

Dub. 136. Ad illa verba, cap. 6. vers. 8. *Vna est Columba mea.* Cur Beata Virgo dicitur Columba?

Beata Virgo puritate omnes superat.

Resp. Qui enim à teneris vnguiculis ex toto corde Deum rerum omnium Authorem optimum diligunt, & amore ipsius mundum, & quæ in mundo sunt contemnentes, Christo, Verbo, & Sponso coniunguntur, Diuina gratia filiorum ordinem obtinent, qui autem Regni cœlestis cupiditate adducti, vt eo potiantur, Christo diligenter inseruiunt, in mercenariorum locum constituuntur: At qui peccatis omnibus obruti (vt ego infelix) cruciatum, & supplicium formidine resipiscunt, & pœnitentiam agunt (quorum in numero vtinam ipse quoque sim per gratiam tuam, ò Christe Verbum Saluator) in seruorum, Qui tamen salui fiunt ordine collocantur inter tot animas omnium hominum; qui saluantur, vt electa Columba est illa vna sola, quę Christum genuit Virgo Mater, Puella Maria, quę puritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit. *Pellus.*

Dub. 137. Ad eadem verba, cap. 6. *Vna est Columba mea, perfecta mea.* Cur Beata Virgo non extollitur eiisdem encomiis, quibus ipsa suum dilectum affecerat, quod esset candida, rubicunda, electa ex millibus, caput eius aurum optimum, *Cant. 5. num. 10.*

Oratio Virginis efficacior ad Filium inclinandum.

Resp. Virgo dicitur Columba ob suam puritatem, ac simplicitatem, deinde Columbę vox, cum sit gemitus, inter omnes aues maximè dignoscitur, & peculiarem habet vim ad trahendum, & vocandum ad se comparem suum, & testantur *Ericus, & Aymon serm. de Purificatione*; sic Marię oratio, ac deprecatio inter omnes Beatas animas maximè agnoscitur, ac eximia eius efficacia prępotens est ad suum Sponsum, ac filium inclinandum, ad misericordiamque flectendum. *Pater Silueira tom. 1. lib. 3. quæst. 2. num. 8.*

Dub. 138. Ad illa verba, cap. 6. vers. 8. *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* Quę sunt filiæ, Reginę, & concubinę quę laudant Beatam Virginem?

Angeli habent continuam Diuinorum speculationem.

Resp. Filię Sion sunt substantię separatæ, id est, Angeli, qui dicuntur filię non propter sexum, sed propter intelligentiam, filię autem Sion propter claram speculationem, & continuam Diuinorum; Sion interpretatur speculatio, & ad hoc sunt creati, surrexerunt autem ad venerandum eam, quam intuentur super se, quam ibi vocat vnam Columbam suam electam genitricis suæ, quia sola fuit tota cum Dei voluntate vnita. Reginæ autem sunt animæ sanctæ quæ ratione bene hic se, & alios rexerunt, concubinæ autem sunt animæ reproborum, quæ cum non habeant Deum in Sponsum generant filios illegitimos; scilicet, malorum operum, quibus non debetur hæreditas superna, & hi etiam reprobi laudant Beatam Virginem, sed filiæ Sion, id est, Angeli magis laudant, quia eam magis speculantur, & perfectiones eius, vnde in superlatiuo gradu: Beatissimam dicunt, & sic Beatam me dicent omnes generationes etiam Angelorum. *D. Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 24. §. 2.*

B. Virgo tota fuit cum Dei voluntate vnita.

Angeli magis laudant Beatam Virginem, quia perfectiones eius magis speculantur.

Dub. 139. Ad illa verba, cap. 6. vers. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens.* Quare ascensus Virginis comparatur Auroræ?

Caro B. Virginis nullam sensit corruptionem.

Resp. Ex quibus verbis patet quod ipsa ascendit cum claritate corporali, & ista est claritas Auroræ, sicut enim Aurora post noctem oritur, tamen nullam obscuritatem retinet. Sic etiam licet ca-

ro eius nata fuerit de corruptibili carne, nullam tamen ſenſit corruptionem, ſed omnem depoſuit miſeriam, & pœnalitatem. *Iacobus de Voragine ſerm. 1. in Aſſumptione.*

B. Virgo finis dolorum, & initium conſolationum.

2. Reſp. Sicut Aurora finis eſt præteritę noctis, & initium diei ſequentis: ſic ipſa Virgo mundo oriens finis dolorum, & conſolationis initium. *Rupertus.*

Medium tenuit inter ſtatum viatorum, & ſtatum comprehenſorum.

3. Reſp. Progreditur vltra nos, & ſupra nos graditur quaſi Aurora rutilans dilectione; & ſicut Aurora media eſt inter noctem, & diem habens ſatis de luce; ſic iſta medium tenuit inter ſtatum viatorum, qui ſunt in nocte mundi tenebroſi, & inter ſtatum comprehenſorum, qui ſunt in die claræ viſionis ſupra omnes enim Sanctos viatores eſt, & ſatis propinqua perfectioni Beatorum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 5.*

Mediatrix inter Deum, & hominem.

4. Reſp. Aſsimilatur enim Auroræ, quia eius miſericordia omnibus eſt neceſſaria; ſicut enim Aurora eſt media inter noctem, & diem, ſic & ipſa eſt mediatrix inter Deum, & hominem. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbat. poſt 2. Dominic. Quadrageſimæ.*

Angelis miraculo fuit.

5. Reſp. Glorioſa Virgo lampas ardentiſsima ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent quæ eſt iſta, quæ progreditur. *D. Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.*

Superat in gloria quemlibet Beatum.

6. Reſp. Comparatur Auroræ ſine dubio, vt Spiritus Sanctus excellentias Beatitudinis Virginis nobis aperiat. Aurora ſuperat in luce quamcumque Stellam ſigillatim ſumptam; ſic & Beata Virgo quemlibet Beatum. *Pater Silueira tom. 3. lib. 5. cap. 16. quæſt. 18. num. 121.*

B. Virgo progrediebatur proficiendo in omnibus virtutibus.

7. Reſp. Sicut enim lux Auroræ progreditur creſcendo in claritate, ſic Maria progrediebatur proficiendo in claritate gratiæ, & bonæ vitæ, progrediebatur vtique proficiendo in omnibus virtutibus vniuerſaliter, vt in omni virtutum claritate eſſet quaſi Aurora conſurgens apud ſe. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. Lect. 11.*

Ad dexteram Filij collocata.

8. Reſp. Velut Aurora conſurgens, cuius ortum, & Luciferi ſimiliter, & Solis ortum præcedit, primo enim oritur Aurora, poſtea Lucifer, & tandem Sol. De hac dicitur *Iob 3. Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ*, imprecatio eſt malorum, & *cap. 38. Nunquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum.* Locum illum oſtendit ei Dominus in Aſſumptione ſua, quando eam Deus ad dexteram ſui Benedicti Filij collocauit. Hæc Aurora eſt media inter noctem humani generis, & lucem claritatis æternę, in ortu huius Auroræ vincitur Angelus à Iacob. *Geneſ. 32.* id eſt, aduentus Filij Dei in carnem, id eſt, ab Angelo magni conſilij Deo Patre, ſcilicet, Sanctorum Patrum precibus impetratur. *Hugo Cardinalis.*

Aduentus Filij Dei in carnem Sanctorum Patrum precibus impetratus.

9. Reſp. Aurora refrigeratiua, & auibus grata fuit iſta Virgo Maria, ipſa enim virginitate ſua carnis ardorem refrigerauit, teſte *D. Bernard.* qui ad eam loquens ait *in deprecat, & laude Beatæ Mariæ.* Tu ardorem vetitæ concupiſcentiæ virtute caſtitatis, in tua virginea carne ea tenus extinxiſti, vt is in cuius conſpectu, nec aſtra munda ſunt tantæ munditiæ, carnem tuam iudicauerit, vt eam ſuæ Diuinæ puritati aglutinare non deſpexerit. *D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 13.*

Sua virginitate carnis ardorem refrigerauit.

Aurora latronum expulſiua.

Dub. 140. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora.* Cur Beata Virgo comparatur Auroræ?

Reſp. Aurora eſt latronum expulſiua. Nam latrones qui de nocte in tenebris exeunt, Aurora, id eſt, adueniente die fugiunt, & ſe abſcondunt. *Iob 24. Si ſubito apparuerit Aurora arbitrantur vmbram mortis;* ita dæmones tanquam in ſani, & exterriti fugiunt cum noſtram Auroram, id eſt, Virginem glorioſam in corde alicuius per deuotionem fulgere cognoſcunt, & *infra.* Quia Aurora eſt roris infuſiua: vnde dicitur Aurora quaſi aura rorans, ita Beata Virgo Maria Diuinæ gratiæ rorem nobis abundanter infundit, quod ſignificatum eſt in lucta Iacob cum Angelo. Nam cum ei dixiſſet Angelus: *Dimitte me, quia Aurora eſt.* Reſpondit: *Non te dimittam, niſi benedixeris mihi,* & poſtea ſequitur: quia *Benedixit ei in eodem loco.* Hæc enim eſt benedictio, de qua dicitur *Geneſ. 26. In rore cœli deſuper erit benedictio tua,* & hic eſt ros ſupernæ gratiæ, quem nobis hæc Aurora infundit, & iſte ros Auroræ eſt decoratiuus, & refrigeratiuus, & dulcoratiuus. Decoratiuus quia dicitur, quod conchæ marinæ in Aurora ſe aperiunt, & rorem ſuſcipientes margaritas concipiunt, quæ ſcilicet, in ornamentis ponuntur, & ſic animæ deuotæ, dum ſe

Dæmones fugiunt deuotos B. Virginis.

Gratiam nobis infundit.

Conchæ marinæ in Aurora ſe aperiunt.

Deuoti B. Virginis affectiones puras concipiunt.

isti Auroræ, id est, Beatæ Virgini per affectum deuotionis aperiunt, rorem gratiæ supernæ suscipiunt, per quam margaritas candidas, id est, affectiones purissimas concipiunt, quæ sunt animæ ornamenta, & ideò isti Auroræ dicitur: *Ros lucis ros tuus*, id est, affectiones tu generas lucidas, & mundas item is ros Auroræ est dulcoratiuus, *Exodi* 16. dicitur: Quod in Aurora colligebatur manna, manna quidem est in ternæ dulcedinis gratia, quam his qui tribulato sunt corde infundit hæc Aurora. Item iste ros est refrigeratiuus; scilicet, ardoris feruentis concupiscentiæ secundum illud *Ecclesiast.* 43. *Ros obuians ardori venienti humilem efficit eum*, & ideo Aurora est caloris temperatiua. *Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1 *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Tribulationes suorum in dulcedinem vertit.

Aurora caloris temperatiua.

Temperat B. Virgo ardorem cõcupiscentiæ.

Dub. 141. Ad illa verba, cap. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur.* Quis hæc de Beata Virgine quærit?

Resp. De Beata Virgine potest exponi, vt introducatur synagoga pro tempore ipsius, eius pulchritudinem, & venustatem admirans. Licet enim ipsa Beata Virgo fuisset prænuntiata in lege, & prophetis, Iudea tamen quasi incredula quærit, quæ est ista, quæ progreditur ad totius Ecclesiæ irrigationem, & fœcundationem. *Ecclesiast.* 34. *Quasi aquæ ductus irriguus exiui de Paradiso.* Huius progressus dilationem lamentabatur. *Isai.* 63. cum dixit: *Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum continuerunt se super me*, & *cap.* 41. *Egeni, & pauperes, quærunt aquas, & non sunt*, vnde temporibus ante ipsius progressum ponebantur omnes cum Ieremia, *cap.* 33. *In lacum in quo non erat aqua*, sed cum venit in hortum Ecclesiæ ista aqua quam vidit. *Ezech.* 47. egredientem de Templo, tunc fœcundari cœpit Ecclesia, & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt, vt ibi habetur. Non poterat aqua ista exire donec ductum haberet, sed cum fluxit plenissimè progreditur, ergo ex genere regali, & Sacerdotali Summum Regem, & Sacerdotem Dominum paritura. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo data ad Ecclesiæ fœcundationem.

Sanctitas B. Virginis desiderata.

Dub. 142. Ad illa verba, Cant. 6. ver. 9. *Quasi Aurora.* Cur Beata Virgo Aurora?

Nata B. Virgine infirmitas humana curata est.

Resp. Naturaliter experimur ægritudines humanas alleuiari, & feras bestias ad latibula sua fugere, & homines audaciores fieri in Aurora, quam temporenoctis essent. Totum tempus præcedens aduentum Beatę Virginis fuit, nox, & obscuritas in qua ęgrotabat humanum genus, infernales ferę, id est, dęmones ardentius dominabantur, & homines timidi erant in conspectu Dei, & Angelorum, propter primorum parentum maculam; sed hac benedicta radiante Aurora, curata est ęgritudo humana, fugit diabolus à conspectu nostro, ideò ipsam Auroram arbitrantur vmbram mortis, & nos facti sumus audaces, & securi apparare coram Domino, & gratiam postulare. *Antonius Rampegolis, Ordinis Sancti Patris nostri Augustini.*

Pulchritudo Lunæ in quo consistit.

Dub. 143. Ad illa verba, cap. 6. vers. 9. *Pulchra vt Luna.* Cur pulchra vt Luna?

Deus totus receptus in B. Virgine.

Resp. Pulchra vt Luna fuit Virgo Maria, pulchritudo enim Lunę consistit in lumine recepto à Sole. Pensa igitur quam pulchra Luna fuerit Maria, quando ęternus ille Sol totus receptus, & conceptus est in ipsa. *D. Bonauentura in specul. B. Virg. Lect.* 13.

Luna habet virtutem super mare.

2. Resp. Assimilatur Luna, sicut Luna lucet in nocte, & est vicina terrę, & habet virtutem, & efficaciam super mare, sic & ipsa; scilicet, Maria lucet peccatoribus dando eis lumen suę gratię, & est vicina eis succurrendo per effectum misericordię, & ostendit virtutem suam super afflictos, & amaricatos dando eis dulcedinem consolationis suę. *Iacobus de Voragine serm.* 2. *Sabbat. post Cineres.*

B. Virgo vicina peccatoribus eis succurrendo.

B. Virgo præ cæteris Sanctis peccatoribus magis propinqua.

3. Resp. Assimilatur Lunę, quia eius misericordia omnibus est vicinior, sicut enim Luna prę cęteris Planetis terrę magis est vicina; sic & ipsa prę cęteris Sanctis peccatoribus est magis propinqua. *Iacobus de Vorag. serm.* 2. *Sabbath. post* 2. *Dominic. Quadragesimæ.*

Virgo Maria Angelos, & homines exuperat virtute, gratia, & gloria.

4. Resp. Quid Luna pulchrius cum Stellis coruscantibus, in signifero limite reliquorum syderum splendorem excedit. Considera quam stellaris, & serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem Orbem tanti sideris perfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet. Sic Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros super eminens, & euecta merita singulorum, & omnium titulos antecedit, quàmtumlibet alię Stellæ reluceant; Luna tamen, & magnitudine pręeminet, & splendore, sicut vtramque naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratię, & fulgo-

gote virtutum. *Petrus Damianus ſerm. de Aſſumptione.*

Decor Lunæ apparet cum eſt plena.

5. Reſp. Luna eſt decor noctis, non ſolum quia noctem illuminat, ſed etiam quia in nocte decor ipſius apparet, præcipuè tunc cum eſt plena: ita Beata Virgo Maria in nocte, id eſt, in obſcuritate præſentis vitæ exiſtens, fuit plena luce, ſiue luce gratiæ Diuinæ, ſicut Angelus dixit: *Aue gratia plena*, ſiue luce Diuinæ præſentię propter quod ſubdidit, *Dominus tecum*, Dominus; ſcilicet, Pater te deſponſans, Dominus Filius te impregnans, Dominus Spiritus Sanctus te ſanctificans. Vnde ipſa fuit totius Trinitatis nobile triclinium. Siue luce virginalis munditiæ, quæ candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, propterquam lucem addidit Angelus: *Benedicta tu in mulieribus*, ſiquidem ante eam mulieres in virginitate permanentes propter ſterilitatem erant maledictioni legis obnoxiæ. Sed iſta in mulieribus etiam virginibus benedicta, ex eo quod quamquam Virgo, non tamen ſterilis, ſed Diuinitus fœcunda, & ideò Mater intacta; & ſic patet quod Beatiſsima Virgo Maria quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Plena luce gratiæ, & Diuinæ præſentia.

Totius Trinitatis nobile triclinium.

Virgo fuit, & fœcunda.

Præcæteris Sanctis illuminat peccatores.

6. Reſp. Fuit pulchra vt Luna; quia ſicut Luna plena præcipuè illuminat tenebras noctis, ſic iſta peccatores, & tribulatos. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 2.*

Quidquid pulchritudinis habêt alij Sancti in parte, B. Virgo habuit in toto.

7. Reſp. Dicitur pulchra vt Luna, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, quia quidquid alij ſancti pulchritudinis habent in parte, habet iſta in toto. Nemo enim Sanctorum inuentus eſt ſimilis illi in humilitate, nemo in charitate, & ſic de ſingulis virtutibus, verè enim pulcherrima, quæ tot habuit in ſe pulchritudines, quot virtutes, & ſingulas in ſuperlatiuo gradu, & ideò benè dicitur ſingularis, ſiquidem virginitas ab omni immunditia carnis, & ſenſuum ipſam conſeruat immunem, ſcilicet oculos eius, ne viderent vanitatem, aures ne audirent linguam nequam, os ne guſtaret quod guſtatum afferret mortem, & ſic de alijs ſenſibus. *B. Albert. Magn. lib. 5. de laudib. B. M. cap. 1. num. 1.*

B. Virgo fuit ſingularis in cuſtodia ſenſuum.

8. Reſp. Aſcendit cum claritate ſpirituali, id eſt, cum anima, quæ tota fuit luce perfuſa, & iſta eſt claritas Lunæ, ſicut enim Luna poſt Solem maiorem habet lucem, ſic & ipſa poſt Filium maiorem habet cognitionem. *Iacobus de Voragine ſerm. 1. in Aſſumpt. B. M.*

Virgo Maria poſt filiũ maiorem habet cognitionẽ.

9. Reſp. Nota quod non comparatur Lunæ Beata Virgo ſecundum ſtatum eius præſentem, quia nunc habet maculam; ſed perfectiori Lunæ quæ erit in futuro, quando omnis macula omnino auferetur, quando lux Lunæ erit quaſi lux Solis. *Iſaiæ 30.* idcò dicitur Luna perfecta in æternum. *Item.* Luna creſcens habet cornua verſus Solis ortum, decreſcens verſus Solis occaſum, quia Chriſtum, quem naſciturum exſe, gaudens expectauerat, dolens expectauit pro nobis moriturum. Per cornua Lunæ cogitationes intellige, in Paſſione Filij obſcurata eſt hæc Luna per cordis triſtitiam, quæ eſt omnis plaga, *Eccleſ. 25.* quia Sol Iuſtitiæ, qui tunc eclipſabatur, & cui non erat aſpectus. *Iſaiæ 53.* quos in ipſam dirigeret radios non habebat, licet enim plena ſemper fuerit gratia, & ſine macula culpæ, non tamen caruit macula humanæ miſeriæ, ſicut nec Luna in præſenti quantumcunque pulchra caret omnino macula, fuit etiam tunc in iunctione Solis, quando Lunæ claritas non apparet, quando commoriens Filio per compaſsionem ſtetit iuxta Crucem eius. *Ioann. 19.* item Luna Sole recedente mundum illuminat, quia Sole Iuſtitiæ tranſeunte de mundo ad Patrem per mortem corporalem, *Ioann. 13.* fide ſua totam illuſtrauit Eccleſiam in triduo Dominicæ ſepulturæ. *B. Albertus Magnus lib. 7. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 4. num. 2.*

B. Virgo nullâ macula fuit pollutaſ

Virgo Mariã dolens expectabat filium morituruꝫ

Stetit iuxta Crucem commoriens Filio.

B. Virgo in triduo Dominicæ ſepulturæ fide ſuaEcclesiam illuminauit.

Dub. 144. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 9. *Electa vt Sol.* Cur Beata Virgo electa vt Sol?

Reſp. Electa vt Sol fuit Maria in lucidiſsima fœcunditatis ſingularitate, quando non homo purus, non Angelus verus, ſed ipſe Dei Filius ipſe Sol Iuſtitiæ in Sole poſuit Tabernaculum ſuum dum in Maria conceptus fuit. Valde certe ſingulare fuiſſet, ſi Virgo purum hominem concepiſſet, multo autem ſingularius fuiſſet, ſi Virgo Angelum concepiſſet, ſed ſupra omnia ſingulariſsimum fuit, quod Virgo Deum concepit, Deum peperit. *Diuus Bonauentura in ſpeculo B. Virg. Lect. 13.*

Singularitèr fœcũda, quia non hominẽ, non Angelũ, ſed Deũ concepit, & peperit.

2. R. Sol habet virtutem diſcretiuam, quia per eius lucẽ omnia detegentem nunc colores omnes diſcernimus, & nigrum de albo diſtinguimus. Similiter ipſa eſt quæ mentibus ſibi deuotis acquirit lumen diſcretionis, & veram

Sol habet virtutem diſcretiuam.

cognitionem vitiorum, atque virtutum, vnde dicitur: *Mater agnitionis.* Hoc lumine carent illi miseri, qui reuerentiam non habent ad eam, sed potius contra eam infœlices suas linguas relaxant blasphemantes, qui verè possunt dicere iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol Iustitiæ non est ortus nobis, & illud *Eccles. 6. Non vidit Solem, nec cognouit distantiam boni, & mali.* Item Sol habet virtutem fortificatiuam. Vnde videmus, quod in eius ascensu super nostrum Orizontem virtutes animalium roborantur, & fortiores efficiuntur, & vsque ad diem mediam augmentatur, & quando Sol tendit ad Occasum debilitantur, & ideò in somnum animalia resoluuntur. Vnde etiam flores in ortu Solis apertiuntur, qui in Occasu clauduntur, ita Beata Virgo Maria sibi deuotos confortat, & roborat dum eis subueniendo ad spem, & fiduciam sui mentes eorum subleuat, vnde ipsa dicitur esse: *Mater sanctæ spei, Ecclesiast.* 24. propter dictas proprietates dicitur esse electa vt Sol. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Deuotis suis acquirit lumen discretionis ad agnitionem vitiorum, & virtutum.

Sol habet virtutem fortificatiuam.

B. Virgo deuotos suos per spem, & fiduciam sui subleuat, & roborat.

Dub. 145. Ad eadem verba, cap. 6. vers. 9. *Electa vt Sol.* Cur B. Virgo comparatur Soli?

Sol habet tres Planetas superiores, & tres inferiores.

Resp. Assimilatur Soli; nam sicut Sol habet tres Planetas superiores, & tres inferiores, & ipse est in medio constitutus: sic & ipsa habet supra se Tres in Trinitate Personas, & sub se tres status Saluandorum; scilicet, virgines, continentes, & coniugatos, & ipsa est in medio constituta, reconcilians tres status supradictos, Saluandorum ipsi Beatissimæ Trinitati. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabb. post Cineres.*

Virgo Maria reconciliat Beatissimæ Trinitati saluandos.

2. Resp. Sol habet efficaciam in effectu, habet enim virtutem calefactiuam, & inflammatiuam. Nam ex motu radiorum, & eorum confractione, & multiplicatione calor generatur in obiecti corporis superficie, & maximè si corpus obiectum fuerit speculare, sicut dicitur in perspectiua, quare si circa speculum concauum stuppa ponatur à calore generato incenditur; sic quoque Beata Virgo mentes puras, & sibi deuotas, quæ sunt vt specula munda inflammat ad Dei dilectionem, vnde ipsa dicitur: *Mater pulchræ dilectionis, Ecclesiast.* 24. & hæc est inflammatio amoris, quæ arefecit fœnum concupiscentiæ carnalis, *Iacob 1. Exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum. Ioannes à Sancto Geminiano vbi supra.*

Sol habet virtutem calefactiuam.

Deuotos suos inflammat ad amorem Dei.

Dub. 146. Ad eadem verba, Cant. 6. vers. 9. *Electa vt Sol.* Cur Beata Virgo dicitur Sol?

B. Virgo misericordiam suam omnibus expandit.

Resp. Assimilatur Soli, quia eius misericordia est communior, sicut enim Sol lucem suam, & calorem omnibus tribuit; sic ipsa lucem, & calorem eius misericordiæ omnibus expandit. Nihilominus assimilatur Stellæ maris, quia eius misericordia est omnibus diuturnior, sicut enim cæteris Stellis occidentibus Stella maris non occidit; sic cæteris Sanctis non exaudientibus, Maria tamen non deserit. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. post 2. Dominic. Quadragesimæ.*

Sol lucem suam omnibus tribuit.

Stella maris non occidit.

Cæteris Sanctis nõ exaudientibus B. Virgo non deserit.

2. Resp. Sol habet virtutem fœcundatiuam omnia enim hic inferiora fœcundat, & generatiuam eorum potentiam excitat, adiuuat, & confortat. Vnde videmus ad sensum, quod nihil fructificat, nec crescit, vbi solaris radius non attingit, illud autem quod facit animam bonis operibus fœcundam est timor Dei, vnde dicitur. *Eccles. 15. Qui timet Deum faciet bona;* sed Beata Virgo Maria etiam dicitur Mater timoris, *Ecclesiast.* 12. Quia scilicet, sibi deuotos ad Deum timendum inducit, & eis suis meritis donum timoris acquirit; ex quo eos in bonis operibus fœcundos efficit. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi supra.*

Sol habet virtutem fœcundatiuam.

B. Virgo deuotis suis donum timoris acquirit.

Dub. 147. Ad eadem verba, Cant. 6. vers. 9. *Electa vt Sol.* Cur Spiritus Sanctus excellentiam Beatæ Mariæ Soli comparat?

Resp. Hanc attende similitudinem, quia nulla in rebus mundi potest esse sublimior, nihil enim habuit Spiritus Sanctus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Sol lucidius incandescens, ita siderum, & Lunæ rapuit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint, similiter, & virga Iesse veri præuia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. *Damianus serm. de Assumptione.*

Nulles Beatorum potest in gloria cõparari B. Virgini.

2. Resp. Maria Mater Domini assimilatur Soli, quia Sol habet nobilitatem

in

B. Virgo nata ex regali stirpe.

in ortu, oritur enim ex alto, & cum splendore multo, sic Beatissima Virgo Maria orta est ex alta progenie, quia; scilicet, ex Regali stirpe, & nata cum sanctitatis splendore. *Ioannes à Sancto Geminiano vbi supra.*

Sol nobilis in ortu.

Nata cum sanctitatis splendore.

3. Resp. Sicut Sol illuminat diem, sic illa iustos, & pios, & sicut radios suos vbique diffundit clarior, & plus influens in inferioribus, quam cæteri Planetæ; sic ista clarior cunctis sanctis beneficia sua vbique diffundit. *D. Antoninus 4. part. titul. 15. capit. 45. §. 5.*

Beneficia sua præ cæteris sanctis vbique diffundit.

Dub. 147. Ad eadem verba, Cant. 6. vers. 9. *Electa Vt Sol.* Cur Virgo Maria Soli comparatur?

Sol radios suos vbique diffundit.

Resp. Sol habet velocitatem in motu, vnde & satis cito perficit suum circulum, qui tamen est valde magnus, continue enim Sol mouetur velocius quàm sagitta, licet in aspectu nostro, quasi non moueri videatur prænimia enim claritatis intensione sicut, & eius quantitas, sic & eius velocitas subterfugit visum nostrum. Similiter Beata Virgo Maria velocitatem habuit in motu obedientiæ, quia Diuinæ voluntati per Angelum sibi expositæ cito consensit dicens: *Ecce Ancilla Domini, Lucæ 1.* Item in motu beneuolentiæ, quia statim ascendit in montana cum festinatione, & salutauit Elisabeth, in quo dedit exemplum conscendendi ad superiora per perfectionem virtutum, sine negligentiæ tarditate. Item in motu pœnitentiæ, quia dolenter, & sollicite Filium suum requisiuit, quem ex aliqua forte sui negligentia se perdidisse timuit. *Lucæ 2. Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Ioannes à Sancto Geminiano ibidem.*

Sol habet velocitatem in motu.

B. Virgo velox fuit in obedientia.

Festinat in beneuolentia exhibenda.

Festinat in requirendo filium.

Dub. 148. Ad illa verba, Cant. 6. vers. 9. *Pulchra Vt Luna.* Cur Lunæ comparatur Beata Virgo?

Luna tunc est pulchra, quando est plena.

Resp. Luna enim tunc est pulchra, quando est plena, & tunc tota nocte lucet, quando autem Luna non est plena, modo lucet in principio noctis, modo in medio, modo in fine; sic etiam sunt quidam sancti qui adiuuant tribulatos, aliquando in principio tribulationis, constantiam in tribulatione tribuendo, aliquando vero permittunt eos tribulari, & tentari in principio, sed tamen iuuant in medio perseuerantiam dando; Alij quando dimittunt eos tribulari in principio, & in medio, & adiuuant in fine, ne; scilicet, per impatientiam cadant victoriam eis conferendo. Virgo autem Maria est sicut Luna plena, quæ adiuuat in principio tentationis, & tribulationis dando constantiam, adiuuat in medio dando perseuerantiam, adiuuat in fine dando coronam, seu victoriam; Nec mirum si ista Luna lucet tribulatis, & obscuratis, quia etiam fuit tribulata, & obscurata, ideò scit melius tribulatis compati, & misereri. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. 4. Quadragesimæ.*

B. Virgo dat constantiam, & victoriam.

B. Virgo quia fuit tribulata, scit tribulatis compati.

2. Resp. Beata Virgo assimilatur Lunæ, quia Luna est mater roris, nam vim suæ humiditatis aeri imprimit, & aerem subtiliter alterans, & immutans, in ipsius superficie rorem gignit; vnde manifeste videmus, quod æstiuali tempore quanto Luna est serenior, tanto abundantior ros, super gramina se ostendit. Rori autem assimilatur Filius Dei Incarnatus propter ipsius roris generationem. Nam ros generatur in insterstitio medio aeris, & temperate calido, & temperate frigido; tria autem insterstitia sunt, cœlum, mundus, infernus; Hæc ergo irroratio, id est, Filij Dei Incarnatio non est facta in supremo insterstitio, id est, in cœlo, quia naturam Angelicam non assumpsit, nec in infimo; scilicet, in inferno, quia dæmones non redemit, sed in medio, id est, in mundo, quia naturæ humanæ se vniuit, *Oseæ 14. Ero quasi ros.* Huius roris mater fuit Beata Maria, quia inter eius virginea viscera ros iste cœlestis descendens nostræ se carni vniuit. Est enim quoddam genus piscis, qui coclea vocatur, qui tempore roris ad littus procedens, & ibi se aperiens, rorem cœlestem intra viscera suscipit, & se claudens margaritam gignit. Ista coclea est Beata Virgo Maria, quæ rori cœlesti perfusa, generauit de suis visceribus margaritam pretiosam. De qua *Matth. 13. Inuenta autem vna pretiosa margarita abijt, & vendidit;* Hæc margarita Christus est propter quem debemus omnia vendere, quæ habemus; scilicet, terrenam substantiam, voluntatem propriam, & conuersationem mundanam, & eam emere. Istum rorem Deus totum posuit in vterum Virginis, & inde procedens totum mundum irrigauit. *D. Bernard.* Rigaturus aream Deus cœlesti rore totum vellus prius infundit, Redempturus etiam genus humanum, pretium contulit in Mariam.

Luna mater roris.

Filius Dei Incarnatus rori comparatur.

Filius Dei inter virginea viscera nostræ se carni vniuit.

Piscis, coclea dictus quomodo margaritam gignit.

De suis visceribus Christum generauit.

Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.

Dub. 149. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 9. *Aurora conſurgens, pulchra, vt Luna, electa vt Sol.* Cur Beata Virgo Auroræ, Lunæ, & Soli comparatur?

Reſp. Luna lucet in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die; Nox autem eſt culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia; qui ergo lucet in nocte culpæ reſpiciat Lunam, deprecetur Mariam, qui ad diluculum pœnitentiæ ſurgit, reſpiciat Auroram, deprecetur Mariam. *Innocentius Papa ſerm. 2. de Aſſumptione.*

Per Beatam Virginē peccator ſurgit ad pœnitentiam.

2. Reſp. Pulchra vt Luna in Chriſti Natiuitate, electa vt Sol in ſua Aſſumptione in qua omnes Angeli eius pulchritudinem admirati ſunt, *Eccleſiaſt. 43. Sol in aſpectu;* ibi electa eſt, illic præelecta & ad eius dexteram collocata, eum & ei dixit: *Veni electa mea ponam in te thronum meum,* ibi ſcilicet, ad dexteram Filij eſt ipſa. *Hugo Cardinalis.*

Pulchra in Chriſti Natiuitate, & in Aſſumptione.

3. Reſp. Ipſa eſt quam Salomon comparat Auroræ in ſua Natiuitate, Lunæ plenæ in Filij Dei ineffabili conceptione, Soli in ſua Aſſumptione. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo fuit Aurora in ſua Natiuitate.

Luna in conceptione Filij, Sol in ſua Aſſumptione.

4. Reſp. Quantæ dignitatis eſt quæ cum tanto honore, & cum tanta gloria progreditur, vt merito ſuæ pulchritudinis Auroræ comparetur. Progreditur in quam de virtute in virtutem, quaſi Aurora, quia ſicut Aurora Solem ſuper terram lucentem mundo inducit: ſic Virgo Maria, quaſi cœleſtis Aurora Solem Iuſtitiæ mundo parit. Aurora Solem antecedit, ſed ipſa tamen à Solis virtute procedit: ſic Virgo veri luminis præuia, id eſt, Solis Iuſtitiæ eſt prænuntia: ſed tamen ab ipſo ſpirituali gratia eſt illuminata. Et verè quaſi Aurora conſurgens, id eſt, tota ſimul ſurgens, quia tota fuit ſancta, & corpore, & ſpiritu ſplendens. *B. Alanus de Rupe, Ord. Prædicator.*

B. Virgo Solem Iuſtitiæ mundo parit.

B. Virgo à Chriſto ſpirituali gratia illuminata.

B. Virgo corpore, & animâ ſplendens.

5. Reſp. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Nam ſicut Luna noctem irradiat, ita hæc exemplo nos illuminat, Solem Iuſtitiæ pariendo, tenebras noſtræ ignorantiæ eliminat. Et ſicut Luna illuminatur à Sole, ſic Virgo illuſtratur veri Solis claritate. Et ſicut pulchra eſt vt Luna, imo pluſquam Luna, quia Luna aliquando defecit, iſta ſemper proficit: Luna decreſcit, iſta ſemper creſcit: Luna aliquam in ſe habet maculam, iſta nullam, ideò electa vt Sol, quia in ſe nullum habet defectum luminis: ſicut Sol omnibus antefertur mundanis: ſic iſta omnibus creaturis præfertur, & ipſum verum Solem imitari nititur viuendo in omni humilitate, manſuetudine, Iuſtitia, & ſanctitate. Et ſicut Sol ſui curſus ſolitas non mutat habenas, ſic Beata Virgo propoſitum, quod ſemel arripuit, non mutauit. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. Virgo ſuo exemplo nos illuminat.

B. Virgo nullum habuit defectum.

B. Virgo omnibus creaturis præfertur.

Filium imitata eſt.

B. Virgo propoſitum non mutauit.

6. Reſp. Aurora lux eſt tenebras quaſſuis exterminans, ac ſemper creſcens vſque ad perfectum diem: ſic Virgo benedicta Legis antiquæ limes, & Euangelij in ſua conceptione ab omni prorſus labe aliena, & Luciferum Ioannem, & ipſum Solem Iuſtitiæ progrediendo præcurrens, abiſſe noctem indicat, & ſalutis diem exceſſis impietatis tenebris, prorſus aduentare. Quę inſuper pulchra vt Luna ſcribitur, imo pulchrior quam Luna. Nimirum quę à die Natiuitatis, vſque in ſæculum deliquium lucis non ſentit: ſed multiplicibus virtutum incrementis, & ſuperni Solis in occiduis ſplendoribus radiatur. Nam hæc eſt Luna perfecta, & teſtis in cœlo fidelis. Sequitur: *Electa vt Sol.* Ratio, quia Sole amictam in Apocalypſi eam depingit Ioannes. Nec nomen Solis ipſa abhorret, cum in Pſalmo ſcriptum ſit: *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* Nonne inſtar Solis ipſa luxit naſcendo, & in cœlos aſcendendo? Nempè quotidie ſanctitate, obedientia, & humilitate, ac pietate cæteriſque id genus virtutibus mirum inmodum irradians, vniuerſum Orbem illuminat, cordaque noſtra inflammat. *Alphonſus ab Orozco annotatione 32. ex Canticis.*

B. Virgo ſine Legis antiquæ.

B. Virgo virtutum incrementis progreſſus.

E. Virgo homines illuminat, corda inflammat.

Dub. 150. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 9. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Cur dicitur Beata Virgo terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?

Reſp. Non ita metuunt hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, Patrocinium, & exemplum, cedunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis vbicumque inuenerint huius nominis crebram recordationem, deuotam inuocationem, ſollicitam imitationem. Roganda eſt igitur aſſidue Maria, vt nomen ſuum quod eſt Domina interpretetur in nobis, tentatores noſtros expugnando, & ſe turrim fortitudinis nobis exhibendo à facie inimici, & vt hoc nobis præſtare dignetur. Nomen eius, & memoriale in deſiderio animæ, & iugi memoria teneatur. *Beatus Albertus Magnus lib. 1. de laudi-*

Timet diabolus Nomen Virginis, & Patrocinium.

Quidquid pro peccatoribus petierit impetrabit.

dibus Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 4.

2. Resp. Terribilis potestatibus aereis, vt castrorum acies ordinata, nam benè sciunt, quod quidquid pro peccatoribus petierit impetrabit. Vnde 3. Reg. 2. Dixit Salomon Matri suę: *Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Hęc est Arca fœderis in qua responsa accipimus, de qua dixerunt Acharonitę. 1. Reg. 5. *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israel.* Hęc Arca manna continet, & reseruat, quo pascamur in deserto huius sęculi vagantes, vsque dum veniamus ad terram Promissionis. Hæc est ergo terribilis inimicis, vt castrorum acies ordinata. Vnde *Eccles. ast.* 43. *Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens. Hugo Cardinalis.*

Beata Virgo acies ordinata contra Paganos, Hæreticos, & Iudæos.

Dub. 151. Ad illa verba, cap. 6. vers. 9. *Acies ordinata.* Contra quos Beata Virgo est acies ordinata?

Resp. Ordinata tripliciter contra tres acies inimicorum, Paganos; scilicet, Hęreticos, & Iudęos. De quibus *Eccles. ast.* 50. *Duas gentes odiit anima mea, & tertia non est gens quam oderim.* Contra Paganos ordinata est latriam exhibens Deo vero, cum dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Hic enim destruxit idolatriam, qua creaturę exhibetur honor soli Deo debitus Creatori. Contra Hæreticos cum dixit: *Et exultauit spiritus meus*, contra Iudæos cum dixit: *Suscepit Israel puerum suum. Hugo Cardinalis.*

Dub. 152. Ad illa verba, cap. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Quis hæc quærit de Sponsa?

Resp. De hac quærit incredula synagoga, vel pre admiratione, & gaudio fidelium Ecclesia, vel ipse supernarum virtutum chorus, *quæ est ista.* Sed ad hanc quæstionem respondit Ioachim Summus Sacerdos. *Iudith* 15. vbi in persona Iudith dicit ad eam. *Tu gloria Ierusalem, Tu lætitia Israel, Tu honorificentia populi nostri.* Taliter eam per circumlocutionem describit, tamen ei vno nomine venerat comprehendi. Ipsa gloria Ierusalem, id est, claustralium dans eis formam, & regulam obediendi, cum dixit *Lucæ* 1. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Lætitia Israel, id est, Scholarium, & Clericorum, Scholarium dans eis formam studendi, & legendi, vt attenti sint, & solliciti intelligere, & opere complere, quæ legunt.

Religiosis dedit regulam obedientiæ.

Scholasticis dedit formã studendi.

Lucæ 1. *Maria conseruabat omnia verba hæc*, vnde & Philippus dixit Eunucho, *Actuum* 8. Legenti Isaiam Prophetam: *Putas ne intelligis, quæ legis?* ac honorificentia populi, id est, laicorum, in hoc quod statim credidit malus; scilicet, si Dei Filium parituram, vbi Summus Sacerdos; scilicet, Zacharias de multo minori dubitauit; scilicet, Elisabeth iam senem prolem de ipso habituram. *Lucæ* 1. Gloria est in se, lætitia in nobis, honorificentia, id est, ab alijs ornata, quod triplici eius benè congruit interpretationi, interpretatur enim illuminata, illuminatrix, & Domina, quia illuminata gloria, quia illuminatrix lætitia, vel lætificans, quia Domina honorata. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo maius credidit; Zacharias vero de multo minori dubitauit.

Maria interpretatur illuminata, illuminatrix, & Domina.

Dub. 153. Ad illa verba, cap. 6. vers. 10. *Descendi in hortum nucum.* Cur Beata Virgo dicitur hortus nucum?

Resp. De Beata Virgine potest exponi, in quam descendit Filius Dei, vt respondeat ipse Filius Dei Angelis prius cum admiratione quærentibus: *Quæ est ista.* Descendit in hortum nucum, id est, in Beatæ Virginis vterum, quæ est hortus conclusus, de quo *supra* 4. & de quo *Genes.* 2. *Plantauerat autem Dominus Paradisum voluptatis ab initio.* Et nucum est hortus iste secundum tria, quæ in nuce est inuenire, quæ & in Beata Virgine inueniuntur; scilicet, corticis amaritudo. Maria enim interpretatur amarum mare per contrarium sic vocata, quæ nihil penitus amaritudinis habebat. Testa duricia in sancti propositi firmitate. Vnde Angelo respondit. *Lucæ* 1. *Quommodo fiet istud quoniam virum non cognosco*, Nuclei dulcedo in fructus pretiositate, vnde & in eodem: *Et Benedictus fructus ventris tui. Hugo Cardinalis.*

Nihil amaritudinis habuit.

Habuit propositi firmitatem.

2. Resp. Nota quod vbi habemus in littera nostra *meum*, quidam codices habent *nucum*, quod eleganter conuenit Virgini gloriosæ, Nux quippe habet amarum corticem, testam duram, nucleum dulcissimum: ita Virgo Mater exterius habuit carnis infirmitatem, & duram testam, id est, fidei firmam constantiam, & virginitatis perseuerantiam: & dulcissimum nucleum Christum, quia mundo parit Christum ex quo data est nobis dulcedo æternæ Beatitudinis: sic ergo Christus descendit in Virginem per Incarnationis suæ humilitatem, vt videret, hoc est, videre faceret poma conuallis, id est, fructus, qui in humilitate condiuntur. *B. Alanus de Rupe.*

B. Virginis in fide constantia, & in virginitate perseuerantia.

Dub.

B. Virgo habuit multiplices fructus humilitatis.

Dub. 154. Ad illa verba, Cant. 6. vers. 10. *Vt viderem poma conuallium,* Quid significatur per poma conuallium?

Resp. Poma conuallium, id est, multiplices fructus humilitatis suæ, tam interioris, quàm exterioris manifestatem, & alios videre facerem: ac per approbationem etiam me videre significare, secundum quod ipsa dixit, *Lucæ* 1. *Quia respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ,* quorum vnus est sapientia, *Prouerb.* 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Alius exaltatio, *Lucæ* 14. *Qui se humiliat exaltabitur.* Tertius bonorum operum multiplicatio, *Psal.* 64. *Valles abundabunt frumento.* Quartus, fluuiorum doctrinę abundantia, & profluuium, *Psalm.* 103. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Quintus, à procella, & ventis absconsio, *Isaiæ* 32. *Erit quasi qui abscondit à se vento. Hugo Cardinalis.*

Sapientia fructus humilitatis.

Exaltatio humilitatis fructus.

Bonorum operum multiplicatio fructus humilitatis.

Doctrinæ abundantia humilitatis fructus.

Dub. 155. Ad illa verba, cap. 6. vers. 10. *Et inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Quo sensu hæc aptantur Beatæ Virgini?

Floruit B. Virgo in Filij Dei conceptione.

Resp. Si floruisset vinea, id est, Virgo Beata, de qua vitis vera processit. Floruit hęc vinea in Filij Dei conceptione, & germinassent mala punica, per quę designantur charitatis Beatę Virginis, quam erga nos habet, multiplices effectus, qui licet in omnes defluant, & emanent, tamen plena remanet, & redundat, cui dictum est: *Aue gratia plena,* nec mirum cum ab ipsa ortum habuerit fons indeficiens charismatum & gratiarum. *Hugo Card.*

Charitas B. Virg. indeficiens.

Dub. 156. Ad illa verba, cap. 6. vers. 11. *Reuertere vt intueamur te.* Cur desiderat eam intueri?

Summa gloria, post Deū B. Virginem videre.

Re. Summa gloria est post Deū te videre, adhęrere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. *Damian. serm.* 1. *de Natiuit.*

Dub. 157. Ad illa verba, cap. 6. vers. 11. *Vt intueamur te.* Cur ponitur verbum plurale?

Angeli, & Beati in eam desiderant intueri.

Resp. Ponitur verbum plurale, & notatur Trinitas Personarum, ideo dicit etiam ei Sponsus *Cantic.* 2. *Vox tua dulcis,* ad audiendum, *& facies tua decora,* ad intuendum, secundo oculis Angelorum, & omnium Beatorum, qui in eam sicut in Filium desiderant intueri, 1. *Petri* 1. Non dico sicutissime. Tertio, oculis hominum, creditur enim, quod fere nullus potuit eam intueri, quandiu fuit in mundo, quia eam statim non amaret, nunquam tamen male fuit adamata. *Beatus Albertus Magnus lib.* 5. *de laudibus B. Virg. cap.* 1. *num.* 1.

B. Virgo ab intuentibus eam fuit amata, sed non male adamata.

Dub. 158. Ad illa verba, cap. 6. vers. 11. *Reuertere Sunamitis.* Cur Beata Virgo Maria vocatur Sunamitis?

B. Virgo mortificauit in se æstum libidinis.

Resp. Sunamitis interpretatur mortificans, vel mortificata, hæc est Maria, quæ mortificauit in se carnem, & omnem æstum libidinis, & mortificata quodammodo fuit à mundo in Filij Passione. Interpretatur etiam coccinea, & in coccino feruentissima eius charitas figuratur, fuit etiam coccinea, quia in sanguine Filij per compassionem rubricata. *Beatus Albertus Magnus vbi supra.*

Sanguine Filij per compassionem rubricata.

2. Resp. Sunamitis idem est atque despecta, quo igitur magis ò Deipara nostra Te peccata despiciunt, & contemnunt: eo citius, & frequentius reuertere, quo minus nostra Te studia ambiunt, & implorant, eo misericordior, & clementior auxiliare, vt quo minora sunt nostra merita, eo magis Tua misericordia commendetur. Maternus Te semper pro nobis vrgeat affectus. *Pater Mendoza* 1. *Reg.* 14. *annot.* 17. *sect.* 2. *num.* 7.

Peccator misericordiam Virginis imploret.

Dub. 159. Ad illa verba, cap. 6. ver. 11. *Reuertere. Reuertere Sunamitis, vt intueamur te.* Ipsa est ad quam omnis peregrinatio clamat, quare quater dicitur Reuertere?

Non est sic cœlo ita impassibilis, vt sit incompassibilis.

Resp. Reuertere primo per naturam, nunquid quia ita Deificata ideò nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina! Scis in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui, non enim conuenit tantæ misericordiæ tantam miseriam obliuisci; quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura. Non enim ita memoraris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas: Neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, & iustum est, vt de rore tantæ pietatis diffusius infundamur. Reuertere secundo per potentiam, fecit in te magna qui potens est. *Lucæ* 1. & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra. *Matth.* 28. Quid tibi negabitur cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fęcis, & miseriæ subleuasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est despe-

Quanto potentior apud Deum, tanto misericors erga homines.

ra-

ratos in ſpem Beatitudinis releuare. Quommodo enim illa poteſtas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non ſolum rogans, ſed imperans Domina, non Ancilla, moueat te natura, potentia moueat, quia quanto potentior, tanto miſericordior eſſe debebis. Reuertere tertio per amorem, ſcio Domina quia benigniſsima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & Deus tuus ſumma dilectione dilexit, quis ſcit quoties refrigeras iram iudicis, cum iuſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur. Reuertere quarto per largitatem, in manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini, & ſola electa es, cui gratia tanta conceditur. Abſit vt ceſſet manus tua, cum occaſionem quæras ſaluandi miſeros, & miſericordiam effundendi, neque enim tua gloria minuitur, ſed augetur cum pœnitentes ad veniam, iuſtificati ad gloriam aſſumuntur. Reuertere ergo Sunamitis, id eſt, deſpecta, cuius animam pertranſiuit gladius, *Lucæ* 2. Quæ fabri, 13. *Matth.* vxor appellata fuiſti. Ad quid? Vt intueamur te. Summa gloria eſt, poſt Deum te videre, ad hærere tibi, & tuæ protectionis munimine demorari. Subueni igitur Domina ad te clamantibus iugiter fratribus. Hic triplex funiculus eſt, qui trahit Matrem miſericordiæ ad nos viſitandos, & conſolandos; ſcilicet, funiculus naturæ, funiculus amoris, funiculus largitatis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana ex Petro Damiano ſerm. 2. de Natiuitate Beatæ Virginis.*

B. Virgo iudicem temperat.

In manibus B. Virginis ſunt theſauri miſerationū Domini.

Natura, amor, largitas trahunt B. Virginem ad nos conſolandos.

Cur Angeli Aſſumptionem B. Virginis deſiderabant.

2. Reſp. Poſſunt eſſe verba Sanctorum ſpirituum Aſſumptionem Virginis deſiderantium. Quod dicitur reuertere, reuertere, quaſi dicant: Primo reuertere à captiuitate mundi, quia captiuitati mundi non debes ſubijci, per quam captiui à captiuitate ſua ſunt ſoluti. Secundo Reuertere ab onere, ſiue corruptione carnis, quia ſicut immunis es à corruptione peccati, ſic ad immortalitatem tranſire debes abſorta mortalitate per gratiam Dei. Tertio Reuertere ad libertatem filiorum Dei, quia ſicut nunquam regnauit peccatum in tuo mortali corpore: ſic digna es perfrui eadem ſpiritus libertate in carne virginali, qua fruuntur in ſpirituali ſcientia Angeli, ab ipſa ſui creatione, ſiue potius confirmatione. Quarto Reuertere, vt intueamur te, à Dignitate Angelorum ad ſuper excellentiam iam Beatificatorum ſpirituum. Quia ſicut in faciem Filij Tui deſideramus proſpicere ſic in ſpecie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illuſtrari omnibus modis ſattagimus. *B. Alanus de Rupe.*

Dub. 160. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 1. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis.* Cur Beata Virgo vocatur Filia Principis?

Habuit ſummā poſt Deū nobilitatem

Reſp. Commendatur Regina noſtra à ſumma poſt Dominum nobilitate, à qua ipſe Chriſtus etiam vera generatione deſcendit. Porrò iſta nobilitas conſideratur in ſubſtantia, ſi nobilem ſubſtantiam, & proprietatem in ſe poſsideat. Habuit autem in ſubſtantia naturæ perfectionem, & in anima gratiæ plenitudinem. Item conſideratur in efficacia ſi nobiles de ſe producat effectus, & ipſa ipſum Dominum, Dei Filium de ſe generauit. Vnde Beatiſsima Virgo in omnibus in quibus nobilitas conſideratur, in ſummo nobilis inuenitur. Ipſa enim originem duxit à Regibus, à Sacerdotibus, & Prophetis. Vnde & eſt Regina Miſericordiæ, Sacerdos Iuſtitiæ, quæ proprio Filio ſuo non pepercit *Roman.* 8. ſed ſtabat iuxta Crucem, vt dicit *Ioan.* 19. vt non ſolum, vt Filium Dei conſideraret; ſed vt ſalutem humani generis expectaret. Prophetiſſa ſapientiæ. Iuxta illud *Iſaiæ* 8. Acceſsi ad Prophetiſſam, id eſt, Mariam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Iuxta Crucem ſalutem humani generis expectabat,

2. Reſp. Greſſus tui glorioſa Virgo ſunt nobilitas, virginitas, fœcunditas, nobilitas generis, integritas carnis, & mentis, fœcunditas prolis. Calceamenta ſunt affectus, effectus, profectus, exceſſus, affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in deſiderijs, exceſſus in gaudijs. Tu autem es Principalis Filia Principis, Dei videlicet, qui eſt Princeps Principum, & Dominus Dominantium, quia te ſpecialiter per gratiam genuit, ſpecialiter informauit, ita tamen Dei Filia, quod & eius Mater intacta. *Beatus Alanus de Rupe.*

Greſſus B. V. & calceamenta quæ?

B. Virgo Principalis Filia Dei,

3. Reſp. Sponſus pleriſque titulis honorat almam Virginem, vt nos eam venerantes toto affectu collaudemus. Maluit Chriſtus de ſuo ortu, quam de Matris ſuæ pudore, & virgi-

B. Virgo pluris titulis honorata, & quare?

ni-

nitate dubitari, vt quam optimè notat *Ambrosius*, idque magnopere aduertendum, nemo est qui ambigat. Nonne sororem, sponsam, amicam, & columbam in superioribus Mariam appellauit? Nunc verò Principis filiam illam vocat, eo quod ex semine Regio, & Dauid filia sit. Alio qui mulier Cananea in præcatione sua non diceret *Matth. 15. Iesu Fili Dauid miserere mei*. Et Paulus ait: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, sed quorsum non dixit huius Principis, aut illius?* Nempè suo colore depictam eam scribit Sponsus, quia genitrix eius est, qui iure Rex Regum, & Dominus Dominantium vocatur. *Alphonsus ab Orozco annotat. 33. pro Præsentatione, & Assumptione Beatæ Mariæ.*

B. Virgo ex semine Regio.

B. Virgo Maria nullius Principis Filia intelligitur esse quam Dei.

Dub. 161. Ad illa verba, cap. 7. vers. 1. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* An Beata Virgo Maria choris castrorum comparetur?

In Assumptione B. Virginis dæmones perterriti.

Resp. Assumpta est cum terribili potestate, quia omnes dæmones perterriti fugerunt, nec mirum, fuerunt enim territi à tam honorabili societate. *Cant. 7. Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum*, id est, ordines Angelorum, vulnerati à tam ineffabili iocunditate, quia sicut dicitur *Ecclesiastic. 23. Musica in luctu importuna narratio est.* Excæcati a tam mirabili claritate instar noctuæ, quæ ad lucem Solis excæcatur. Tremefacti à tam terribili potestate, instar enim canum virgam Iessè fugerunt à qua plagam acceperunt. *Iacobus de Voragine serm. 1. in Assumptione.*

2. Resp. Chori castrorum sunt conuentus virtutum, quæ in Virgine ordinantur, quibus Virgo contra vitia dæmones, & Hæreticos munitur. Et nota quod chori sunt canentium; castra vero pugnantium. In Virgine ergo fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum: castra verò pugnantium, secundum quod Virgo circunsepta, & sanctis disciplinis instructa, vitiorum & dæmonum repellebat insultus. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. Virgo munita virtutibus contra dæmones.

Dub. 162. Ad illa verba, cap. 7. vers. 1. *Iunctura femorum tuorum, sicut monilia.* Cur femora decora, sicut monilia?

B. Virgo ad munditiam, & castitatem nos commouet.

Resp. Sunt hæc femora decora, sicut monilia, id est, connectuntur inuicem per castitatem, sicut monilia duas partes tunicæ connectunt. Nota quod iunctura fœminum Virginis non tantum dicitur casta, vel pudica, sed etiam castitatis monitoria, nam ad continentiæ munditiam, ipsius per exemplum nos commonet, & inuitat. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus B. Virg. cap. 2.*

2. Resp. Femora solent esse generationis signa. Iunctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum fœcunditatum, quæ fuerunt in Virgine, vna mentis altera ventris. Et hæc iunctura fuit sicut monile, id est, habuit secum comitem duplicem virginitatem carnis, & virginitatem mentis. Per monile solet notari castitas, monile enim solet apponi pectori, ad ornandum, & in castitatis signum. Vnde dicitur monile, id est, monens castitatem. Est ergo sensus iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia, id est, sicut Tu prædita es duplici fœcunditate, ita duplici virginitate. *Beatus Alanus de Rupe.*

Duplex fœcunditas, & virginitas B. Mariæ Virginis.

Dub. 163. Ad illa verba, cap. 7. vers. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Cur dicitur Beata Virgo crater tornatilis?

Gratiam nobis infundit.

Resp. Dicitur enim crater, quia vinum Spiritus Sancti nobis infundit. *Cant. 7. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam egens poculis*; est enim crater quia semper infunditur, est tornatilis, quia semper circuit, & iterum ad primum redijt, & nunquam indiget poculis, quia quantumcumque influat, nunquam tamen deficit. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. 5. hebdomadæ Quadragesimæ.*

Quantumcumque influat gratiæ, nunquam deficit.

Dub. 164. Ad eadem verba, cap. 7. vers. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Quid significat vmbilicus?

Resp. Per vmbilicum infirmitas carnalis concupiscentiæ designatur. Vnde per Iob, virtus Behemoth in vmbilico ventris esse dicitur; sed in ista Virgine, sic aruit, & in duruit vmbilicus, vt esset quasi lignum aridum, nullum habens humorem carnalis concupiscentiæ, & quasi opere tornatili velut crater circunciscus est vmbilicus interius, & exterius ab omni tentatione interiori, & exteriori; Nec indiget poculis iste crater, quibus ille poretur, qui clamat in Cruce, *sitio*, sed de hoc cratere potauit vinum, & lac, nam cum lacte candoris virginalis mortificationem carnis propriæ, quæ

Nullum habuit humorem carnalis concupiscentiæ.

B. Virgo expers tentationis interioris, & exterioris.

quæ auſterum ſaporem habet, vt vinum commixtum inuenit, vt delectaretur pariter in vtroque. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus B. Virg. cap. 2. num. 66.*

2. Reſp. Sicut in viro vis concupiſcendi ſedem habet in lumbis, ſic in fœmina vis concupiſcendi in vmbilico. Vmbilicus etiam eſt in medio ventris, per vmbilicum igitur Virginis, intelligitur vis intelligendi, qua Deum dilexit; ſcilicet, charitas. Hæc in Virgine fuit, quaſi crater, quia ea mediante, Virgo mundo lætitiæ vinum propinauit, de qua dicitur: *Pſalm. 22. Calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Et *Pſalm. 103. Vinum lætificat cor hominis.* Et benè crater tornatilis dicitur, quia torno facilius operamur. Et ipſa Virgo ſine omni difficultate, ſine omni illecebra, ſine omni carnis anguſtia concepit, & peperit: *Nunquam indigens poculis.* Minus dicit, & plus ſignificat, id eſt, plenus poculis, quia in mundo propinat vinum dilectionis, vinum ſalutis, vinum lætitiæ, poculum vetæ. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. Virgo vinum lætitiæ mundo propinauit.

B. Virgo ſine carnis anguſtia concepit & peperit.

Dub 165. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 2. *Venter tuus, ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cur venter dicitur, ſicut aceruus tritici, vallatus liliis?

Caſtitas B. Virginis medicina fuit contra concupiſcentiam carnis.

Reſp. Medicina contra concupiſcentiam carnis, eſt conſideratio ſuæ ſinceriſsimæ puritatis. De qua dicitur. *Cant. 7. Venter tuus, ſicut aceruus tritici vallatus liliis*, in eius enim vtero fuit triticum, de quo dicitur. *Ioann. 10. Niſi granum frumenti.* Et fuit inſtar, qui in imò eſt latus, & in ſummo anguſtus, quia Chriſtus quantum ad humanam naturam nobis fuit manifeſtus, quantum verò ad Diuinam naturam fuit valdè occultus, & fuit vallata, id eſt, circundata liliis puritatis; ſcilicet, intus, & extra, ſurſum, & deorſum, à dextris, & à ſiniſtris, ante, & retro. *Iacobus de Voragine ſerm. 5. in Natiuitate Virginis.*

Chriſtus quantum ad humanam naturam fuit manifeſtus, quantum ad Diuinam occultus.

B. Virgo puritatem habuit interius, & exterius.

2. Reſp. Eleganter venter Virginis comparatur aceruo tritici, quia de ipſo proceſsit granum frumentum, quod cadens in terram, & mortuum, multiplicem fructum attulit: ex quo proceſsit in Eccleſia Dei multiplicata ſeges fidelium, & credentium, venter in quam vallatus liliis, quia etſi plenus fœcunditate, decoratus tamen virginitate. *Beatus Alanus de Rupe.*

Venter B. Mariæ decoratus virginitate.

Dub. 166. Ad eadem verba, cap. 7. ver. 2. *Vallatus liliis.* Cur dicitur pluraliter vallatus liliis?

Virgo Maria puras habuit cogitationes, intentiones, locutiones, operationes.

Reſp. Dicit liliis in plurali, quia habuit mundas cogitationes, affectiones, intentiones, locutiones, & operationes, vel fuit liliis vallata, id eſt, puritate munita, ita quod hoſtis nunquam per impuritatem ad eius cor intrare potuit, *Iacobus de Voragine ibidem.* Venter tuus, ſicut aceruus tritici, quo ad fœcunditatem. Vallatus liliis, quo ad virginitatem, liliis pluraliter, quia fuit Virgo ante partum, & in partu, & poſt partum, vel liliis pluraliter, quia illibatam virginitatem cuſtodiuit in ſuis ſenſibus vniuerſis. *Beatus Albertus Magnus libr. 6. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 9. num. 7.*

Diabolus nō potuit intrare ad cor eius per impuritatem.

Virginitatē habuit cum fœcunditate.

Virgo ante partū in partu, & poſt partum.

Dub. 167. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 4. *Collum tuum.* Quid per collum ſignificatur?

Puritatem cuſtodiuit in ſenſibus.

Reſp. Sicut per collum ſpiritus vitalis à capite diffunduntur per corpus: ſic per Mariam omnia dona vitæ, & ſalutis in omnes diffunduntur. *D. Bernardinus Senenſis ſerm. 4. de Nomine Mariæ.*

Per B. Virginem omnia dona diffunduntur in homines.

Dub. 168. Ad eadem verba, cap. 7. verſ. 4. *Collum tuum, ſicut turris eburnea.* Quare Beata Virgo nominatur turris eburnea?

Habuit ſpecialem eminentiam virtutis.

Reſp. Turris propter ſpecialem conuerſationis eius eminentiam; eburnea propter virtutem caſtitatis, & quia elephas cuius oſſa ſunt ebur, naturales habet inimicitias ad Draconem; ſic & ipſa pugnam habet cum hoſte noſtro diabolo perpetuam, vt nobis præſtet defenſionis auxilium. *Beatus Albertus Magnus libr. 11. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 5. num. 3.*

Inimicitiam perpetuam cum diabolo ſuſcipit.

2. Reſp. Collum tuum, ſicut turris eburnea, id eſt, doctrina tua, qua inſtruxiſti Euangeliſtas, fuit firma, & in nullo vacillans, in nullo dubitans ſimpliciter docens, nihil falſitatis admiſcens, & in omni ſanctitate, & ſanctimonia docens. Ebur enim caſtitatem, & munditiam in ſcripturis ſignificat. *Beatus Alanus de Rupe.*

Doctrina B. Mariæ Virginis pura, & ſine falſitate.

Dub. 169. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 4. *Oculi tui, ſicut piſcinæ in Heſebon.* Cur oculi, ſicut piſcinę Heſebon?

Miſericordia Virginis erga peccatores pœnitentes.

Reſp. Heſebon interpretatur cingulum mœroris, id eſt, mœror cingens, vt intelligatur intranſitiue; quia mœror pœnitentię cingit hominem, & reſtringit peccatorum ſaniem, & fluxum peccati, ſicut vitta cingit vulne-

ra-

ratum, & reſtringit ſanguinis fluxum, & hoc ſigillum competit pœnitentibus, qui in mœrore animi recogitant peccata ſua, & pœnas inferni, & inde humiliantur, quia ſicut dicitur *Prouerb.* 12. *Mœror in corde viri humiliabit eum.* Talibus enim ſunt oculi Beatæ Virginis quaſi piſcinę, id eſt, reſpectus miſericordię eius multiplex lauatorium, oculi Domini ſuper iuſtos, oculi Dominę ſuper peccatores. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 2. num. 10.*

Vita actiua, & contemplatiua oculis comparantur, & quare?

2. Reſp. Oculi Virginis dicuntur vita contemplatiua, & vita actiua, in quarum altera; ſcilicet, actiua videt quid agendum, in altera videlicet contemplatiua quid diligendum. Iſtæ comparantur piſcinis, quia & Virginem ſpirituali refectione faciant, & à macula peccati liberant. Hæc ſunt in Heſebon, id eſt, in cingulo mœroris. Hæc enim eſt interpretatio huius nominis. Virgo enim quantum ad actiuam vitam vallatur cingulo mœroris, pro diuturnitate laboris, & miſeriæ, & quantum ad contemplatiuam pro dilatione patriæ. *Beatus Alanus de Rupe.*

Mœror Virginis pro diuturnitate laboris, & pro dilatione patriæ.

Deſperato peccatori miniſtrat ſpei reparationē.

Dub. 170. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 4. *Naſus tuus, ſicut turris Libani.* Quid ſignificatur per Naſum?

Reſp. Naſus miniſtrat animæ, id eſt, vitæ carnis reſpirationem, & Maria vitæ noſtræ ſpirituali ſpei reparationem, vnde dicit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Naſus via ſpiritus eſt, quia ipſa via eſt, qua Spiritus Sanctus venit ad nos, ad noſtram; ſcilicet, iuſtificationem, & conſolationem. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo via per quam Spiritus Sanctus venit ad nos.

Virgo Maria diaboli præſentit malitiam.

Dub. 171. Ad eadem verba, cap. 7. verſ. 4. *Naſus tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Quare B. Virg. comparatur turri, quæ reſpicit contra Damaſcum?

Reſp. Damaſcus interpretatur ſanguinem biuens; Hic eſt diabolus, qui ſemper ſitit bibere ſanguinem peccatorum; contra eius inſidias opponitur Naſus, id eſt, diſcretio Beatæ Virginis, quæ ipſius præſentit malitiam, & à longe præuidit quaſi de ſpecula, vnde & turri comparatur, à qua de longe inimicorum videntur incurſus, ipſa ergo & à longe reſpicit contra hoſtem, & ſicut turris fortiter pro nobis ſe ei opponit. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo diabolo fortiter pro nobis ſe opponit.

Dub. 172. Ad illa verba, caput 7. verſ. 5. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis, iuncta canalibus.* Cur comæ capitis, ſicut purpura Regis?

Sanguine Filij per compaſsionem rubricata.

Reſp. Rubebat caro Filij ſanguine Paſsionis, rubebant maternæ illæ cogitationes, vt ita dicant de ſanguine Paſsionis. Benè ergo dicitur comæ capitis eius, ſicut purpura Regis. *Guillelmus Abbas.*

Dub. 173. Ad illa verba, caput 7. verſ. 7. *Statura tua aſsimilata eſt palmæ.* Quare ſtatura Beatæ Virginis aſsimilatur palmæ?

Crux, & nomen Virginis arma contra diabolum

Reſp. Statura tua aſsimilata eſt palmæ, quia ſicut ſignum Crucis, quæ per palmam deſignatur armatura eſt ſpecialis contra diabolum: ſic inuocatio Nominis Beatæ Virginis, quod eſt Mariæ. *Beatus Albertus Magnus lib. 5. cap. 2. num. 74.*

Crux per palmam ſignificatur.

2. Reſp. Statura, id eſt, rectitudo bonæ intentionis, & ſanctæ operationis diſcretio, aſsimilata eſt palmæ, vt ſicut palma, id eſt, arbor triumphalis Crucis Dominicæ terribilis eſt malignis ſpiritibus: ſic Beata Virgo merito ſuæ rectitudinis malignos ſpiritus terret, & expellit. *Ibidem.*

Crux, & B. Virgo malignos ſpiritus terret.

3. Reſp. Per palmam, quæ manus victoris antiquo ritu ornatur in ſigne illud, ac victorioſum Crucis ſignum notatur, cui nimirum Euangeliſta ſtaturam piæ Matris aſsimilatam inſinuans, ait: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius*, plane illa fortis, illa intus patiebatur Crucem. Stabat illa iuxta Crucem ſui Ieſu, atque ea ipſa ſibimet quodammodo erat in Crucem erecta ſtando iuxta Crucem, ipſa ſibi per affectum quodammodo erat Cruci. *Guillelmus Abbas.*

B. Virgo per compaſsionem Filij, & affectū, quodammodo erat Crux.

4. Reſp. Non immerito ipſa Virgo cœlum ingreſſa palmę comparatur. *Statura tua aſsimilata eſt palmæ*, Nam vt palma victoribus tribuitur tanquam merces, præmium, & corona, ita & Beatiſsima Virgo cœleſti curię proponitur tanquam ingens gloria, qua illius merita cumulentur, & augeantur. *Pater Mendoza 1. Regum 4. Verſ. 11. num. 38.*

Virgo Mariæ Beatorū præmium.

5. Reſp. Statura tua aſsimilata eſt palmę, qua ſcilicet, in fide ſtetiſti, aſsimilata eſt palmę, quę virorem foliorum nunquam amittit, ſic nec tu fidei virtutem. *Hugo Cardinalis ad illa verba, Pſalm. 18. in Sole poſuit.*

In Filij Paſſione fidem non amiſit.

Dub. 174. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 7. *Vbera tua Botris.* Quare vbera Beatę Virginis Botris comparantur?

B. Virgo non minus meruit lactando filium, quam martyres fundendo ſanguinem.

Reſp.

Opera secundum radicē charitatis pē santur.

Resp. Vbera quoque botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus meruit sumendo lac de vberibus suis ad nutrimentum Filij, quam Martyres, qui per botros figurantur fundendo sanguinem suum in martyrio, omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur. *Halgrinus Cardinalis.*

2. Resp. Vbera tua de cætero assimilata sunt botris habet enim pia Mater, & spiritualia vbera, quibus datum est illi adoptiuos fratres Filij sui nutrire. De his ergo dictum est piæ Matri: *Erunt vbera tua sicut botri*, plane illa quotidie parturiens infirmiora membra Filij sui neminem à pietatis suæ repellit, sed potius inuitat, & trahit vniuersos. *Guillelmus Abbas.*

Dub. 175. Ad illa verba, cap. 7. vers. 9. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Cui guttur Beatæ Virginis vino optimo comparatur?

Orationes B. Virginis cor Filij vulnerant, & pungunt.

Resp. Guttur tuum, id est, preces ex gutture procedentes, sicut vinum optimum, quod consolatur, & releuat dolores afflictorum. Guttur tuum, id est, verba de gutture procedentia, sicut vinum optimum; scilicet, per deuotionem sapida, pigritantibus benefacere, suauiter pungitiua, stimulant enim pigros ad currendum, amandum, & orandum. Si enim verba sapientium, stimuli Ecclesiæ in fine, quid putas de verbis Matris sapientiæ? Pungunt etiam orationes eius cor Filij, vnde & ipse dicit ei *Cant. 4. Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa*, & inde misericordiam eliciunt peccatoribus. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. cap. 2. num. 36.*

Propter Beatam Virginē condonantur nobis irrogatæ Deo iniurias.

Dub. 176. Ad illa verba, cap. 7. vers. 8. *Erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Quare vbera Beatæ Virginis comparantur botris vineæ?

Resp. Comparantur vbera Virginis botris vineæ ex vberibus enim exprimitur lac, & ex botris vinum, quod hominem lætificat, & inebriat, & facit obliuiosum, & facilem ad condonandum irrogatas sibi iniurias, & largum ad danda grandia omnino siquidem in hunc modum, lac quod sancta labia Domini expresserant, & traxerunt à maternis vberibus ipsum delectauit, & quadam inenarrabili dulcedine inebriauit, ne recordaretur de cætero, sed nobis facile condonaret irrogatas sibi iniurias, & largiter nobis daret gratias, & virtutes in præsenti, & in futuro gloriam sempiternam. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 2. num. 56.*

Ecclesia de gentibus petebat Incarnationem.

Dub. 177. Ad illa verba, cap. 8. vers. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ.* Quare Beata Virgo dicitur Mater Ecclesiæ?

Virgo Maria fouet, protegit, & supportat Ecclesiam.

Resp. Potest esse vox Ecclesiæ de Gentibus Christi petentis Incarnationem, vt sit frater eius communione naturæ. Sugentem vbera Matris Beatæ; scilicet, Virginis, quæ maternæ pietatis visceribus totam fouet Ecclesiam, protegit, & supportat *Lucæ* 11. Beatus venter qui te portauit. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo post conceptionem, & partū honorata ab Angelis, & hominibus.

Dub. 178. Ad illa verba, cap. 8. vers. 1. *Iam nemo me despiciat.* Quando fuit despecta?

Resp. Nemo me iam despiciat, sicut prius antequam venires in me, quia ante Filij Incarnationem nullius momenti esse videbatur; sed post conceptionem, & partum in magno honore est habita, non solum ab Hominibus, sed etiam ab Angelis, quia inter mulieres Benedicta, imo super Choros Angelorum exaltata. *Beatus Alanus de Rupe.*

B. Virgo intellexit scripturas completas in Christo.

Dub. 179. Ad illa verba, cap. 8. vers. 2. *Ducam in domum Matris meæ.* Quo sensu Beata Virgo introduxit Filium suum in domum Matris suæ?

Resp. Mater Virginis synagoga est, cuius synagogæ domus, & cubiculum vetus est lex in qua habitat, in hanc ergo domum siue cubiculum introducit eum Virgo Maria, quando omnia, quæ de eo in Veteri Testamento scripta sunt, diligenter considerat, & intelligit veraciter, in Christo completa. *Beatus Alanus de Rupe.*

In Bethlehē docuit nos Dominus paupertatem, & humilitatem.

Dub. 180. Ad illa verba, cap. 8. vers. 2. *Ducam in domum Matris meæ, ibi me docebis.* Quæ est domus Matris vbi Sponsa petit doceri?

Resp. Domum Matris appellat Bethlehem, in qua venit Beata Virgo iam grauida, vt ibi profiteretur, & cubiculum Genitricis illud diuersorium in quo reclinauit, vt pareret, vbi nos docuit Dominus omnem paupertatem, &

Propter Virginem Mariam largus est in nos Dominus.

humilitatem, & augebit gratiam. *Hugo Cardinalis.*

In Assumptione B. Virg. admirabātur Angeli ascendere formosam Virginē de mūdo deformi.

Dub. 181. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto.* Cur admirantur Angeli B. Virginem ascendere?

Resp. Mirabantur quommodo de mundo tam deformi, & horribili, & deserto veniebat tam formosa, tota delicijs affluens cum in mundo nullæ sint, sed miseriæ multæ, & magnæ. *Hugo Cardin. ad illa verb. Psalm. 131. surge Domine.*

Ascendente B. Virgine in cœlum iocūde gratulabātur Angeli.

2. Resp. Ascensionem, seu Assumptionem in cœlum de deserto mundi huius Angeli mirabantur in tantum vt quærerent: *Quæ est ista.* Nec est ignorantis interrogatio, sed deuote admirantis mitæ deuotionis, iocundæ gratulationis, & gratissimæ exultationis: eo modo quo Filij Israel de manna præ dulcedinis admiratione, quam inuenerunt in ipso dixerunt, *Manhu*, id est, *quid est hoc*, & Beatæ Matris Dei dulcedo inæstimabilis est. Vnde, & *Ambros.* Virgo velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. *Hug. Cardinalis.*

Caro Christi, & Virginis nulli vitio apta.

Dub. 182. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Quæ ascendit de deserto.* Cur de deserto dicitur ascendisse?

Resp. Caro Christi, & Virginis fuit terra, sed non terra horti, sed deserti, quia ab omni humore concupiscentię fuit arida, & nulli vitio vnquam apta fuit, & ideo ambo in deserto fuerunt habitatores, quia carnem clausam, & integram habuerunt. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbat. Dominicæ 2. Quadragesimæ.*

In B. Virgine sopitæ omnes passiones.

2. Resp. De deserto ascendit quia de sęculo, quia desertum est virtutibus, & quiete ipsa tamen sanctissima, sine signo alicuius peccati sopitis omnibus in ea passionibus. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 5.*

Omnem mūdanam contempsit sublimitatem.

3. Resp. Descendit Virgo in desertum, ascendit per desertum, ascendit super desertum, ascendit de deserto. Descendit in desertum per Natiuitatem, ascendit per desertum progrediendo de virtute in virtutem, ascendit super desertum omnem mundanorum contemnens sublimitatem, ascendit de deserto in ęternam Beatitudinem, & hoc est, quod dicitur: *Quæ est ista*, id est, quanti meriti, quantę dignitatis, quę ascendit de deserto, id est, de mundo in cœlum. *Beatus Alanus de Rupe.*

Angeli admirantur dignitatem ascendentis in cœlum.

Dub. 183. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Delicijs affluens.* Quare Beata Virgo describitur delicijs affluens?

Resp. Fuit affluens delicijs in quantum delectabatur in contemplatione, & fruitione Deitatis. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbat. Dominic. 2. Quadragesimæ.*

Delectabatur in cōtemplatione, & fruitione Deitatis.

2. Resp. Ascendit delicijs spiritualibus affluens, quid ni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis insigne, destillantem charitatis fauum, misericordię viscera, plenitudinem gratię, prærogatiuam glorię singularis. *Diuus Bernardus sermon. 4. de Assumptione.*

Habuit virginitatis decus cum munere fœcunditatis.

3. Resp. Hęc affluit delicijs, vt inde alijs abundanter effundat: vt non iam mulieris Euę filij amplius cibo arido sustententur, humore; scilicet, gratię carente; cumque plena est gratia, eam in cęteros deriuare non cessaret; à Filio gratiarum datore obtinens quidquid petit. *Hugo Cardinalis.*

Gratiam, qua abundat, in cæteros deriuare non cessat.

4. Resp. Ac si manifestius dicant: Quanta est hęc, & vnde ei ascendenti vtique de deserto affluentia tanta deliciarum? Neque enim pares inueniuntur delicię, vel in nobis, quos in Ciuitate Domini lętificat fluminis impetus, qui à vultu glorię voluptatis gloria potamur. *D. Bernardus serm. 4. de Assumptione.*

Singulares deliciæ Filij esse cum Matre.

5. Resp. In verbo affluendi notatur abundantia deliciarum, vnde *Ecclesiastes 1. Omnia flumina intrant in mare*, cum enim sunt filio delicię esse cum filijs hominum, *Prouerb. 8.* singulares sunt ei delicię esse cum Matre, de qua carnem assumpsit, quia cum in omni creatura sit per essentiam, in iustis sit per gratiam, excellentius in ea per gratiam quę fuit gratia plena excellentissimę, & simpliciter per vnionem, vnde eam fecit locum voluptatis. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 4. num. 14.*

Deus excellentius est cū B. Virgine, quam cū alijs iustis.

Dub. 184. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Innixa super dilectum suum.* Cur dicitur innixa super dilectum?

Resp. Cui est ex prærogatiua dilectionis innixa non super vnam de Ancillis, vt Esther, à quo etiam creditur in cœlum causa honoris deportata. Beatus Ioannes supra pectus Domini legitur recubuisse in cœna; hęc autem super dilectum nunciatur innixa,

A Filio in cęlum deportata, ad ostentionem summæ familiaritatis.

non

non causa infirmitatis, sed ostensione summæ familiaritatis, cui ipse Christus est pater, sponsus, filius, & dilectus. *Hugo Cardinalis.*

Filius vices rependit Matri iuæ.

2. Resp. Vices enim rependit Filius Matri. Dei enim Filius Matri innixus descendit in terram in Incarnatione, vnde *Isaiæ* 19. ascendit Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & Mater innixa Filio ascendit in cœlum in Assumptione sua. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Virg. cap. 3. num. 2.*

B. Virgo Filio coniuncta pes amorem.

3. Resp. Fuit super dilectum innixa in quantum, ipsa eius animæ per amorem fuit coniuncta. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. Dominic. 2. Quadragesimæ.*

Dub. 185. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Innixa super dilectum suum.* Quare dicitur super?

Resp. Nota, super, quasi superiori dilecto, facit enim Filius quidquid præcipit Mater, vnde & dicimus ei: Ora Patrem, iube natum, & in hoc concordant omnes scripturæ, licet quidam male obloquantur. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus B. Virg. cap. 3. num. 2.*

Filius facit quidquid præcipit Mater.

Dub. 186. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Innixa super dilectum suum.* Cur dicitur quod ascendit innixa, & non translata?

Enoch translatus est in cœlum, Elias per turbinem ascendit, Paulus raptus, Virgo Maria innixa super Filium.

Resp. Nota quod Enoch placuit Deo, & translatus est in cœlum. Elias per turbinem ascendit in cœlum, Paulus quasi violentus raptus est in cœlum, Maria vero ascendit innixa super dilectum. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 187. Ad illa verba, cap. 8. vers. 5. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quo sensu hæc verba de Beata Virgine exponuntur?

Iuxta Crucē doluit, vt parturiens pro Filio.

Resp. In Hæbreo habetur: *Ibi parturiuit te Mater tua, ibi parturijt te genitrix tua*, & hæc littera veritati Euangelicæ est consona, dicitur enim *Ioann. 19. Stabat autem iuxta Crucem Mater eius*, gladio doloris propter Filium transfixa, secundum quod prædixerat Sanctus Simeon. *Lucæ 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, est igitur sensus ibi, id est, iuxta Crucem parturiuit te Mater tua, id est, vt parturiens doluit pro te. Per talem modum loquendi dicit Apost. *Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Lyranus.*

Dub. 188. Ad illa verba, cap. 8. vers. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Quommodo Beata Virgo Christum posuit vt signaculum super cor suum?

B. Virgo Christo per imitationem conformata est.

Resp. Signaculum dicitur cuius, vel forma, vel imago solet ceræ imprimi, vt cera recipiat formam sigilli, vt secreta cœlentur ignoris, aperiantur notis: sic Virgo Maria Christum cor suum posuit, vt signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est, eiusque gratia consignata, hoc autem fuit incognitum diabolo, & cognitum Angelis. *B. Alanus de Rupe.*

Virgo Maria in cogitationibus, & actionibus filium imitabatur.

Dub. 189. Ad illa verba, cap. 8. vers. 6. *Vt signaculum super brachium tuum.* Cur petit poni vt signaculum super brachium suum?

Resp. Super cor Virginis, & super brachium dilectus, vt signaculum ponitur, quia in cogitationibus, & in actionibus Virgo Maria Filium imitabatur; Per cor enim cogitatio, & per brachium operatio significatur. *B. Alanus de Rupe.*

Dilectio, qua Deum dilexit, B. Virginem insensibilem reddidit.

Dub. 190. Ad illa verba, cap. 8. vers. 6. *Fortis est vt mors dilectio.* Quommodo dilectio Virginis fortis fuit vt mors?

Resp. Sicut mors separat animam à corpore, & iam nihil concupiscere in præsenti vita homini licet: ita dilectio qua Virgo Christum dilexit totam Virginem huic mundo mortificauit, & insensibilem reddidit, soli Christo viuentem; & mundo mortuam, & verè dilectio illa fortis est in Virgine. *Beatus Alanus de Rupe.*

Pro mundi salute cum filio mori desideranit.

Filium adeò dilexit, vt pro eo mori desideraret.

2. Resp. Charitas Mariæ fortis fuit, vt mors, imo fortior morte, quia Filium intantum dilexit, & humani generis redemptionem in tantum optauit, quod mori pro Filio, vel pro mundi salute cum Filio desiderauit, in illis etiam est charitas fortis vt mors, qui mundo moriuntur vt dilectio viuat in eis, mors enim tollit temporalia, & aufert vsum sensuum. Dura etiam vt infernus fuit æmulatio, id est, dilectio eius, quia constantiam eius nulla fregit violentia persecutionū, sicut qui in inferno sunt, nulla frangi possunt violentia tormentorum. *B. Albert. Magn. lib. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 17. num. 7.*

Constantiam B. Virginis nulla fregit violentia persecutionum.

Dub. 191. Ad illa verba, cap. 8. vers. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Quid significatur per aquas multas quæ extinguere

Pœnalitates B. Virginis absorbebantur charitatis ardore.

charitatem Virginis non potuerunt?

Resp. Aquæ multæ, id est, omnimodæ pœnalitates, quas sustinuit in Filio, non potuerunt extinguere charitatem Mariæ; scilicet, quia ipsius charitatis absorbebatur ardore; sicut ardore Solis, vel ferri igniti absorbetur aqua. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

In Natiuitate paruula.

Dub. 192. Ad illa verba, cap. 8. vers. 8. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet.* Quo tempore Beata Virgo fuit paruula, vbera non habens?

Resp. Possunt hæc verba de Beata Virgine exponi, vt sint verba Christi ad Angelos; soror nostra cœlesti; scilicet, generatione, & cœlibatus integritate, paruula est hoc referri potest ad tempus Natiuitatis, in qua

In Annuntiatione paruula per humilitatem.

ad litteram paruula fuit, nec habuit vbera, vel etiam ad ipsum tempus Annuntiationis, in quo paruula erat humilitate, & vbera non habuit, habitura tamen vbera de cœlo plena. *Hugo Cardinalis.*

Non habuit vbera concupiscentiæ, & luxuriæ.

2. Resp. Ipsa est quam super omnem creaturam Deus allocutus est, soror nostra, scilicet, Maria paruula est; scilicet, per humilitatem, sed maxima per dignitatem. Vbera non habet; scilicet, concupiscentiæ, & luxuriæ, sed gratiæ, & misericordiæ. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

In die Annuntiationis magnificata à Deo.

Dub. 193. Ad illa verba, cap. 8. vers. 8. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.* Cur quærit Christus quid faciemus, videtur enim dubitare?

Resp. Hoc quærit, non vt dubitans, sed quod facturus est ex aggerans, quasi dicat: *Magna faciemus ei*, secundum quod ipsamet dicit. *Lucæ* 1. Quia fecit mihi magna. *Hugo Cardinalis.*

In die Annuntiationis allocutæ est ad hominum reconciliationem, cœli reseratione, inferni clausionem.

Dub. 194. Ad illa verba, cap. 8. vers. 8. *In die quando alloquenda est.* Quis dies, quo B. Virgo allocuta fuit?

Resp. In die Annuntiationis, quando alloquenda est per Angelum exterius, ac per Annuntiationem à tota Trinitate interius ad Filij Dei receptionem, ad hominum reconciliationem, ad inferni clausionem, ad cœli reserationem, ad æternam diaboli conculcationem. *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

2. Resp. In die quando alloquenda est à Gabriele, qui ingressus ad eam dixit: *Ave gratia plena. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo murus ad defensionem.

Dub. 195. Ad illa verba, cap. 8. vers. 9. *Si murus est.* Quare Beata Virgo dicitur murus?

Resp. Beata Virgo murus est stabilis, & firmus nobis ad defensionem, & munitionem datus super quem ædificauit Dominus propugnacula argentea, id est, Diuina eloquia. Vnde *Lucæ* 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Murus iste visus est aliquantulum concuti ad ictum Angeli, quando turbata est in eius sermone, sed postea audito, *inuenisti gratiam apud Dominum*, solidatus in tantum vt diceret: *Ecce Ancilla Domini. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo in sermone Angeli turbata, sed solidata.

Testimonijs Sacræ Scripturæ resistitur Iudæis, & alijs inimicis, protegunturque fideles.

Dub. 196. Ad illa verba, cap. 8. vers. 9. *Ædificemus super eum propugnacula argentea.* Quænam propugnacula argentea huius muri?

Resp. Propugnacula etiam huius muri sunt oracula Prophetarum, & testimonia scripturarum, vt est illud *Isai.* 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, & illud: *Ecce Virgo concipiet, cap.* 8. His propugnaculis resistitur Iudæis, & cæteris inimicis, & proteguntur fideles. *Hugo Cardinalis.*

Per Christum intratur ad vitam.

Dub. 197. Ad illa verba, cap. 8. vers. 9. *Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis.* Cur Beata Virgo dicitur ostium compactum tabulis cedrinis?

Resp. Sic intellige siquidem Christus se vocat ostium, *Ioann.* 10. Et Mater hic vocatur ostium: Sed aliter, & aliter; Nam Christus dicitur ostium, id est, apertura siue via, per quam intratur ad vitam, quod ipsi Soli conuenit, vnde de ipso discretiue dicit, *Ioann.* 10. *Ego sum ostium*, ego non alius. Ostium quoque dicitur compactio tabularum, per quam maleuolis clauditur ingressus in domum. Vnde & hic dicitur: *Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis*, Beata Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, ne ad deuotos suos intrent, & accedant si volunt, & hoc ostium tot tabulis est compactum à Sancta Trinitate, quot in ipsa sunt virtutes, priuilegia, & dignitates. *Beatus Albertus Magnus lib.* 5. *de laudibus Beatæ Virginis, cap.* 2. *num.* 59.

B. Virgo ostium in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus.

B. Virgo ostium per quod ad nos ingressus est Filius Dei.

2. Resp. Ostium etiam est per quod ingressus est ad nos Filius Dei. Hæc est porta Orientalis, de qua *Ezech.* 40. Hoc ostium compactum est tabulis cedrinis, geminæ charitatis, qua

Virgo Maria homines Deo coniungit.

sci-

ſcilicet, Deo nos coniungit Virgo Beata. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 198. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 10. *Ego murus.* Quare Beata Virgo dicitur murus?

B. Virgo munit Eccleſiã.

Reſp. Notandum quod murus dicitur actiuè, quia munit, & tuetur interiora Ciuitatis, ne ab hoſtibus diripiantur poſſeſsiones ciuium, & paſsioue, quia munitur multipliciter contra machinas hoſtium. Benè ergo Maria murus, quia munit Ciuitatem Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, ne bona interiora eius; ſcilicet, bona opera gratiæ, & virtutes diripiantur à dæmonibus, & vitijs, vel ne fideles Eccleſiæ ducantur à diabolo captiui in peccatum, vel in infernum, aut ne ſpolientur armis, & veſtimentis virtutum. *Beatus Albertus Magnus libr. 11. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 7. num. 1.*

Munit fideles ne trahantur à diabolo in peccatum.

2. Reſp. Ego murus per exemplum; ſcilicet, pudicitiæ, & conuerſationis ſanctæ. Murus eſt deuote eam venerantibus, pie recolentibus, ſtrenue imitantibus, obnixe deprecantibus. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria defendit eã venerantes imitantes, deprecantes.

Dub. 199. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 10. *Vbera mea ſicut turris.* Quare vbera Beatæ Virginis ſicut turris?

B. Virgo refugium, & ſecuritas peccatorum.

Reſp. Ac ſi dicat: miſericordia mea, & pietas mea, quibus quaſi vberibus ſuffragiorum dulcedine lacto filios Eccleſiæ, ſunt turris, munimentum; ſcilicet, refugium, & ſecuritas peccatorum. *Beatus Albertus Magnus libr. 5. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 2. num. 59.*

Dub. 200. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 10. *Ex quo facta ſum coram eo pacem reperiens.* Quam reperit pacem?

Virgo Maria omne bonũ, quo indigebant homines, reperit apud Deum.

Reſp. Quam perdiderant primi parentes, vnde & ei dictum eſt ab Angelo: *Inueniſti gratiam apud Dominum. Lucæ 1.* Ipſa reperit pacem inimicis, ſalutem perditis, indulgentiam reis, miſericordiam deſperatis. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 201. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 10. *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Quommodo facta eſt coram Deo quaſi pacem reperiens?

B. Virgo ita accepta Deo, vt faceret pacem inter Deum, & hominem.

Reſp. Ex quo ſic accepta, ſic grata, ſic placida facta ſum coram Deo, id eſt, ex Dei beneplacito, vt eſſem quaſi pacem reperiens, & faciens inter Deum, & hominem, vt eſſem pacifica tanquam Mater veri pacifici, mediatrix mediatorum Mater. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Dub. 202. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 13. *Quæ habitas in hortis.* Qui ſunt horti Beatæ Virginis?

Habuit propoſitum virginale, cum fœdere coniugali.

Reſp. De Beata Virgine poteſt hoc ſpecialiter legi, vt ſit vox vniuerſalis Eccleſiæ ad ipſam poſt Angeli ſalutationem. *Lucæ 1. Quæ habitas in hortis;* ſcilicet, duobus, quorum vnum eſt propoſitum virginale, alius fœdus coniugale, quorum vterque hortus concluſus, & non expoſitus. *Hugo Cardinalis.*

Alij ſancti orando impetrant, ſed Beata Virgo quaſi quodã imperio.

Dub. 203. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 13. *Fac me audire vocem tuam.* Quam vocem deſiderat audire?

Reſp. Cæteri quidem ſancti Dominum Deum orant, & orando impetrant; ſed honorabilis Virgo Maria, ſi illum ex eo, quod Deus, & Dominus eſt, exorare merito creditur, ex eo tamen quod homo eſt, & Natus ex ea, quaſi quodam Matris imperio apud ipſum impetrare quidquid voluerit, pia fiducia non dubitatur. *Goffridus.*

Reſponſio, quam dedit Angelo, fuit charitatis, & conſolationis, prudentiæ, & iuſtitiæ.

2. Reſp. Fac ergo me audire vocem tuam illam; ſcilicet, *Ecce Ancilla Domini.* Hæc fuit vox plena gratiæ, & medicinæ charitatis, & conſolationis, prudentiæ, & iuſtitiæ, dulcedinis, & charitatis. De hac dicit *B. Bernard.* Quid agis Maria, quid trepidas? reſponde verbum, & ſuſcipe verbum; profert Tuum, & concipe Diuinum; Hæc vox toti mundo artulit medicinam, & ideò benè deſiderari debebat. *Hugo Cardinalis.*

Angeli expectabant per Beatam Virginem ſuam reſtaurationem, Fideles ſuã redemptionem.

Dub. 204. Ad illa vetba, cap. 8. verſ. 13. *Amici auſcultant.* Qui ſunt amici Virginis, qui auſcultant?

Reſp. Amici auſcultant, Patriarchæ deſiderant, Prophetæ annuntiant, Angeli expectant, Amici auſcultant; ſcilicet, tam Angeli, quàm fideles, Angeli ſuam expectantes reſtaurationem, fideles ſuam præſtolantes redemptionem. *Hugo Cardinalis.*

LIBER SAPIENTIÆ.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Apparet autem eis, qui fidem habent in illam.* Quo ſenſu hęc aptantur Beatę Virgini?

In die Reſurrectionis filius primo apparuit Beatæ Virgini.

Reſp. Virgo Maria fuit columna immobilis in fide, ergo congruum erat, vt ei primo appareret. *B. Brigitta lib. 6. cap. 94.* Mihi vero, quę ſum Mater Dei, cum poſt mortem eius incomprehenſibili dolore mœſta eſſem, apparuit idem Filius meus priuſquam alijs, & palbabilem ſe oſtendit mihi conſolans me, quamuis hoc non ſit ſcriptum propter humilitatem meam, tamen iſta eſt rei veritas, quod Filius meus reſurgens primo mihi apparuit, quam alicui alij. *Pater Silueira tom. 5. libr. 9. cap. 2. quæſt. 8. num. 49.*

Nec conſenſum, nec malum opus habuit.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 13. *Fœlix eſt ſterilis.* Quę ſterilis dicitur fœlix?

Reſp. Poteſt exponi de Beata Virgine: *Fœlix eſt ſterilis*, id eſt, Virgo Beata, quę nec conſenſum malum, aut opus malum peperit, de qua dicitur *Iſaiæ 54. Lauda ſterilis quæ non paris*, decanta, & hymnum quę non pariebas. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo matrimonium ſuum cuſtodiuit impollutum, & ſanctum.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 13. *Incoinquinata quæ neſciuit thorum in delicto.* Cur Beata Virgo dicitur incoinquinata neſciens thorum in delicto?

Reſp. Incoinquinata mente, & corpore, quod dicitur. *Cant. 4. Tota pulchra amica es mea, & macula non es in te*, quę neſciuit thorum in delicto, id eſt, matrimonium ſuum cuſtodiuit impollutum, & Sanctum. *Hugo Cardinalis.*

Matrimoniũ B. Mariæ, & Ioſeph caſtũ.

2. Reſp. Sciendum quod caro Beatę Marię caruit virili attactu, qui non ſequebatur ex diſpenſatione. Vnde de Maria ſpecialiter intelligitur illud *Sapient. 3. Fœlix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto. Origenes.* Fœlix vmbilicus caſtitatis, qui amplexus non tetigit maritales. In nuptijs enim Ioſeph, & Maria defuit vinum carnalis delectationis. De quo vino dicitur. *Prouerb. 20. Luxurioſa res vinum.* Caro enim eius fuit terra iſta, *per quam non ambulauit vir*, id eſt, maritus ſuus Ioſeph. *Iſaiæ 2. Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ, prima Stella, primæ Coronæ.*

B. Virginis fœlicitas, quod benedicta in mulieribus.

3. Reſp. Conuenit ei illud *Sapient. 3. Fœlix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicijs, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Fœlix ſterilis, id eſt, Virgo, & bene fœlix Maria, quia benedicta in mulieribus. In reſpectione Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Matth. 5. Animarum ſanctarum*, quando ſcilicet, animę ſanctę facie ad faciem Regem videbunt in decore ſuo. *Iſaiæ 33. Daniel Agricola vbi ſupra. Tertia Stella, quartæ Coronæ.*

B. Virgo abſtinuit à delectatione venerea.

4. Reſp. Quod Virgo non abſtinet ab omni delectatione, ſed ſolum à delectatione venerea, & ab hac abſtinet ſecundum rationem rectam. Quia medium virtutis non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum rationem rectam determinatur, vt dicitur in 2. Ethicot. De Beata igitur Virgine congrue dici poteſt illud *Sapient. 3. Fœlix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto.* Coniugalem autem ſtatum habuit Virgo Beata poſt deſponſationem. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, Matth. 1. Antonius Brixienſis ſerm. 5. Sabbatho quinto Quadrageſim.*

Miſericorditer nos reſpexit Dominus cum dignatus eſt fieri Filius Virginis.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 13. *Habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Quo ſenſu dicitur quod Beata Virgo habuit fructum in reſpectione animarum ſanctarum?

Reſp. Habebit, id eſt, habuit fructum vteriſui Dei Filium in reſpectione animarum ſanctarum, id eſt, ad reſpectionem, in hoc enim miſericorditer reſpexit Dominus animas ſanctas, quia dignatus eſt fieri Filius Virginis. *Hugo Cardinalis.*

Habuit fructum virginalis fœcunditatis.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 15. *Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Eſt fructus virginalis fœcunditatis, fructus ſcilicet, Virginis Benedictæ, de qua & de quo *Lucæ 1.* dicitur: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Benedicta Tu, inquit, inter mulieres, Tu es Apis mellificans, Tu es Apis dulcoris mellificans. *Eccleſ. 11. Breuis in volatilibus eſt Apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Apis breuis eſt Maria humilis. *Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum.*

Maria humilis.

Dub.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 14. *Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* Cur dicitur de Beata Virgine, quod præoccupat eos qui ſe concupiſcunt?

Reſp. Eſt illud de æterna ſapientia ad litteram, de Beata Virgine in ſenſu allegorico; *Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat*, & illud item in ſenſu litterali de Diuina Iuſtitia, in myſtico de Sanctiſſima Deipara: *Obiauit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Eccleſiaſt.* 15. *num.* 2. vbi dicitur: Beatiſſima Virgo, & præoccupare eos qui ſe deſiderant, & obuiare illis qui ſe inquirunt, quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit, quin ipſa Virgo ad imploratorem ſuum audiendum velocior præcurrat. *Pater Mendoza libr.* 1. *Regum, cap.* 4. *verſ.* 11. *annotat.* 2. *ſect.* 1. *num.* 15.

Beata Virgo velociſſima ad audiendũ imploratorẽ ſuum.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 20. *Incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.* Quare incorruptio facit eſſe proximum Deo?

Reſp. Ratio eſt, quia ſecundum *Gregorium in Homilia*, tanto vnuſquiſque à ſuperno amore diſiungitur, quanto in infimis delectatur, vnde & per contrarium tanto vnuſquiſque Deo magis aproximatur, & coniungitur, quanto magis à delectationibus terrenis abſtrahitur; & quia per virginitatem abſtrahitur homo à maximis delectationibus, ideò magis aproximatur, & coniungitur Deo. Vnde & Sybillæ, & ſi Gentiles propter virginitatem credimus eis collatum ſpiritum prophetiæ, ſed Beata Maria in hoc omnes Virgines exceſsit, quia nullum ſtimulum carnis ſenſit, nec cogitationem turpem admiſsit, ſed in ſumma puritate, etiam Angelos ſuperauit. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 24. §. 3.

Maximè conjuncta Deo propter ſuam virginitatem

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 1. *In ventre Matris figuratus ſum caro.* Quare dixit Chriſtus in ventre Matri figuratus ſum caro?

Reſp. Ecce quia Chriſtus in vtero locum conuenientem à Matre habuit; *Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis*, ecce quia Chriſtus materiam corporis à Virgine totam ſumpſit, & ideò dicitur: *Ex ſemine hominis*, id eſt, ex ſanguine hominis; Alij enim homines formantur ex ſemine hominum, Chriſtus vero ex ſemine, id eſt, ſanguine hominis, id eſt, Virginis, & ſequitur: *Delectamento ſomnij conuenientis*, ecce quia accepit conueniens nutrimentum, quo in vtero nutriebatur, & delectabatur. *Iacobus de Voragine ſerm.* 2. *Sabbath. Dominicæ* 2. *Quadrageſimæ.*

Chriſtus materiam corporis à Virgine totam ſumpſit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 1. *Ex genere terreni illius, qui prior factus eſt.* Quis eſt terrenus, qui prior factus eſt?

Reſp. Ex genere terreni illius notabilis, id eſt, Chriſti, qui prior factus eſt de terra, id eſt, de Beata Virgine. Nam Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra dabit fructus ſuos. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus de Beata Virgine factus.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 6. *Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Cur ponitur idem omnibus introitus ad vitam, idemque exitus?

Reſp. In his verbis ſicut dicit Rabbanus oſtendit Philo, quod omnis homo terrenus ex viri, & mulieris ſemine ortus temporalis vitæ ſortitur exordium, & per mortem de mundo tranſit. Sed cœleſtis Adam, id eſt, Chriſtus, qui ſine ſemine virili de Matre Virgine natus eſt, proprium habet natiuitatis modum, qui & mortis ſuæ ordinauit occaſum. Decimo menſe poſt conceptionem Chriſti natiuitas eius celebratur à Chriſtianis, & ab octauo Kalendis Aprilis quando conceptus creditur, vſque ad octauas Kalendas Ianuarij, quando natus traditur numerantur ducenti ſeptuaginta ſex dies, qui faciunt nouem menſes, ex ſex dies; & ita verum eſt quod dicitur *Ioann.* 2. Quod quadraginta ſex annis templum corporis ſui ædificatum eſt, id eſt, ducentis ſeptuaginta ſex diebus, qui quadrageſies ſepties ſenarium habent, qui eſt numerus perfectus. Vnde patet quod ſicut Chriſtus perfectus eſt Deus, ita perfectus eſt homo, & dicunt quod in Sacra Scriptura non inuenitur natiuitas alicuius ſancti, niſi in decimo menſe à conceptione ſua. Dominus enim Chriſtus in decimo menſe natus eſt, vt dicitur hic, & Beata Virgo ſimiliter, ſed duobus, vel tribus diebus minus fuit in vtero matris, quam Chriſtus. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus ſicut perfectus eſt Deus, ita perfectus eſt homo.

Chriſtus in decimo menſe natus eſt, ſimiliter & Virgo.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 26. *Candor eſt enim lucis æternæ.* Cur Beata Virgo dicitur candor lucis?

Reſp. Tu es ergo omni claritate, & ſplendore Solis clarior, & ſplendidior,

B. Virgo candor eſt claritatis æternæ, & ſpeculum Diuinæ Maieſtatis.

dior, omni lapide pretioso longe incomparabiliter pretiosior; Tu super omnem stellarum fulgorem, vtpote Stella maris fulgentior inueniris. Candor quippe es æternæ claritatis, & speculum sine næuo, Diuinæ Maiestatis. Tu es hæreditas Domini, in te moratus est Filius Dei. *Philippus Abbas.*

Admirabilis fuit in puritate tam interiori, quàm exteriori.

2. Resp. Candor eius admirabilis fuit tam in interiori puritate, quàm in exteriori virginitate. Candor est lucis æternæ; scilicet, quantum ad puritatem mentis, & speculum sine macula, quantum ad honestatem carnis. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

B. Virgo imago bonitatis Dei.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 7. vers. 26. *Speculum sine macula.* Cur Beata Virgo dicitur speculum sine macula?

Resp. Ipsa est speculum bonitatis Dei, & speculum imitationis. *Sapient. 7. Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula. Gloss.* etiam venialis peccati, & imago bonitatis Dei. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Speculum est imitationis Dei.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 7. vers. 26. *Speculum sine macula.* Cur Beata Virgo dicitur speculum?

Resp. Speculum enim fit de vitro, & plumbo, per vitrum quod est lucidum, intelligitur virginitas eius, per plumbum quod est ductibile, & habet calorem, cinereum intelligitur eius humilitas, & sicut vitrum per se, vel plumbum per se non facit speculum nisi coniungantur, nec resultat imago; sic nec Mariæ humilitas sine virginitate, nec virginitas sine humilitate fecisset eam speculum Dei, vt in ea resultasset Christus, qui est imago Dei, nisi ad inuicem iuncta fuissent; scilicet, humilitas cum virginitate, & virginitas cum humilitate. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. 4. Quadrages.*

Humilitas cum virginitate simul iuncta.

2. Resp. Per fontem vultus intuentium representatur: ita & Beata Virgo est speculum Imperialis Palatij, quod omnes electorum animæ summo desiderio contemplantur, & in quo vniuersorum Beatorum facies resultant, & elucent. Vnde de ea dicitur *Sapient. 7. vers. 26. Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius. Beatus Albertus Magnus serm. 37. de Natiuit. B. Mariæ.*

B. Virgo Maria speculum in quo Beatorum facies relucent.

3. Resp. Videmus in cursu naturæ, quod Solis radius, & claritas intrans speculum, reddit speculum aptum ad receptionem imaginis ipsius Solis, qui tamen Sol est in cœlo, & nihilominus sine læsione, & violatione speculi, radius, & imago Solis intrant speculum, ingrediuntur, & egrediuntur, vsque ad oculos intuentium, speculo totaliter perfecto, & integro remanente: ita spiritualiter Virgo Beata dicitur lux & speculum, quoniam ipsa suscepit radium gratiæ à superno Sole, à Deo Patre, nec solum gratiæ claritatem, imò Diuina gratia mediante, intra se Solis imaginem, id est, Dei Filium, qui est imago Patris, qui Filius erat veraciter in cœlo apud Patrem, & in Virginis vtero apud Matrem. Sicut autem Diuina gratia, & Filij Dei Persona ingressa sunt Virginem sine violatione: ita vsque ad oculos intuentium exiuit gratia Diuina Virginis in conuersatione, & Persona Filij Dei, in parturitione, vtque saluis claustris pudoris, & sine violatione. Propter hoc ipsi competit illud *Sapient. 7. Speculum sine macula Dei Maiestatis. Armandus de Vellouisu collatione 71. de Natiuitate B. Virg. ex Psalm. 96.*

Sol ingreditur sine speculi læsione.

Filius Dei sine læsione Virginis ingressus est eam, & ab ea egressus.

4. Resp. Beata Virgo speculum sine macula, & lux nostrarum macularum ostensiua, in qua respicientes, debemus nostras maculas abstergere; videndo enim in ea virginitatem, debemus abstergere nostram immunditiam, humilitatem, debemus abstergere nostram superbiam. Paupertatem debemus abstergere nostram auaritiam suam charitatem, debemus abstergere nostrum rancorem, inuidiam, & sic de alijs. *Armandus de Vellouisu vbi supra.*

B. Virgo speculum macularum nostrarum ostensiuum.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 7. vers. 26. *Speculum sine macula.* Quare sine macula?

B. Virgo speculum omnis virtutis.

Resp. In isto speculo omnes debent prospicere, & maculas suas videre, nam superbi cognoscent ibi superbiam suam, & maculam respiciendo ad suam humilitatem, luxuriosi ad suam virginitatem, auari ad suam paupertatem; Quam sancta fuit eius vita ad quam speculari debemus ostendit *D. Hieronym. in Epist. ad Cromatium, & Eliodorum.* Dicit enim quod ipsa à mane vsque ad tertiam orationi instabat, postmodum ab oratione surgens à tertia, vsque ad nonam operi manuum vacabat, postmodum intermittens opera manuum, iterum ad orationem redibat, & inde non recebat donec Angelus veniebat, qui sibi cibum ministrabat cum quo consolationem suam

In B. Virgine tanquam in speculo maculas suas vident peccatores.

ſuam habebat. *Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo tam puritate, quã dignitate omnem ſuperat lucem, imo creaturã corporalem, & ſpiritualem.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 29. *Eſt enim hæc ſpecioſior Sole.* Quare Beata Virgo ſpecioſior Sole?

Reſp. Quidam legunt hic, *prior*, quidam, *purior*. Maria enim eſt prior, id eſt, potior ſiue dignior. Maria autem purior eſt Sole, & Stellis, & luce, quia tam dignitate, quàm puritate, Solem, & Stellas, & omnem lucem ſuperat corporalem, imò etiam ſpiritualem, id eſt, Angelicam creaturam; Hac itaque luce Angelica prior, & purior eſt Maria, prior dignitate, & purior ſanctitate. *D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 3.*

B. Maria Virgo plus lucilat in gloria, quam aliquis Angelus, & Sanctus.

2. Reſp. Sicut Lucifer, id eſt, Stella matutina plus fulget inter omnia ſidera; ſic etiam Beata Maria plus rutilat in gloria, quam aliquis Angelus, vel etiam aliquis Sanctus. Vnde dicitur de ea *Sapient. 7. Hæc eſt ſpecioſior Sole, & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem, luci comparata inuenitur prior.* Solis igitur, & omnium Aſtrorum ſub cœleſtium ſplendorem excedet claritas Virginis intemeratæ, imò dicit *D. Bernard.* Quod ipſa cœleſtis patria clarius rutilat virgineæ lampadis irradiata fulgore. *Beatus Albertus Magnus ſerm. 38. in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

Soli ſuccedit nox B. Virgo lux perennis.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 29. *Illi enim ſuccedit nox.* Quare ponitur quod luci ſuccedit nox?

B. Virgo perenniter lucet tanquam dies pulcherrimus.

Reſp. Singularis Beatiſsimæ Virginis præſtantia, non modo ſupra cœlum, ſed etiam ſupra ſidera, quæ ſunt pulcherrima cœli ornamenta demonſtratur, & eſt optimum diſcrimen; quia luci etiam ſolari ſuccedit nox, ſeu à nocturnis tenebris obruitur, & occultatur; at vero Beatiſsima Virgo perenniter lucet, tanquam dies pulcherrimus nulla caligine obſcurandus. *Pater Mendoza 1. Reg. 14. Verſ. 11. num. 7.*

B. Virgo vnit hominem cũ Deo.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 1. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter.* Quommodo Beata Virgo attingit à fine vſque ad finem fortiter?

Reſp. Ipſa eſt vnitrix Dei, & hominis, quæ attingit à fine miſericordiarum Dei, vſque ad finem miſeriarum hominis peccatoris. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 2. *Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum, ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædij mei.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Virgo Maria bona ſua communicat largiter.

Reſp. Ipſa eſt Mater communicationis omnium bonorum, & Mater conſolationis, tædium auferens per piam conſolationem, & allocutionem ſapientiæ. Propoſui ergo hanc; ſcilicet, Mariam adducere ad conuiuendum per deuotionem, ipſam ad me venire inuitans, ſciens quoniam mecum communicabit largiter, fideliter, & humiliter, & vtiliter, de bonis gratiæ, & gloriæ, & erit tædij mei allocutio *Gloſſ.* id eſt, alleuatio. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Mater conſolationis.

B. Virgo habuit ſummã animi dulcedinem.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 16. *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius.* Cur non habet amaritudinem conuerſatio Virginis?

Reſp. Bonitas ſecundum *Gloſſ.* animi dulcedo eſt, ſed ſecundum Philoſophum, dulce eſt, quod amaro inpermixtum, dulcius quod amaro inpermixtius, dulciſsimum quod amaro inpermixtiſsimum. Vnde *Sapientiæ 8.* dicitur: *Non habet amaritudinem conuerſatio illius*; ſcilicet, ſapientiæ; ſed cum nulla creatura pura conuerſata eſt intimius, & perfectius; ergo ipſa habuit ſummam animi dulcedinem, vnde & cantamus ei: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 26. §. 1.*

B. Virgo occultabat opera ſua, noluit ea narrari.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 1. *Vani autem ſunt omnes homines.* Cur vanitas hominis narratur?

Reſp. Cum enim boni aliquid agimus vanitate gloriæ ducti cupimus illud alijs innoteſci, etiamſi minimum ſit illud, quod Chriſtus prohibuit dicens: *Cum facis eleemoſynam noli iuba canere ante te, Matth. 6.* Virgo autem Maria cum eſſet excellentiſsimi meriti, & opera excellentiſsima plurima fecerit vt ipſa Sacramenta ſuſcipiendo, & multa alia, noluit tamen ea exprimere, vel narrari facere, vt diſcamus occultare opera noſtra quando non eſt neceſſarium. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 16. §. 2.*

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 15. *Et faciat ei dignam habitationem.* Quommodo Beata Virgo facta eſt digna habitatio Dei?

B. Virgo digna habitatio Dei propter humilitatẽ, virginitatẽ, & ſanctitatẽ.

Reſp. Notandum quod Virgo gloriosa facta eſt illo tempore digna habitatio Dei, quando in ſuo corpore Filius Dei carnem aſſumpſit *Pſalm. Elegit*

git Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi, Sion interpretatur ſpecula, & Virginem Beatam figurat, quæ noſtra ſpecula altiſſima, & præeminens exiſtit per vitæ excellentiam. *Eccleſ.* 1. *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam.* Digna facta eſt habitatio propter tria, propter humilitatis profunditatem, propter virginitatis puritatem, & propter conuerſationis ſanctitatem. *Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum.*

ECCLESIASTICVS.

Dignitatem, & immenſitatem B. Virginis ſolus Deus dimenſus eſt.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 2. *Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſsi quis dimenſus eſt.* An Beata Virgo dicatur altitudo cœli, latitudo terræ, & abyſſus?

Reſp. Cœlum eſt Maria, terra eſt Maria, abyſſus eſt Maria, quis huius cœli altitudinem, quis huius terræ latitudinem, quis huius abyſsi profunditatem, quis inquam Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolum in gratia, & gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſsimam, tam latiſsimam, tam profundam operatus eſt. *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. Lect.* 5.

Miſericordia Virginis nunquã deficiet.

2. Reſp. Quis miſericordiæ tuæ ò Benedicta longitudinem, & latitudinem, & ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare. Nam longitudo eius vſque ad nouiſsimum diem inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis, latitudo eius replet Orbem terrarum, vt ſua quoque miſericordia plena ſit omnis terra; ſed & ſublimitas eius ſupernæ ciuitatis inuenit reſtaurationem, & profundum eius ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. *D. Bernardus ſerm. 4. de Aſſumptione.*

Beata Virgo expers peccati cordis, oris & operis.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 14. *Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus.* Cur dixit væ duplici corde, labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus?

Reſp. Væ duplici corde pro culpa cordis, væ labijs ſceleſtis pro culpa oris, væ manibus malefacientibus pro culpa operis. O quam longe à tali væ fuit omne opus, & omnis vita Mariæ. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. Lect.* 2.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice.* Quis dicitur manſuetus?

Patientia moderatur paſſionem triſtitiæ.

Reſp. Manſuetudo, ſecundum *Gloſſam* eſt tractabilitas. Vnde manſuetus quaſi manu ſuetus, qui ſcilicet, permittit ſe tractari ſine iraſcendo; & iſta eſt differentia inter patientiam, & manſuetudinem, quæ ſimilis videtur quia patientia moderatur, & regulat paſsionem triſtitiæ, quæ inſurgit ex aliqua moleſtia, ne nimis contriſtetur, ſed manſuetudo iræ refrenat paſsionem ne frangatur, & contra rationem aliquid agat, vnde *Gloſſa* dicit: Quod manſuetudo eſt contra iram. *Eccleſiaſt.* 3. Fili in manſuetudine perfice opera tua, qui ergo minus habet de ira magis habet de manſuetudine; ſed Beatiſsima Maria fuit ſine aliqua ira, ergo fuit manſuetiſsima. Præterea manſuetus dicitur tractabilis, tractabilis autem eſt, qui eſt omnibus conformis, & conformabilis; ſcilicet, in eo quod non eſt malum, & ſic tractabilis eſt, qui eſt omnibus omnia, vel ſecundum genera ſingulorum, vt Paulus qui factus eſt Iudæis, ſicut Iudæus, & his qui ſine lege erant, id eſt, Gentilibus tanquam ſine lege eſſet, vel ſecundum ſingula generum, & iſte eſt ſimpliciter omnibus omnia, & ſic fuit Beatiſsima Virgo Maria, vnde tractabilis eſt & manſueta in ſummo. *D. Antoninus 4. part. tit.* 15. *cap.* 26. §. 1.

Manſuetudo refrenat paſſionem iræ.

Virgo Maria fuit manſuetiſsima.

B. Virgo omnibus omnis facta eſt.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 20. *Quando magnus es humilia te in omnibus, coram Deo inueniens gratiam.* Quommodo Beata Virgo coram Deo inuenit gratiam?

Virgo Maria gratiam inuenit propter ſuam humilitatem.

Reſp. Maria certe, quia veriſsimè ſe per humilitatem inclinauit veriſsimam gratiam inuenit, vt verè dicere poſsit: *Reſpexit humilitatem meam. D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect.* 5.

2. Reſp. *Quanto maior es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Dicit etiam *Iacob* 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Ait etiam 1. *Petri* 5. *Omnes inuicem humilitatem inſinuate, quia Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Magnæ humilitatis fuit Virgo Maria, cum enim Angelus eam gratia plenam, & Dominum cum ea, & ipſam inter mulieres benedicendam aſſereret, cumque eam etiam concepturam, & Filium pariturani, qui magnus eſſet futurus, & in domo

B. Virgo quo maior humilior fuit.

Iacob in æternum regnaturus reſpondit humiliter. *Lucæ 2. Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Per humilitatem etiam ad Eliſabeth, quam iam grauidam eſſe cognouerat, pedibus ſuis ambulauit, eamque prior ſalutauit, ipſi quoque fideliter miniſtrauit. Nos etiam exemplo Beatę Virginis, & B. Petri admonitione, humilitatem nobis inſinuare, id eſt, intra ſinum animæ collocare debemus, ne Deum nobis in iudicio reſiſtentem inueniamus, ſed potius tunc de ipſius gaudeamus. *Beatus Albertus Magnus in Feſto Annuntiationis, ſerm. 16.*

Actus noſtri ſupponendi Magiſterio B. Mariæ.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 26. *Subijce humerum tuum, & porta illam, & in omni virtute tua conſerua vias eius.* Quare ſubijciendus eſt humerus ſapientiæ?

Reſp. Dicitur de ſapientia, & poteſt intelligi de Maria, *ſubijce humerum tuum, & porta illam*, hoc eſt, actus tuos ſuppone magiſterio eius; ſubijce per humilitatem, porta per fortitudinem, ſubijce per obedientiam, porta per patientiam, & *ne accidieris in vinculis eius*, id eſt, ne grauiter, & tædioſe feras, ſed cum hilaritate imple præcepta ſapientiæ, & Mariæ. *Beatus Albertus Magnus libr. 2. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 4. num. 8.*

Deſcedit à B. Virg. qui ſeruitium illius intermittit, qui mortaliter peccat.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 21. *Noli diſcedere à muliere ſenſata.* An Beata Virgo dicatur mulier ſenſata?

Reſp. Mulier ſenſata Beata Virgo habens ſenſum Domini in regendo familiam Eccleſiæ, aqua diſcedit, qui ſeruitium illius per negligentiam intermittit. Vel quicunque dimiſſa caſtimonia ſequitur meretricias voluptates. Vel generaliter quicunque mortaliter peccat, quam fortitus eſt ex dono gratiæ ſpecialiter ipſam diligens, & ei ſeruiens in timore Domini, id eſt, cum reuerentia humilitate, & deuotione. *Beatus Albertus Magnus lib. 2. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 3. num. 17.*

B. Virgo breuis per humilitatem.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 3. *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Cur Beata Virgo dicitur apis?

Reſp. Comparatur api, quia breuis per humilitatem, fructus eius dulcis. *Lucæ 1. Benedictus fructus ventris tui. Hugo Cardinalis.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 26. *Qui intuetur illam permanebit confidens.* Quare qui Beatam Virginem intuetur permanet confidens?

Reſp. Sumus enim dimicantes, & contra hoſtes continue præliantes, in *Pſalm. Multi bellantes aduerſus nos. 1. Machabeor. 4. Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt*, ſcutum noſtrum eſt fides noſtra, *ad Epheſ. 6. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſitis omnia tela nequiſſimi extinguere.* In hiſtoria Britonum ſcribitur de Arcturo Rege quod in interiori parte ſcuti ſui Imaginem Virginis gloriosæ depictam habuit, quam quoties in bello fatigatus aſpexit ſpem recuperauit, & vires: iſto modo nos ſi in bello vitæ præſentis triumphare velimus, infra ſcutum fidei noſtræ, imaginem Virginis cum Filio deportemus, hanc reſpiciamus, & in ea confidamus, quia ab ea vires, & virtutes recipiemus; & *infra.* Natrat Macrobius de natura lapidum, *cap. 25.* Quod eſt vna gemma quæ vocatur *Ethithes* habens in ſe naturaliter more prægnantis vnam aliam gemmam. Iſtam gemmam natura ſuggerente aquila cognoſcit, & eam in nido ſuo cum habuerit pullos collocat inter eos, & quandiu in nido fuerit pullis nihil defortunij accipere poteſt. Gemma iſta Mariam ſignificat, quæ lapidem angularem in ſe opere Spiritus Sancti concepit. Pater verò cœleſtis nos tanquam pullos ſuos in nido Militantis Eccleſiæ modo fouet, ſed ne per inimicos noſtros aliquod nocumentum extrinſecus nobis inferatur, gemmam iſtam videlicet Mariam in medio noſtrum poſuit, qui ſi eam deuote inſpexerimus, & dilexerimus ab hoſtibus nos defendet; & ideò non in armis noſtrarum virtutum confidamus, ſed in iſtius Virginis gratia, in qua eſt omnis ſpes vitæ, & virtutis, de qua exponi poteſt illud: *Eos qui diligunt eam diligit Dominus, & qui audit illam iudicat gentes, & qui intuetur illam permanebit confidens. Robertus Holcoz ad illa verba Sapient. 2. qui confidunt in illum.*

Arcturus Rex in interiori parte ſcuti ſui Imaginem Virginis depictam habebat.

In Bello, qui Beatam Virginem intuetur, ab ea vires recipit.

In bello nos protegit, & defendit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 1. *Qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam.* Quare qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet Beatam Virginem?

Reſp. Apprehendet toto conamine mentis, & corporis, dicens: *Inueni quem diligit anima mea. Cant. 3.* tenui eam nec dimittam illam, id eſt, Mariam, vt ei ſeruiat, eam collaudet, & operetur ab honorem ipſius; Non enim

Non videtur de numero prædeſtinatorum, qui B. Virgini ſpecialiter non ſeruit.

Vi-

videtur iustus, vel de numero prædestinatorum, sed magis de numero reproborum, qui Mariæ specialiter non seruit. *Beatus Albertus Magnus lib. 2. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 6.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 15. vers. 2. *Obuiauit illi quasi Mater honorificata.* Quommodo Beata Virgo obuiat seruienti ei?

Resp. Obiauit Maria illi, id est, se continenti, diligenti, imitanti; Obuiauit, in quam, per gloriam conscientiæ, quæ sequitur opera iustitiæ, doctrinam sapientiæ, familiaritatem Mariæ illi remunerando, & hic, & in morte. Quasi Mater honorificata, quod est dicere; si Mater honorificata à filijs suis blande suscipit illos, sic & Maria merito iustitiæ blande suscipit iustos in morte, est enim Maria Mater iustorum, quia nutrit eos, & adoptat vt filios. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Virgo Maria deuotos suos suscipit in morte.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 24. vers. 1. *Sapientia laudabit animam suam.* Cur Beata Virgo dicitur anima sapientiæ, id est, Christi?

Resp. Sapientia, id est, Christus laudabit, id est, laude dignam efficit, animam suam, id est, animam Beatæ Virginis, quæ specialiter sua fuit, & eius animæ intimius, & vnitius copulata. Qui enim adhæserit Deo, vnus spiritus est cum eo. 1. *Corint.* 6. vnde dicit Simeon: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, tuam ipsius animam dicens; vnam ipsorum animam insinuauit, vel laudabit animam, id est, laudare fecit, *Lucæ* 1. *Magnificat anima mea Dominum. Hugo Cardinalis.*

Christus fecit Beatam Virginē laude dignam.

Filij, & Matris anima vna.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 24. vers. 1. *Sapientia laudabit animam suam.* Quare anima Virginis laudanda? Potius laudanda erat caro eius, quam anima, quia de carne Virginis sumpsit Filius Dei carnem, non de anima animam?

Pretiosior fuit spiritualis conceptio Christi in anima, quam corporalis in carne.

Resp. Dicendum quod pretiosior est, & fructuosior spiritualis conceptio Christi in anima, quam corporalis in carne, sine illa enim hæc inutilis foret. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 24. vers. 1. *Sapientia laudabit animam suam.* Quare Christus animam Beatæ Virginis laudabit?

Anima Virginis laudata pro bonis gratuitis, & cœlestium contemplatione.

Resp. Animam Virginis laudauit Dominus pro bonis naturalibus, & bonis gratuitis, pro carnis gubernatione, pro cœlestium contemplatione. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 24. vers. 1. *In Deo honorabitur.* Quommodo Beata Virgo honorata a Deo?

Honorata à Deo in salutatione Angeli, in conceptione Domini, in eius portatione, in eius partu, in eius lactatione.

Resp. In Domino honorabitur, id est, à Domino, in Angeli salutatione, in Domini conceptione, in eius portatione, in eius partu, in eius lactatione. *Lucæ* 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 24. vers. 1. *In medio populi sui gloriabitur.* Quommodo Beata Virgo in medio populi sui fuit glorificata?

Glorificata in Christi Natiuitate.

Resp. In medio populi sui gloriabitur in Christi Natiuitate apud Bethlehem, vbi erat tribus eius, vbi Angeli cantauerunt, Gloria in excelsis Deo, vbi omnes qui audierunt mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos *Lucæ* 2. vel in Assumptione. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 24. vers. 2. *In Ecclesijs Altissimi aperiet os suum.* Quando in Ecclesia aperuit Beata Virgo os suum?

In Purificatione, & Filij presentatione laudauit Deum, & gratias egit.

Resp. In purificatione, quando in Templo Filium, & hostias præsentauit Simeoni. Tunc enim os suum aperuit in oratione, in laude, in gratiarum actione. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 24. vers. 2. *In conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exultabitur.* Quo sensu hæc aptantur Beatæ Virgini?

B. Virgo glorificata viso miraculo mutationis aquę in vinum.

Resp. In conspectu virtutis illius gloriabitur, id est, viso miraculo mutationis aquæ in vinum. *Ioann. 2. Et in medio populi sui exaltabitur*, quando mulier, dixit Domino: *Beatus Venter qui te portauit. Lucæ* 11. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria exaltata in populo suo.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 24. vers. 2. *In plenitudine sancta admirabitur.* Quæ nam plenitudo sancta in qua admirata fuit Beata Virgo?

B. Virgo mirabilis fuit in Passione, quia imperterrita, & fides illibata in ea permansit.

Resp. In passione quando omnia completa fuerunt, mirabilis fuit, quia imperterrita, quia Filio suo pendenti in Cruce astitit, & in ipsa sola fides illibata permansit. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 24. vers. 4. *In multitudine electorum habebit laudem.* Quæ fuit multitudo electorum in qua Beata Virgo habuit laudem?

Resp. In Resurrectione, & in Ascensione, quando inter Apostolos prę-

di-

dicatrix, & conſolatrix eorum permanſit, *Actor. 1. Hugo Cardinalis.*

In ſua Aſſumptione Benedicta.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 4. *Et inter benedictos benedicetur.* Quommodo inter benedictos Beata Virgo benedicta?

Reſp. In ſua Aſſumptione, quando ſuper omnes Choros Angelorum benedicta collocata eſt. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo principium Chriſti, os Patris.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 5. *Ego ex ore Altiſsimi prodiui.* Cur dicit Beata Virgo, quod ex ore Altiſsimi prodiuit, cum omnis creatura ex ore Altiſſimi prodierit?

Reſp. Quia ipſa eſt principium Chriſti, eſt os Patris; & quia de ipſa ſpecialiter dixit tota Trinitas. *Geneſ. 2. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Hugo Cardinalis.*

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 6. *Ego feci in cœlis Vt oriretur lumen indeficiens.* Quo ſenſu verum, quod Beata Virgo fecerit in cœlo, vt oriretur lumen indeficiens?

Reſp. Ego ſupple materiam in conceptione Verbi miniſtrando feci, & Spiritus Sanctus formando. Feci in cœlis, id eſt, opus attingens vſque ad cœlos, & primo ſuperiores cœlos materiales, quia de conceptione, & Natiuitate Chriſti, & Virginis tota cœleſtis curia iubilauit, & gaudet, & collaudat Filium Dei. Secundo, attingens cœlos ſpirituales, & inferiores, quia lætificauit totam Eccleſiam, Virginis enim Natiuitas gaudium annuntiauit vniuerſo mundo. Tertio, cœlos inferiores corporales, & ſpirituales ſimiliter, quia humana natura ad Diuinam viſionem eleuatur. *Ego*, igitur, *feci in cœlis*, id eſt, opus altum, vſque ad cœlos, *Vt oriretur lumen indeficiens*, id eſt, Chriſtus Ieſus, qui eſt lumen illuminans venientem in hunc mundum; Et verè indeficiens, quia nunquam eccliſatur, nec diminuitur, nec vnquam in ſe decreſcit, quia hoc eſt imperfectionis, quod Diuinæ derogat dignitati. *Ambroſius Spiera, Carmelita.*

De conceptione, & Natiuitate Chriſti, & Virginis tota cœleſtis curia iubilauit.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 6. *Ego feci in cœlis Vt oriretur lumen indeficiens.* Cur commendat ſe ipſam, quod fecerit in cœlis vt oriretur lumen?

B. Virgo ſua humilitate Chriſtum à cœlis in terram per duxit.

Reſp. Recte de ea poteſt interpretari illud *Eccleſiaſtic. 24. Ego feci in cœlis, Vt oriretur lumen indeficiens*, quia ipſa ſua humilitate Chriſtum veram lucem, à cœlis in terram per duxit; & quaſi Aurora valde rutilans, vt Eccleſia canit, de ſe ipſa Solem illum produxit, & mundo parturiuit, qui illuminat omnia. *Ægidius Romanus, Ordinis Eremitarum. D. Auguſtini.*

Multi Sancti ſunt in cœlis interceſsione B. Virginis.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 6. *Ego feci in cœlis, Vt oriretur lumen indeficiens.* Quare Beata Virgo ſibi attribuit ortum luminis in cœlo?

Reſp. Multi etiam Sancti ſunt in cœlis interceſsione eius, qui nunquam ibi fuiſſent niſi per eam, quorum corpora fulgent, vt Sol. *Matth. 13. Hugo Cardinalis.*

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 6. *Sicut nebula texi omnem carnem.* Quo ſenſu verum eſt quod Beata Virgo texit omnem terram?

B. Virgo temperat Dei indignationem.

Reſp. Sicut nubecula texi, id eſt, cooperui omnem carnem, id eſt, omnem populum, & gentem. O quoties hæc ſancta nubecula, refrigerat æſtum Diuinæ indignationis exortum, & hoc cum impetus iraſcentis ſolis, id eſt, Dei irati, & ſæuientis in nos in ſe recipit, oſtendens Filio pectus, & vbera, vt ait *glorioſus Bernardus. Geneſ. 2. Arcum meum*, inquit Dominus, *ponam in nubibus cœli.* Nubes cœli caro Virginis, & caro Chriſti ex Virgine eſt,

in quibus arcus, id est, Filius Dei positus est in signum Diuinæ reconciliationis, & hoc mediante nube, id est, Virgine, quia arcus non generatur nisi ex nube aquosa. *Ambrosius Spiera, Carmelita.*

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 24. vers. 6. *Sicut nebula texi omnem terram.* Cur Beata Virgo Maria comparatur nebulæ?

Resp. Comparatur nebulæ Beata Virgo Maria propter nouem quæ his versibus notantur. Translucens, Tenuis, Rorans infrigidat, Obumbrat, Fœcundat, Mediat, sine ventis, exijt ab vndis. Translucens est, quia radios solis recipit, quasi fenestra crystalina in Arca Noe, *Genes.* 6. Tenuis per humilitatem, *Cantic.* 3. *Virgula fumi.* Rorans per charitatem, *Isai.* 26. *Ros lucis ros tuus.* Infrigidat exemplo castitatis. *Ierem.* 6. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Obumbrat contra ardorem solis, id est, tentationis, vel persecutionis. *Psalm.* 120. per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Fœcundat Ecclesiam, *Osseæ* 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium.* Mediat inter Deum, & homines, quasi aduocata. 3. *Regum* 2. *Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Sine ventis est, id est, sine pompa, & sine tentatione inanis gloriæ, exijt ab vndis mundanæ tempestatis, & exire facit confidentes in se. Vnde & Maria Stella maris dicitur, & de hac nebula dicitur *Iob* 26. *Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam. Hugo Cardinalis.*

Tenuis per humilitatem

Exemplo castitatis luxuriosos infrigidat

Protegit in tentatione, & persecutione

Fœcundat Ecclesiam

Aduocata inter Deum, & homines

Inanis gloriæ expers

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 24. vers. 7. *Ego in Altissimis habitaui.* Cur se laudat, quod in Altissimis habitauerit?

B. Virgo excellens fuit in vita, & in voto virginitatis

Resp. Maria dicitur Stella, propter excellentiam sui status, vnde dicitur *Ecclesiast.* 24. *Ego in Altissimis habitaui.* Excellens enim fuit in vita iuxta humanam consuetudinem, quia virginitatem vouit, licet sterilis male diceretur in lege, & quia humillima, cum multi superbiant de virginitate, & quia fidelis, & credula, licet quod ei promittebatur videretur impossibile; scilicet, quod Virgo conciperet, & pareret, manens Virgo. Per votum enim virginitatis, & excellentiam humilitatis Deo placuit, sed per fidem concepit, vnde & per aurem dicitur concepisse, id est, per fidem Doctoris, quia fides ex auditu, *Roman.* 12. ideo dicitur ei. *Lucæ* 2. Beata quæ credidisti, excellens etiam fuit in partu, quia sine dolore, natura mirante suum peperit genitorem. Excellens etiam in sua Assumptione super omnes Angelorum ordines exaltata. *Daniel Agricola, Ordinis Sancti Patris nostri Francisci.*

Excellens fuit in fide

Excellens in partu

Excellens in sua Assumptione

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 24. vers. 7. *Ego in Altissimis habitaui.* Quæ fuerunt Altissima in quibus Beata Virgo habitauit?

B. Virgo Altissima in humilitate, & contemplatione

Resp. In Altissimis habitaui, id est, in mandatis charitatis, in consilijs perfectionis, in contemplationibus super cœlestium, inter Choros Angelorum, in consortio Apostolorum, in montana vbi mansit tribus mensibus cum Elisabeth cognata sua. *Lucæ* 1. *Psalm.* 8. Exaltata est magnificentia tua super cœlos, id est, super Angelos. *Hugo Cardinalis.*

In consortio Apostolorum habitauit

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 24. vers. 7. *Thronus meus in columna nubis.* Cur Beata Virgo dicitur thronus Dei?

Filius Dei elegit thronum in pauperecula Matre

Resp. Thronus dicitur Beata Maria, vnde *Ecclesiastici* 24. *Ego in Altissimis habito, & thronus meus*, quasi dicat: Ego qui in Altissimis habito apud Patrem, elegi thronum in paupercula Matre. *D. Antonius de Pa-*

Padua Dominica 5. poſt Trinitatem.

Sedes B. Virginis in cœlo eſt iuxta Chriſtum hominem.

Dub. 30. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 7. *Thronus meus.* Cur thronus Virginis in columna nubis?

Reſp. Thronus meus in columna nubis, id eſt, ſedes mea in cœlo eſt iuxta Chriſtum hominem. Ipſa enim Virgo eſt Berſabee, id eſt, puteus ſacietatis, vel puteus ſeptem, de quo dicitur 3. *Reg.* 2. *Poſitus eſt thronus Matri Regis quæ ſedit ad dexteram eius. Hugo Cardinalis.*

Fragilitatẽ noſtram ſuſtentat.

Dub. 31. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 7. *Thronus meus in columna nubis.* Quare Beata Virgo dicitur columna nubis?

Reſp. Nota quod dicitur columna, quia noſtram fragilitatem ſuſtentat, nubis quia à peccato immunis. *D. Antonius de Padua Dominic. 5. poſt Trinitatem.*

A peccato immunis.

Virginis poteſtas ſtabilis, & mundo vtilis.

2. Reſp. Thronus meus in columna nubis, id eſt, poteſtas mea ſtabilis eſt, vt columna, & tori mundo vtilis vt nubes, quæ ſolis ardorem temperat, & terram irrorat, & fœcundat. Hæc eſt enim columna nubis quæ præceſsit, & protexit filios Iſrael per deſertum, ita ſtabilis vt nec ab ipſis peccatoribus recederet, ſic Beata Virgo multos in peccato protegit. Ipſa enim eſt aduocata peccatorum. Item columna illa mobilis ſtatione ſua loca caſtrorum monſtrabat, vt legitur, *Numer.* 9. ita Beata Virgo ſignata eſt in exercitu Chriſtiano. Vnde *Cant.* 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Item ſcit Beata Virgo vbi locus eſt aptus quieti exercitus Chriſtiani; vbi ſcilicet, non ſunt Leones, nec Serpentes, nec vermes, ſed fontes, & prata, & arbores, ſi ergo vadis ad tabernam, vel lupanar non te ducit iſta columna, ſed eſt ibi ſcorpio, & dipſas, & ſerpens flatu adurens, *Deuteronom.* 8. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo multos in peccato protegit.

Virgo Maria ſignata eſt in exercitu Chriſtiano.

Virgo Maria exercitus Chriſtiani dux.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 8. *Gyrum cœli circuiui ſola.* Quo ſenſu Beata Virgo gyrum cœli circuiuit ſola?

Amor Virginis à Deo incipiebat, & ad Deum redibat.

Reſp. Fuit amor ſuus per modum circulationis, quia motus circularis eſt ab eodem in idem, quia ipſa Deum ſic diligebat, quod omnia alia non niſi propter ipſum amabat, & ſic omnis amor eius à Deo incipiebat, & in Deum redibat. *Eccleſiaſt.* 24. *Gyrum cœli circuiui ſola*, id eſt, cœleſtis amoris circuiui ſola. Et dicit *ſola*, quia nullius ſancti amor fuit ita in Deum totaliter directus, ſicut Beatæ Virginis. Vnde & breuiſsimum circulum habebat, quia poſt contemplationem omnia quæ occurrebant ſtatim referebat in Deum; ideò dicit *D. Auguſt.* de ipſa. Vnum ſcimus pro certo, quod omnis Mariæ vita, & actio intenta fuit ſemper in Domino. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Nullius ſancti amor fuit ita in Deum totaliter directus, ſicut Beatæ Virginis.

2. Reſp. Gyrum cœli circuiui ſola, id eſt, Chriſtum, qui eſt gyrus mirabilis continens omnia. *Ierem.* 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Item cœlum Eccleſia, gyrus cœli perfectio Eccleſiæ, hanc circumit Beata Virgo, continendo, confouendo, vel conſeruando. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo Eccleſiam continet, confouet, & conſeruat.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 8. *Profundum abyſſi penetraui.* Quomodo Beata Virgo profundum abyſſi penetrauit?

B. Virgo ſacras ſcripturas ſuper omnes profundius intellexit.

Reſp. Id eſt, profunditatem ſcripturæ, *Geneſ.* 1. *Tenebræ erant ſuper faciem terræ, vel abyſſi*, id eſt, in errore ſcripturæ, vel litteræ, non infundo myſteriorum, vbi lux eſt per maxima, vbi Beata Virgo ſuper omnes profundius vidit. Item profundum abyſſi, eſt cor peccatoris obſcurum, profundum, inueſtigabile, *Ierem.* 17. *Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile*, huius abyſſi profundum penetrauit

Pro peccatoribus exorat.

Beata Virgo gladio amoris cum pro peccatoribus exorauit. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 8. *In fluctibus maris ambulauit, & in omni terra ſteti.* Cur Beata Maria in mari ambulat, & in terra ſtat?

Reſp. Nota in mari ambulat Beata Virgo, & in terra ſtat. Cur non in mari nauigat, & in terra equitat? Reſponſio, quia ipſa eſt nauis huius maris; per quam omnes perueniunt ad portum ſalutis. *Geneſ. 6. Fac tibi Arcam de lignis leuigatis;* item ipſa eſt Caſtellum, quod in terra ſtat quaſi refugium omnium, *Lucæ 10. Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum*, id eſt, in Virginis vterum. Item in omni terra ſtat Beata Virgo, id eſt, ſtationem habet, quia vbique terrarum Eccleſias habet. *Iſaiæ 60. Gens, & Regnum quod non ſeruierit tibi peribit.* In omni terra dicit, quia eſt terra quæ teritur, & eſt terra quæ geritur, & eſt terra quæ quæritur. In omni terra ſtat Beata Virgo, & ſtetit. In prima per laudabilem conuerſationem, in ſecunda per virginitatis amorem, in tertia per iugem contemplationem. *Hugo Cardinalis.*

Per Beatam Virginē peruenitur ad cœlum.

Omnium refugium.

Vbique terrarum habet Eccleſias.

Habuit in mundo laudabilem cōuerſationē. Virginitatis amorem, cœleſtiū contemplationem.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 9. *In omni populo, & in omni gente primatum habui.* An in omni populo, & in omni gente primatum habeat Beata Virgo?

Reſp. Sancta Brigitta in reuelationum ſuarum narratione, etiam refert, Beatæ Virgini, ſimul ac ſolemni pompa, & triumpho cœlum ingreſſa eſt; Deum in cœlorum omnium altiſſimo throno conſedere dediſſe, ſociam Regni eam feciſſe, Imperium totius vniuerſi contuliſſe, Dominam, ac Magiſtram equitum cœleſtium, totiuſque militiæ Angelorum dixiſſe, cui ſententiæ, & ipſa ſubſcribit his verbis à Spiritu Sancto illi attributis. *Eccleſiaſt. 24. In omni populo, & in omni gente primatum habui.* Et profecto res eſt omni admiratione ſuperior, quod puellula dictaturam perpetuam, & irretractabilem in cœlo, & terra, & in inferis ipſis, vltimoque tartaro, exerceat, & hoc ipſo cum ipſo rerum omnium creatore, & rectore, de paritate, æqualitate ac ſimilitudine, poſsit quodammodo, vt ſic loquar contendere. Sed excedit exceſſum omnem, terramque in cœlos ipſos admiratione concutit, videturque ipſa natura ab eo ab horrore, vt Deiparæ aliquod etiam Imperium ſit in omnipotentem ipſum, cœli, terræque creatorem. *Alexius à Salo, Capuccinus.*

Deus Bē Virgini contulit Imperium totius vniuerſi.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 9. *In omni populo, & in omni gente primatum habui.* Quommodo in omni populo, & gente primatum habuit?

Eccleſiæ Archiepiſcopales Beatæ Virgini dicatæ.

Reſp. Id eſt, Eccleſias Archiepiſcopales vbi poteſtates ſunt de quibus, *Micheas 5. Suſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores, & octo primates homines, qui paſcent terram Aſſur in gladio.* Vel aliter: in omni populo, & in omni gentæ primatum habui, vt ſicut ad primatum recurritur pro omni grauamine, & afflictione. Vnde *Beatus Bernardus*; ille ſolus Beata Virgo laudes tuas ſilcat, qui te inuocatam in ſuis neceſsitatibus non ſenſerit affuiſſe. *Hugo Cardinalis.*

Ad Bā Virginem recurrēdum in omni afflictione.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 10. *Et omnium excellentium, & humilium corda virtute calcauit.* Qui excellentes, & humiles quos Beata Virgo propria virtute caltat?

B. Virgo Dominatur in cœlo, mundo, inferno.

Reſp. Ipſa enim Dominatur in cœlo, ideò dicit in omni populo; ſcilicet, Angelorum, in mundo, ideò ſubdit *in omni gente primatum tenui, in inferno*, ideò ſubdit *omnium excellentium, & humillium colla propria virtute calcaui. Iacobus de Voragine, Epiſcopus Ianuenſis, ſermone 5. in Annuntiatione.*

Om-

Virgo Maria meritis, & precibus ſuis, Reges & Principes Filio ſuo ſubiugauit.

Omnium excellentium, vel ſublimium corda propria virtute calcaui, id eſt, Reges, & Principes, mihi, vel potius Filio meo ſubiugaui precibus, & meritis meis. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ſuos deuotos viſitat.

Dub. 38. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 10. *Omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui.* Quommodo calcat virtute ſua corda excellentium, & humilium?

Reſp. Greſsibus pię viſitationis, quibus viſitat ipſa Virgo Beata amicos, & familiares ſuos, & omnes qui in corde ſuo Chriſtum habent per fidem, & amorem libenter viſitat Beata Virgo, quæ eſt Mater quæ non viſitat libenter filium ſuum ſine magno comitatu cœleſtium bonorum. Vnde *Philo* dicit de ipſa *Sapient. 7. Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* De greſsibus illius quibus viſitat orantes ſe Beata Virgo dicitur, *Cant. 7. Quam pulchri ſunt in calceamentis greſſus tui Filia Principis. Iſaiæ 60. Domum maieſtatis meæ gloriſicabo.* Et iterum: *Locum pedum meorum glorificabo.* Gloriam, & pulchritudinem iſtorum greſſuum ſentiunt ſoli excellentes, & humiles, excellentes in conuerſatione, ſed humiles reputatione. *Hugo Cardinalis.*

Quos viſitat, replet bonis.

Virgo Maria cœlo imperat, in inferno regnat, in Purgatorio dominatur.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 8. *Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Auguſta hæc Imperatrix, vt nobis depingat expreſſius quæ, & quanta ſit poteſtatis ſuæ apud Deum amplitudo, quatuor dicit notatu digniſsima. *Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti.* Primo ſententiæ huius membro ſignificans ſe toti cœlo imperare; altero in medio inferno regnare.

Res vniuerſæ ex arbitrio, nutuque ſuo pendent.

Tertiò, ſuo vnius fauore, & gratia, vinctos in Purgatorijs illis barathris inde liberari, abſolui, & multum ſolatij conſequi. Quartò, res vniuerſas ex arbitrio, nutuque ſuo pendere. *Alexius à Salo, Ordinis Sancti Patri noſtri Franciſci, Capuccinus.*

B. Virgo in cœlo inuenit pacem, temporis, cordis, & æternitatis.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *In his omnibus requiem quæſiui.* In quibus Beata Virgo requiem quæſiuit?

Reſp. Hodie Beata Virgo cœlos aſcendens, requiem quam quæſiuit inuenit. Hodie ſuper omnes Angelorum Choros fideliter exaltata, pacem, & requiem quæſiuit, & quod quæſiuit inuenit; Ergo dicit: *In omnibus requiem quæſiui*, ac ſi dicat: Inter omnia, & omni deſiderio, & opere quæſiui requiem, & pacem; ſcilicet, temporis, pectoris, & æternitatis. *Antonius Bitontinus, Franciſcanus, in feſto Aſſumptionis.*

Virgo Maria vitæ actiuæ, & contemplatiuæ vacabat.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *In his omnibus requiem quæſiui.* Quam requiem inuenit Beata Virgo ſeu quærit?

Reſp. Quærit autem Beata Virgo requiem, non quidem requiem pigri, quæ eſt ocium, vel ignauia, ſed duplicem requiem actiuorum; ſcilicet, de qua dicitur *Iſaiæ 28. Hæc requies meæ*, reficere laſſum: & contemplatiuorum, de qua dicitur *Iob 36. Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine.* Menſam dicit triplicem, lectionem, orationem, meditationem, pinguedinem dicit deuotionem, exultationem, lachrymarum, vel cordis effuſionem. Hac requie ſolebat abundare olim thalamus Beatæ Virginis, id eſt, clauſtra ſibi ſpecialiter deputata, vbi modo tumultus, & cauſarum lites iugiter audiuntur. Vnde timendum eſt ne exierit inde Beata Virgo quærens ſibi requiem, & Beatus in cuius domo requiem inuenerit, nam ibi manebit;

Religioſi vitæ actiuæ, & contemplatiuæ vacantes.

conſtat quod non ſine Filio ſuo, nec Filius ſine Patre, nec Pater ſine Spiritu Sancto. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria portio, & hæreditas Domini

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *In hæreditate Domini morabor.* Quæ eſt hæreditas Domini?

Reſp. In hæreditate Domini morabor, id eſt, in Maria, quæ antonomatice, portio, & hæreditas Domini, *Geneſ.* 48. *Do tibi vnam partem*, id eſt, Mariam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Contemplatiuos in habitat B. Virgo

2. Reſp. In hæreditate Domini morabor, id eſt, in illis, qui ſunt hæreditas Domini, quos Dominus excolit, & cuſtodit, vt hæreditatem ſuam. Qui ſunt illi? Contemplatiui, vnde *Iſai.* 19. *Hæreditas mea Iſrael. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo inter cæteras creaturas adnumeratur, vt non Diuinam, ſed humanam habuiſſe naturam credatur.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me.* Quare Deum nominat ſeorſum ſui ipſius Virginis Creatorem?

Reſp. Deum nominat non ſolum aliarum omnium rerum, ſed ſeorſum ſui ipſius Virginis Creatorem iuxta myſterium, ne quis putaret Sanctiſsimam Virginem inter cæteras creaturas minimè numerandam; ſic enim ab humana infirmitate recedebat, ſic ad Diuinam ſanctitatem appropinquabat, vt niſi ipſa tantum errorem præcaueret, non humanam, ſed Diuinam habuiſſe naturam crederetur. *Pater Mendoza* 1. *Regum* 4. *Verſ.* 11. *num.* 30.

In ſola B. Virgine Dominus requiem inuenit.

2. Reſp. Altiſsimus ſibi Mariam, quaſi mundum ſpeciáliſſimum condidit; hæc eſt vnica ſalutaris fœmina, in qua ſola, quæſitam in omnibus requiem inuenit. *D. Bernard. ſerm. de Beata Maria.*

Virgo Maria ſingulare Tẽplum Dei.

3. Reſp. Et qui creauit me, ſingulare Templum ſibi. *Hugo Cardinalis.*

Per B. Virginem ignobilis peccator nobilitatur,

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *Qui creauit me.* Quare creauit te Domina, & quæ cauſa aduentus tui?

Reſpondeo, creata ſum, vt per me ignobilis peccator, nobilitaretur, nihilum enim ignobile eſt, vt peccator, & peccatum, *Pſalm.* 62. *Facti ſunt vt ſtercora terræ*, per peccatum qui prius fuerunt Filij Dei per gratiam. Nota ergo, ipſa nobilitati ſumus natura, quia fratres Chriſti, nomine quia à Chriſto dicimur Chriſtiani. Regno quia fecit nos Reges per ipſam, quia ſoror noſtra eſt, *Geneſ.* 12. *Dicit: Obſecro in omni loco quod ſoror mea ſis.* Creata etiam ſum, vt debilitas humani generis, per me fideliſsimam iuuaretur. *Eccleſiaſt.* 4. *Vidi lachrymas innocentum, & neminem conſolatorem.* Vnde & ipſa conſolando nos dicit illud. *Oſeæ. Perditio tua Iſrael, tantum in me auxilium tuum.* Creata enim ſum, vt per me lucidiſſimam, totius mundi tenebroſitas fugaretur. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Debilitas humana per Beatam Virginẽ iuuatur.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 11. *Requieuit in Tabernaculo meo.* Cur Beata Virgo dicitur Tabernaculum Chriſti?

Chriſtus in B. Virg. armaturam noſtræ humanitatis accepit contra diabolum pugnaturus.

Reſp. Dicta autem eſt Beata Maria Tabernaculum Chriſti, quia in ea habitauit ingrediens campum huius mundi ad pugnandum, in quo militamus, vnde ſapiens in perſona eius dicit: *Qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo*, & *Beatus Auguſtinus in ſermone*, de ea loquens. Thronum Dei cœli, Thalamum Dei, Tabernaculum Chriſti, neceſſe eſt ibi eſſe, vbi eſt ipſe. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 10. §. 1.

Habuit quidã quid boni fuit in coniugatis, viduis, & virginibus

2. Reſp. Creator huius Virginis Deus eſt, qui requieuit in vtero eius nouem menſibus, & ſex diebus, in quo vtero ſicut miles in Tabernaculo armaturam noſtræ humanitatis accepit contra diabolum pugnaturus. *Antonius Bitontinus, Franciſcanus, in feſto Aſſumpt.*

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 13. *In Iacob habita, in Iſrael hæreditare, in electis meis mitte radices.* Quo ſenſu

su hæc exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Propter triplicem statum dicitur ei: *In Iacob inhabita*, id est, coniugatis, qui sunt in lucta, quia tribulationem carnis habent huiusmodi, 1. *Corint.* 7. *In Israel hæreditare*, id est, in viduis, *Quæ enim vidua est cogitat quæ Dei sunt.* 1. *Corint.* 7. sed in electis meis, id est, virginibus mitte radices. Sic ergo ipsa sola habuit quidquid boni fuit in mulieribus. *Beatus Albertus Magnus lib. 2. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. num. 3.*

B. Virgo præuisa creari ab æterno.

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 24. vers. 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Cur Beata Virgo dicitur ante sæcula creata?

Creatio eius præfigurata.

Resp. Ab initio, id est, ab æterno creata sum, id est, præuisa creari quodam priuilegiato modo. Vel ab initio creationis mundi creata sum, id est, præfigurata creari per creationem lucis, de qua factum est corpus Solis, vt dicunt quidam, vel ab initio temporis gratiæ creata sum, id est, generata sum, vel ab initio, id est, à Deo, & ante sæcula, id est, ab æterno creata sum in præscientia Dei. *Hugo Cardinalis.*

Ab æterno creata in præscientia Dei.

Dub. 48. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Cur Beata Virgo se commendat, quod ab initio fuerit creata?

Angeli, vbi primum creati fuerunt, viderunt in mētis Diuinæ speculo excellentias, quibus B. Virgo erat potitura.

Resp. Cum sancta hæc Virgo semper in oculis Dei versata sit, vt charissimum Diuini amoris sui obiectum, suo quodam iure potuit in has voces erumpere, sibique tribuere. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Simul ac Angelis datum est esse, statim oculis in splendidissimum illud mentis Diuinæ speculum conuersis, viderunt almam hanc adolescentulam multo fortunatissimam, eiusque amplitudines, & excellentias quibus esset tandem potitura. Et cui dubium esse possit, quin inter illas speciosas ideas, & similitudines rerum, iam tum Angelis diuinitus infussas, idea hæc Virginis fuerit omnium charissima: cum illa humanitatis Iesu Christi, quam ex ea nasciturum clarissimè peruidebant. O! vt tum gestiebant, ac tantum non trepudiabant. Beati illi spiritus, cum in contemplatione, tam optati, ac sublimis mysterij instaurationis mortalium, aliquando tandem peragendę, Virginis interuentu, versabantur? *Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei*, ait sapientia Dei, ex Beata hac Virgine nata, & incarnata. *Alexius à Salo, Capuccinus.*

Dub. 49. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 14. *Ab initio creata sum.* Quommodo exponitur ab initio?

A Filio præuisa creari qui esset Creator Virginis, & Filius Virginis.

Resp. Prima Virginis dignitas dicitur singularis creationis, quia *ab initio, & ante sæcula creata sum.* Si hic intelligatur ab initio, id est, indeterminatè sum præuisa creari, vt quidam exponunt, nulla erit Virginis gloria, nulla in ea prærogatiua, quoniam sic omnis creatura præuisa est creari in tempore. Propterea vt aliquid admiratione dignum, & singulare priuilegium in ipsa intelligatur, dico quod per initium intelligitur principium, vt sic sensus: *Ab initio*, id est, à principio, id est, ab eo qui est principium, *Ioann. 4. Ego sum principium, qui & loquor vobis.* At *Apoc. 3. Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.* Ab initio isto creata sum, id est, à Filio Dei pręuisa sum creari, qui esset Creator meus, & Filius meus. *Ambros. Spiera, Carmelita.*

Non desinet misericordiā exhibere inuocantibus eam.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 24. vers. 14. *Vsque ad futurum sæculum non desinam.* Quommodo hęc verba de Beata Virgine intelliguntur?

Resp. Creata siquidē fuit in mente Diuina ante sæcula, id est, prędestinata, vt esset Mater Dei, & inde Mater nostra; nec vsque ad futurum, id est, ad aliam vitam patrię, postquam fuit in mundo nata, non desinit pietatem, & misericordiam exhibere inuocantibus eam. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

2. Resp. Ceciderunt quidem Apostoli in Passione Christi à fide, à gratia, à societate Christi, quia ipsa

ipsum solum relinquerunt, sed Beata Virgo à fide cadere non potuit, quia in altitudine Diuinæ sapientię erat fundata, *Psalm. Fundamenta eius in montibus altis*, ideò significatur per Stellam maris, quę cæteris stellis occidentibus, illa non occidit; sic & Beata Virgo cæteris Apostolis cadentibus, ipsa cadere non potuit: secundò cadere non potit à gratia, quia septem columnis, id est, septem Donis Spiritus Sancti fuerat stabilita. *Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Tertiò, non potuit cadere à societate Christi, quia Cruci eius semper fuit coniuncta, *Ioann. 19. Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*, & sic firma fuit, ita quod nec à fide, nec à gratia, nec à societate Christi cadere potuit; Ideò ipsa dicit *Ecclesiast. 24. Ab initio, & ante sæcula creata sum, & Vsque ad futurum sæculum non desinam. Iacobus de Voragine serm. 2. tertiæ Dominic. Quadrag.*

Cæteris Apostolis à fide cadentibus in Passione Christi Beata Virgo non cecidit.

A gratia cadere non potuit, nec à Christi societate.

3. Resp. Secunda dignitas Virginis dicitur singularis incontaminationis, quia subiungit: *Et Vsque ad futurum sæculum non desinam*, id est, nunquam peccabo, nec venialiter, nec mortaliter. Nunquam ergo Virgo desinit, id est, deficit, nec ex parte Dei, nec ex parte proximi, nec ex parte sui, ex parte quidem sui non deficit, vt aliquam committeret culpam; peccare enim quoddam deficere est. Audi *D. Augustinum.* Cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo de Maria facere mentionem. Concipere enim, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum; Nec ex parte Dei, quoniam semper Deus paratus est gratiam infundere, & ipsa semper parata erat ipsam recipere, cum nihil haberet impediens, vt ostenderetur in sequentibus, nec ex parte proximi; quia semper fuit in proximum clementissima. *Ambrosius Spiera, Carmelita.*

B. Virgo nunquam peccauit, nec venialiter, nec mortaliter.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 24. vers. 14. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Quommodo Beata Virgo coram Deo ministrat?

Virgo Maria coram Deo ministrat, cũ miseris subuenit, pro peccatoribus exorat.

Resp. Miseris subueniendo, humiles sublimando, pro peccatoribus exorando, quod ministerium valde placet Deo. Vnde *Ecclesiast. 26. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Prouerb. 31. Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit. Hugo Cardinalis.*

Dub. 52. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 14. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Quo sensu hæc aptantur Beatæ Virgini?

Desiderium nostrum erga Deum, & B. Virginem tendat.

Resp. Hic nota quatuor: cœleste desiderium, vt ante Deum, & Matrem eius sit omnino desiderium nostrum, & nostra conuersatio in cœlis. Item coram ipso, id est, simpliciter, id est, simplici oculo non faciens iustitiam tuam coram hominibus, vt laudaris ab eis, sed nihil aliud quæras nisi ipsum. Item coram ipso, id est, strenue, omnia enim aperta sunt oculis eius. Proprium est enim omnis serui, etiam pigri quandiu præsens est Dominus eius, strenue operari. Vel coram ipso, id est, in beneplacito eius. Item coram ipso, id est, reuerenter coram tanto Domino, & tanta Domina, cum etiam coram Dominis terrenis reuerenter sui serui ministrent. *Ministraui* humiliter, & libenter. Ministrare ergo in continua mentis, & corporis munditia est in sancta habitatione ministrare. Et nota quod in his tribus verbis tanguntur fere omnia, quæ ministris Christi, vel Marię sunt necessarię, vt scilicet, ministrent in munditia, vel abiectione voluptatum, & contemptu temporalium, in patientia aduersariorum, in desiderio ęternorum strenue, feruenter, simpliciter, reuerenter, humiliter, libenter, perseueranter. Ecce Decalogus ministrorum Christi, & Marię. *Daniel Agricola, Franciscanus, in corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ Stella tertia.*

In operibus nostris non laus humana, sed Deus quęrendus.

Reuerenter coram Deo, & B. Virgine ministrandũ.

Deo ministrãdũ cum continua mentis, & corporis munditia.

Quales debẽt esse serui B. Virginis.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 24. vers. 15. *In Ciuitate sanctificate similiter requieui.* Cur dicitur in Ciuitate sanctificata?

Resp.

Nullus quantumcunque sanctus fuit quin peccauerit, Christo, & B. Virgine exceptis.

Reſp. Sanctificata, id eſt, in ſanctitate confirmata in hoc mundo nullus quamtumcumque ſanctus fuit, quin peccauerit, Chriſto, & Virgine Maria exceptis; ideò ita Eccleſia Militans non dicitur ſanctificata, id eſt, ſanctitate confirmata; ſed in Paradiſo in illa Eccleſia Triumphante omnes ſunt ſanctificati, id eſt, in ſanctitate confirmati, quia impeccabiles ſunt, vt Virgo Maria. *D. Vincentius Ferrer ſerm. 2. in Aſſumptione.*

Requieſcit in actiuis, & contemplatiuis.

2. Reſp. In Ciuitate ſanctificata, id eſt, in vita actiua ſimiliter requieui, ſicut in contemplatiua, id eſt, à peccato ceſſaui, vel requiem æternam quæſiui, vel Chriſtum requieſcere feci. *Iſaiæ 28. Hæc requies mea refícere laſſum.* Requieſcit etiam in bonis actiuis in bona operatione, & oratione per mentis lætitiam, ſicut in contemplatiuis in contemplatione. *Pſalm. 96. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Hugo Cardinalis.*

Adiuuat in vita, in morte, & poſt mortem.

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 15. *In Ieruſalem poteſtas mea.* Cur poteſtas Beatæ Virginis deſcribitur?

Reſp. Eſt enim tam potens effecta, quod poteſt nos adiuuare in vita, & in morte, & poſt mortem. Si enim quis haberet amicum, qui poſſet eum iuuare in vita, eſſet bonus, ſi haberet alium, qui poſſet iuuare in morte eſſet melior, ſi verò haberet alium, qui poſſet iuuare poſt mortem eſſet optimus. Beata igitur Virgo in iſto triplici ſtatu adiuuare nos poteſt, vnde cantat Eccleſia: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Primò, quidem adiuuat in vita, in præſenti etenim vita, quidam ſunt iuſti, & quidam peccatores, iuſtos adiuuat, quia conſeruat in eis gratiam Dei, ideò dicitur *Mater gratiæ;* Peccatores adiuuat, quia impetrat eis Diuinam miſericordiam, ideò ſubditur: *Mater miſericordiæ.* Secundò, adiuuat in morte, quia tunc à diabolo nos defendit; Diabolus enim eſt tantæ audaciæ, quod non tantum ad peccatores, ſed etiam ad viros ſanctos, qui moriuntur venit volens ſcire ſi aliquod ius habeat in eis, ſicut venit ad mortem Sancti Martini, ſed Beata Virgo quando moriuntur aliqui ſui deuoti ad eos venit, & à dæmonibus eos protegit, & defendit, ideò dicitur: *Tu nos ab hoſte protege.* Tertiò, adiuuat etiam poſt mortem, quando enim aliqui ſancti viri moriuntur, tunc Angeli veniunt, & animas eorum deducunt in cœlum, ſed quando moriuntur aliqui deuoti Beatæ Virginis Mariæ, ipſa ad eos venit, & eorum animas ſuſcipit, & in cœlum deducit, ideo ſubditur: *Et hora mortis ſuſcipe. Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. tertiæ Dominicæ Quadrageſimæ.*

B. Virgo habet poteſtatem imperandi, & faciendi quod vult.

2. Rep. In Ieruſalem poteſtas mea imperandi, & faciendi, quod volo, & quos volo introducendi. Regina quidem eſt illius Ciuitatis, & Filius eius Rex. Item ſi tu es Ieruſalem, id eſt, videns, & inquirens pacem, ipſa Beata Virgo habet in te imperium, & poteſtatem, quia in præcepto eius obtemperas, & quidquid præceperit illa. *Ioann. 2. Quodcumque dixerit vobis facite. Hugo Cardinalis.*

Poteſtatem habet in eis, qui præcepto eius obtemperant.

Dub. 56. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 15. *In Ieruſalem poteſtas mea.* Quare Beata Virgo in cœleſti patria habet tantam poteſtatem?

Reſp. Habet autem aliquis magnum poſſe in curia alicuius Regis, aut propter parentelam, ſicut quando quis eſt frater vel filius Regis, aut propter gratiam inuentam, ſicut quando quis propter ſapientiam, & probitatem inuenit gratiam apud Regem, aut propter obſequia exhibita, ſicut quando quis multa fecit in obſequium Regis. His tribus de cauſis debet Maria Virgo habere magnum poſſe in curia cœleſti. Primò, propter parentelam, quia eſt Mater Regis; & ideò Rex nihil debet ſibi denegare. Secundò, habet poſſe ratione gratiæ apud eum inuentæ, iuxta illud *Lucæ 1. Inueniſti gratiam apud Deum.* Tertiò, habet poſſe propter obſequia

Virgo Maria habet potentiam in cœlo, quia Mater Regis, & ratione gratiæ inuentæ.

Conſeruat in iuſtis gratia Dei.

Habet poteſtiam propter obſequia quæ Filio exhibuit.

quia quæ Regi exhibuit, quia omnia opera misericordiæ sibi impendit. *Iacobus de Voragine Sabb. 5. Quadrages.*

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 24. vers. 16. *Radicaui in populo honorificato.* Quis populus honorificatus?

Resp. Populus maximè honorificatus est cœtus Angelorum, & Sanctorum. Radix autem est principium arboris, imaginemur ergo sumitatem perfectionis gloriæ Beatorum esse in Seraphim ordine supremo, & ibi incipit perfectio gratiæ, & gloriæ Virginis extendens se erga Filium incarnatum. De hac *Gerardus in homilijs suis.* Solus Dominus Iesus Christus potest hanc Virginem magnificare, quemmadmodum fecit, vt ab ipsa maiestate laudem continuo accipiat, & honorem: Angelicis stipata Choris, Archangelorum vallata turmis, Thronorum hinc inde possessa iubilationibus, dominationum circuncinta tripudijs, Principatum circumsepta obsequijs, Potestatum amplexata plausibus, virtutum gyrata honoribus, Cherubin circunstantiata hymnificationibus, Seraphin possessa vndique ineffabilibus cantionibus, Ipsa quoque ineffabilissima Trinitas hymni tripudio sibi aplaudit, atque sua gratia in ea tota redundante, omnes eidem attendere facit, Apostolorum splendidus ordo ineffabiliter gloriam illam extollit, Martyrum multitudo omnimode supplicat Dominæ tantæ, Confessorum exercitus inumerabilis, continuum sibi personat canticum, Virginum candidissima contio iugem choream ad suam celebrat gloriam, inuite etiam infernus sibi iubilat, & procacissimi dæmones conclamant. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 6.*

Solus Deus potuit Virginem magnificare?

Omnes B. Virgini iubilāt, imò & dæmones inuite eō clamant.

2. Resp. *Radicaui in populo honorificato.* Radicaui, id est, radices posui, id est, plantaria virtutum inserui, in populo honorificato, id est, in populo timente Deum, *Ecclesiast. 1. Radix sapientiæ timere Deum, & cap. 10. Semen hominum honorabitur, hoc quod timet Deum. Iob 29. Radix mea aperta est iuxta aquas*, id est, populos. *Hugo Cardinalis.*

In timente Deum plantaria virtutū inserit.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 24. vers. 16. *In parte Dei mei hæreditas illius.* Quommodo hæc exponuntur de Beata Virgine?

Qui sunt Christi habēt hæreditatem cœlorum.

Resp. In partes Dei mei, id est, Dei, qui est Meus Filius hæreditas illius, id est, Regnum cœlorum, quasi dicat: Illi qui sunt partes Filij mei habebunt Regni hæreditatem, vnde *Ecclesiast. 17. In partes vade sæculi sancti, cum viuis, & dantibus confessionem.* Vel sic, & in partes Dei mei, id est, in mansiones Regni cœlestis, hæreditas illius tendit, id est, populus honorificatus, qui est eius hæreditas. *Deuteronom. 32. Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Hugo Cardinalis.*

Iusti in mansiones Regni cœlestis tendunt.

Dub. 59. Ad illa verba, cap. 24. vers. 16. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Quare in plenitudine sanctorum detentio Mariæ?

Perfectio sanctorum B. Virgini non defuit.

Resp. Reuera in plenitudine sanctorum Mariæ detentio fuit, dum in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis sanctorum non defuit. *D. Bernard.*

2. Resp. Merito in plenitudine sanctorum detentio eius, cui nec defuit fides Patriarcharum, spiritus Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fœcunditas, coniugatorum, immò nec puritas Angelorum. *D. Bonauentura in speculo B. Virg. Lect. 7.*

3. Resp. Ipsa non solum in plenitudine sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur, detinet nimirum virtutes, ne fugiant, detinet merita ne pereant, detinet dæmones ne noceant, detinet Filium ne peccatores percutiat, ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet restante, *Isaia cap. 64.* qui dixit: *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.*

Detinet sanctos ne eorū plenitudo minuatur, virtutes ne fugiāt, merita ne pereant, dæmones ne noceant, filium ne percutiat.

4. Resp.

Apud peccatores manſionem non facit, apud iuſtos detinetur.

4. Reſp. Adhuc certe in plenitudine ſanctorum non in plenitudine impiorum detentio Mariæ eſt, quia apud eos qui pleni ſunt iniquitate Maria libenter non eſt. *D. Bonauentura ibidem.*

Virgo Maria non manet apud hypocritas, crudeles, ſuperbos, luxuriosos, auaros.

5. Reſp. In plenitudine ſanctorum, id eſt, inter plene ſanctos, detentio mea paſsiue, id eſt, inter tales detineor, & quieſco, quibus nihil ſanctitatis deeſt, de quibus dicit *Pſalm. 72. Et dies pleni inuenientur in eis.* Hypocritæ autem ſunt vacui veritate, ſed pleni vanitate, apud tales non detinetur Mater veritatis, Tyranni pleni ſunt crudelitate, ſed vacui pietate, nec apud tales detineri poteſt Mater pietatis, ſuperbi pleni ſunt vento, ſed vacui humilitate. Luxurioſi pleni ſunt luto, ſed vacui caſtitate. Auari pleni ſunt loculis, ſed vacui charitate; nec apud tales detineri poteſt aliquatenus Beata Virgo exemplar humilitatis, decus caſtitatis, fons charitatis. *Hugo Cardinalis.*

Magna dignitas Virginis Mariæ, quod facta ſit Mater Dei.

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano.* Cur Maria cedrus?

Reſp. Maria cedrus, quia cedrus arbor procera, & eminentiſſima ſuper omnes arbores, vnde, & à quibuſdam dicitur Rex arborum; & bene competit dignitati Mariæ, quæ in hoc quod ipſa facta eſt Mater Dei, nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem; Ideò dicit: *Quaſi cedrus exaltata eſt in libano*, quia ſicut dicitur. *B. Bernardus.* Hæc eſt Virginis noſtræ gloria ſingularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quod Filium vnum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 6. §. 6. num. 1.*

Singularis prærogatiua Virginis, quod eũdem Filium habet cum Patre.

Virgo Maria, materia fuit corporis Chriſti.

2. Reſp. Cedro ſe comparat primo Virgo Maria, quia cedrus libani materia fuit Templi, & Beata Virgo corporis Chriſti, quod eſt ſecundum Templum. *Ioann. 2. Soluite Templum hoc.*

Fuit ſine verme fomitis poſt conceptionem Filij.

Item cedrus ſine vermibus eſt, quia imputribilis eſt, & Beata Virgo ſine verme fomitis, vel concientiæ fuit poſt conceptum Domini. Item cedrus ſemper viret, ita Beata Virgo ſemper viruit per virginitatis viriditatem. Item cedrus odore ſuo fugat ſerpentes, & Beata Virgo dæmones. Item cedrus magnas, & altas habet radices, & Beata Virgo ſimiliter altas, & magnas radices habuit ex quibus orta eſt Abraham, Ieſsè, Dauid; vnde *Iſaiæ 11. Egredietur virga de radice Ieſſè.* Item cedrus ſeruat libros à tineis, & Beata Virgo Sacram Scripturam ſeruat, ne corrumpatur ab hæreticis. Item cedrus odorifera eſt, & odor humilitatis Beatæ Virginis totam reſperſit Eccleſiam, imò vſque ad cœlum veniens deduxit in terrenis Filium Dei, *Cant. 1. Cum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum.* Item cedrus alta ſupra omnes arbores eſt, & Beata Virgo ſuper omnes mulieres eſt. *Prouerb. vltim. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Item cedrus in libano oritur, & ereſcit; ita & Beata Virgo in triplici candore virginitatis, duplicis innocentiæ. Item pes Crucis Dominicæ fuit de cedro; & Beata Virgo quaſi fixa aſtitit pedi Crucis, *Ioann. 19. Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius. Hugo Cardinalis. Vide Danielem Agricolam, Franciſcanum, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis quarta Stella fere eadem exponentem.*

Semper viruit per virginitatem.

Dæmones fugat.

Ex alta radice orta.

Seruat Sacrã Scripturã, ne corrumpatur ab hæreticis.

Humilitas Virginis deduxit in tertis Filiũ Dei.

B. Virgo ſuper omnes mulieres.

Virgo Maria orta cum candore duplicis innocentiæ.

Aſtitit pedi Cruci quaſi fixa.

Dub. 61. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano.* Cur exaltatio eius in libano?

Reſp. Fructus charitatis eſt, qui de terra ad cœlum euocat, & ſic ad ipſum pertinet à terrenis ſeparatio, & ad cœlum eleuatio: ſed Beata Maria fuit omnino à terrenis eleuata, quia nec puluis venialis adhæſit pedibus affectuum eius, quod nulli ſanctorum contigit. Fuit etiam eleuata ad cœlum, ſuper omnes in contemplatione, & cognitione, & affectione diuinorum. Vnde dicit *Eccleſiaſt. 24. Quaſi cedrus exaltata ſum in libano.* Libanus qui interpretatur can-

B. Virgo fuit omnino à terrenis eleuata.

Eleuata ſuper omnes in contemplatione, & cognitione, & amore Diuinorum.

candidatio ſignat Eccleſiam Militantem, & Triumphantem candidam puritate; ſicut ergo cedrus in libano altior omni arbore: ita Beata Virgo magis elevata erga Deum in Eccleſia, & dilectione. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 26. §. 1.*

Super omnes elevata in Eccleſia, & dilectione Dei.

2. Reſp. Libanus mons quidam, ſignificans Chriſtum montem in vertice montium, qui eſt candor lucis æternæ, *Sapientiæ 7.* Alij enim montes, id eſt, Sancti, candidi ſunt non candor, ſed ab ipſo candore candeſcunt, quia ab ipſo mundantur, & de plenitudine eius accipiunt. In hoc monte præ cæteris omnibus Beata Virgo exaltata eſt ſuper homines, & Angelos, tamquam præcipuum membrum in corpore ſub capite. Dicit ergo quaſi cedrus exaltata ſum in libano, id eſt, in Chriſto, in mundo, in cœlo, in ordine Ciſter, quia omnes Eccleſiæ illius ſunt de ipſa, & bene dicit exaltata, quia de humili Ancilla in Reginam cœli, de Filia Dei in Matrem Dei. *Daniel Agricola, Franciſcanus, vbi ſupra.*

B. Virgo candidior quam Angeli, & Sancti.

Omnes Eccleſiæ Ciſter ſunt de B. V.

Exaltata eſt de humili ancilla in Reginam cœli, & Matrem Dei

Dub. 62. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 17. *Quaſi cypreſſus in monte Sion.* Cur Beata Virgo dicitur cypreſſus in monte Sion?

Reſp. Cypreſſus arbor eſt medendis apta corporibus. Sion interpretatur ſpeculum, quod ſcilicet, ſpeculum, homini reddit imagenem ſuam. Deformatus erat homo per peccatum quod ei abſtulerat imaginem Dei ad quam factus erat; ſed per Beatam Virginem, quæ eſt fons gratiæ reformata eſt in homine imago Dei per gratiam. Vnde benedicitur *cypreſſus in monte Sion*, cum per ipſam imago Dei reformatur in anima, & per reſurrectionis medicinam, corporibus infirmis reſtituitur ſanitas.

Per B. Virginem reformata eſt in homine Imago Dei.

2. Reſp. Cypreſſus dicitur ex eo, quod ramos in acutum colligens, velut conum facit in ſummo; & Maria ramos virtutum ſuarum non per vanitatem diſpergebat, ſed ad vnum ſublime, quod Deus eſt colligebat, iuxta illud *Eccleſiaſt. 30. Contine, & congrega cor tuum in ſanctitate.*

Virtutes ſuas non inaniter diſpergebat, ſed in Deum collegit.

3. Reſp. Cypreſſus oneribus ſupportandis aptiſſima, quia infragibilis, & nunquam oneribus cedit, ſed ſub eis perpetua ſtabilitate perdurat, ſimiliter, & Maria nunquam ceſsit oneribus tribulationum, quas patiebatur in Filio; per charitatem verò quæ omnia ſuſtinet, 1. *Corint.* 13. infatigabiliter, & quaſi infrangibiliter humanæ infirmitatis in nobis onera ſuſtinet, & ſupportat, iuxta illud ad *Roman.* 15. *Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere. Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 6.*

Tribulationibus non ceſſit B. Virgo.

Per charitatem infirmitates noſtras ſuſtinet.

4. Reſp. Quaſi cypreſſus in monte Sion, id eſt, in Eccleſia. Cypreſſus conſolidat hernioſos, quibus viſcera deſcendunt inferius: ſic monita, & exempla Beatæ Virginis conſolidant nos, ne per auaritiam viſcera noſtra proijciamus in terram. *Eccleſiaſt. 10. Nihil iniquius, quam amare pecuniam, hic enim, & animam ſuam venalem habet, quoniam in terram proiecit intima ſua.* Item cypreſſus mollis eſt, & Beata Virgo mitis, & ad miſericordiam flexibilis, vnde de cypreſſo fiunt tabulæ ad ſcribendum, menſæ ad manducandum, lecti ad dormiendum, manubria cultellorum ad tenendum: ita Beata Virgo nobis in diuerſis neceſsitatibus auxiliatur, & liber eſt, & refectio, & quies, & mediatrix ad Filium. Item cypreſſus odorifera eſt ſicut cedrus, & Beata Virgo ſicut prius. Item cypreſſus recta eſt, & Beata Virgo recta, immò, & rectiſsima per dilectionem, *Cant. 1. Recti diligunt te.* Item cypreſſus durum habet fructum, & fructus Beatæ Virginis, id eſt, Chriſtus durus cibus eſt indigne ſumentibus. 1. *Corint. 6.* quicumque indigne accipit. *Ioann. 6. Durus eſt hic ſermo. Hugo Cardinalis. Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Corenarum B. Virginis Stella ſexta.*

Detinet homines, ne per auaritiã declinent in terram.

Ad miſericordiam flexibilis.

In diuerſis neceſsitatibus auxiliatur.

Rectiſsima per dilectionem.

Chriſtus durus cibus indigne ſumẽtibus.

Dub. 63. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 17. *Quaſi cypreſſus in monte Sion.* Cur dicitur exaltata in Sion?

Reſp.

Exaltata in Eccleſia Militante, & Triumphante.

Resp. Mons Sion Ecclesia, vt Sion significet Ecclesiam Militantem, in qua Deus videtur per speculum in ænigmate, mons Sion Ecclesiam Triumphantem, Sion enim interpretatur speculum, vel specula exaltatur ergo in monte Sion Beata Virgo, id est, in eminentia vtriusque Ecclesiæ, quia Beatam me dicent omnes generationes, Angelorum, & hominum. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 6.*

Beata dicta ab Angelis, & hominibus.

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 24. vers. 17. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Quare Beata Virgo dicitur palma?

Eucharistiæ Sacramentū, dulcissimum ferculum digne recipientibus.

Resp. Palma suauis in fructibus, fructus enim eius quos colligimus in præsenti suauitas miserationum eius, vel fructus eius Sacramentum Filij, qui dulcissimum ferculum est digne recipienti, vnde Sponsa *Cant. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo.*

Fructus Virginis paratus in cibum victoribus.

2. Resp. Palma donantur victores, & coronantur, vnde Mariæ dicitur *Isaiæ 62. Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui.* Fructu etiam huius palmæ cibantur, qui vicerint, vnde *Apoc. 12. Vincenti dabo edere.*

Largissima ad donandū.

3. Resp. Palma similitudinem humanæ manus quodammodo exprimit in frondibus, & à palma humana forte appellatur palma propter conformitatem, vel quia ramo palmæ solet ornari palma, id est, manus victoris. Extendit enim manus suas inopi per largitatem, & palmas ad pauperes, nec collecta est manus eius in pugnum ad percutiendum, sed extensa, sicut frondes palmæ ad donandum; dat enim omnibus affluenter quantum in se est. *Iacobi 1.* Id circo de ea potest dici, sicut dicitur de sapientia, *Sapientiæ 8. In operibus manuum illius honestas, sine defectione*, quia opera eius, quæ exhibuit Filio Dei, honestatem habent indeficientem, similiter, & opera misericordiæ, quæ miseris peccatoribus impendere numquam cessat. *Beatus Albertus Magnus ibidem, §. 5. num. 1.*

Indefectiens in misericordia.

Dub. 65. Ad illa verba, cap. 24. num. 17. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Quare exaltatio eius in Cadęs?

Ecclesiæ Templariorū fundatæ ad honorem Virginis.

Resp. Id est, in Ecclesia, vel specialiter in corde Templariorum, quorum Ecclesiæ omnes fundatæ sunt ad honorem eius. Cades enim interpretatur translata, vel sancta, vel tollens mare, quod benè conuenit Templarijs, qui tolluntur, & transferuntur vltra mare, vt sancti fiant. Palma vero centenaria facit fructum, qui rubicundus est; sic Beata Virgo licet ætate temporis iuuenis, tamen in figuris, & prophetis annosa: fructum tulit benedictum, & dulcem, sed in Cruce rubicundum. *Cantic. 7. Dixi ascendam in palmam, & aprehendam fructus eius. Hugo Cardinalis.*

Ætate temporis iuuenis, in figuris annosa.

Christus in Cruce rubicundus.

2. Resp. Cades interpretatur sancta, translata, mutata. Dicit ergo quasi palma exaltata sum in Cades, plenitudo sanctitatis in duobus est, vnum est rei mutabilis contemptus, aliud amor Dei immutabilis perfectus, per hæc autem duo meruit exaltari, quia temporalia perfectè contempsit, & Deum perfectè amauit. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 5. num. 1.*

Temporalia perfectè contempsit, & Deum perfectè amauit.

Dub. 66. Ad illa verba, cap. 24. vers. 17. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Quare Beata Virgo appellatur rosa Iericuntina?

Rosa Ierichē habet centum quinquaginta folia.

Resp. Dicunt quod in Iericho crescunt rosæ specioſissimæ habentes centum quinquaginta folia; Dicitur ergo Maria quasi rosa, non quælibet, sed Iericuntina, id est, specioſissima, & maximè habito respectu ad Filij passionem, cui mente compassa est. Color enim roseus, quasi sanguineus est, & sanguis signat martyrium, & benè quasi rosa. Christus enim vera fuit rosa sanguine proprio rubricatus, ipsa verò non suo sanguine, sed sanguine

Sanguine Filij per compassionem rubricata.

Filij rubricata, & ideo quasi rosa, quantum enim Filius passus est corporaliter, tantum ipsa compassa est præcordialiter. Ipsa enim fuit rosa in Iericho, quod sonat defectus, quia compassa est Filio, quando fides in omnibus defecerat præter ipsam.

In omnibus fides defecerat præter ipsam.

2. Resp. Rosa capitis confortatiua, per caput mentem intellige, confortauit enim Basilium, Iulianum apostatam formidantem, & Theophilum iam fere desperantem, quando locuta est ad cor eius, ideò dicitur *Rosa in Iericho*, quod interpretatur defectus, quia sæpè, nisi confortaret peccatores deficerent.

Confortat peccatores, ne desperent.

3. Resp. Rosa prius clausa ad solis radium aperitur. Cum enim vouendo virginitatem, consensum animi conceptioni clausisset, & generationi; soli tamen aperuit iustitiæ cum intellexisset se Dei Filium posse concipere, & parere manens Virgo. Vnde dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi.* Vnde, & dicit *Cant.* 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo.*

Rosa prius clausa ad solis radiũ aperitur.

Cùm intellexit se posse concipere, & parere manẽs Virgo, cõsensum præbuit.

4. Resp. Rosa antequam marcescat carpitur, quia antequam Beatissima caro eius putredine marcesceret ad vtriusque stolæ immortalitatem de mundo assumpta creditur, non enim dedit Dominus sanctam suam videre corruptionem. *D. Augustinus* credimus quod nunquam caro computruerit in terris, cuius pars glorificata est in cœlis. *Beatus Albertus Magnus libr.* 12. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 4. *num.* 31.

Caro B. Virginis non computruit.

5. Resp. In Iericho, quod interpretatur Luna, id est, in Ecclesia. Vnde *Apocal.* 12. signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Comparat autem se rosæ Beata Virgo, quia rosa pulchra est, immò pulcherrima florum, sic Beata Virgo pulcherrima mulierum. *Cant.* 5. *Quo abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum*, & respondet Salomon: *Prouerb.* 7. *Abijt via longissima, saculum pecuniæ secum tulit in die plenæ Lunæ reuersurus in domum suam.* Item rosa rubea est in colore, sed candida in natura. *Cant.* 4. *Sicut fragmenta mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus.* Item redolet rosa: ita Beata Virgo famæ suæ odore totam pigmentat Ecclesiam. *Cant.* 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Item rosa frigida est, & Beata Virgo exemplo suæ castitatis refrigerium præstat contra æstum libidinis, *Ierem.* 18. *Numquid de petra deficiet nix Libani*, id est, de firma mente refrigerium Virginis. *Cantic.* 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de candore sanctæ Virginis. Item rosa stipica est, id est, restrictoria fluxus capitis, quem in se benè restrinxit Beata Virgo, & in nobis per exemplum, quater enim tantum legitur in Euangelijs locuta. Angelo *Lucæ* 1. *& Elisabeth.* Filio *Lucæ* 2. ministris in nuptijs. *Ioann.* 2. Item de spinis nascitur rosa, non spinosa, & Beata Virgo de Iudæis incredulis non incredula, vnde *sicut spina rosam genuit, ita Iudea Mariam.* Item rosa in verè post hyemem apparet; sic gloriæ Beatæ Virginis in presenti vita non apparuit, sed in Assumptione, vnde *Cantic.* 1. *Nigra sum, sed formosa*, nigra in mundo, formosa in cœlo. Item rosa modica in statura, & Beata Virgo humilis. *Lucæ* 1. *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Item rosa grana crocea habet intra folia, quæ significant charitatem Virginis, quam gessit in corde, in verbo, in opere. *Hugo Cardinalis.*

Rosa pulcherrima florum.

B. Virgo pulcherrima mulierum.

Rosa rubea est in colore, sed candida in natura.

Rosa redolet.

B. Virgo odore suæ famæ pigmẽtat Ecclesiam.

Rosa frigida est.

Virgo Maria refrigerium præstat contra æstum libidinis.

Rosa stiptica est.

Quater legitur in Euangelijs locuta.

Rosa de spinis nascitur, non spinosa.

Virgo Maria de Iudæis incredulis orta, non incredula.

Gloria B. Virginis in Assumptione apparuit.

B. Virgo mẽdica per humilitatem.

Habuit charitatem in corde, in verbo, & opere.

6. Resp. Aliqui legunt ex Græco, *sicut Acanthus henericho*, qua est herba ad Solem semper conuersa, ad quem sua intendit folia. Ità Beatissima Virgo Maria veluti achantus semper Filium suum verum iustitiæ sequebatur Solem, & quocumque conuertebatur ipse, in sequebatur illa. *Pater Silueira tom.* 1. *libr.* 2. *quæst.* 4. *num.* 10.

Virgo Maria in sequebatur Filium, quocumque se conuertebat.

Dub.

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 18. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Cur Beata Virgo comparatur oliuæ?

Reſp. Habetur quod ipſa habet miſericordiam excedentem, per hoc quod dicit oliua, ſicut enim oleum omnibus liquoribus eminet; ſic miſericordia eius omnibus Sanctorum miſericordijs præeminet, & illas excellit. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. tertiæ Dominic. Quadrageſimæ.*

Miſericordia Virginis omnibus Sanctorum miſericordijs præeminet.

2. Reſp. Oliua fructum ſuum quantum in ſe eſt omnibus communicat, quod apparet quando Filium ſuum peperit in via, vt poſſet ab omni prætereunte capi, & dicerent tranſeuntes: *Filius datus eſt nobis.* Sed nota quod non inuenitur hic fructus, niſi à tranſeuntibus, vnde de paſtoribus qui dixerunt: *Tranſeamus vſque ad Bethlehem,* & *Lucæ* 2. dicitur paulo poſt: *Venerunt feſtinantes, & inuenerunt.*

Filium ſuum omnibus communicauit.

Chriſtus inuenitur à cõtemnentibus mundum.

3. Reſp. Oliua ſignum eſt pacis, vnde in eius partu cantatum eſt: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, per ipſam enim finita eſt guerra quam Eua fecerat inter Deum, & hominem, inter hominem, & Angelum, inter hominem, & hominem, inter corpus, & animam. Ipſa eſt illa Columba quæ ceſſante diluuio ramum oliuæ in ore ſuo detulit ad Noe in Arcam, Deum humano generi reconciliatum demonſtrans, & ſic ipſa deſignatur per oliuam quæ eſt ſignum pacis, & per Columbam quæ eſt auis pacifica. *B. Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Mariæ, cap. 6. §. 2.*

Per Beatam Virginem finitum bellũ inter Deum, & hominem, inter hominem, & Angelum, inter hominem, & hominem inter corpus, & animam.

4. Reſp. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis* ſupple exaltata ſum, per miſericordiam, & pietatem. Pietas enim trahebat eam, quando concepto Saluatore abijt in montana cum feſtinatione, vt ſeruiret Eliſabeth in partu eius. *Lucæ* 1. Et pietas aperuit os eius, quando dixit Filio ſuo in nuptijs, *Fili vinum non habent. Ioann.* 2. oliua cana eſt, & Beata Virgo prudens. *Sapient.* 4. *Senij ſunt ſenſus hominis. Et Eccleſ.* 26. *Mulier ſenſata, & tacitã non eſt immutatio animæ eruditæ.* Item oliua ſuam comam ſeruat diu, & Beata Virgo ſpem, charitatem, & fidem nunquam dimiſit. Item oliua fructum facit in frigore pinguem, & Beata Virgo in hyeme peperit Saluatorem. Item oliua cantarides nutrit, id eſt, muſcas fœtentes, & lucentes, & Beata Virgo multos canonicos nutrit lucentes ſcientia, ſed fœtentes vita, lucentes veſtibus, ſed fœtentes moribus, cum è contrario doceat, *Auguſtinus in Regula vorum, Non affectetis veſtibus placere, ſed moribus*; exemplum in vitis Patrum de iuuene propter quem obturauit Angelus ſuas nares in ſepultura mortui peregrini. Item folia oliuæ ſanant cancrum oris, & verba Beatæ Virginis detractionem, & adulationem, & turpiloquium curant, de hac naſcitur oleum ad infirmos, oleum gratiæ, oleum ad cathecumenos, oleum ſapientiæ, oleum ad inungendum Reges, & Sacerdotes, oleum lætitiæ. Vnde *Cant.* 1. De oleo huius oliuæ dicitur, *Oleum effuſſum nomen tuum. Ierem.* 11. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. Hugo Cardinalis.*

Exaltata per pietatem.

Oliua cana eſt.

Et Virgo prudens.

Oliua comã ſeruat diu.

B. Virgo ſpẽ, charitatem, & fidem nunquam dimiſit.

Oliua fructũ pinguem facit in hyeme.

B. Virgo in hyeme peperit Saluatorẽ.

Oliua cantarides nutrit.

B. Virgo multos Eccleſiaſticos nutrit fœtentes vita.

Folia oliuæ ſanãt cancrũ.

Verba Beatæ Virg. ſanant detractionẽ, adulationẽ, turpiloquiũ.

Dub. 68. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 18. *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Cur Beata Virgo ſe comparat oliuæ?

Nata ad omnium vtilitatem.

Reſp. Oliuæ comparata eſt propter plenitudinem gratiarum. Si enim oliuæ proprietatem inſpiciamus, eleganter ſatis Beatæ Mariæ congruit, quia viret hyeme, & æſtate, nec aliqua frigoris, ſiue tempeſtatis, aut etiam æſtiui caloris intemperantia, ſpeciem ſuæ viriditatis amittit. Æſtati autem futuræ vitæ claritas accipienda eſt, ſicut in Euangelio Dominus dicit de arboribus: *Quoniam prope eſt æſtas, Matth.* 24. Quæ ideò æſtati comparatur, quia ea adueniente, & mœroris noſtri nubila tranſeunt, & vitę dies æterni ſoli claritatis fulgeſcũt.

Oliua viret hyeme, & æſtate.

Vita æterna adueniente triſtitia tranſit.

Vita præſens diuerſis tentationũ ventis impellitur.

Hyemis verò nomine præsens vita accipienda est, quæ & mortalitatis astringitur frigore, & diuersis tentationum ventis impellitur, De qua in Canticis *Cant. 2.* scriptum est: *Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit.* Oliua ergo nostra, & æstate, & hyeme virorem suum retinet; quia Beata Virgo Maria humore spiritualium gratiarum perfusa, præsentis vitæ torpere non aruit, & æternæ vitæ amænitatem inter omnes filias Euæ glorioſa suscepit. *Absalon Abbas, Benedictinus, sermone in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

B. Virgo in prosperis, & aduersis virorem virtutis retinuit.

Dub. 69. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 18. *Quasi oliua.* Quid significant folia, & rami huius oliuæ?

Iusti rami B. Virgini inserti.

Resp. In hac oliua ramos, folia, fructum, & oleum pariter considera. Rami siquidem eius sunt viri iusti, quos Dominus in Euangelio ramos vocat, vbi dicit de grano sinapis, quod factum est in arborem magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius, *Matthæi* 13. Rami inquam sunt Sancti viri, qui imitatione virtutis, & sanctitatis propositio Beatæ Virgini quodammodo inserti sunt, longitudine spei, & latitudine charitatis circunquaque diffusi. Folia verò verba sunt Euangelicæ veritatis, quæ ipsa Apostolos, & alios nascentis Ecclesiæ filios docuit. Hæc enim sunt folia ligni vetiti, de quibus in *Apocalyps.* dicitur *cap.* 22. Quia sunt ad sanitatem languentium: quia in verbis Euangelicæ prædicationis medicina est, & salus languentium animarum. Fructus autem oliuæ istius sunt opera actiuæ, & contemplatiuæ, vtpote aures Dei orationibus inclinare, secretis Diuinis interesse, puerum Iesum lacte pascere, & his similia, *& infra.* Oliua igitur nostra, id est, Beata Dei Genitrix distillauit oleum effusum simpliciter viuentibus, oleum purissimum fortiter operantibus, oleum lætitiæ ardenter amantibus, oleum vnctionis, id est, misericordiæ, criminosis post lapsum redeuntibus. Vides igitur quoniam oliua ista speciosa est in ramis, speciosa in foliis, speciosa in germine, speciosa in liquore. *Absalon Abbas vbi supra.*

B. Virgo Apostolos, & alios docuit Euangelium.

Opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ exercuit.

Beneficia sua omnibus communicat iustis, & peccatoribus.

Dub. 70. Ad illa verba, cap. 24. vers. 18. *Quasi oliua.* Quare Beata Virgo dicitur quasi oliua?

B. Virgo habet misericordiam quasi naturalem.

Resp. Sancti namque Patres operibus misericordiæ intenti fuerunt. Virgo autem Maria habuit misericordiam quasi naturalem, ideò dicitur quasi oliua. Solus enim Deus est ipsa oliua, & ipsa misericordia; ceteri Sancti habent oleum, id est, compassionis effectum, Virgo autem glorioſa est quasi oliua, quia misereri est sibi quasi versum in naturam. *Iacobus de Voragine serm. 6. in Assumptione.*

Dub. 71. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 18. *Quasi oliua speciosa in campis.* Cur dicitur oliua speciosa?

Virgo Maria misericors corde, ore & opere.

Resp. Habet quasi totalem misericordiam, ideò dicitur: *Quasi oliua speciosa*, illa enim oliua est speciosa quę est pulchra in ramis, in foliis, & in fructu; sic & ipsa habet misericordiam, & in corde exhibendo compassionis affectum, & in ore pro nobis aduocando apud Deum, & in opere conferendo miserationis auxilium. Habet etiam misericordiam vniuersalem sunt quidam Sancti, qui habet misericordiam specialem, quia subueniunt quibusdam, & quibusdam non. Sunt quidam Sancti qui habent misericordiam particularem, quia in quibusdam infirmitatibus habent virtutem curandi. Sunt qui habent misericordiam localem, quia maiora beneficia præstant in locis sepulturæ. Sunt qui habent misericordiam temporalem, quia in aliquibus temporibus magis subueniunt; misericordia autem Virginis est sicut oliua in campis, quiæ eius misericordia est omnibus personis, infirmitatibus,

Alij Sancti habent misericordiã particularem B. Virgo vniuersalem.

&

& omnibus locis, & omnibus temporibus. *Iacobus de Voragine vbi ſupra.*

Suſcipit, cunctos ad ipſam cõfugientes, ſub protectione ſua.

Dub. 72. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum.* Cur Beata Virgo comparatur platano?

Reſp. Per platanum exprimitur Beatiſsima Virgo, quæ ſub alarum ſuarum latitudine, id eſt, pietatis, & poteſtatis ſubuentione ſuſcipit, ac tuetur cunctos ad ipſam confugientes. *Dioniſius Cartuſianus.*

Platanus exterius refrigerat.

2. Reſp. Platanus latis foliis vmbram faciens exterius refrigerat, aqua interius, homo verò dupliciter æſtuat, exterius in tribulationibus, interius in tentationibus, & concupiſcentijs; vt ergo in Beata Virgine plenum oſtendatur refrigerium, platanus dicitur iuxta aquas, quia contra æſtum exterioris tribulationis, & interioris concupiſcentiæ, ſeu tentationis remedium præſtat; & per hoc digna eſt exaltari, & laudari in plateis, id eſt, in populis. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 8. num. 2.*

Remedium præſtat contra æſtum tribulationis, & concupiſcentiæ.

Iram iudicis temperat.

3. Reſp. Platanus arbor eſt, patula quæ expanſis ramis vberem facit vmbram, & idoneum præbet vmbraculum calore ſolis nimio fatigatis. Sol Chriſtus cuius ſolis feruor ira iuſtitiæ eius, & vindictæ, quam ſcilicet, iram ipſa ſuis temperat precibus à peccatoribus deuote, & fideliter exorata, patulam nihilominus ſe exhibet peccatoribus, omnes quantum in ſe eſt parata recipere ſub ſua protectione, & omnes refrigerare malos igne exuſtos. *Ibidem, & Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis, octaua Stella.*

Parata eſt omnes recipere ſub ſua protectione.

B. Virgo protegit tentatos carnale cõcupiſcentia, ſuperbia, & diuitijs.

4. Reſp. Nota vbi ſunt folia lata, ibi eſt vmbra magna, & magna eſt vmbra protectionis eius, nam protegit contra carnalem concupiſcentiam, quia Virgo. Contra ventum mundanæ vanitatis, quia humillima, contra tentamenta diuitiarum, quia pauperrima, contra feruorem ſolis, quia Mater Solis Iuſtitiæ. Diligas ergo Mariã, & ſeruias ei, vt non vratte Sol per diem, nec Luna per noctem. *Daniel ibidem.*

Platanus arbor ſterilis, ſimilis viti.

5. Reſp. Arbor eſt ſterilis à fructu, & Maria vouens virginitatem, prælegit ſterilitatem, quam concubitus fœditatem, vnde de ipſa dicitur *Sapient. 3. Fœlix ſterilis, & incoinquinata, habebit fructum.* Similis viti in foliis, & Maria in moribus ſimilis Filio, qui eſt vitis vera, *Ioann. 15.* vnde nubes quæ aſcendebat de mari. *3. Reg. 18. Quaſi veſtigium hominis* dicitur habuiſſe, *Oſeæ 10. Vitis frondoſa Iſrael*, id eſt, Maria, fructus, id eſt, Chriſtus adæquatus eſt ei. Arbor mollis, & tenera in foliis, quia pia, compatiens peccatoribus, quos inſtruit verbis, & exemplis in ſpiritu lenitatis, quia lex clementiæ in lingua eius. *Daniel Agricola ibidem.*

B. Virgo prælegit virginitatem quã concubitus fœditatem.

Virgo Maria in moribus ſimilis Filio.

Platanus arbor mollis, & tenera.

B. Virgo tenera per pietatem, & compaſsionem.

6. Reſp. Platanus ſiquidem arbor lata eſt expanſis ramis vmbram faciens vberiorem, quæ idoneum eſt vmbraculum his qui calore ſolis intemperato fuerint fatigati. Vmbra illius platani nihil aliud conuenientius accipitur, quam Incarnatio Verbi, de qua dicitur *Lucæ 1. Et Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi.* Si enim vmbræ naturam enucleatius inſpiciamus, ex lumine, & corpore efficitur. Tunc ergo platanus hæc vmbram copioſiſsimam reddidit, quando lumen incorporeę Diuinitatis in Beata Virgine aſſumpſit corpus noſtrę humanitatis. *Abſalon Abbas, Benedictinus, ſermone in Natiuitate.*

Deus in B. Virgine aſſumpſit corpus noſtrę humanitatis.

Dub. 73. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas.* Cur dicit ſe exaltatam iuxta aquas?

B. Virgo adiuuat peccatores ad exeũdum à peccatis.

Reſp. Ideò dicitur platanus iuxta aquas, quia ſicut rami, vel arbores plantatæ iuxta aquas iuuant illos, qui ſubmerguntur in aquis ad exeundum; ſic & ipſa iuuat ad exeundum de aquis carnalis concupiſcentię, & aliorum peccatorum, ſuis orationibus me-

meritis, & exemplis, iuuat in quam ſi ſe prendiderit ei fide, & dilectione, & manibus bonæ operationis ad eius honorem, & gloriam quod bonum eſt operantes. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 8. num. 2.*

Operabatur Ieſu dum doctrinam Chriſti, & gratiã.

2. Reſp. Iuxta aquam, id eſt, iuxta Filij ſui doctrinam, quam iugiter audiebat, & gratiam eius, quæ plenis erat. *Hugo Cardinalis, & Daniel Agricola vbi ſupra.*

B. Virgo coniugata fuit, ſed non vſa coniugio.

Dub. 74. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas.* Cur dicit iuxta aquas, & non in aqua?

Reſp. Iuxta aquam dicit ſe exaltatam, non in aqua quia coniugata fuit, ſed non vſa coniugio. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra. Hugo Cardinalis. Daniel Agricola.*

Dub. 75. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 19. *Iuxta aquam in plateis.* Cur dicit ſe exaltatam in plateis?

B. Virgo exaltatur in corde mundo, & ſimplici.

Reſp. Plateæ ſunt corda iuſtorum dilata charitate, *Tobiæ 13. Plateæ Ieruſalem ex lapide candido, & mundo externentur.* Aqua in platea, gratia in corde lato per charitatem, & plano per ſimplicitatem, & in tali corde exaltatur. *Daniel Agricola, Franciſcanus, vbi ſupra.*

Virgo Maria protegit peccatores ſua miſericordia, vt ad pœnitentiam expectentur.

2. Reſp. Exaltata ſum in plateis, in illis; ſcilicet, qui conſtituti ſunt latis vijs, quæ ducunt ad mortem. *Threnor. 3.* non ſunt cogniti, id eſt, ſunt æternaliter reprobati, quia in plateis huiuſmodi, qui quanto frangiliores, tanto indigent miſericordia maiori, & in his plateis eſt ipſa quaſi platanus, proregens eos miſericordia copioſa, ne mox rapiantur ad infernum, ſed ad pœnitentiam miſericorditer expectantur; & ne diabolus ipſos quantum vellet peruertere, præualeat. Vel exaltatam ſe ideò dicit in plateis, id eſt, in latitudine multiplici, quia Virgo cum virginibus, vidua cum viduis, coniugata cum coniugatis, vnde dicit: *Et ambulabam in latitudine.*

Habuit ſtatũ Virginum, viduarũ, & coniugatarum.

3. Reſp. Platanus, vt dictum eſt habet folia lata, & Maria platanus eſt, quia abundans in doctrina, nam cum ſeruaret omnia, quæ de Filio dicebantur conferens in corde ſuo, *Lucæ 2.* ex abundantia cordis, *Matthæi 12.* prudenter, & ſapienter poterat loqui Apoſtolis, quæ ab ipſis erant ſcribenda. *Daniel Agricola.*

Docuit Apoſtolos quæ ab ipſis erant ſcribenda.

4. Reſp. In plateis autem vmbra platani huius diffuſa eſt, quoniam omnibus criminoſis, & ſub peccati onere gementibus, opem ſuæ protectionis porrigit, omnibus inquam poſt lapſum redeuntibus, & deſiderantibus viam ſalutis. *Abſalon Abbas, Benedictinus.*

Protegit peccatorem poſt lapſum redeũtem.

Dub. 76. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 19. *Quaſi platanus exaltata ſum?* Quare Beata Maria comparat ſe cedro, cypreſſo, palmæ, roſæ, oliuæ, & platano?

B. Virgo habuit meritũ omnium Angelorum, & Sanctorum, vnde ſuper omnes exaltata.

Reſp. Per ſex arbores quibus comparatur exaltatio Beatæ Virginis intelligi poſſunt ſex ordines Beatorum. Eſt ergo ſenſus quod Virgo eſt exaltata ſicut Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & Confeſſores, & Virgines. Fuit enim exaltata ſuper Choros Angelorum, & omnes Sanctos, & ſicut habuit meritum omnium, & amplius, ideò congruum fuit vt ſuper omnes ponatur. *Diuus Thomas Aquinas ſermon. in Aſſumptione.*

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Sicut cinnamomum.* Quare Beata Virgo dicitur cinnamomum?

Cinnamomũ creſcit in longinquis regionibus.

Reſp. Cinnamomum arbor creſcit in peregrinis, & longinquis regionibus; ſcilicet, in India, & Æthiopia ad litteram, in quo ſignatur quod vſque ad remotiſſimas regiones habetur veneratio Virginis glorioſæ. Sicut ipſa dicit *Lucæ 1. Beatam me dicent omnes generationes.* Maria etiam ab illis qui fuerunt flagitioſi peccatores honoratur, & per miſericordiam vult ab illis honorari. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ,*

In remotiſſimis Regionibus habetur veneratio Virginis glorioſæ.

Honoratur ab his qui fuerunt flagitioſi peccatores.

riæ, *cap.* 6. §. 9. *num.* 2.

Cinnamomũ eſt duorum cubitorum.

2. Reſp. Cinnamomum eſt duorum cubitorum, & hæc proprietas æquè conuenit Matri, & Filio, ſicut enim ipſe ſemper fuit Filius Dei, & manſit Filius Dei, & cœpit homo eſſe, vt verè poſſet dicere ſum quod eram; ſcilicet, Deus, nec eram quod ſum; ſcilicet, homo; nunc dicor vtrumque; ſcilicet, Deus, & homo. Sic poteſt dicere Maria poſt partum; ſum quod eram; ſcilicet, Virgo, nec eram quod ſum, id eſt, Mater modo dicor vtrumque, id eſt, Mater, & Virgo, & hi ſunt duo cubiti, quibus Mariæ Dignitas menſuratur; ſcilicet, virginitas, & fœcunditas, ideò dicitur *Eccleſiaſt.* 26. *Gratia ſuper gratiam*, gratia fœcunditatis ſuper gratiam virginitatis. *Ibidem.*

Dignitas Mariæ quod ſit Mater, & Virgo.

Cinnamomũ coloris cinericei.

3. Reſp. Cinnamomum eſt coloris cinericei, qui vilis eſt, & deſpectus, in quo ſignatur dilectio paupertatis, & mundani contemptus; per hæc enim duo maluit in mundo vileſcere, quàm lucere, vilipendi, quam appretiari; & ideò dicit odorem cinnamomi ſe dediſſe, quia dedit exemplum contemnendi, quidquid in mundo glorioſum; verè enim fuit humilis per paupertatem ſpiritus, & ſicut dicit *Beatus Bernardus*: Verè humilis non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari. Color cinericeus, color mortuus eſt, ſed ſub hoc colore latet in cinnamomo ſapor viuus, & Maria mortua erat mundo, & ideò ſaporabat, imò & ſapiebat dulcedines aromaticas Paradiſi. *Ibidem.*

Maluit in mundo vileſcere, quã lucere.

Humilis per paupertatem ſpiritus.

Mortua mundo ſapiebat dulcedines cœli.

Cinnamomũ quo plus ateritur, maiorẽ emittit fragrantiam.

4. Reſp. Cinnamomum quo plus ateritur, maiorem emittit odoris fragrantiam, & quanto magis Maria afflicta eſt in Filio, maioris odoris fragrantia vtramque Eccleſiam pigmentauit, quia ſic facta eſt, non ſolùm Maryr, ſed etiam pluſquam Martyr. *Ibidem.*

Virgo Maria Martyr, & pluſquã Martyr.

Cinnamomũ reddit ſapidas cõfectiones, quibus miſcetur.

5. Reſp. Cinnamomum confectiones, quibus admiſcetur, reddit ſapidas; non eſt enim ſermo, qui non ſit dulcior, ſi in ipſo fiat mentio de ea. Vnde *Eccleſiaſt.* 49. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria. *Ibidem.*

Dulcior ſermo, ſi in ipſo fit mentio de B. Virgine.

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi.* Quare balſamo, & cinnamomo comparatur B. Virgo?

Reſp. Sicut cinnamomum, & balſamũ aromatizans odorem dedi pietatis, & humilitatis, quæ in cinnamomo ſignificatur, & balſamo. *Hugo Cardinalis.*

Pietas Virginis cum humilitate.

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi.* Cur Beata Virgo comparatur Balſamo?

Odor balſami omnis excedit odores.

Reſp. Per balſamum aromatizans charitas Virginis. Nam ſicut odor balſami omnes excedit odores, ſic eius charitas omnium Sanctorum, vniuerſas virtutes, & more balſami ſuæ charitatis odorem longè extendit ad ſuperna, ſcilicet, per perfectum deſiderium æternorum, ad inferiora per perfectam miſericordiam, & compaſsionem, peccatorum, & propter hoc dicitur virgula fumi, & eius charitas eſt ignis, quem Chriſtus venit mittere in terram, *Lucæ* 12. id eſt, in Beatam Virginem, & per ignem rubi, quem vidit Moyſes, *Exod.* 3. Ignis in rubo, charitas in fragili carne, propter hoc cum Beata Virgo ſit apotheca ſingularum, & vniuerſarum virtutum, & habeat ignem feruentiſsimæ charitatis, neceſsè habet odorem ſuum procul diffundere, & ideò charitas ipſius balſamum dicitur aromatizans. *B. Albertus Magnus lib.* 12. *de laudibus Beatæ Mariæ cap.* 6. §. 15.

Charitas Virginis omniũ Sanctorũ excedit virtutes.

Charitas B. Virginis ſe extendit ad omnes.

2. Reſp. Odorem ſuum comparat balſamo, quia ſicut balſamum facit corpus mortuum. Si inde perungatur videri quaſi viuum, & nulla putredine permittit illud corrumpi: ſic odor miſericordiæ virtutum, & exemplorum Mariæ facit per peccatum mortuos in ſpem veniæ reſpirare. Dicit ergo: *Quaſi balſamum non mixtum odor meus*, quaſi diceret, quamcumque virtutem habet balſamum purum, & mirum ad conſeruandum corpus, habet odor meus ad animam viuificandam, & conſeruandam à putredine vitiorum, perducit etiam amatores, & ſeruien-

Balſamum facit corpus mortuum videri quaſi viuum, nec permittit corrumpi.

Animam viuificat, & cõſeruat à putredine vitiorũ.

uientes ſuos ad gloriam reſurrectionis, quæ incorruptibilitatem veram tribuit corporibus mortuis. *Ibidem.*

Seruientes ei perducit ad cœlum.

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Cur Beata Maria ſe comparat myrrhæ?

Myrrha præſeruat à corruptione.

Reſp. Myrrha quæ eſt amara, & præſeruatiua à corruptione ſignificat temperantiam, quæ vtique amara eſt, diſplicibilis ſenſualitati; ſed præſeruatiua à corruptione multorum peccatorum, & de abſtinentia quidem, dicit *B. Ambroſ. in lib. de Virginib.* Quod frequenter ipſa ieiunabat, & cum reficiendi neceſsitas cogeret cibus ei obuius erat, qui mortem arceret, non qui delicias miniſtraret ſola ipſa fuit, quæ nunquam metas in cibo, & potu exceſsit, nec vnquam cum nimia auiditate ſumpſit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 4.*

Temperantia præſeruatiua à corruptione peccatorum.

Virginis Abſtinentia, & Temperãtia.

2. Reſp. A Filio habuit virginitatem ſuam, quæ tanta fuit quod etiam aliorum corda penetrabat, & omnes motus prauos extinguebat. Vnde quamuis pulcherrima fuit à nullo tamen vnquam potuit concupiſci, ex eo quod eius puritas penetrabat omnia corda, & ea reddebat caſta; Ideò aſsimilatur myrrhæ, & cedro. ſicut enim odor myrrhæ expellit vermes, & cedrus expellit ſerpentes; ſic eius puritas expellebat de cordibus aliorum omnes motus brutales. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 2. Quadrageſimæ, & ſerm. 5. in Natiuitate Beatæ Virginis.*

Virginitas Mariæ aliorũ prauos motus extinguebat.

Odor myrrhę expellit vermes, & cedrus ſerpentes.

3. Reſp. Maria myrrha, quia myrrha arbor in Arabia, quæ interpretatur veſpera, vel occidens, myrrha interpretatur amaritudo. Maria mare amarum propter multas amaritudines quas ſuſtinuit in Filio, fuit autem arbor myrrhæ in veſpera paſsionis Filij, fuerat enim arbor lætitiæ, quando dixit exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, ſed amaritudinis quando occidit Sol Iuſtitiæ. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 10.*

Myrrha arbor in Arabia

Multas amaritudines ſuſtinuit in Filij paſsione.

Myrrha ſpinæ ſimilis.

4. Reſp. Myrrha ſpinæ ſimilis, per ſpinas intelliguntur peccatores, vnde Maria apparuit quaſi ſpina, quando legem datam de mulieribus quæ de veris conceperant, & conſuetudinem obſeruauit. *Ibidem.*

B. Virgo legem datam de mulieribus obſeruauit.

5. Reſp. Maria comparatur myrrhæ, quia ſicut myrrha corpora inde peruncta ſeruat à corruptione; ſic Maria per gratiam meritorum, exemplorum, & orationum ſuarum ſeruat familiares ſuos à corruptione luxuriæ. *Ibidem.*

B. Virgo ſeruat ſuos deuotos à corruptione luxuriæ.

6. Reſp. Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris per voluntariam paupertatem, & carnis macerationem. *Hugo Cardinalis.*

Habuit volũtariam paupertatem, & carnis macerationem.

Dub. 81. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Cur Beata Virgo ſe comparat cinnamomo, balſamo, & myrrhæ?

Reſp. Commendatur propter aromatum nobilitatem, quæ fuerunt in ipſa per cinnamomum quod tanto eſt charius, quanto gracilius, notatur virginalis humilitas. Non enim mirabile iudicatur. Si aliqua eſt humilis, quæ olim multis peccatis ſubiacuit, ſed ſi Virgo Immaculata humilis fuit, hæc eſt laude digna. Per balſamum, quod valde calidum eſt, ita quod guſtantes palatum vehementer accendit, notatur materna charitas, per quam feruens Maria ſuper omnem æſtimationem hominum dilexit Filium ſuum. Per myrrham electam, quæ multæ amaritudinis eſſe dignoſcitur, intelligitur vidualis aduerſitas, omnem enim myrrham, id eſt, omnes amaritudines paſsionis, quas Filius Dei bibit, & ipſa, & quodammodo plus ipſa. Lancea quippe quæ perforauit latus Saluatoris dolorem non fecit Filio, ſed Matri. Quod etiam poſt mortem ſeductor appellatur dolorem Filij non aggrauat, ſed Genitricis ipſius, igitur propter tria prædicta ſumme odorifera eſt Virgo benedicta. *Beatus Albertus Magnus ſerm. 33. in Aſſumptione.*

Balſamum tãto charius, quanto gracilius.

Laudabilis virginitas cũ humilitate.

Balſamum cãlidum.

Dilexit feruẽter Filium ſuum.

Omnes amãritudines paſſionis, quas Filius Dei bibit, & ipſa, & quodammodo plus ipſa.

Dub. 82. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 21. *Quaſi ſtorax.* Quare

Bea-

Beata Virgo aſsimilatur ſtoraci?

Reſp. Maria dicitur ſtorax, quia ſtorax arbor Arabiæ, quæ interpretatur campeſtris, quia campus fructifer, & latus, & ſtudioſe excultus: ſimiliter & Beata Virgo ſtudio Spiritus Sancti agricolata eſt, & exculta, & nobis attulit pretioſum illud frumentum, quo in Sacramento paſcantur homines, & Angeli, lata eſt etiam per latitudinem, & viſcera pietatis. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 11.*

B. Virgo fructum attulit quo in Sacramento paſcimur.

Lata per pietatem.

2. Reſp. Huius arboris gutta Chriſtus Dominus candidus per innocentiam, & animæ puritatem; quia peccatum non fecit, ſed calore ſolis, id eſt, feruore paſsionis, quaſi fuluus factus eſt illis quaſi ſurrufus, vnde dicit Sponſa: *Amicus meus candidus, & rubicundus.* Similiter & Beata Virgo candida per virginitatem, ſed in Filij paſsione fulua facta eſt, & quaſi ſurrufa per compaſsionem, vnde ait *Cant. 1. Fuſca ſum quia decoloravit me Sol*, id eſt, Chriſtus cui mente compaſſa ſum. *Ibidem.*

Chriſtus per innocentiam, candidus, in paſsione factus eſt fuluus.

B. Virgo candida per virginitatem, ſed in paſsione Filij, fulua facta eſt per compaſsionem.

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi libanus non inciſus, vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Quare Beata Virgo comparat ſe ſeptem gummis aromaticis?

Reſp. Significantur ſeptem virtutes ſpeciales quibus exaltata fuit, & exaltantur quotidie qui imitantur eam. Per balſamum quod charum eſt, & calidum, ſignificatur feruor charitatis, per myrrham electam voluntaria paupertas, per ſtoracem quod lippitudinem oculorum ſanat, ſignificatur virtus diſcretionis, per galbanum quod apoſtemata ſanat ſignificatur humilitas, per vngulam quæ candida eſt, & ſcabiem purgat, ſignificatur virtus abſtinentiæ. Per guttam quæ arteticum ſanat, ſignificatur virtus ſtrenuitatis. Per libanum non inciſum, candor virginitatis. Per balſamum non mixtum, quod ſecundo repetitur, perſeuerantię virtus. *Hugo Cardinalis.*

Septem virtutes ſpeciales B. Virginis quibus exaltata.

Exaltantur iuſti propter charitatem, paupertatem voluntariam, diſcretionē, humilitatē, abſtinentiā, ſtrenuitatē, perſeuerantiam.

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 20. *Quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam.* Quo ſenſu hæc aptantur Beatę Virgini?

Illibata virginitas Mariæ.

Reſp. Nomine montis Libani deſignatur tam generoſa celſitudo Marię, quam excellentia partus eius, per hoc autem quod dicitur de Libano arbore, quaſi Libanus non inciſus, illibata eius virginitas, per hoc quod ſequitur vaporaui Matris fœcunditas deſignatur. Eſt ergo dicere vaporaui habitationem meam, id eſt, Chriſti humanitatem, in qua habitabit cum hominibus in modum aromatici vaporis exhalaui. Sicut enim terra, vel hortus exhalat vaporem, vt huiuſmodi exalatione non ſcindatur, aut corrumpatur: ſic Beata Virgo genuit Saluatorem, vt in ea virginitas illibata ſeruaretur, vel vaporaui, id eſt, eum genui qui eſt vapor virtutis Dei, *Sapient. 7.* vel vaporaui, id eſt, ſine leſione produxi, quia ſicut vapor procedit ex aqua calida, vel aliqua alia re ipſa re integra remanente; ſic Chriſtus deſignatus per Abel qui interpretatur vapor, proceſsit de Virgine, *Sapient. 7.* dicitur de Chriſto vapor eſt virtutis Dei. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 7.*

Mater, & Virgo.

2. Reſp. Libanus non inciſus, eſt thus integrum, quod ſi igne tangatur, vaporem ſuum ſurſum emittendo manifeſtat habitationem ſuam: ſic Beata Virgo per dilectionem quaſi per ignem inflammata per dilectionem operando, & tam opera prędicta, quam conſilij ad Deum referendo, oſtendit quod conuerſatio ſua in cœlis erat. *Philiphenſ. 3.* per puram intentionem. *Ibidem.*

Conuerſatio B. Virginis in cœlis erat.

3. Reſp. Vaporaui dicit, quia ſi vas apotecharium ſapit, & redolet aromatica contenta, etiam ipſis aromaticis amotis, quommodo non magis redolent cor, & venter Beatę Virginis virtutum omnium odoramenta, in quo ventre ille, qui omne bonum eſt per tot menſes iacuit, & nunquam

B. Virgo virtutes Filij redolebat.

quam recessit à mente. *Ibidem.*

Peperit Filiũ sine læsione virginitatis.

4. Resp. Dicitur castitas Mariæ Libanus non incisus, quia sine læsione virginitatis concepit, & peperit Saluatorem: aliarum enim coniugatarum castitas Libanus incisus est, quia opere virili concipiunt; sed Maria sicut Libanus non incisus suum gumi protulit Filium, non incisa. *Ibidem.*

Libani succus bis in anno colligitur in autumno, & vere.

5. Resp. Libanus, vt aiunt, arbor est in Arabia cortice, & folio lauro similis, succum amigdali modo emittens, qui bis in anno colligitur; scilicet, in autumno, & verè, sed autumnali collectione præparatur inciso cortice in æstatis feruore prosiliente spuma pingui, quæ concreta densatur, & hoc est, thus candidum; quando verò non scinditur arbor concretum est in ea thus suauissimum, & in se suum retinet odorem. Dicit ergo Maria: *Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam*, quia conuersationem sanctam in mente conglomeraui, non emissi per incisionem adulationis, vel superbiæ, sed in me concretam abscondi, vt vaporarem suauiter habitationem mentis Domino, & non impudenter promulgarem populo. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ.*

B. Virgo virtutes suas occultabat, & Deo referebat.

6. Resp. Libanus mons quidam est Fœnicum, terminus Iudeæ contra Septentrionem, cuius arbores, proceritate, specie, & robore cęterarum siluarum ligna præcellunt: hoc monte Beata Virgo signatur, propter virtutum eminentiam. Ipsa enim terminat Iudeam quę interpretatur confessio contra Septentrionem, quo signatur diabolus, quia ipsum miserioriter arcet à mentibus verè confitentium, sicut autem arbores huius montis omnes alias excedunt, proceritate, specie, & odore; sic virtutes Virginis, omnes virtutes aliorum Sanctorum. In proceritate virtus contemplationis, vel sancta desideria, in specie virginitas, vel exempla in robore charitas fortis, vt mors humilitas, supportans omnem virtutem, & virtus patientiæ figurantur. *Daniel ibidem.*

Virgo Maria diabolum arcet à vere cõfitentibus.

Virtutes B. Virginis excedunt aliorum Sanctorum virtutes.

Contemplatio Virginis, virginitas, fortitudo charitatis.

Dub. 85. Ad illa verba, cap. 24. vers. 21. *Quasi balsamum non mixtum odor meus.* Quo sensu hęc de Beata Virgine exponuntur?

Gratia copiosissimè B. Virgini infusa est.

Resp. Balsamum Mariæ est vnctio gratiæ, quia Mariæ copiosissimè infusa est. *D. Bernard. serm. in Natiuitate Beatæ Virginis.* Pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, vt copiosissimè effluat circumquaque. Balsamum misceri solet, & vitiari melle, vel oleo, sed certe balsamum Spiritus Sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, & mundanę consolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatum. *D. Hieronym. in serm. de Assumptione.* Quidquid in Maria gestum est totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas, totum misericordia, & iustitia fuit, quæ de cœlo prospexit. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect. 5. vide supra num. 120.*

B. Virgo nec vana laude, nec adulatione vitiata.

Dub. 86. Ad illa verba, cap. 24. vers. 22. *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos.* Quare Beata Virgo comparatur terebintho?

Terebinthus sudat resinã optimam.

Resp. Terebinthus sudat resinam optimam, id est, Christum, qui est medicina languentium animarum. Nota sudat, quia sicut sudor exit de carne, ipsa carne manente integra; sic natus est de eius carne integra manente Filius Dei, & sicut sudor, medicinalis est carni humanæ, sic Filius caro factus medicina carnis, & animæ nostræ. Vnde appellatur fluuius diorix. *Ecclesiast.* 24. quod interpretatur medicamentum generationis. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 6. §. 16.*

Exit Filius Dei de vtero Virginis, Virgine integra manente.

Filius Dei cãro factus, medicina carnis, & animæ nostræ.

Dub. 87. Ad illa verba, cap. 24. vers. 22. *Expandi ramos meos.* Cur dicitur ramos expandere?

Refrigerat contra æstum libidinis.

Resp. Id est, exempla operum ad obumbrandum peccatoribus, & refrigerandum contra incentiua vitiorum, & maximè contra æstum libidinis. *Beatus Albertus Magnus vbi supra.*

Dub.

Terebinthus arbor parua, & humilis.

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 22. *Ego quaſi terebinthus expandi ramos meos.* Quare Beata Virgo ſe comparat terebintho?

Reſp. Terebinthus arbor parua, & humilis, & naſcitur in Damaſco Syriæ, Syria interpretatur ſublimis, & ſignat ſuperbiam; Damaſcus ſaccus ſanguineus, in ſanguine deſignatur peccatum, in ſacco noſtræ carnis miſeria, qua induti ſumus, tanquam lugubri cilicio, vt ſic in hoc exilio ad luctum temporaneum prouocemur; ſicut ergo terebinthus in Damaſco naſcitur, & de Syria arbor humilis, & medicinalis, ſic Beata Virgo de peccatoribus nata eſt ſancta, & humilis de ſuperbis, & ex ſe produxit Filium ad noſtrorum medicinam laborum. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis duodecima Stella.*

B. Virgo nata de peccatoribus, ſancta.

2. Reſp. In ramis creſcit fructus. Duo rami principales, id eſt, duæ priuilegiatæ virtutes Beatæ Virginis ſunt humilitas, & virginitas. Merito enim humilitatis placuit Altiſſimo, merito virginitatis, quam ipſa primo vouit, meruit habere, quod factus eſt in ea Chriſtus Filius virginitatis, & in his duobus creuit fructus vitæ Chriſtus. Odor eius fugat ſerpentes vitiorum, & ſerpentes, id eſt, dæmones fugantur à foliis eius, id eſt, per verba eius, quando ſcilicet, orat pro peccatoribus, & etiam per recordationem Nominis eius, illis qui currunt per viam mandatorum Dei in odorem illius. *Ibidem.*

Priuilegiatæ virtutes Beatæ Virginis ſunt humilitas, & virginitas.

Oratio B. Virginis, & nominis eius recordatio fugat dæmones.

3. Reſp. Valet contra malum aurium, quia obedientia Mariæ, quando reſpondit: *Ecce Ancilla Domini*, purgauit inobedientiam Euæ, qua conſenſit diabolo promittenti: *Eritis ſicut Dij, Geneſ. 3. Ibidem.*

Obedientia B. Virginis purgauit inobedientiam Euæ.

4. Reſp. Per hoc quod Maria ſe comparat terebintho, dat nobis orandi formam. Terebinthus arbor breuis, & fructuoſa, hæc eſt oratio, quæ ſi ſit breuis in verbis ſæpè erit magis vtilis. Vnde *Matt. 6. Orantes nolite multum loqui, ſicut ethnici.* Folia autem denſa, vt frequens ſit oratio, fœmina non maſcula facit fructum, quia illa oratio fructuoſa eſt, quæ naſcitur ex cognitione propriæ infirmitatis. Beata Virgo ramos ſuæ orationis de fonte pietatis procedentes ad nos oſtendit, dum exemplo eius breuiter, & fiducialiter orare docet breuiter cum dixit: *Vinum non habent, Ioann. 2.* Humiliter, quia non dixit Fili da eis vinum, ſed contenta fuit narrare neceſsitatem aliorum iudicio eius omnia relinquens; Fiducialiter cum dixit miniſtris, omnia quæcumque dixerit facite, hæc tria ſimiliter docuit. *Lucæ 1. Fiat mihi*, fiat, ecce breuitas, ſed prius dixit: *Ecce Ancilla Domini*, ecce humilitas, fiducialiter, *ſecundum Verbum tuum. Daniel ibidem.*

Oratio breuis, in verbis fructuoſa.

Oratio frequens.

Oratio fructuoſa naſcitur ex cognitione propriæ infirmitatis.

Oratio breuis, humilis, fiducialis.

Dub. 89. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 23. *Ego quaſi vitis fructificaui.* Quare Beata Virgo dicitur vitis?

Reſp. Timebat; ſcilicet, fugiens in Ægyptum conſiderando eorum carnalitatem erant enim valde luxurioſi, & habebant vxores turpes, & Hebreæ erant valde pulchræ, ideo cuſtodes portarum habebant mandatum à Rege, vt ſi aliqua pulchra mulier veniret ducerent eam ad Regem, dicatur hiſtoria de Sara vxore Abrahæ, *Geneſ. 12.* hoc totum ſciens Virgo cogitate ſi habebat rationem timoris. Sed dicebat vos Domine qui liberaſtis Saram. Dicatur quommodo cuſtodes viderunt eam admirantes de tanta pulchritudine eorum corda mutabantur in deuotionem exhibendo ſibi magnam reuerentiam, *D. Hieronymus* dicit: Aſpectus Virginis fugabat affectum libidinis; ſed propter Regis mandatum iuerunt excuſare ſe Regi quommodo vna pulchra mulier venerat. Cogitate quod Rex miſsit pro ea, ſed mutatis cordibus cogito ego, quod Rex ipſemet voluit videre eam, quam honorauit offerens ſe ſibi, præcipiens ne aliquis diſpliceret ſibi in aliquo; De hoc dicitur prophetia in perſona Virginis: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris,*

Flores vineæ vitant animalia venenoſa.

ris, & honestatis, Ecclesiast. 24. Nota hic virtutem floris vineæ, quia dicunt naturales, qui tractant de proprietatibus rerum, quod bestiæ venenosæ, & serpentes vitant flores vinearum; serpentes, & animalia venenata sunt personæ luxuriosæ, in quibus Virgo Maria fugauit motus carnalium pro tunc, ideò dicitur: *Ego quasi vitis fructificaui. D. Vincentius Ferrer serm. in octaua Innocent.*

Aspectus B. Virginis fugabat affectũ libidinis.

2. Resp. Hic comparat Beata Virgo se viti, propter vmbram. Nam sicut vitis gratam vmbram facit: sic Beata Virgo obumbrando nos protegit. Vnde *Psalm. 16. Sub vmbra alarum tuarum protege nos. Antonius Bitontinus, Franciscanus.*

B. Virgo obũbrando nos protegit.

Dub. 90. Ad illa verba, cap. 24. vers. 23. *Ego quasi vitis.* Cur se dicit quasi vitem?

Resp. Dominus Iesus Christus de se propriè dicit: *Ego sum vitis*, ecce excellentia Christi; Virgo autem Maria non habet æqualem excellentiam cum Christo, quia ipse est Creator, & ipsa creatura, & ideò ipsa non æquiparat se Christo, sed temperando verbum, sibi assimilando se dicit: *Ego quasi vitis*, nolo enim æquiparari, vel æquari, sed assimilari, Filius fructificat vt principium primum: & tanquam causa principalis omnium, ego post eum, non æqualiter vt vitis, sed sicut, quod notat similitudinem. *D. Vincentius Ferrer serm. 1. in Natiuitate Virginis.*

Virgo Maria non æquiparatur Filio, sed assimilatur.

Dub. 91. Ad eadem verba, cap. 24. vers. 23. *Quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Quommodo exponuntur hęc de Beata Virgine?

Exercenda virtus cum iucũditate mẽtis.

Resp. Ego dicit Maria, quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, id est, suauem odorem sanctæ conuersationis, & opinionis cum iucunditate mentis, quæ designatur in vino, seu in vite. *Iudic. 9. Et flores mei*, id est, virtutes, scilicet, viola humilitatis, rosa charitatis, lilium virginitatis, sunt fructus honoris, & honestatis; quia imitatores meos in his virtutibus reficiunt spiritualiter, & sagi-

Imitatores B. Virginis reficiuntur spiritualiter, & saginantur virtutibus.

nant, ideo fructus. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 6. §. 1. num. 1. & Hugo Cardinalis.*

2. Resp. Maria hic dicit se fructificasse, sicut vitis fructificat suauitatem odoris, quia sicut sine lęsione vitis procedit ab ea odoris suauitas, & idem odor longè, lateque diffunditur: sic de Virgine sine lęsione pudoris processit Filius Dei, cuius dulcis opinio replet mundum. *Lucæ 4.* Fama exijt per vniuersam regionem de illo. *Ibidem.*

Sine læsione virginitatis processit Filius Dei ex B. Virgine.

3. Resp. Nota quod dicit fructificaui suauitatem odoris. Res enim odorifera, & odorem à se emittit, & odorem in se plurimum retinet; sic Beata Virgo emisit suauitatem odoris, fructum suum, qui Christus est producendo, quem tamen excellenter in se retinuit, mansit quidem in ea secundum Diuinitatem, quia ex ea prodit secundum Humanitatem. *Ibidem.*

Christus processit ex B. Virgine secũdum Humanitatem, sed mansit in ea secundum Diuinitatem.

4. Resp. Notandum quod sicut nulla arbor producit speciosiorem fructum vite; ita nulla est ita procliuis ad terram ex se, nisi per alium eleuetur sicut vitis. Nulla est ita turpis, & delecta in trunco, vt ipsa, ad designandum quod humilitas, quę facit hominem procliuem ad terram ex vera sui recognitione, & dejectum, & vilem in conspectu aliorum secundum apparientiam exteriorem, & ex se non ascendentem ad altum honorem, & dignitatem, nisi ab alio eleuetur produxit pretiosissimum fructum; scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum, fructum copiosissimum perfectorum operum, fructum procurationis salutis hominum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 26. §. 2.*

B. Virgo produxit prętiosissimum fructum, & copiosissimum ad hominum salutem.

Dub. 92. Ad illa verba, cap. 24. vers. 23. *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Qui sunt flores Beatę Virginis?

Resp. Flores Beatę Virginis sunt virtutes eius, viola humilitatis, rosa charitatis, lilium virginitatis, & hę sunt fructus honoris, & honestatis imitantibus eam, quia tales illius virtutibus reficiuntur.

Virtutes B. Virginis sunt honoris, & honestatis imitantibus eam.

tur. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria coniugata fuit, ſed ſine copula, & culpa carnalis commixtionis.

2. Reſp. Nota quod opus carnis in coniugio eſt erubeſcibile, ſine coniugio damnabile. Fructus ergo Beatæ Virginis fuit honoris, quia ſine rubore matrimonialis copulationis, & honeſtatis, quia ſine culpa alicuius carnalis commixtionis. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudib. B. Mariæ, cap. 6. §. 1. num. 2.*

Matrimonium Virginis honoris, & honeſtatis.

Dub. 93. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 23. *Flores mei fructus honoris.* Cur dicit pluraliter flores?

Reſp. Certè pluraliter dicitur flores mei, ideò dicamus, quod tot ſunt in moribus flores, quot virtutes. Tot ſunt honeſtæ vitæ flores, quot ſunt virtutes vitam honeſtantes. *D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 12.*

Virtutes vitã honeſtant.

2. Reſp. Tu Sanctorum areola ò Maria à cœleſti conſita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernans, inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam viola humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis. *Diuus Bernardus in deprecat. & laud. Beatæ Virginis.*

Bi Virgo excellenter ornata humilitate, caſtitate, & charitate.

Dub. 94. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 23. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Quare dicit flores mei fructus quaſi in vno inſtanti?

Reſp. Notandum ad hoc, quod in aliis mulieribus poſt conceptionem pueri, caro prius formatur, poſt aliquantulum tempus anima infunditur; & ſic creſcendo moratur puer in vtero Matris donec venerit tempus, naſcendi; ſed non ita factum eſt in Beata Virgine, quia ſtatim ad hanc vocem, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi*, conceptus eſt Chriſtus plenus homo in carne, & anima, ita tamen quod tunc lineamenta corporis humanis vſibus diſcerni non poſſent; & ſic ipſa fructum concepit cum flore, vt flos ad conceptionem, fructus ad perfectam humanitatem referatur, & ideò ipſa dicit: *Flores mei fructus. Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Filius Dei ſtatim ad hanc vocem, ecce Ancilla, plenus homo in carne, & anima cõceptus eſt.

Dub. 95. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Cur dicitur Mater pulchra dilectionis?

Gloriatur quod ſit Mater Chriſti.

Reſp. Id eſt, Chriſti, qui eſt pulchra dilectio. *Ioann. 4. Deus charitas eſt.* Vel ſic: *Ego Mater pulchræ dilectionis*, id eſt, gratuitæ, quæ pulchra dicitur ad differentiam carnalis, vel matrimonialis. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria gratuite nos diligit.

2. Reſp. Et namque Mater carnalis, legalis, & ſpiritualis. Ipſa ergo eſt Mater carnalis Chriſti, quem genuit de veritate ſuæ ſubſtantiæ, Mater ſpiritualis peccatorum, quia eos baptizans per Spiritum Sanctum in fonte miſericordiæ. Mater legalis iuſtorum quos adoptat in filios gratiæ. Vnde cantat Eccleſia: *Memento ſalutis author*, ecce quia eſt Mater Chriſti carnalis, *Mater gratiæ*, ecce quia Mater legalis, *Mater miſericordiæ*; ecce quia eſt Mater ſpiritualis, & ſecundum hoc habuit tres filios; ſcilicet, Chriſtum, qui fuit eius Filius naturalis, quem de ſua ſubſtantia genuit; Ioannem Euangeliſtam, qui fuit eius filius legalis, quem ex reſcripto Principis, id eſt, Chriſti in Filium adoptauit, & Ioannem Baptiſtam, quem per ſpiritum in Matris vtero baptizauit, quando eum ſalutauit Eliſabeth. *Iacobus de Voragine ſermon. 4. in Natiuit. Virginis.*

B. Virgo Mater carnalis Chriſti, ſpiritualis peccatorum, legalis iuſtorum.

D. Ioannes Euangeliſta Filius legalis Virginis.

D. Ioannes Baptiſta Filius ſpiritualis Virginis.

3. Reſp. Altitudinem, & ſublimitatem Matris Dei Angelici ſpiritus admirantes quæſierunt quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, & quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, quibus ipſa reſpondens ait: *Ego Mater pulchræ dilectionis. Ibidem.*

Ab amore quo homines proſequitur vult agnoſci.

4. Reſp. Eſt autem quadruplex dilectio ſecundum *Auguſtinum*; ſcilicet, carnalis, qui eſt inter virum, & vxorem, naturalis qui eſt inter matrem, & filium, ſocialis qui eſt inter amicum, & amicum, & ſpiritualis qui eſt inter animam, & Deum, & iſta eſt dilectio pulchra, quia facit animam pulchram, cuius Beata Virgo eſt Mater, quia ipſam nobis elargitur, & donat. *Iacobus de Voragine ibidem.*

Mater dilectionis inter animam, & Deum.

Prælatis congruit dilectio erga Deum, se & proximum.

5. Resp. Mater est pia adiuuando, & succurrendo. Præsidentibus quidem congruit pulchra dilectio; scilicet, erga Deum se, & proximum; & ideo Christus Petrum institutum in Præsidentem, & Pastorem Ecclesiæ interrogauit ter, si eum diligeret. *Ioann. Vltimo.* Horum Beata Virgo est pia Mater, adiuuans in necessitatibus, vt patuit in Leone Papa, cui restituit manum abscissam, & in Beato Dominico, cuius Fratres subditos ostendit in visione Beata Maria tenere sub chlamide suæ protectionis. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Mater pia ad iuuans in necessitatibus.

B. Virgo Leoni Papæ restituit manum abscissam.

B. Virgo Fratres Ordinis Prædicatorū ostendit tenere sub chlamide suæ protectionis.

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 24. vers. 24. *Et timoris.* Cur B. Virgo dicitur Mater timoris?

Resp. Incipientibus congruit timor, inde enim mouentur ad cauendum mala, & pœnitendum ex timore, vnde dicit *Isaiæ 25. A timore tuo Domine concepimus; & peperisti spiritum salutis.* Et horum est Mater pia Virgo Maria procurando reconciliationem Deo, sicut in figuram mulier sapiens Tecuites reconciliauit Absalonem patri suo Dauid. 2. *Reg.* 14. & cuidam moniali egressæ de Monasterio post tempora ex meretricio reuertenti ad pœnitentiam, & Religionem impetrauit Beata Maria pro ea peccatorum veniam. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Timor congruit incipientibus.

B. Virgo reconciliat peccatorem cum Deo.

Virgo Maria moniali egressæ de Monasterio impetrauit veniam peccatorum.

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 24. vers. 24. *Et agnitionis.* Cur Beata Virgo se dicit Matrem agnitionis?

Resp. Habuit fidem perfectam in Filij Incarnatione, *Lucæ 1. Beataquæ credisti*, fidem viuam in assidua operatione, *Prouerb. Vltimo, panem ociosa non comedit*, fidem firmam in Filij Passione, quia alijs à fide cadentibus, ipsa firma permansit in fide. *Iacobus de Voragine serm. 4. in Natiuitate B. Mariæ.*

Fidem perfectam habuit in Filij Incarnatione.

Fidem viuã in operatione.

Firmam in Filij Passione.

2. Resp. Dat nobis pulchram dilectionem, quia oculo misericordiæ nos cognoscit, sicut enim in Curia Papæ, quædam litteræ conceduntur puræ iustitiæ, quædam puræ gratiæ, quędam mixtę; sic & in curia Dei; Michael enim dat litteras iustitię, vnde secundum representationem Ecclesię habet animas ponderare, Petrus dat litteras mixtas; scilicet, iustitię, & gratię, nam illis qui saluantur ex operibus iustitiæ, aperit portam iustitiæ, illis autem qui ex sola Dei misericordia saluantur, aperit portam gratiæ. Virgo autem benedicta Maria semper dat litteras gratiæ, & misericordiæ. *Iacobus de Voragine serm. 4. in Natiuitate Beatæ Mariæ.*

B. Virgo Mater pia ad iuuans in necessitatibus.

B. Virgo reconciliat peccatorem cum Deo.

B. Virgo Maria moniali egressæ de Monasterio impetrauit veniam peccatorum.

Fidem perfectam habuit in Filij Incarnatione.

Fidem viuã in operatione.

Firmam in Filij Passione.

B. Virgo oculo misericordiæ nos cognoscit.

Alij Sancti inclinantur ad gratiam, alij ad iustitiam, B. Virgo ad misericordiam.

3. Resp. Proficientibus conuenit agnitio. Hi enim intendum ad proficiendum in virtutibus, horum Mater est Beata Virgo Maria precibus, & exemplis dando eis subsidium. Est enim figuratiue illa Rebecca quæ Filium; scilicet, Israel, qui interpretatur, *Videns Deum*, docuit, & iuuit refectionem offerre patri suauem, cum vestibus odoriferis, vt benedictionem patris obtineret. Apparuit ipsa Magistro Raynaldo corpore infirmo in virtutibus proficienti, vnxit eum sanando corpus, & mentem roborando, ac habitum Ordinis Prædicatorum, quem ferret ostendendo, quem ordinem fuerat ingressus, qui postea feruentissimè prędicando multos, & magnos viros traxit ad Religionem. Ipsa est Mater agnitionis quę reuelauit nobilissimis Romanis, & diuitibus viro, & vxori suę cupientibus se tradere in obsequium ipsius Virginis, & Papæ, vt in loco vbi de mane inuenirent niues prętor naturę solitum, quia de mense Augusti ibi Ecclesiam suo nomini dedicarent, quã mane sequenti reperta fabricata est ad honorem eius Ecclesia in Vrbe Sanctę Marię Maioris. *Diuus Antoninus Vbi supra.*

B. Virgo intẽdentibus proficere in virtutibus dat subsidium, & agnitionem.

B. Virgo Magistro Raynaldo, habitum Ordinis Prędicatorũ, quem ferret, ostendit.

Deuotis sibi reuelat voluntatem suam.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 24. ver. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis,*

Mater caſtorum, timentium, gratorum, & ſpem in ea collocãtium.

nis, timoris, agnitionis, & ſanctæ ſpei. Quare B. Virgo ſe quadruplicem Matrem appellat?

Reſp. Ipſa appellat ſe ipſam quadruplicem Matrem, pulchræ dilectionis contra luxuriam. Matrem timoris contra audaciam, Matrẽ agnitionis contra in gratitudinem, Matrẽ ſpei contra deſperationem, & diffidentiam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Habuit amplitudinem charitatis, timoris, ſapientiæ, & pietatis.

2. Reſp. Amplitudo charitatis ampliauit eius affectum, ideò dicitur: *Mater pulchræ dilectionis*, amplitudo timoris ampliauit eius vterum, ideò ſequitur: *Et timoris*, per hoc enim dæmonibus eſt valde terribilis, amplitudo ſapientiæ, & veritatis ampliauit eius intellectum, ideò ſequitur: *Et agnitionis*, amplitudo pietatis ampliauit eius ſinum, ideò ſubditur: *Et ſanctæ ſpei. Iacobus de Voragine ſerm. 1. in Purificatione.*

Dilectio proximi Sanctũ facit hominem.

3. Reſp. Sunt enim quatuor quæ homines Sanctos faciunt. Primum, eſt dilectio proximorum, quia qui proximum diligit, legem impleuit. Secundum, eſt timor tranſgreſsionis Diuinorum mandatorum, quia ſi volumus ad vitam ingredi, oportet ſeruare mandata. Tertium, eſt cognitio credendorum, ſine fide namque impoſsibile eſt placere Deo. Quartum, eſt expectatio præmiorum, vt firmiter expectet quis ſe præſentaturum ante Tribunal Chriſti recepturum præmium ſiue pœnam, quam meruit. Omnium iſtorum Mater eſt Virgo Maria, vnde ipſa dicit: *Ego Mater pulchræ dilectionis*, ſcilicet, proximorum, timoris; ſcilicet, tranſgreſsionis mandatorum, & agnitionis; ſcilicet, credendorum, & ſanctæ ſpei; ſcilicet, expectationis præmiorum, propter quod omnibus Sanctis poteſt iſta condonare, & impetrare. *Auguſtinus de Ancona, Ordinis Sancti Patris noſtri Auguſtini.*

Timor tranſgreſsionis Diuinorum præceptorum. Sanctum reddit hominẽ.

Virgo Maria Mater eſt eorum qui diligunt proximum, timentium tranſgredi mandata, credentiũ, quæ fidei ſunt, & expectantium cœleſtia præmia.

4. Reſp. Ex his verbis innuitur reſpectu quorum ſit Mater adoptiua; cum enim ſit facta Mater adoptiua Ioanni, qui interpretatur, *in quo eſt gratia*, Mater eſt eorum qui habent gratiam. Et quia à gratia quatuor iſta ſemper procedunt, eorum eſt Mater qui habent iſta quatuor, ecce igitur Mater tua; ſcilicet, tui qui habes rationalem dilectionem, quia ego Mater pulchræ dilectionis, ecce Mater tua; ſcilicet, tui qui habes ſalutarem cognitionem, quia ego Mater agnitionis, ecce Mater tua; ſcilicet, tui, qui non præſumis, ſed ex merito ſperas, quia *ego Mater ſanctæ ſpei. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Mater eorũ qui habent gratiam.

Mater eorũ qui habent rationalem dilectionẽ, cognitionẽ ſalutarem.

Mater eorũ qui non præſumunt, ſed ex merito ſperant.

5. Reſp. Lucet omnibus per beneficium, & dat beneficia illa de quibus dicitur *Eccleſiaſt.* 24. Ego Mater pulchrę dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctę ſpei. Dat eis dilectionem per quam inflammantur, dat eis timorem per quem humiliantur, dat eis agnitionem per quam illuminantur. Dat eis ſanctam ſpem, per quam ad ſperandum cœleſtia animentur. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 4. Quadrag.*

Virgo Maria dat dilectionem, timorẽ, agnitionem, & ſanctam ſpem.

6. Reſp. Data quidem eſt nobis tanquam Mater ad dominandum, vnde dicit: *Ego Mater, Pſalm. 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion Dominare in medio inimicorum tuorum.* Data eſt nobis ad defendendum, & percutiendum; ſcilicet, dæmones quibus ipſa eſt valde terribilis, ideò dicitur: *Mater timoris, Numer. 27. Conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab.* Data eſt nobis ad directionem, ideò dicitur: *Mater agnitionis, Mich. 7. Paſce populum tuum in virga tua.* Et poteſt eſſe verbum Patris ad Filium, ac ſi dicat: Sicut Paſtor dirigit gregem ſuum per virgam; ſic & tu paſce, & dirige populum tuum per Matrem tuam. Data eſt nobis ad ſuſtentationem, ideò dicitur: *Sanctæ ſpei, Pſalm. 22. Virga tua, & baculus*, ipſa enim eſt virga in quantum dæmones percutit, &

Beata Virgo data eſt tanquam Mater ad dominandum, ad defendendum, & percutiendum dæmones ad dirigẽdum nos ad ſuſtentandũ debiles.

baculus in quantum debiles ſuſtentat, & regit. *Iacobus de Voragine ſermon. 3. in Annuntiatione.*

Dub. 99. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 24. *Et ſanctæ ſpei.* Quare Beata Virgo dicitur Mater ſanctæ ſpei?

Reſp. Congruit perfectis ſancta ſpes, non ſperare in Principibus, vbi non eſt ſalus, nec in temporalibus diuitijs, quod eſt vanum, nec in ſuis viribus, quod eſt ſuperbiæ, ſed in æterna Beatitudine, & hoc eſt, ſancta ſpes. Contemplatur enim æterna bona, quæ non videntur, ſed appetuntur ſumme ab eis, vt dicant cum Apoſtolo: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Horum Mater eſt Virgo Maria procurando eis conſecutionem æternæ Beatitudinis. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Sancta ſpes, eſt cum ſperatur in æterna Beatitudine, non in rebus mundanis.

B. Virgo procurat deuotis ſuis conſecutionem æternæ Beatitudinis.

2. Reſp. Habuit ſanctam ſpem, ſiue quia Filium reſurrecturum expectauit, ſiue quia ſemper de Dei bonitate, non de ſuis meritis ſperabat, ſiue quia futuram beatitudinem certitudinaliter ſperabat. *Iacobus de Voragine ſerm. 4. in Natiuitate Beatæ Virginis.*

B. Virgo Filium reſurrecturum expectauit.

De Dei bonitate non de ſuis meritis ſperabat.

Dub. 100. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Quare B. Virgo dicit in ea eſſe omnem gratiam viæ?

Æternam Beatitudinē certitudinaliter ſperabat.

Reſp. Quid miraris ſi ipſa eſt gratia plena vitæ, & veritatis, quę Mater eſt eius quem legimus plenum gratię, & veritatis. *D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 6.*

Plena gratia vitæ, & veritatis.

2. Reſp. Sicut in cœlo materiali ſunt diuerſa luminaria; ſcilicet, Stellæ, Luna, & Sol, diuerſimode lucentia; ſic in cœlo Eccleſię, ſunt quidam Sancti, & Sanctę, tanquam Stellę lucentes per gratiam, & gloriam diuerſimode tamen, ſicut Stella differt à Stella in claritate, vt ait *Apoſtol.* Sol autem Iuſtitię Chriſtus Deus noſter plenus eſt lumine, gratię; ſcilicet, & veritatis, vt dicitur *Ioann. 1.* à quo omnes Stelę, & Luna illuminantur. Sed Beata Maria poſt eum, vt Luna luce maior Stellis nobis apparens eſt Beata Virgo pulchra vt Luna canit Eccleſia. Nam vt ait *B. Hieronym.* cęteris Sanctis per partes, Marię verò plenitudo gratię ſe infudit, & ideò de ea dicitur: *In me omnis gratia viæ, & veritatis. Diuus Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 6.*

Sancti in Eccleſia diuerſimode lucēt per gratiam, & gloriam.

B. Maria poſt Chriſtum maior in gratia, & gloria omnibus Sanctis.

3. Reſp. Et benè omnis gratia, quia nulla ei defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec ſcientia Prophetarum, nec zelus Apoſtolorum, nec pacientia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec innocentia, aut humilitas Virginum. *B. Albert. Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 4. num. 14.*

Virgo Maria habuit omnem gratiā, nec nulla ei defuit virtus.

4. Reſp. Eſt enim triplex via ad ſalutem, virginalis, coniugalis, & vidualis, in prima virginitas cum ſterilitate, in ſecunda fœcunditas cum corruptione, in tertia pietas cum ſollicitudine terrenorum; ſed in iſta Virgine fuit gratia omnis viæ, quæ adducit ad ſalutem, quia fuit Virgo ſine ſterilitate, fœcunda ſine corruptione, pura ſine ſollicitudine terrenorum. *Ibidem.*

Fuit Virgo ſine ſterilitate.

Fœcunda ſine corruptione.

Pura ſine ſollicitudine terrenorum.

5. Reſp. In me gratia omnis operans, cooperans, conſumans vitę actiuæ, & contemplatiuæ, vel vitæ innocentiæ, & pœnitentiæ, & veritatis triplicis vitæ, doctrinæ, & iuſtitię. *Lucæ 1. Aue gratia plena. Prouerb. 11. Mulier gratioſa inueniet gloriam. Hugo Cardinalis.*

In B. Virgine omnis gratia operans, cooperans, & cōſumans.

Dub. 101. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 24. *In me gratia omnis viæ.* Quo ſenſu in Beata Virgine gratia omnis vię?

Reſp. Certè via quam demonſtrat Maria Paradiſi roſa facilis eſt ſiue plana. Vnde ipſa dicit *Prouerb. 4. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi; ducam te per ſemitas æquitatis, quam cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui. Iſaiæ 40. Erunt aſpera in vias planas.* Viæ enim

Viæ Dei carnalibus hominibus difficiles, Religioſis vero faciles, & leues.

enim Dei licet carnalibus hominibus multum videantur eſſe difficiles, viris tamen Religioſis, qui vncti ſunt gratia Spiritus Sancti, valde leues eſſe videntur. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Virgo Maria vias rectas oſtendit hominibus.

2. Reſp. Oſtendit nobis Beata Virgo viam rectam, vt dicitur de ea, *Sap.* 10. *Sapientia*, id eſt, Maria, *iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Ierem.* 31. Adducam vos in via recta, & non impingent in ea, quia factus ſum Iſraeli Pater. Multum declinat à via Dei, & Matris eius choriſatores, & luſores, & aliarum vanitatum, & iniquitatum ſectatores, *in circuitu enim impij ambulant*, vt dicitur in *Pſalm.* 11.

A via Dei, & Virginis declinant peccatores.

Via Virginis lucida, peccatorum tenebroſa.

3. Reſp. Oſtendit nobis Maria lampas recti viam lucidam, vnde dicitur *Prouerb.* 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem*, vnde & Beata Virgo ſignata eſt per illam columnam ignis, quæ præceſsit filios Iſrael illuminans viam illorum. E contra via impiorum, qui non ſequuntur veſtigia Beatæ Virginis, eſt tenebroſa, vnde dicitur *Prouerb.* 4. *Via impiorum tenebroſa, & neſciunt vbi corruant. Ibidem.*

Spes antiquorum, & noſtra in B. Virgine.

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 25. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Cur omnis ſpes in Beata Virgine?

In alio non eſt ponenda ſpes quam in Chriſto, & Maria.

Reſp. In ea enim eſt omnis ſpes, & antiquorum, & noſtra, vel omnis ſpes, quia in alio non eſt ponenda ſpes quam in Chriſto, & Maria. Maledictus enim homo, qui confidit in homine, *Ierem.* 17.

In B. Virgine ponenda ſpes vitæ æternæ habendæ.

vitæ æternæ habendæ, & virtutis viæ, qua pugnatur contra vitia. *B. Albertus Magnus lib. 6. de laudib. B. M. cap. 1. num. 2.*

Ante Natiuitatem Virginis regnabat mors, ſed per Mariam ſuffocata.

2. Reſp. *Omnis ſpes vitæ*, ante Natiuitatem enim Beatæ Mariæ regnabat mors in mundo, quæ à primis parentibus introducta eſt qui manibus, & verbis acceſſerunt illam. *Sapient.* 1. Per Mariam verò quę Chriſtum genuit, ſuffocata eſt mors. Vnde Chriſtus dicit *Oſeæ* 11. *Ero mors tua ò mors. Ibidem.*

Dub. 103. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 26. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Quo ſenſu hæc exponuntur de B. Virgine?

Vera veneratio Virginis eſt ipſius imitatio.

Reſp. Tranſite ad me, omnia quæ mundi ſunt tranſiliendo, ſicut ceruus ad fontem properans, omnes non quidam, non pauci, ſed omnes, qui concupiſcitis me honorare: *Et à generationibus meis adimplemini*, id eſt, operibus meis, quaſi dicat: Qui volunt me honorare ſtudeant me imitari, hęc eſt enim vera veneratio, ipſius imitatio. *Hugo Cardin.*

Confugientes ad B. Virg. miſericordiam conſequuntur.

2. Reſp. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me*, & ſic vobis dabo miſericordiam meam, & à generationibus meis adimplemini, id eſt, à virtutibus, quas in vobis genero, ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, id eſt, viſitatio mea, qua dulciter vos conſolor. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabatth. poſt Cineres.*

Dulciter conſolatur.

3. Reſp. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, quaſi dicat, per carnales voluptates, & mundanas vanitates, quę vos nequeunt ſatiare. Mira fatuitas peccatoris, qui ſi diligeret aliquam riualdam, quæ eſſet vltra flumen, & ipſa clamaret, tranſi ad me, & ero tota tua, ſtatim miſer ſe exponeret morti, & ſubmerſioni, Matri verò Dominicæ ſe facit ſurdum; ſed caueant ſibi tales, ne quandoque audiant ab ea illud *Prouerb.* 1. *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam*, vt vobis darem Filium meum, ſecundum illud conſilium, *Ioann.* 2. *Omnia quæcumque dixerit vobis Filius meus facite. Daniel Agricola, Franciſcanus.*

Miſer qui Matri Dominicæ vocanti, ſe ſurdum facit.

B. Virgo ſeruat coniugatos in matrimonio, viduas in ſtatu ſuo, Virgines in ſua puritate.

4. Reſp. Tranſite ad me, ſeruò enim coniugatos in matrimonio, viduas in ſtatu ſuo, Virgines in puritate, omnibus his impetro gratiam, & promitto gloriam. *Daniel ibidem.*

5. Rę. Tranſite ad me. Nota ad me, libēter enim debet venire pauper ad diuitē, vt locupletetur, pollutus ad fontem, vt mundificetur.

Debilis ad fortem, vt corroboretur: Mortuus ad vitam vt viuificetur, cæcus ad collirium, vt illuminetur, ægrotus ad medicinam, vt sanitati reddatur. Famelicus ad refectionem, vt benè procuretur, nudus ad munificam, vt ab ea vestiatur. Miser ad misericordem, vt misericordiam consequatur. Deformatus ad replasmatricem, vt reformetur. Captiuus ad redemptricem, vt à carcere redimatur. Ex hæredatus ad patronam, vt hæreditati restituatur. Seruus ad Dominam, vt libertati donetur, miles ad Reginam, vt si vicerit coronetur. Tenebrosus ad lucem, vt lucis Filius appelletur. Hæc enim omnia, & in infinitum plura subministrat Virgo gloriosa transeuntibus ad se. *Daniel Agricola vbi supra.*

B. Virgo multa bona subministrat ad eam venienti

Dub. 104. Ad illa verba, cap. 24. vers. 27. *Spiritus enim meus super mel dulcis.* Cur spiritus B. Virg. super mel dulcis?

Dilectio, qua diligitur B. Virgo omnẽ excedit dulcedinem corporalem,

Resp. Spiritus meus, id est, mea spiritualis dilectio, qua diligor, & diligo super mel dulcis, nam omnem excedit dulcedinem corporalem. Vel ideò spiritus eius dulcis, quia specialis apotheca ipsius Spiritus Sancti, qui dulcedo Patris, & Filij proprie nominatur. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 26. num. 1.*

Virgo Maria specialis apotheca Spiritus Sancti,

Dub. 105. Ad illa verba, cap. 24. vers. 28. *Memoria mea in generationes sæculorum.* Quommodo memoria Beatę Virginis manet in generationes sæculorum?

Memoria B. Virginis manebit quandiu præsens sæculum durabit,

Resp. Manet, id est, quandiu præsens sæculum durabit in quo generatio præterit, & generatio aduenit. *Ecclesiast. 49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, vt musica in conuiuio vini.* Quanto magis memoria Beatæ Virginis. Quanta bona conferat ingis memoria Beatæ Virginis multa exempla manifestant. De Theophilo conuerso super cuius tumulo inuenta est arbor folia pulcherrima habens, in quibus scriptum erat litteris aureis, *Aue Maria. Hugo Cardinalis.*

Memoria B. Virginis multa bona conferet,

Aue Maria scripta litteris aureis

Dub. 106. Ad illa verba, cap. 24. vers. 28. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* Quo sensu hæc verificantur de Beata Virgine?

Resp. Ne nos tanquam infirmiores ieiuni deficiamus, necesse habemus recurrere ad ipsam, vt nos pascat, & confortet. Ipsa enim dicit: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*; quasi diceret: Qui dulcedinem meam gustauerit in præsenti, adhuc plus de ea desiderabit expiriri, Pascit Maria suos conuiuas, primo, & digniori modo glorioso, fructuoso, qui est Christus, quem sumimus in Sacramento, qui fructus fructuum dulcis super mel, & fauum, in quo plena est, & vera refectio, quantum ad Militantes, vera, & ęterna fruitio, quantum ad Triumphantes, & propter vtrosque dicit Christus. *Ioann. 6. Caro mea verè est cibus.* Secundo, carne sua virginali, vnde dicit qui edunt me, similiter in Sacramento, vbi sumitur caro Christi, quia caro Christi, & caro Marię, sicut caro Matris, & Filij vna caro. Vnde Apostolus loquens de Matre, & Filio, 1. *Corint. 6. Erunt duo*, id est, Christus, & Virgo, *in carne vna.* Simile dixit Adam, *Genes. 2.* delicatissimum ferculum carnem virgineam manducare. *Daniel Agricola decima Stella, corona duodecim Coronarum Beatæ Mariæ Virginis.*

Qui dulcedinem Virginis gustat in præsenti, adhuc plus de ea desiderabit expiriri,

Virgo Maria pascit suos conuiuas cibo, quem sumimus in altari,

Virgo Maria carne sua virginali nos pascit in Sacramẽto, vbi sumitur caro Christi,

2. Resp. *Qui edunt me*, conuersatione me imitando, & sibi incorporando, *adhuc esurient*, id est, magis desiderabunt me edere, & qui bibunt me, exemplo meo ęstum, & sitim libidinis extinguendo in se, adhuc sitient potum meum. *Ipsa enim est fons signatus, puteus aquarum viuentium, Cant. 4. Hugo Cardinalis.*

Qui Beatam Virginem imitatur, adhuc eam imitari desiderabit,

Dub. 107. Ad illa verba, cap. 24. vers. 30. *Qui audit me, non confundetur.* Quam confusionem euadet, qui audit doctrinam Beatę Marię?

Qui obedit doctrinæ B. Virginis, coronabitur corona gloriæ,

Resp. Qui me audit, id est, meam doctrinam obediendo, non con-

confundetur mala confuſione, ſed coronabitur corona gloriæ. 3. *Reg.* 10. *Beati Viri tui, & Beati ſerui tui hi qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Lucæ* 11. *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hugo Cardinalis.*

Dub. 108. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 30. *Qui audit me, non confundetur, qui operantur in me, non peccabunt, qui elucidant me Vitam æternam habebunt.* Quo ſenſu hæc de Beata Virgine exponuntur?

Reſp. Nota quod in hac authoritate promittit ipſa tribus generibus hominum retributionem, deuote audientibus verba ſua, vnde *qui audit me, non confundetur*, & imitantibus eius glorioſa exempla. Vnde *qui operantur in me*, id eſt, ad exemplum mei, *non peccabunt*; vel *qui operantur in me*, tanquam ſuper fundamentum opera mea accipientes in exemplum. Item prædicantibus eius excelſa præmia, vnde & qui elucidant me. Primis, promittitur præmium liberans à pœna, vnde non confundetur. Secundis, præmium iuſtificans à culpa, vnde non peccabunt. Tertijs, præmium æternitatis in gloria, vnde *Vitam æternam habebunt.* Propter hoc etiam dicit: *Beatus homo qui audit me. Beatus Albertus Magnus libr. 2. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 3. num. 5.*

2. Reſp. Qui audit me, id eſt, qui credit meo conſilio, *Ioann. 2. Quodcunque dixerit vobis facite.* Non confundetur mala confuſione, quia ſoli impij confundentur. *Ieremiæ* 17. *Confundantur qui me perſequuntur.* Vel qui ſalutans me, audit me reſalutantem, & non confundetur, id eſt, non erubeſcet, quia reſalutatur, non enim quemlibet reſalutat Beata Virgo; ſed qui eam digne ſalutat; *Et qui operantur in me*, id eſt, qui colunt me, non peccabunt, id eſt, peccato non peribunt, vt patet in Theophilo. Beata Virgo quaſi vinea eſt. In qua tot vites ſunt, quot virtutes, & quidam colunt ſiue operantur in ea humilitatem, alij virginitatem, alij pietatem, & ſic de alijs. *Qui elucidant me*, vitam meam verbo, & exemplo prædicando, *Vitam æternam habebunt*, ad litteram; vel vitam contemplatiuam quæ perpetua eſt. Vel *Vitam æternam*, id eſt, duram, lapides enim dicuntur æterni, id eſt, duri, id eſt, qui Beatam Mariam prædicant, vitam debet ducere duram, ſicut ipſa. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 109. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 30. *Qui audit me non confundetur.* Quo ſenſu non confundetur, qui audit me?

Reſp. Gloſſa, *audit*, id eſt, obedit, *qui audit me*, id eſt, qui ſtudet propriæ informationi per auditum verborum meorum, & eorum inueſtigationem, non confundetur per auditum verbi aſperi, *Matth. 25. Ite maledicti. Beatus Albertus Magnus libr. 2. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 3. num. 5.*

Dub. 110. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 32. *Hæc omnia liber Vitæ.* Cur Beata Virgo Maria dicitur liber, quibuſque pellibus factus eſt hic liber?

Reſp. *Hæc omnia liber Vitæ*, id eſt, horum omnium quæ diximus ſimilitudinem, & rationem continet in ſe Beata Virgo, quæ eſt liber vitæ, liber grandis, *Iſaiæ* 8. Liber generationis, *Matthæi* 1. apotheca gratiarum. Pelles verò de quibus liber iſte factus eſt, ſunt antiqui Patres, Abraham, Ieſſe, Dauid quos computat Matthæus. Tres autem Reges Ozochias, Ioas, Amaſias, ibi non ponuntur, licet eſſent de generatione eius, quia mali erant, & malæ pelles in tam pretioſa libro non debent poni. In hoc libro tot ſunt litteræ, quot virtutes, & qui non habet virtutes, neſcit litteras, & neſcit legere in hoc libro. *Iſaiæ 29. Dabitur liber neſcienti litteras, dicetur que ei lege, & reſpondebit neſcio litteras. Hugo Cardinalis.*

Dub. 111. Ad eadem verba, cap. 24. verſ. 32. *Hæc omnia liber Vitæ, & Teſtamentum Altiſsimi.* Cur Beata Virgo dicitur Teſtamentum Altiſsimi?

Reſp. Teſtamentum Altiſsimi eſt

Qui operantur ad exemplum Virginis non peccabunt.

Opera B. Virginis accipiẽda in exemplum.

Prædicantibus præmia Virginis, promittitur præmium æternitatis.

Qui conſilio Virginis credit, non confundetur mala confuſione.

Qui B. Virginem colit peccato non peribit.

B. Virgo digne eam ſalutantem, reſalutat.

Qui B. Virginem prædicant verbo, & exemplo vitam æternam habebunt.

Prædicatores B. Virginis vitam debent ducere durã.

Qui B. Virginem imitantur in die iudicij non cõfundentur.

B. Virgo liber vitæ, liber grandis.

Ex Patribus antiquis originem traxit.

Boni magnalia Virginis cognoſcunt.

est liber vitę, id est, Beata Virgo. Testamentum est vltima voluntas defuncti in scriptis redacta sigillis in subscriptione testium confirmata. Vltima Christi voluntas fuit, qua pendens in Cruce, Mariam Matrem suam Ioanni vt Matrem, & Ioannem Matri sue, vt Filium commendauit; Hęc voluntas scripto redacta fuit, *Ioan.* 19. Testes, Centurio, Maria, Ioannes, Angeli, ipse Lucifer, qui Cruci assistebat. Sigilla septem sunt ibi quę habes, *Apocal.* 5. *Hugo Cardinalis.*

Christus Matrem suam D. Ioanni commendauit, D. Ioannes Euangelista B. Virgini commendatus in suo Testamento.

Dub. 112. Ad illa verba, cap. 24. vers. 32. *Et Agnitio veritatis.* An Beata Virgo dicatur Agnitio veritatis?

B. Virgo veritatem plenarie agnouit.

Resp. Quia ipsa plenarie agnouit veritatem, & nos agnoscere facit. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 113. Ad illa verba, cap. 24. vers. 35. *Qui implet quasi Phison sapientiam.* Quo sensu Beata Virgo dicitur impleta quasi Phison?

Veritatem nos agnoscere facit.

Resp. Qui implet quasi Phison sapientiam, id est, Virginem sapientem donis gratiarum, quę significantur per aquas Phison. Aquæ enim Phison ortum habent à Paradiso, & in arenis eius gemmæ pretiosæ inueniuntur; & dona gratiarum à Christo oriuntur, pro quarum operibus præmia æterna donantur. Phison interpretatur *os papillæ*, quod semper videtur esse clausum, & tamen lac emittit; sic os Beatæ Virginis quod semper clausum fuit per seram silentij, & tamen quandocumque loquebatur dulce verbum emittebat, *Sap.* 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius.* Rustici barbari non hauriunt de papilla, sed pueri: sic consolationis, vel visitationis dulcedinem non recipiunt à Beata Virgine, nisi pueri à puritate. De quibus *Isaiæ* 8. *Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Dominus.* Item Phison circuit terram Euilath, & Beata Virgo circumit dolentes consolando eos. Vnde & Maria, id est, maris Stella dicitur. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo impleta donis gratiarum.

In arenis Phison gemmæ pretiosæ inueniuntur.

Phison interpretatur os papillæ.

Quandocunque loquebatur B. Virgo dulce verbū emittebat.

Consolationes B. Virginis puri recipiunt.

Dub. 114. Ad illa verba, cap. 24. vers. 35. *Et sicut Tigris in diebus nouorum.* Cur Beata Virgo impleta sicut Tigris, Tigrisque dicitur?

Tigris in diebus nouorū feminum implet aquis alueum.

Resp. In diebus nouorum feminum, vel messis ordaceæ; Quasi dicat sicut Tigris in diebus nouorum feminum implet aquis alueum: sic Dominus Beatam Virginem implebit aquis gratiarum. *Lucæ* 1. *Aue gratia plena.* Tigris nutrit pisces homines deuorantes, vt legitur, *Tobiæ* 6. Et Beata Virgo nutrit ad litteram in Ecclesijs suis raptores, & deuoratores pauperum. *Isaiæ* 3. *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres Dominatæ sunt eis*; & ibi: *Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperum in domo vestra.* Tigris interpretatur velox, vel sagitta, & vadit contra Assyrios, & Beata Virgo quasi sagitta Domini destruxit superbos, 4. *Reg.* 14. sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. Nisi Beata Virgo sagitta esset non diceret Sponsus. *Cant.* 4. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo impleta gratia.

B. Virgo in Ecclesijs suis nutrit raptores, & deuoratores pauperum.

Tigris nutrit pisces homines deuorantes.

Tigris interpretatur velox, vel sagitta.

B. Virgo destruit superbos, & inimicos.

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 24. vers. 36. *Qui adimplet quasi Euphrates sensum.* Quo sensu Beata Virgo impleta quasi Euphrates?

Resp. Qui adimplet quasi Euphrates sensum Beatæ Virginis spiritualibus sensatis, id est, coloribus, odoribus, saporibus spiritualibus. Colores spirituales sunt fides passionis, color rubeus, castitas mentis, color albus, odor spiritualis, virtus discretionis; sapor spiritualis, donum sapientiæ; virtus charitatis. His repleta fuit Beata Virgo abundanter. Vnde, & Euphrates interpretatur *abundantia. Isaiæ* 30. *Dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra, & panis frugum terræ, erit vberrimus, & pinguis. Hugo Cardinalis.*

Euphrates interpretatur abundantia.

B. Virgo repleta virtutibus abundanter.

Dub. 116. Ad illa verba, cap. 24. vers. 36. *Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis.* Quo sensu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Iordanis tempore messis multiplicat aquas.

Resp. Sicut Iordanis in tempo-

re

re meſsis multiplicat aquas ſuas, vt dicitur *Ioſue* 3. ita Chriſtus tempore gratiæ multiplicat aquas gratiarum in Virgine, & in omnibus cultoribus eius multiplicat quotidie. Per Iordanem tranſiuit populus Iſraeliticus in terram promiſsionis, & adhuc populus Chriſtianus per Beatam Virginem tranſit in terram conſolationis, quæ eſt terra viuentium, ipſa enim eſt porta Paradiſi. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus in cultoribus B. Virginis multiplicat gratiam.

Per B. Virginem peruenitur ad cœlũ.

Per Iordanem tranſiuit populus Iſraeliticus in terrã promiſsionis

Dub. 116. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 37. *Aſsiſtens quaſi Gehon in die vindemiæ.* Quommodo hæc verba aptantur Beatę Virgini?

Reſp. Ad litteram quando Sol tranſit per Virginem, Gehon qui & Nilus dicitur, omnes exitus ſuos reuocat; & cum ingreſſus fuerit libram Sol tunc Nilus totus intra ripas ſuas colligitur, nec perfundit terram, quia in tempore vindemiæ eſt, & ideò dicitur *aſsiſtens*, id eſt, non eſt fluens; ſic Beata Virgo in tempore vindemiæ, id eſt, in die iudicij aſsiſtet Filio ſuo, nec inundabit, vel perfundet corda arida peccatorum aquis gratiarum. *Hugo Cardinalis.*

Nilus omnes exitus ſuos reuocat cum Sol trãſit per Virginem, cum autem Sol ingreditur libram, totus intra ripas ſuas Nilus colligitur

B. Virgo in die iudicij aſsiſtet Filio.

Dub. 117. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 38. *Qui perficit primus ſcire ipſam, & infirmior non inueſtigabit eam.* Quo ſenſu hæc de Beata Virgine intelliguntur?

Reſp. Qui perficit primus ſcire ipſam, id eſt, Beatam Virginem perfectè ſcire facit omnia. Primus autem dicit, quia aliqua innoteſcunt Beatæ Virgini per Angelos, verbi gratia, cum orantes dicimus: *Aue Maria gratia plena*, Angeli noſtri offerunt ei preces noſtras; vt legitur *Tob.* 12. ſed valde probabile, & credibile, quia prius per Filium, qui omnia ſcit antequam fiant, petitiones noſtræ innoteſcant Beatæ Virgini, quam per Angelum. *Amos* 3. *Non faciet Dominus verbum, niſi reuelauerit ſeruis ſuis Prophetis.* Quid igitur putas de Matre ſua, quæ eſt magna prophetiſſa, *Iſaiæ* 8. *Acceſsi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit Filium. Et infirmior*, id eſt, infimus mente, *non inueſtigabit eam*, id eſt, gratiam, & gloriam. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus B. Virginẽ perfectè facit ſcire omnia.

Angeli B. Virgini offerunt noſtras orationes.

Petitiones noſtræ prius per filium, quam per Angelum, innoteſcunt B. Virgini.

B. Virgo magna prophetiſſa.

Dub. 118. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 39. *A mari enim abundabit cogitatio eius, & conſilium illius ab abyſſo magna.* Quommodo hæc de Beata Virgine exponuntur?

Gratia, & gloria B. Virginis non capitur ab homine.

Reſp. A mari enim, id eſt, pluſquam mare abundabit cogitatio eius, quam cogitat de pace, & ſalute noſtra. *Infra cap.* 50. *In diebus ipſius emanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum.* Vel cogitatio eius, id eſt, de ea maior enim, & melior eſt, & excelſior cum cogitatione. Quis enim ſufficiat cogitare profunditatem humilitatis eius, vt Mater Dei ſalutetur ab Angelo, & reſpondet: *Ecce Ancilla Domini, Lucæ* 1. Quis æſtimare valeat immenſitatem pietatis eius? Filium crucifigi videt, nec reclamat, nec reuocat ſciens per mortem Filij. Salutem generis humani operatam. Quis comprehendere poſsit excellentiam charitatis? A Filio increpatur, Quid mihi, & tibi mulier, & tamen defectum vini miſerans conſuluit Miniſtris: *Quæcumque dixerit vobis facite, Ioann.* 2. Vnde ſequitur hic: *Et conſilium illius in abyſſo magna*, id eſt, profundum eſt, & de profundo charitatis proueniens conſilium eius. *Ierem.* 23. *In nouiſsimis diebus intelligetis conſilium meum, quod modo deſpicitis*, ſicut dicitur *Prouerb.* 1. *Deſpexiſtis omne conſilium meum. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo cogitat de pace, & ſalute noſtra.

Nullus ſufficit cogitare humilitatem eius, & charitatem.

Conſilia Virginis ex charitate proueniẽtia.

Dub. 119. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 40. *Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio.* Cur Beata Virgo dicitur trames aquæ?

Reſp. Ego ſapientia, id eſt, per ſapientiam, effudi flumina gratiarum in terra Eccleſiæ, Ego quaſi trames aquæ immenſæ venientis de fluuio dulci, non de mari amaro; quaſi dicat: Ego ſum recta via per quam aquæ gratiæ fluunt in Eccleſiam. *Hugo Cardinalis.*

Per Beatam Virginem aquæ gratiarũ fluunt in Eccleſiam.

Dub. 120. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 41. *Ego quaſi fluuius*

Dioſcorides interpretatur médicamentum.

Dio-

Dioryx. Cur Beata Virgo dicitur fluuius Dioryx?

Filius Dei medicamentum generis humani.

Reſp. Beata Virgo tanquam fons irrigat vniuerſum hortum Eccleſiæ fluentis virtutum. Dioryx interpretatur *medicamentum generis humani*, id eſt, Dei Filius allatus eſt in medicamentum. Ipſa eſt ille aquę ductus, qui diuerſimode rigat hortum plantationum Domini, id eſt, vniuerſos fideles in Eccleſia commorantes. Huic enim obtinet charitatem, alteri caſtitatem. Tertio, humilitatem. Quarto, manſuetudinis lenitatem. Quinto, ſobrietatem. Sexto, largitatem. Septimo, pacientiam. Octauo, obedientiam. Nono, fidei conſtantiam. Decimo, in omni bono perſeuerantiam, & ſic de cæteris virtutibus. Quicunque ergo indiget aliqua virtute, poſtulet inſtanter à Beata Virgine, & dabitur ei, ipſa nempè eſt theſauraria Ieſu Chriſti. *Beatus Albert. Magnus ſermone 27. in Natiuitate Beatæ Virginis.*

Virgo Maria diuerſas virtutes obtinet poſtulantibus.

Per B. Virginem ſalus generis humani.

2. Reſp. Dioryx, quod interpretatur medicamentum generationis. Eua enim percuſsit, & vulnerauit genus humanum, & Beata Virgo ſanauit *Infra* 43. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. *Hugo Cardinalis*

Aſſumpta in cœlum, cauſas generis humani exponit Filio.

Dub. 121. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 41. *Sicut aquæ ductus exiui de Paradiſo.* Cur dicit quod exiuit de Paradiſo?

Reſp. Id eſt, ab Eccleſia Militante per mortem corporis directa in cœlum, illuc ducens aquas miſeriarum, & tribulationum totius generis humani; ipſas Filio exponendo, & pro ipſis orando. Vel exiui de Paradiſo, id eſt, à Chriſto per creationem, & recreationem, aquas Deitatis humano generi afferentes. *Hugo Cardinalis.*

Per B. Virginem gratia hominibus diffuſa.

Dub. 122. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 41. *Sicut aquæ ductus exiui de Paradiſo.* Quare Beata Virgo comparatur aquæ ductui?

Reſp. Maria aquæ ductus longiſsimus excellentia meritorum, quæ aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt, fontem potuit attingere, vt hauriret ſuper Angelos, quam refunderet hominibus aquam viuam. *B. Bernardus.* Idcircò tanto tempore defuerunt hominibus fluenta gratiarum, quia nondum interceſſerat aquæductus. Integerrimus per inuiolatam fidem. Mundiſsimus per virginitatem, & omnimodam caſtitatem. Occultus per ſolitudinis dilectionem. Concauus per veram humilitatem. Fuſilis per pietatem. Fœcundans, id eſt, abundans aquis per gratiarum plenitudinem. Rotundus per ſenſuum cuſtodiam. Non plumbeus, ſed magis aureus per regiam nobilitatem, & eximiam charitatem. Per hunc aquæductum venit Chriſtus ad nos occultatus in vtero virginali, vt Myſterium diabolo celaretur. *Daniel Agricola ſeptima Stella Coronæ B. Virg.*

Per Virginem Mariam tanquam per aquæductum omnia bona in homines fluunt.

2. Reſp. Comparatur autem Beata Virgo aquæductui, quia longa, id eſt, longanimis fide, & pacientia, quia integra per omnimodam caſtitatem, quia occulta per ſollicitudinem, quia fuſilis per pietatem, quia vehit aquas noſtras ad Deum, & aquas Dei ad nos. Per iſtum aquæductum tamen influunt aquæ gratiarum in Ciuitatem Eccleſiæ, quam diabolus incidere conatur, cum auxilium Beatæ Virginis nobis auferre conatur. *Iudith 7. Porrò Holofernes dum circumit per gyrum, reperit quod fons quæ influebat aquæductum illorum à parte auſtrali extra Ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæductum illorum*, quod fit præcipuè quando contra mundiciam peccamus. *Hugo Cardinalis.*

Diabolus auxilium B. Virginis nobis auferre conatur.

B. Virgo Nouitios, & Religioſos ſpecialiter conſolatur, illorumque curam gerit.

Dub. 123. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 42. *Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Quas plantationes horti rigat B. Virg.

Reſp. Dixi, *rigabo* rore cœleſti hortum plantationum, id eſt, mentes Nouitiorum, vel omnium Religioſorum, & inebriabo vino lætitiæ ſpiritualis partus mei fructum, id eſt, Filios, id eſt, imitatores Filij mei in humilitate, in manſuetudine, in charitate. *Cant.*

Imitatores Filij ſpirituali lætitia inebriat.

8.

8. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum. Ierem. 31. Conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo, & inebriabo animas Sacerdotum pinguedine. Hugo Cardinalis.*

In ſolemnitatibus Virg. multi vadunt in cœlum ad eam.

Dub. 124. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 43. *Ecce factus eſt mihi trames abundans.* Quare Beata Virgo dicitur trames?

Reſp. Id eſt, via recta plana hominibus, qui ad litteram in ſolemnitatibus, & in miraculis Beatæ Virginis, vel eius meritis, & orationibus recto tramite vadunt ad eam in cœlum. Vel trames Virginis eſt clauſtrum Ciſtercienſium abundans omnibus victualibus, & viris Religioſis, & armis ſpiritualibus. *Hugo Cardinalis.*

Meritis, & oratione B. Virginis multi vadunt ad eam in cœlũ.

Ordo Ciſtercienſiũ abundans victualibus, & viris Religioſis.

Dub. 125. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 43. *Fluuius meus appropinquabit ad mare.* Quis fluuius Beatæ Virginis ad mare appropinquans?

Reſp. Fluuius meus, id eſt, populus ad me fluens, propinquabit ad mare. *Eccleſiaſtes 1. Omnia flumina intrant in mare. Hugo Cardinalis.*

Omnes ad B. Virginem fluunt.

Dub. 126. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 44. *Doctrinam quaſi ante lucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vſque ad longinquum.* Quam doctrinam illuminat B. Virg.

Reſp. Doctrinam morum, & fidei, quaſi ante lucanum, quod pellit tenebras, illumino orationibus, & prædicationibus meis, omnibus, qui propinquant ad mare. Ad littus enim iuxta mare citius apparet Aurora, quam exiſtentibus inter montes ſuperbiæ, & opulentiæ. *Sapient. 16. Oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. Hugo Cardinalis.*

Qui ad B. Virginem confugiunt illuminantur ab ea.

Qui ad Virginem appropinquant moribus inſtruũtur, & fide illuminantur.

Dub. 127. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 44. *Et enarrabo illam vſque ad longinquum.* Quommodo Beata Virgo enarrat doctrinam ſuam vſque ad longinquum?

Reſp. Ad longinquum tam temporis quàm locorum, quia vſque ad finem ſæculi, & in omnes partes mundi doctrina Beatæ Virginis enarratur, ſed non omnes obediunt. *Iſaiæ 53. Quis credidit auditui noſtro. Hugo Cardinalis.*

Doctrina B. Virginis in omnes partes mundi enarratur.

Dub. 128. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Quæ ſunt inferiores partes terræ, quas B. Virgo penetrat?

Reſp. Omnes inferiores partes, id eſt, corda peccatorum. Ad litteram enim tria ſunt loca in mundo; quæ infima, ſiue inferiora dicuntur, id eſt, cloaca, infernus, medium, ſiue centrum terræ. Cloaca eſt cor auari, id eſt, receptaculum omnium ſtercorum, & ſordium immundorum, id eſt, temporalium diuitiarum, quæ *Philip. 3.* ſtercora dicuntur ab Apoſtolo. *Ezechielis 31. Conſolata ſunt in terra infima*, id eſt, in cloaca, omnia *ligna voluptatis*, id eſt, auari, auidi, qui delectantur odore ſtercorum. Infernus eſt cor inuidi, vel ambitioſi plenum omni genere tormentorum. *Prouerb. 27. Infernus, & perditio nunquam replentur.* Centrum terræ quod maximè diſtat à cœlo eſt cor ſuperbi; De quo *Iſaiæ 14. Proiectus eſt de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis, ſicut pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt, in profundum laci.* Hæc omnia penetrat Beata Virgo radio luminis, vel gladio compunctionis, quam eis impetrat aliquando. *Hugo Cardinalis.*

Auarus delectatur.

Inuidus, ambitioſus plenus omni genere tormentorum.

Peccatoribus B. Virgo impetrat compunctionem.

Dub. 129. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 45. *Inſpiciam omnes dormientes.* Qui ſunt dormientes quos inſpicit Beata Virgo?

Reſp. Dormientes ſomno contemplationis, eos promouendo, vel ſomno mortis, qui in Purgatorio ſunt, & qui in cœlo, & qui inferno illos adiuuando, iſtis congratulando, ſuper omnes Iuſtitiæ Dei congaudendo. Item dormientes ſomno pigritiæ ad temporalia. *Epheſ. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Hugo Cardinalis.*

Adiuuat in Purgatorio.

Congratulatur Beatis.

Dub. 130. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 46. *Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam.* Quommodo doctrinam quaſi prophetiam effundit Beata Virgo?

Per Prædicatores, & Doctores B. Virgo veram doctrinam effundit.

Reſp.

Reſp. Per Prædicatores, & Doctores, id eſt, certe, ſine falſitate, vt Prophetæ. Vel per ſe effundit Beata Virgo doctrinam quaſi prophetiam, quando nobis impetrat notitiam futurorum. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo nobis impetrat notitiam futurorum.

Dub. 131. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 47. *Videte quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.* Quomodo Beata Virgo laborauit omnibus?

B. Virgo totî Eccleſiæ laborauit.

Reſp. Videte in ſcripturis, in exemplis, in miraculis meis, quoniam non ſolum mihi laboraui, ſed toti Eccleſiæ. Talis enim eſt labor charitatis. 1. *Corint.* 13. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Idem dicitur *Eccleſiaſt.* 33. *Sed omnibus exquirentibus veritatem,* vitæ, doctrinæ, iuſtitiæ, non vanitatem, non voluptatem, non dignitatem, vel veritatem, id eſt, Chriſtum. *Ioann.* 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* 1. *Corint.* 10. *Nemo quod ſuum eſt quærat. Hugo Cardinalis.*

Charitas Virginis erga exquirentes veritatem, vitę, doctrinæ, iuſtitiæ, non vanitatem, non voluptatem, dignitatem.

Dub. 132. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 2. *Mulier fortis oblectat virum ſuum.* Quæ fuit mulier fortis oblectans virum ſuum?

B. Virgo pia in opere, benigna in corde, modeſta in ſermone, caſta in corpore, & mente.

Reſp. Mulier bona, & fortis Beata Virgo pia, & caſta, benigna, & modeſta. Pia in opere, benigna in corde, modeſta in ſermone, caſta in corpore, & in mente, fortis in laborum, & tribulationum firma propeſsione. De qua *Prouerb.* 11. *Mulier gratioſa inueniet gloriam.* Hæc ſine dubio virum ſuum Ioſeph, & beatificauit, & lætificauit. *Prouerb.* 12. *Mulier ſapiens corona eſt viro ſuo. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo fortis in propeſsione laborũ.

Virgo Maria Dei ſolephabeatificauit, & lætificauit.

Dub. 133. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 18. *Mulier ſenſata.* Cur Beata Virgo dicitur Mulier ſenſata?

B. Virgo antonomaſicè Mulier.

Reſp. Specialiſsimè conuenit hoc Beatæ Virgini, quæ dicitur Mulier antonomaſicè, *Ioann.* 2. *Quid mihi, & tibi eſt Mulier,* quę ſenſata fuit quærendo modum fiendi quod audiebat: *Quommodo fiet iſtud. Lucæ* 1. Senſatior conſentiendo, & reſpondendo audito modo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Senſatiſsima fuit poſtea Deum laudando, & magnificando, & gratias referendo de ſuſcepto beneficio. *Magnificat anima mea Dominum, Lucæ* 1. *Hugo Cardinalis.*

Fuit Mulier ſenſata, ſenſatior, ſenſatiſsima.

Virgo Maria gratias referebat Deo pro beneficijs ſuſceptis.

Dub. 134. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 18. *Et tacita.* Cur Beata Virgo dicitur Mulier tacita?

Nõ niſi quinquies legitur B. Virgo fuiſſe locuta.

Reſp. Tacita fuit quia non niſi quinquies legitur locuta fuiſſe, ad Angelum interrogando, & reſpondendo, *Lucæ* 1. Ad Filium increpando, quare feciſti nobis ſic, *Lucæ* 2. item ad Filium in nuptijs pro defectu vini rogando: *Vinum non habent. Ioann.* 2. Ad Elizabeth, *Lucæ* 1. *Salutauit Elizabeth.* Item ad Miniſtros conſilium dando: *Quæcumque vobis dixerit facite, Ioann.* 2. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 135. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 19. *Gratia ſuper gratiam Mulier ſancta, & pudorata.* Cur Beata Virgo dicitur ſancta, & pudorata?

Reſp. Prima ſpecies ex qua conficitur electuarium gratiæ eſt caſtitas. Vnde dicitur *Eccleſiaſt.* 26. *Gratia ſuper gratiam Mulier ſancta, & pudorata.* Beata Virgo ſancta fuit mente, & pudorata corpore, propter quod gratiam habuit in omni abundantia. Debet etiam quilibet Chriſtianus ſanctus eſſe mente, & pudoratus corpore ſi deſiderat Dei gratiam poſsidere. Gratia enim Spiritus Sancti non habitabit in corpore ſubdito peccatis luxuriæ, & impudicitiæ. *Beatus Albertus Magnus in Feſt. Annunt. ſerm.* 16.

B. Virgo ſanctamente, pudorata corpore.

Spiritus Sanctus non habitat in corpore ſubdito peccatis, & luxuriæ.

2. Reſp. *Gratia ſuper gratiam,* id eſt, ſuper omnes gratioſas, gratioſa eſt Mulier ſancta, & pudorata, id eſt, Beata Virgo quæ gratiam habuit virginitatis, & ſuper hanc gratiam fœcunditatis, quod fuit ei ſingulariſsimum. Vnde *Prouerb. vlt. Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu ſupergreſſa es vniuerſas. Prouerb.* 11. *Mulier gratioſa inueniet gloriam. Hugo Cardinalis.*

Gratia datur ſanctis mente, pudoratis corpore.

Singulariſsimum priuilegium B. Virginis quod fuerit Virgo, & fœcunda.

Dub. 136. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 16. *Gratia Mulieris ſædulæ delectabit virum ſuum.* Cur Beata Virgo dicitur Mulier ſedula?

Fuit Mulier ſedula.

la, quemque virum delectat?

Reſp. Mulier ſedula Maria fuit, quis huius Mulieris eſt vir, niſi ille quem ipſa circundedit in vtero, de quo dicit *Ierem.* 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, Mulier circundabit virum. D. Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect.* 5.

Chriſtum delectabit.

Dub. 137. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 16. *Oſſa illius impinguabit.* Quæ oſſa impinguat B. Virgo?

Reſp. Huius viri oſſa ſunt quicumque in corpore eius; ſcilicet, Chriſti, id eſt, in Eccleſia fortes ſunt, iſta oſſa ſuffragante gratia Mariæ impinguantur vnctionibus gratiæ. O quis æſtimare valeat, quam multæ animæ opitulante gratia Mariæ ſint per gratiam impinguatæ. *D. Bonauentura ibidem*

Multi opitulante B. Virgine ſunt per gratiam impinguati.

Dub. 138. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 21. *Sicut Sol oriens mundo.* Cur Beata Virgo comparatur ſoli?

Toti Eccleſiæ gratiam impetrat.

Reſp. Soli comparatur, quia ſicut Sol toti mundo lumen præſtat; ita Beata Virgo toti Eccleſiæ gratiam præſtat, & impetrat. Tollatur Sol, & eſt miſerabilis mundus, tollatur Beata Virgo, & eſt miſerabilis Eccleſia. *Cantic.* 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Quaſi Aurora fuit in Natiuitate ſua, vt Luna in conceptione Domini, vt Sol in Natiuitate Domini. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata in Purificatione. *Hugo Cardinalis.*

Fuit Aurora in ſua Natiuitate. Luna in conceptione Domini. Sol in Natiuitate Filij.

Terribilis in Purificatione.

Dub. 139. Ad eadem verba, cap. 26. verſ. 21. *Sicut Sol oriens mundo in Altiſſimis Dei; ſic Mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo ornamentum Eccleſiæ, Religionis, conſcientiæ, ſcripturæ.

Reſp. Sicut Sol oriens mundo in Altiſſimis Dei; ſic Mulieris bonæ ſpecies, id eſt, Beatæ Virginis, in ornamentum domus eius, id eſt, Eccleſiæ, Religionis, conſcientiæ, & ſcripturæ. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo lucem veram habuit intra ſua viſcera, non abſcondit eam, ſed in aperto poſuit.

Dub. 140. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 21. *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum Sanctum.* Quare Beata Virgo dicitur lucerna ſplendens?

Reſp. Comparatur lucernæ, quia ſicut lucerna lucem habet in teſta; ita Beata Virgo lucem veram habet intra ſua viſcera; ſed non abſcondit eam; ſed in aperto poſuit, vt ab omnibus videretur, *Lucæ* 11. *Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Hugo Cardinalis.*

Dub. 141. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 23. *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas.* Cur B. Virgo dicitur columna aurea?

B. Virgo recta, ſtabilis.

Reſp. Columnæ aureæ comparatur propter rectitudinem, propter ſtabilitatem, propter fundamentum Eccleſiæ. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo Eccleſiæ fundamentum.

Dub. 142. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 23. *Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam.* Quare Beata Virgo dicitur fundamentum?

Reſp. Fundamento comparatur propter humilitatem, propter compaſsionem, propter ſecreti, ſiue ſolitudinis amorem. *Hugo Cardinalis.*

Humilitas Virginis.

Solitudinem amauit.

Dub. 143. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 24. *Mandata Dei in corde Mulieris ſanctæ.* Quommodo mandata Dei erant in corde Beatæ Virginis Mariæ?

Mandata Dei habuit abſcondita, & fixa per amorem, & operationem.

Reſp. Mandata Dei in corde Mulieris ſanctæ, id eſt, abſcondita, & fixa per amorem, & operationem, *Lucæ* 2. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Hugo Cardinalis.*

Dub. 144. Ad illa verba, cap. 29. verſ. 17. *Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Aduerſus quem inimicum pro nobis pugnat Beata Virgo?

Temperat in nobis proſpera aduerſitate.

Tribulationem conſolatione.

Reſp. Æſtum proſperitatis frigore aduerſitatis temperando, amaritudinem tribulationis dulcedine conſolationis leniendo, quæ velut ſapiens Mulier ponit in olla cordis noſtri per impatientiam bullientis aquam conſolationis. Protegit etiam nos reſpectu miſericordiæ ſuæ quo ad nos, ſed iuſtitiæ quo ad dæmones vitia, & peccata. *Daniel*

B. Virgo protegit nos miſericorditer, reſpiciendo.

Reſpicit nos reſpectu iuſtitiæ quo ad dæmones, vitia, peccata.

Agricola ſeptima corona, & prima Stella Beatæ Dei Genitricis.

Dub. 145. Ad illa verba, cap. 36. verſ. 6. *Innoua ſigna, immutata mirabilia.* Quæ ſigna innouata, & mirabilia immutata in Beata Virgine?

In B. Virgine mirabilia immutata.

Reſp. Homo voluit fieri Deus, & Deus factus eſt homo, de viro facta eſt Mulier, & de Muliere factus eſt vir. Nunquid non hæc ſunt mirabilia immutata? Sed non minus nouum, nec minus mirandum, quod iuuencula fragilis baiulat, quem mundus ferre non ſuſtinet, quod pectus virgineum omni cœlorum amplitudine capacius totum interius illum claudit, qui cœlum palmo metitur, & vniuerſam terram palmo concludit. Maxima igitur magnitudo Mariæ, quæ immenſæ Diuinitatis in ſe præſentiam, & digna ſuſcipere, & ſufficiens capere inuenitur. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, capit. 13. num. 1.*

Magnitudo Mariæ quæ ſufficiẽs fuit Deum intra viſcera capere.

2. Reſp. Innoua ſigna, immuta mirabilia, id eſt, mutatione mirabili, fac noua ſigna, & inueterata renoua. Primo enim mirabiliter de ſolo viro facta eſt Mulier, nunc vero mirabilius de ſola Muliere factus eſt vir. Vnde *Ierem. 31. Nouum faciet Dominus ſuper terram fœmina circundabit virum.* Mirabiliter virga Aaron arida fronduit, & fructum fecit, mirabilius Virgo manens integra Filium peperit. Item per mulierem peccatum ortum habuit, & ita Mulier ſignum fuit peccati, innouatum eſt ſignum, quia per Mulierem elimatum eſt peccatum, & facta eſt Mulier ſignum virtutis. *Hugo Cardinalis.*

De ſolo viro facta eſt Mulier, mirabilius de ſola Muliere factus eſt vir.

Virgo manẽs Filium peperit.

Per Mulierẽ elimatũ peccatum.

Dub. 146. Ad illa verba, cap. 36. verſ. 27 *Vbi non eſt Mulier ingemiſcit egens.* Quo ſenſu hæc verba aptantur B. Virgini?

B. Virgo ſignum virtutis: & Mulier ſignum fuit peccati.

Reſp. Verè poteſt intelligi de hac Muliere, quam Filius ſuus ſic vocauit, cum ait: *Mulier ecce Filius tuus.* Non reperitur aliquem Sanctorum, ita compati, & adiuuare in infirmitatibus ſpiritualibus, & corporalibus ægris perſonis, ſicut Mulier hæc Beata Virgo Maria. *Diuus Antoninus 4. part. titul. 15. capit. 2.*

Nullus Sanctorum adiuuat in infirmitatibus ſpiritualibus, & corporalibus ſicut B. Virgo.

2. Reſp. Contra vulnus ſuperbiæ ponit ipſa exemplo vitæ ſuæ ligaturam, ſeu emplaſtrum humilitatis ad curandum. Contra vulnus auaritiæ emplaſtrum liberalitatis, cum aurum ſibi oblatum à Magis non reſeruauit pro futuris neceſsitatibus, ſed pauperibus erogauit ſecundum *Bernardum.* Contra vulnus luxuriæ remedium caſtitatis, cum votum fecerit ſecundum *Auguſtinum*, perpetuę virginitatis. *Diuus Antoninus de Conceptione Virginis Mariæ, cap. 3.*

Superbiam noſtram ſua curat humilitate.

Auaritiam curat liberalitate.

Luxuriam curat caſtitate.

3. Reſp. Sicut Regina, quæ eſt benigna libenter ſe conuertit ad omnes miſerorum petitiones, in quibus à miſeris egentibus fuerat inuocata; & ideò illud auxilium non habuerunt Sancti Patres Veteris Teſtamenti, eo quod nulla erat in cœlis Regina, ideò pro illo tempore dixit ſapiens, *Eccleſiaſt. 36. Vbi non eſt Mulier ingemiſcit egens.* Quia mulieres ſunt magis pij cordis, & per ipſas ſolent plerumque miſerationes Principum impetrari, & de hoc ſunt multa exempla in Sacra Scriptura, & etiam Valerius Maximus ponit exemplum de Coroliano placato precibus ſuæ Matris licet eſſent Pagani. *Albertus de Marqueſijs, Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci.*

Libenter ſe conuertit ad omnes miſerorum petitiones.

Miſerationes Filij impetrat.

Corolianus placatus precibus ſuæ Matris.

Dub. 147. Ad illa verba, cap. 38. verſ. 4. *Altiſſimus creauit de terra medicamenta.* Quo ſenſu B. Virgini hæc aptantur?

B. Virgo terra de qua Deus Pater creauit medicinam, ſcilicet, Chriſtũ.

Reſp. Ipſa quippè Dei Filium, qui eſt medicina omnium infirmitatum protulit toti mundo, vnde *Eccleſiaſtici 38. Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Itaque Beata Virgo eſt illa benedicta terra de qua Altiſſimus, id eſt, Deus Pater medicinam fidelium, id eſt, Ieſum Chriſtum ſecundum

cor-

corpus creauit, & animam ſecundum Diuinitatem quippe ſemper extitit increatus, & verè prudens qui fuerit non abhorrebit hanc medicinam. Hæc autem medicina quotidie nobis exhibetur in venerabili Sacramento corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnde & in quadam collecta oramus: *Sit nobis quæſumus Domine, medicina mentis, & corporis, quod de ſancti Altaris tui benedictione accipimus. Beatus Albertus Magnus de Feſto Aſſumpt. ſerm. 32.*

Medicina nobis exhibetur in Sacramento Euchariſtiæ,

2. Reſp. Altiſſimus de terra creauit medicinam, id eſt, Deus Pater, vel Deus Trinitas de Virgine carnem Chriſti formauit, *Pſalm. 84. Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Hugo Cardinalis.*

Trinitas de B. Virgine carnem Chriſti formauit,

Dub. 148. Ad illa verba, cap. 40. verſ. 17. *Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus.* Cur Beata Virgo Maria dicitur gratia, & Paradiſus?

Reſp. Tanta gratiarum copia in Maria abundauit, vt etiam ipſa gratioſa Virgo gratia quodammodo dici poſsit. Hęc autem gratia videlicet gratioſiſsima Virgo Maria fuit quaſi Paradiſus in benedictionibus. Sicut enim in Paradiſo materiali gula Euę meruit maledictiones pœnarum: ſic in Paradiſo ſpirituali temperantia Marię meruit benedictiones gratiarum. Vnde *D. Auguſtinus* ait *tom. 1. ſerm. 18. de Sanctis.* Maledictio Euę in Benedictionem vertitur Marię. *Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, cap. 13.*

Beata Virgo gratia quodammodo poteſt dici,

Gula Euæ meruit maledictiones pœnarum,

Temperantia B. Virginis meruit benedictiones gratiarum,

2. Reſp. Verè Paradiſus Dei fuit in benedictionibus multiplicium deliciarum ſpiritualium. *Diuus Bernardus ſerm. 4. in Aſſumptione.* Quid niſi delitias dixerim decus virginitatis, cum munere fœcunditatis, inſigne humilitatis, diſtillantem charitatis fauum, miſericordię viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ ſingularis. *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis, cap. 5.*

Deliciæ Virginis, virginitas cum fœcunditate, humilitas, charitas, miſericordia, plenitudo gratiæ prærogatiua gloriæ ſingularis,

Dub. 149 Ad illa verba, cap. 42. verſ. 16. *Sol illuminans per omnia reſpexit.* Quare Beata Virgo dicitur Sol per omnia reſpiciens?

Reſp. Dicitur *Eccleſiaſt. 42.* De Filio Dei, & Matre eius Sol illuminans per omnia reſpexit. Hęc verba ſic intellige, quod duplex eſt Sol cœli, videlicet Dei Filius, & Mater eius, Hi ergo Soles per omnia reſpiciunt, id eſt, cuilibet, de omni ſeruitio, quod ipſis impenſum fuerit ſpeciales ſcutellas, ęternę retributionis tranſmittunt, ſicut Principes facere conſueuerunt. *Beatus Albertus Magnus in Aſſumpt. B. Mariæ, ſerm. 33.*

Filius, & Mater quodlibet ſeruitium eis impenſum retribuunt,

Dub. 150. Ad illa verba, cap. 42. verſ. 16. *Gloria Domini plenum eſt opus eius.* Quare Beata Virgo opus gloria Dei plenum dicitur?

B. Virgo opus excellentiſsimum Dei.

Reſp. Opus Domini excellentiſsimum eſt Maria. Hoc opus ſicut plenum fuit gratia Domini in mundo: ſic plenum eſt gloria Domini in cœlo. Sic ergo illuminans Maria in gloria ſua, rutilans per omnia reſpicit, quia per omnes Angelos, & per omnes Sanctos, glorię ſuę illuminationem extendit. *Diuus Bernardus ſerm. 1. in Aſſumptione.* Marię præſentia totus illuſtratur Orbis, & ipſa in cœleſtis Patrię clarius rutilat, virgineę lampadis irradiata fulgore. *Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, Lect. 3.*

B. Virgo per omnes Angelos, & per omnes Sanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendit,

Dub. 151. Ad illa verba, cap. 43. verſ. 6. *Luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum æui.* Quare Beata Virgo dicitur Luna?

Reſp. Secundum Lunam diſtinguuntur menſes Lunares; vnde menſis dicitur à menſe, quod eſt Luna eo quod Hębrei ex curſu Lunę menſes vocabant; & accipitur menſis Lunaris apud Iudęos, & Arabes, ſecundum curſum Lunę in toto Zodiaco, donec Solem attingat, quod facit in viginti nouem diebus cum dimidio,

Secundum Lunam diſtinguuntur menſes Lunares,

Dies Lunares ſecundũ Arabes incipiunt ab Occaſu ſolis,

vt Astrologi dicunt. Dies autem lunares secundum Arabes incipiunt de sero ab Occasu solis, eo quod ortus Lunæ fit tempore Occasus solis, & sic secundum eos nox præcedit diem: sed Græci, & Romani, & aliæ gentes, quę non vtuntur in mensibus suis visione nouæ Lunæ computant diem ab ortu solis, cum nocte vsque ad ortum sequentis diei; & sic secundum eos, dies præcedit noctem, vt dicit *Alfagranus.* Patet ergo quod Luna habet dies, menses, & annos; sed tamen menses, & annos habet breuiores; quia scilicet, Beata Virgo habet plenitudinem gratiarum, & virtutum, & donorum, sicut & Christus, qui soli assimilatur, tamen in minori gradu, licet excesserit omnes illos Sanctos. *Ecclesiast. 33. Quare dies diem superat, & annus annum. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Greci, Romani, & aliæ gẽtes computãt diem ab ortu solis.

Luna mẽses, & annos habet breuiores quam Sol

B. Virgo habet plenitudinem gratiarum, virtutũ, & donorum, sicut & Christus, in minori tamen gradu.

Dub. 152. Ad illa verba, cap. 43. vers. 7. *A Luna signum diei festi.* Quo sensu hæc verba aptantur B. Virgini?

B. Virgo solemnizanda in Sabbathis, & vigilijs, & specialibus festis suis.

Resp. Solemnizanda est enim in omni tempore ab omni fideli, & maximè in Sabbathis, & vigilijs, & specialibus festis suis, quoniam per ipsam rediit homo ad solemne festum gaudij æterni. Ipsa est enim Luna de qua dicitur *Ecclesiast. 13. A Luna signum diei festi.* Dies festus dies æternitatis, in ipsa enim fuit initium diei festi, quia omnia temporalia contempsit supernis inhians. De ipsa etiam ortus est Christus, qui festum nostrum est in præsenti tribuens pacem pectoris, gaudium conscientiæ, serenitatem cogitationum, gratiam Sabbathizandi ab opere seruili, id est, à peccato, & qui suis fidelibus erit in futuro solemnitas sempiterna. *Beatus Albertus Magnus lib. 2. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 5. num. 12.*

Per Beatam Virginem redit homo ad festũ, & gaudium æternũ.

Natiuitas Virginis omnẽ inchoauit solemnitatem.

2. Resp. Figurata enim fuit eius Natiuitas in solemnitate quæ antiquitus fiebat in Kalendis, & eius Natiuitas omnem inchoauit solemnitatem, vnde *Eccles. 43. A Luna signum diei festi. Beatus Albertus Magnus libr. 7. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 4. numer. 7.*

A Beata Virgine orta omnis nostra festiuitas.

3. Resp. Ab ipsa orta est, & egressa omnis nostra festiuitas; scilicet, Christus Dominus, qui est gaudium nostrum. Vnde & ipsa dicitur Ciuitas solemnitatis nostræ. *Isaiæ 33. Ibidem.*

Dub. 153. Ad illa verba, cap. 44. vers. 7. *Luminare quod minuitur in consumatione.* Quo sensu hęc verba aptantur Beatę Virgini?

Sancti viri quanto maiores sunt, tanto minores, & viliores se reputant.

Resp. Luminare, quod minuitur in consumatione est Luna, id est, Ecclesia; quia sancti viri, quanto maiores sunt & perfectiores, tanto minores, & viliores se reputant, & tunc magis lucent in se, & illuminant alios. *Iob 11. Cum te consumptum putaueris, orieris, vt Lucifer. Ecclesiast. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, Lucæ 22. Qui maior est in vobis fiat, sicut minor. Ezechiel 42. Gazophilazia in superioribus erant humiliora.* Hoc specialiter conuenit Beatæ Virgini, quæ cum salutaretur ab Angelo, vt Dei Mater respondit: *Ecce Ancilla Domini, Lucæ 1. Hugo Cardinalis.*

Cum quis se humiliat magis lucet, & illuminat alios.

B. Virgo quãto maior erat minorem se reputabat.

Dub. 154. Ad illa verba, cap. 43. vers. 20. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus.* Quare pulchritudinem Beatę Virginis admirabitur oculus?

Admirabilis puritas interior, & exterior.

Resp. Candor eius admirabilis fuit, tam in interiori puritate, quàm in exteriori virginitate, *Sapient. 7. Candor est lucis æternæ*; scilicet, quantum ad puritatem mentis, *& speculum sine macula*, quantum ad honestatem carnis, in hoc speculo quilibet poterat secure respicere, quia tanta erat lux honestatis, quę emicabat in facie Virginis, quod vt dicit *D. Hieronymus.* Quicumque respiciebat in faciem Virginis huius, omnis turpis tentatio extinguebatur in eo. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Quicunque respiciebat faciem Virginis omnis turpis tentatio extinguebatur in eo.

Dub.

Dub. 155. Ad illa verba, cap. 43. verſ. 24. *Medicina omnium infeſtinatione nebulæ.* Quæ nebula omnium medicina?

Reſp. Nebula iſta eſt caro Chriſti de terra virginali exorta, nullo peccati pondere prægrauata, vltra puritatem Angelorum eleuata, calore Spiritus Sancti formata, *Ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem,* & hac medicina nobis à Beata Maria facta, & nobis propoſita, totus mundus ſanatus eſt virtualiter. Vnde & *Beatus Bernardus.* De plenitudine eius omnes recipiunt peccator gratiam, eger curationem, triſtis conſolationem. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19. §. 5.*

Chriſtus medicina nobis à B. Virgine facta.

Dub. 156. Ad illa verba, cap. 43. verſ. 28. *In ſermone eius compoſita ſunt omnia.* Quo modo ſermo Virginis compoſitus?

Quidquid locuta eſt, aut ad ſui humiliationem, vel ad Dei laudem, vel ad proximorum ædificationem referebat.

Reſp. Nota quod quidquid locuta eſt, aut ad ſui humiliationem, vel ad Dei laudem, vel ad proximorum ædificationem referebat; ideo de ipſa congrue poteſt dici illud *Eccleſiaſtici 43. In ſermone eius compoſita ſunt omnia. Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virginis Mariæ.*

Dub. 157. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 27. *Conſeruauit illi homines miſericordiæ, & inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.* Quare Beata Virgo inuenit gratiam in oculis omnis carnis?

Miſericors inuenit gratiam apud Deum.

Reſp. Nota quod Dominus conſeruabat homines miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Inueniunt enim gratiam in oculis omnis carnis, id eſt, oculis illius qui carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum fidelibus adminiſtrat. Quia igitur Beata Virgo eximiæ pietatis erat, ac miſericordiæ propterea gratiam excellentiſsimam apud Deum inueniens Mater effici meruit pietatis. *Beatus Albertus Magnus in Feſto Annuntiat. ſerm. 16.*

B. Virgo quia eximiæ pietatis, & miſericordiæ meruit effici Mater pietatis.

Dub. 158. Ad illa verba, cap. 50. verſ. 6. *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ.* Quare Beata Virgo dicitur Stella matutina?

B. Virgo in ſua Natiuitate diſsipauit nebulam triſtitiæ.

Reſp. Diſsipauit enim Beata Virgo in ortu ſuo nebulam triſtitiæ, quæ obtexerat omnes fideles aduentum Chriſti cum magno deſiderio præſtolantes, omnes enim illi quibus reuelatum fuit in ſpiritu quod illa quæ erat Mater Dei futura, iam eſſet nata, mirabiliter nimirum poterant exultare. Vnde etiam Eccleſia Filios ſuos hodie inuitat ad gaudium ita canens, *cum iucunditate Natiuitatem Beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat, ad Dominum Ieſum Chriſtum.* Et nota quod Beata Virgo Stellæ matutinæ, quæ alio nomine Venus, vel Lucifer appellatur. Sicut enim Lucifer diem, & ortum ſolis immediatè præcedit; ita & Beata Virgo Maria Dei Filium, qui verus eſt dies, & Sol æternus, corporali introitu præceſsit in mundum: immo & ipſa verum diem, & Solem æternum, id eſt, Dei Filium profugatis tenebris perduxit in hunc mundum. *Beatus Albertus Magnus in Natiuitate Beatæ Virginis, ſerm. 38.*

Stella matutina Venus, vel Lucifer appellatur.

B. Virgo Dei Filium corporali introitu præceſsit in mundum.

2. Reſp. Sicut Stella matutina, id eſt, Venus calida eſt, & humida; ſic & Beata Virgo fideliter inuocata confert calorem pulchræ dilectionis. De primo dicitur *Eccleſiaſt. 24. Ego Mater pulchræ dilectionis.* De ſecundo dicit ibidem. *Ego ſicut aquæductus exiui à Paradiſo; dixi rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.* Hortus plantationum eſt ſancta Eccleſia, in qua plantæ fidelium hominum ſunt plantatæ. Has autem plantas, vt eo melius perficiant irrigat aquis gratiarum, quas excipiens à Chriſto, tranſmittit omnibus fideliter ipſam inuocantibus. Et etiam quandoque tam copioſe tranſmittit aquam deuotionis in corde ſuorum amicorum, quod inebriantur, id eſt, quod omnium miſeriarum ſuarum ad tempus penitus obliuiſcuntur. Vtinam illa pia Virgo ſic nos aliquando inebriare dignetur. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Stella matutina calida eſt & humida.

B. Virgo inuocata fideliter, confert ſanctũ amorem.

B. Virgo gratiã excipiens à Chriſto trãſmittit omnibus fideliter ipſam inuocantibus.

Virgo Maria deuotionem tranſmittit in corde amicorum ſuorum.

3. Reſp. Sicut Lucifer Solem ſemper comitatur, & tunc quando Solem ſequitur, veſperus appellatur: ita & Beata Virgo veſtigia Filij de gentis in carne continuè ſequebatur, ipſum quoque non reliquit cum aſcendiſſet in cœlum. Vnde dicit *Hieronymus in quodam tract. de Aſſumpt. B. M. Virg.* Si Chriſtus ab omnibus eſt amandus; & ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus. Maximè tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat, & Filius: fortaſſe ergo præ nimio amore, in loco quo ſepultus dicitur, interdum eam habitaſſe credimus, quatenus amor pijs paſceretur obtutibus. Sic namque locus habitationis eius medius eſt hinc inde conſtitutus, vt adiré poſsit Aſcenſionis eius veſtigia, & locum ſepulturæ, ac Reſurrectionis, ſeu omnia in quibus paſſus eſt, loca inuiſere, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, ſed vt ſuis conſolaretur aſpectibus. Hoc quippe agit impatiens amor, vt quem deſiderat; ſemper inuenire ſe credat. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

4. Reſp. Sicut Lucifer, id eſt, Stella matutina plus fulget inter omnia ſidera: ſic etiam Beata Maria plus rutilat in gloria, quam aliquis Angelus, vel etiam aliquis Sanctus. Vnde dicitur de ea *Sapient. 7. Hæc eſt ſpecioſior Sole, & ſuper omnem Stellarum diſpoſitionem luci comparata inuenitur prior.* Solis igitur, & omnium Aſtrorum ſub cœleſtium ſplendorem excedit claritas Virginis intemeratæ. Immò dicit *D. Bernardus.* Quod ipſa cœleſtis patria, clarius rutilat, virgineæ lampadis irradiata fulgore. Ipſe etiam Lucifer in ſuo ſplendore colorem habet gaudentem. Ita etiam Beata Maria omnes exhilarat, qui eam intueri merentur. *Ibidem.*

5. Reſp. Sicut in circulo veneris, teſte Martiano, omnes dicuntur conſiſtere voluptates: ita etiam Beata Maria in circulo intemerati vteri ſui, illum qui eſt voluptas, & gaudium omnium Beatorum nouem menſibus continuit, & hoſpitata eſt. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 159. Ad illa verba, cap. 50. verſ. 6. *Quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet.* Quare Beata Virgo Luna plena dicitur.

Rſp. Notandum, quod Luna plena non tantum habet pulchritudinem lucis, ſed etiam perfectionem figuræ circularis, quia tunc tota eſt rotunda, & ideò magis pulchra. Quod etiam Beatæ Virgini congruit, & ideò in Pſalmis vocatur, *Luna perfecta in æternum, Pſalm. 88.* Hæc eſt perfectio ſuæ charitatis, per quam ad modum figuræ rotundæ fuit mobiliſsima, id eſt, promptiſsima, ad bene operandum, capaciſsima, & ampliſsima ad omnes ſuſcipiendum; *Eccleſiaſt. 24.* Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, item ſine carens, id eſt, indefectibiliſsima ad perſeuerandum. Vnde ibidem: *Vſque ad futurum ſæculum non deſinam. Ioannes à Sancto Geminiano lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 160. Ad illa verba, cap. 50. verſ. 10. *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Quare Beata Virgo dicitur vas ornatum omni lapide pretioſo?

Reſp. Lapides pretioſi, qui vas iſtud ornauerunt, ſunt virtutes, quibus Maria decorata eſt, & ibidem deſcribuntur ſub appellationibus rerum diuerſarum. Lapis primus humilitas. Vnde quaſi *Stella matutina*, quæ parua apparet, cum ſit magna in medio nebulæ, id eſt, in hac vita caliginoſa. Secundus, compaſsio peccatoris, vnde: *Quaſi Luna plena* rore gratiæ, & miſericordiæ. Luna eſt roriflua, eſt & proxima terræ, id eſt, peccatoribus terrenis pietate, & compaſsione, in diebus ſuis lucet ad illuminandam noctem, in qua ſunt peccatores, quibus dicitur *Epheſ. 5. Eratis aliquando tenebræ*, id eſt, tenebroſi, *nunc autem lux*, id eſt, illuminati per gratiam Mariæ. Tertius, verecundiæ virginalis, vnde: *Et quaſi Sol*, qui rubens eſt, vel inferuore ſolis charitas Mariæ, in rubore color faciei virgineæ ad litteram.

B. Virgo veſtigia Filij degentis in terra, continuè ſequebatur.

Virgo Maria loca, in quibus Filius paſſus fuerat inuiſebat, vt ſuis conſolaretur aſpectibus.

Impatiens amor, quem deſiderat, ſemper inuenire ſe credit.

Lucifer, ſeu ſtella matutina plus fulget inter omnia ſidera.

B. Virgo plus rutilat in gloria, quã aliquis Angelus, vel Sanctus.

Stella matutina in ſuo ſplendore colorem habet gaudentem.

B. Virgo omnes exhilarat, qui eam intueri merentur.

B. Virgo Filium Dei in vtero ſuo hoſpitata eſt.

Luna cum eſt plena habet pulchritudinem lucis, & perfectionẽ figuræ circularis.

B. Virgo prõptiſsima ad bene operandũ.

Ampliſsima ad omnes ſuſcipiendum.

Indefectiua ad perſeuerãdum.

Virtutes ornamentum B. Virginis.

Stella matutina parua apparet, cum ſit magna.

B. Virgo parua per humilitatem.

Luna eſt roriflua, eſt & proxima terræ.

B. Virgo compatiens peccatoribus, illiſque proxima.

Verecundia B. Virginis charitas B. Virginis.

ram. *Refulgens* coram Domino, qui decorem eius concupiuit, vel refulgens hominibus, exemplis virtutum ſuarum. Quartus, obedientia, vnde: *Quaſi arcus refulgens.* Arcus plicabilis eſt inter nebulas gloriæ. Quintus, odor ſanctæ opinionis eius, & famæ, vnde: *Quaſi flos roſarum in diebus Vernis*, flos enim roſæ aromaticus eſt, & capitis confortatiuus. Sextus, duplex virginitas carnis, & ſpiritus. Vnde *quaſi lilia in tranſitu aquæ*, id eſt, carnalium, & mundalium voluptatum, quæ cito tranſeunt velut aqua decurrens. Septimus, oratio aromatica; *vnde quaſi thus redolens in diebus æſtatis*, id eſt, in feruore charitatis. Octauus, charitas qua in ſe ardebat, & proximos illuſtrabat. *Vnde quaſi ignis effulgens.* Ipſa enim erat rubus ardens charitate, manens incombuſtus ab omni carnea voluptate. Nonus, oratio pro his, qui comburuntur in camino Purgatorij, vnde: *Et thus ardens in igne.* Decimus, pietas, & miſericordia indeficiens, & ſemper creſcens. Vnde quaſi oliua pullulans, & quaſi oliua ſpecioſa in campis. Vndecimus, medicinalitas, recta intentio. Contemplatio cœleſtium, vnde & cypreſſus in altitudinem ſe extollens. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis octaua Stella nonæ Coronæ.*

Refulſit hominibus exẽplis virtutum ſuarum.

Obedientia B. Mariæ.

Bonæ famæ, & opinioni ſtudebat.

Duplex virginitas carnis, & ſpiritus.

Oratio Virginis in feruore charitatis.

Charitate accenſa.

Orat pro exiſtentibus in Purgatorio.

Pietas, & miſericoidia indeficiẽs, ſemper creſcens.

ISAIAS.

Gula vitium quaſi habitua tum in nobis

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 4. *Væ genti peccatrici.* Quare ponitur væ genti peccatrici?

Reſp. Vitio gulæ dedita gens dicitur peccatrix, quod importat habitum permanentem, nullum enim vitium, eſt in nobis ita permanens vt gula habituatum quaſi in nobis, & quod citius exerceatur. Nam puer totus eſt gulæ deditus. Et quis eſt ille, qui vltra metas neceſsitatis non rapiatur in cibo, & potu? Quod cum mortale eſt, præparatur ei væ æternæ damnationis ſecundum illud *Iſaiæ 5. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam.* Ab hoc Beata Maria libera fuit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 5.*

B. Virgo à gula libera.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 4. *Væ populo graui iniquitate, ſemini nequam, Filijs ſceleratis.* Qui dicuntur populus grauis, ſemen nequam, Filij ſcelerati?

Accidia aggrauat hominem, vt nihil boni agere libeat.

Reſp. Accidia eſt populus grauis iniquitate. Nam accidia aggrauat animam, vt nil boni agere libeat, ſed væ diſſolutis corde dicitur *Eccleſiaſt. 2.* Luxuria eſt ſemen nequam quia nequiter effundit ſemen. Sed *Væ qui opulenti eſtis in Sion, qui laſciuitis in ſtratis veſtris habetur, Amos 6.* Auaritia, & dediti huic vitio ſunt Filij ſceleſti. Auaritia enim nihil ſceleſtius. Sed væ his, qui congregant auaritiam, inquit, Prophetа *Abacuc 2.* ſuperbia, & hi ſunt, qui dereliquerunt Deum. Per nullum enim vitium recedit quis à Deo, & bellat contra eum, ſicut per ſuperbiam. Sed væ coronę ſuperbiæ ſcribitur; *Iſaiæ 28. Detracta eſt enim ad inferos ſuperbia tua.* Ira per hanc homines peſsimi blaſphemauerunt ſanctum Iſrael. Sed dicitur *Eccleſiaſt. 2. Væ qui perdiderunt ſuſtinentiam*, id eſt, patientiam victi ab ira. Inuidia inuidi autem abalienati ſunt à Deo retrorſum, Deus omnia bona ſua communicat; inuidus autem dolet quod aliquis extra ſe habeat bona, vnde alienus à conditionibus Dei. Sed dicitur *in epiſt. Judæ 1. Væ illis qui abierunt in viam Cain, & core.* Hi ex inuidia moti ſunt, primus contra Abel, alter contra Moyſem. Ab omnibus his fuit libera Maria. Nam abſtinentia dedita, vt oſtendit *Beatus Ambroſ.* ab Accidia libera, cuius ſpiritus exultabit ſemper in Domino operata. A luxuria aliena, quia Virgo auaritiæ neſcia, quæ omnia ſua communicauit pauperibus. Contra ſuperbiam humillima, quia reſpexit humilitatem, Nil in ea iræ, quæ inter omnes mi-

Luxuria eſt ſemen nequã

Auaritia nihil ſceleſtius

Per nullum vitium recedit homo à Deo, ſicut per ſuperbiã.

Multi perdiderunt patiẽtiam victi ab ira.

Inuidus dolet quod aliquis extra ſe habeat bona, alienus eſt à conditionibus Dei.

B. Virgo abſtinentiæ dedita. Ab accidia libera. A luxuria aliena.

Auaritiæ neſcia. Nil in ea iræ.

mitis, vt in paſsione Filij. Inuidia nunquam in ea, quæ ſalutem omnium ſemper optabat. *D. Antoninus vbi ſupra.*

Nunquam in ea inuidia quę omnium ſalutem optabat.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen.* In quam terram cecidit ſemen, quod reliquit nobis Dominus?

Reſp. Ipſum eſt ſemen quod cecidit in terram bonam. Virginem dico Mariam, & attulit in aliis quidem fructum triceſimum, in aliis ſexageſimum, & in aliis centeſimum. Triceſimum ſiquidem fructum hoc ſemen attulit, quando Chriſtus ſua prætentia nuptias conſecrauit: ſexageſimum fructum attulit, cum tempore ſuæ prædicationis continentiam prædicauit, & docuit. Centeſimum, quando Matrem Virginem Ioanni Virgini in Cruce commendauit. Sed quia nobis illa Virgo Iſrael, futura erat Mater Dei, thalamus Sponſi, dilecta dilecti, vnica vnici, ideò Dei Filius ſingulariter, imò mirabiliter in ipſa voluit operari; vt quæ pretium vniuerſitatis debebat parere, cum ſtatu quolibet vniuerſitatis haberet aliquid commune. Et cum coniugatis quidem habuit partum prolis, cum continentibus votum caſtitatis, cum virginibus perſeuerantiam virginitatis, vt dum continentes, & coniugatas, & Virgines pariendo redimeret, ſimul ei fructus triceſimus, ſexageſimus, & centeſimus proueniret. *Abſalon Abbas, Benedictinus, in Purificatione Beatæ Mariæ, ſermon. 3.*

Chriſtus ſemen quod cecidit in terrã bonam, & attulit fructũ triceſimum ſexageſimũ, centeſimum.

Chriſtus ſua prętentia nuptias conſecrauit continentiam docuit.

B. Virgo cum quolibet ſtatu habet aliquid commune; ſcilicet, cum coniugatis, continentibus, & virginibus.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 15. *Et cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Quare Deus auertet oculos à manibus noſtris?

Reſp. Quidquid illud eſt quod offerre paras, Mariæ commendari memento, vt eodem alueo ad largiorem gratiæ gratia reddat, quo fluxit. Fortè manus tuæ, aut ſanguine plenæ, aut infectæ ſunt muneribus, quod non eas ab omni munere excuſiſti; ideòque modicum iſtud quod offerre deſideras grauiſsimis illis, & omni acceptione digniſsimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. *D. Bernardus ſerm. in Natiuitate.*

Quidquid Deo offerimus per B. Virginem offerendum.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Vocaberis Ciuitas iuſti, Vrbs fidelis.* An Beata Virgo dicatur Ciuitas iuſti, & fidelis?

B. Virgo Ciuitas Chriſti.

Reſp. Vocaueris Ciuitas, Maria, à Patriarchis, & Prophetis Ciuitas iuſti, *Gloſſ.* id eſt, Chriſti. Vrbs fidelis fideliter recipiens, & conſeruans ad ſe fugientes. Hanc Ciuitatem laudat, *Pſalm.* 86. dicens: *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.* Fuit enim Ciuitas hæc fundata ſuper humilitatem, murata ſuper caſtitatem, turrita per charitatem, ditata per paupertatem, cuſtodita per diſcretionem, liberata peccatorum immunitate, pacificata tentationem victoria, Diuino Officio ornata per elegantiam morum, ædificata in refugium peccatorum, populoſa virtute, & omnium donorum gratuitorum irrigua, abundans miſerationum, in Altiſsimo ſita per excellentiam priueligiorum. *Beatus Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Recipit ad ſe fugientes.

Caſtitate munita.

Pacificata tentationum victoria.

Abundans miſerationes.

In Altiſsimo ſita per excellentiam priuilegiorum.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quare Beata Virgo dicitur mons?

Reſp. An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret meritorum verticem ſupra omnes Angelorum Choros vſque ad ſolium Deitatis erexit. *D. Gregorius Magnus lib. 1. Reg. cap. 1.*

Habuit merita ſupra omnes Angelos.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 2. *Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Cur Beata Virgo dicitur mons in vertice montium præparatus nouiſsimis diebus?

Reſp. Nouiſsimi dies tempus gratiæ, domus Domini Eccleſia Catholica. Mons ſingularis Beata

B. Virgo meritis, & gratia transgrediés omnes Sanctos vtriusq; Testamenti.

ta Virgo, præparatus per prædestinationem ab æterno. Vnde ipsa dicit *Prouerb.* 8. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis in salutem humani generis, & sustentationem Ecclesiæ, montes, & colles Sancti vtriusque Testamenti, vertex horum montium Beata Virgo gratia, & meritis transgrediens vniuersos. Vel ipsa est mons in vertice montium, quia exaltata super Choros Angelorum. *Beatus Albertus Magnus libr.* 8. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 15. *num.* 1.

Exaltata super Choros Angelorum.

Altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit.

2. Resp. Mons in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit. Domus quia dum in omparabilibus est illustrata meritis, Dei vnigenito, in qua recumberet sacrum vterum præparauit. *D. Gregorius Magnus libr.* 1. *Regum, cap.* 1.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Et fluent ad eum omnes gentes.* Quare dicitur quod ad eum fluent omnes gentes?

Proprietates seruis Mariæ conuenientes.

Resp. In verbo fluendi notantur septem proprietates seruis Mariæ conuenientes. Primum, est impetus feruoris, quia cum festinatione, & impetu rumpenda sunt omnia obstacula, vt ei digne seruiatur. Secundum, descendens humilitas; fluunt enim flumina ad valles, & sola humilitate peruenitur ad eam. Tertium, abundantia, quod notatur in verbo fluendi, vt abundet in omni opere bono, qui eidem desiderat famulari. Quartum, desiderium, vt desideret quodam fluxu liquescere in desiderio eius, *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta est.* Quintum, permanentia, sicut fluuius non putat alueum, qui enim perseuerauerit vsque infinem in eius seruitio saluus erit. Sextum, profectus vt seruus Mariæ semper proficere de bono studeat in melius. Septimum, assiduitas, vt assidue fluat seruus Mariæ in desideriis, in lachrymis, in bonis operibus, & orationibus deuotis. *Beatus Albertus Magnus lib.* 8. de *laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 5. *num.* 1.

Omnia obstacula rumpenda, vt ei digne seruiatur.

Humilitate peruenitur ad B. Virginē

Abundet in omni opere bono B. Virgini seruiēs.

Qui in eius seruitio perseuerauerit, saluus erit.

Seruus B. Virginis proficiat in melius.

B. Virg. seruus assiduus sit in bonis operibus, & orationibus.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 4. vers. 2. *Et erit fructus terræ sublimis.* Quare Christus dicitur germen Domini, & fructus terræ sublimis?

Resp. Quis enim est fructus terrę, nisi ille de quo scriptum est: *Et terra nostra dedit fructum suum. Psalm.* 48. & iterum: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vbi obserua quod Christus dicitur germen Domini, & fructus terrę. Germen Domini, quia secundum Diuinitatem ab ęterno, de Patre natus est, sine Matre: *Ex vtero*, inquit, *ante Luciferum genui te. Psalm.* 109. *Fructus terræ*, quia in tempore secundum humanitatem, de Matre natus est, sine Patre, vbi vtramque Christi generationem complexus est, & ęternam, & temporalem. Is ergo fructus terrę erit sublimis, quia Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, quia ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Patris. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum, Episcopus.*

Christus secundum Diuinitatem ab ęterno de Patre natus est, sine Matre.

Christus in tempore secundum Humanitatem de Matre natus est, sine Patre.

Christus à Patre exaltatus.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 4. vers. 6. *Et Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & pluuia.* Quare Beata Virgo erit in vmbraculum diei ab ęstu in securitatem, & absconsionem?

Resp. Erit enim gloriosa Virgo seruientibus, & amatoribus suis in die iudicij in vmbraculum ab ęstu, id est, contra ęstum illum, de quo dicitur 2. *Petri vltim.* Elementa calore soluentur, & de quo *Sophon.* 1. *In igne zeli eius deuorabitur omnis terra.* Erit in securitatem à turbine, id est, contra illum turbinem, de quo *Ierem.* 30. *Ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet, non auertet iram.* Sicut enim turbo rapit puluerem, & paleam resistere impotentem; sic impius rapietur ad tormenta. Vnde *Iob* 27. *Tollet eum ventus vrens, & velut turbo rapiet eum de loco suo.* Erit enim in absconsio-

B. Virgo in die iudicij deuotis suis propitia.

In die iudicij peccatores rapiētur ad tormenta.

sionem à pluuiâ, id est, contra pluuiam illam, de qua *Iob* 20. dicitur de Christo, & de impio: *Pluet super eum bellum suum. Beatus Albertus Magnus lib.* 10. *de laudibus Beatæ Mariæ, cap.* 28. *num.* 2.

B. Virgo in persecutione protegit.

2. Resp. Ipsa est Tabernaculum, quod Deus Pater extendit peccatoribus quatuor de causis. Tabernaculum, id est, Beata Virgo Maria, *erit in Vmbraculum. Gloss.* super protectione diei, & æstus, *Gloss.* persecutionis, & in securitate. *Gloss.* Dominus adiutor noster, in abscessione, à turbine, & pluuia. *Gloss.* id est, à persecutione maiori, & minori, *Psalm.* 60. *Protegar in velamento alarum tuarum. Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Ore peccantibus minas iactat Dominus.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 5. vers. 20. *Væ qui dicitis malum bonum.* Quare dicitur væ eis qui dicunt malum bonum?

Resp. Væ his, væ omnibus, qui ore peccant, sicut in *Psalm.* 13. dicitur: *Venenum aspidum sub labijs eorum.* O quam longè ab isto væ fuit sanctissimum os Mariæ! *D. Ambros. libr.* 2. *de Virginis, tom.* 4. Nihil torum in oculis Mariæ, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum fuit. *D. Bonauentura in speculo B. Virg. Lect.* 2.

Nihil in verbis Virginis procax.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 6. vers. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* An Beata Virgo dicatur solium excelsum, in quo sedet Dominus?

Resp. Hoc solium celsum, & eleuatum rectè videbor interpretari Virginis vterum, sessionem sedentis, Mysterium Incarnationis: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum.* Aduerte si placet tres Domini sessiones, & tria solia pro numero sessionum. Prima, eius sessio creaturæ perfectio, de qua dicitur *Genes.* 1. *Quia requieuit Deus die septimo: ab opere quod patrarat.* Secunda, sessio est in mente rationali, Dei habitatio de qua in *Canticis* 2. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea odorem dedit.* Rex quippe in accubitu suo est, cum menti insidet per quietem contemplationis: Nardus dat odorem, cum ex suauitate boni operis proximus prouocatur ad æmulationem virtutis. Tertia, vero sessio est Verbi Incarnatio. De qua dicitur *Psalm.* 38. *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Primæ, ergo sessionis solium est fabrica huius mundi. Secundæ, sessionis solium est anima iusti. Tertiæ, sessionis solium est vterus Virginis. Primum, solium est excelsum propter dignitatem conditionis. Secundum, est eleuatum propter prærogatiuam virtutis. Tertium, hoc est, Beatæ Virginis thalamus, super exaltatum propter vnionem Verbi, & humanitatis. Huius tertij solij altitudinem Propheta videns in spiritu dicebat: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Sub intellige etiam super exaltatum, & assigna Beatę Virgini tria hæc. Non enim defuit ei dignitas conditionis, pro qua solium eius fuit excelsum, non prærogatiua virtutis, pro qua fuit per gratiam eleuatum, non Filij Dei in se susceptio, pro qua super exaltatum. *Absalon Abbas, Ordinis Sancti Patris nostri Benedicti.*

Deus menti insidet per quietis contemplationē.

Bono operi proximus prouocatur ad æmulationem virtutis.

Solium sessionis Dei fabrica huius mūdi, anima iusti, vterus Virginis.

B. Virgo in Filij Dei Incarnatione solium super exaltatum.

2. Resp. Domus illa in cuius solio Dominus sedit est Beata Virgo, in cuius mentis solio Dominus requieuit. Hoc solium excelsum est in intellectu, eleuatum in affectu. Excelsum est quoque super homines, excelsum insuper est gratia, eleuatum in gloria: In solio ergo Mariæ, in solio in quam mentis eius Dominus sedebit, & domus corporis eius, Maiestate Verbi Incarnati plena erat. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect.* 7.

Virgo Mariæ excelsa gratia, eleuata in gloria.

B. Virgo Maiestate Verbi Incarnati plena.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 6. vers. 3. *Plena est omnis terra gloria eius.* A quo dicitur terra plena?

A tota Trinitate plena gratia.

Resp. Ipsa est quam omni gratia replent Deus, & tota Trinitas, & plena erat omnis terra,

ra, id est, domus, gloria eius, *Gloss.* omni gratia, à Maiestate eius. *Gloss.* regnantis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo dicitur signum, quia signata in operibus antiquorum.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 7. vers. 14. *Dabit Dominus ipse vobis signum.* Quare Beata Virgo dicitur signum?

Resp. Sciendum quod signum congruè potest dici, & actiuè, & passiuè. Maria dicitur signum magnum passiuè, quia signata est in operibus antiquorum, in factis Patriarcharum, in oraculis Prophetarum, vt in Arca Noe, in virga Aaron, in rubo Moysi, in Arca Testamenti, in Throno Salomonis, & huiusmodi. Actiuè, quia signat nobis sermonibus, responsionibus, & operibus suis, quid amplectendum sit, quid cauendum, quid appretiandum, quid vilipendendum. *Daniel Agricola, Ordinis Sancti Patris nostri Francisci, cap. 1. de signo Magno.*

B. Virgo signat nobis sermonibus, & operibus suis, quid amplectendum, quid cauendum, quid faciendum.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet.* Quare fit mentio virginitatis?

Resp. Beata Virgo Maria Prophetis denuntiata, quæ concepit, & peperit manens Virgo. *Lyranus.*

Concepit, & peperit manens Virgo.

2. Resp. Superius dixerat Propheta, *Ipse Dominus dabit vobis signum.* Multa signa dederat prius Dominus per Patriarchas, & Prophetas, sed hoc mirabile, & ineffabile signum dare voluit per se ipsum propter signi excellentiam, quod sic completum est, vt natura nascentis comprobaretur ex Virgine. Et mirabile prædicetur ex Deitatis operatione. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 13. num. 2.*

Natura Filij nascentis cõprobata ex Virgine.

3. Resp. In hoc signatur, quod vtraque futura erat munda, & caro generans, & caro generata, ideò solus potuit huiusmodi puerperæ Filius cantare Canticum illud: *Sine iniquitatibus conceptus sum, & sine peccatis concepit me Mater mea. B. Albertus Magnus vbi supra.*

Caro generans, & caro generata mũda.

Virgo idem quod Alma, Abscondita.

4. Resp. Hebræus habet *Alma*, vbi nos habemus Virgo, quod dupliciter sumitur in Hæbraico, pro adolescentula; & sic accipiunt hic increduli Iudæi: & pro apocrypha, id est, abscondita, quod est periphrasis Virginum. Vnde Beata Virgo erat in conclaui, quando Angelus venit ad eam. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo erat in conclaui quando Angelus venit ad eam.

5. Resp. Inter alias prophetias istam maximè contemplamur; & quando Angelus eam salutauit istam prophetiam legebat, vt ipsa Virgo reuelauit Elisabeth. Cogitabat tunc Virgo intra se. O Domine, & qualis erit ista Virgo, quæ sit digna concipere Filium Dei, esse Mater Dei, & Regina cœli, & rogabat Dominum, ne moreretur quousque illam videret, & posset illi seruire dicens, Domine conseruetis mihi visum, vt eam videam, auditum, vt eam audiam, os vt sibi possim loqui, manus vt sibi seruiam! O Benedicta erit illa Virgo, & flebat, nec poterat de se cogitare, quod ipsa esset illa ex humilitate, & cum cogitaret subito Gabriel Archangelus intrauit sine portarum apertione, & totus rutilans; & pulcher cum magna reuerentia, Virginem salutauit, dicens: *Aue gratia plena*, quæ cum audisset, *Turbata est in sermone eius*, non de Angeli visione, quia dicit *D. Hieronym.* Quod assueta erat videre Angelos, sed turbata est in sermone eius. Ante aduentum Angeli Virgo cogitabat de illa Virgine, & de tanta gratia, & statim Angelus eam salutauit dicens: *Aue gratia plena*, quasi dicat, Tu es illa Virgo plena gratia. *D. Vincentius Ferrer sermon. in Annuntiatione B. Virginis.*

B. Virgo legebat hanc prophetiam. Ecce Virgo, quãdo Angelus eam salutauit.

Angelus B. Virginem salutans, cum magna reuerentia salutauit.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet.* Quare Virgo concepit?

B. Virgo in conceptione Filij glorificata, quod Deus ei aliquid supra naturam dedit.

Resp. In eo enim eam glorificauit, quod ei aliquid supra naturam dedit. Fecit siquidem in ea aliquid quod fuit secundum naturam, aliquid quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit quod Virgo

In conceptione Filij fuit aliquid supra naturam, aliquid secundùm naturã, aliquid contra naturam.

go concepit, ſecundum naturam fuit, quod in vulua conceptus, & formatus, & tandem ſecundum legitima naſcendi tempora natus fuit. Supra naturam, non ſolum huius infirmitatis noſtræ, ſed etiam ſupra naturam conditionis primæ fuit, quod ſine virili ſemine Virgo concepit, puritatis fuit quod ſine concupiſcentia ſeminare potuit; Honoris quod prolem ab omni peccati contagio mundam effecit, gloriæ quod non de viro, ſed de Spiritu Sancto concepit. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, capit. 14. num. 2.*

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet.* Cur dicitur *ecce*?

Reſp. Præmittit Propheta huic ineffabili Incarnationis Myſterio interiectionem *ecce*, quæ deſignantis aliquid magnum fungitur in oratione, officio, vt non vulgare ſignificet miraculum, ſed dignum Deo ſignum, cuius ſolum omnipotenti virtute fieri potuit, vt intacta permanens, & incorrupta Filium conciperet, & pareret. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum.*

Solum omnipotenti virtute Dei fieri potuit, vt B. Virgo intacta permaneus, Filium Dei concipere, & parere

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Cur Verbum de Virgine carnem ſumpſit?

Reſp. Si de vtroque ſexu carnem aſſumeret, vtique & à proprietatis ſuæ ſimilitudine longius recederet, & ad noſtram minus appropinquaret. Proprietati enim ſuæ eſſet diſſimile ſi Patrem, & Matrem haberet in Humanitate, qui ſolum modo Patrem habebat in Diuinitate, in hoc item, & nobis diſſimilior eſſet, ſi duos quod nos non poſſumus Patres haberet, ſed & ratio ſanè exigebat, vt ſicut vnum principium erat in generis noſtri propagatione; ſic eſſet & vnum principium in generis noſtri reparatione. Oportuit ergo reparatorem generis noſtri, aut de ſolo viro, aut de ſola fœmina naſci, ſed ſi de viro ſexum fœmineum aſſumeret ordinem naturæ confunderet, qui fœmineum ſexum ſupra virilem extolleret, & idem ipſe diceretur Filius ex Diuinitate, & Filia ex Humanitate, ſed ſi virilis eſſet ſexus quem aſſumeret, haberet ſanè vir geminum pro hac parte honoris ſolatium, fœmina nullum, & certè ſi de viro formam voluiſſet, materiam quidem de carnis noſtræ ſubſtantia traheret, & in hoc à naturæ noſtræ proprietate longius diſcederet. *Beatus Albertus Magnus libr. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 14. num. 2.*

Christus in Humanitate habuit Matrem ſine Patre, in Diuinitate Patrem ſine Matre.

Sicut fuit vnum principium in generis noſtri propagatione; ſic vnum principium in generis noſtri reparatione.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet.* Quale gaudium B. Virginis in conceptione Filij?

Reſp. Primum gaudium quod Virgo habuit fuit in die Incarnationis, quando facta fuit Mater Dei. Vultis ſentire iſtud gaudium? Inuenitur enim ex dictis Sanctorum Doctorum, quod in illo puncto Virgo Maria legebat in Biblia, quam intelligebat pluſquam Propheræ in illo paſſu: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Sic legendo Virgo Maria, cum maxima deuotione contemplata eſt dicens. O Domine, & quanta erit ſanctitas, & dignitas illius Virginis! Oro Domine, ne moriar quouſque viderim illam Virginem, conſerua mihi aures, vt illam audiam, oculos vt videam, & ſic de alijs membris, vt in his poſsim ſibi ſeruire; Et cum ſic contemplaretur ecce Anlus Gabriel totus rutilans intrauit cameram dicens: Virgo Benedicta, vos eſtis illa, de quo Virgo fuit non modicum admirata, quia ipſa non ſe reputabat dignam, vt eſſet famula illius Virginis. Ad quam Angelus: Vos eritis Mater Dei incorrupta, quando Virgo ſenſit ſe grauidam cogitate quale gaudium habuit, in tantum quod ſi omnia gaudia, & delectationes huius mundi eſſent vnita in vna perſona, non æquarentur gaudio, lætitiæ, & conſolationi, & dulcedini Virginis. *D. Vincentius Ferrer ſerm.*

Summũ gaudium B. Virginis in conceptione Filij.

2. *in Natiuit. Beatæ Virginis.*

Dub. 20. Ad eadem verba, cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabit nomen eius Emanuel.* Quæ Virgo? Quis Filius Virginis? Quareque nomen imponit?

D. Gabriel ad Virginem destinatus, vt ei cõceptum explicaret, & eius consensum requireret.

Resp. Christiani per hanc Virginem eam intelligunt, quam Beatus Lucas graphicè describit dicens; eam viro de domo Dauid desponsatam, & vocari Mariam, ad quam Deus de cælo Gabrielem Archangelum destinauit, qui ei, & hunc conceptum explicaret, & eius consensum requireret. Per hunc verò Filium eum accipiunt, qui in cœlo sine Matre est, & in terris sine Patre Iesum, scilicet, omnium Redemptorem quem ipsa Maria, vt Sanctus testatur Matthæus, vocauit Iesum. Omnes verò alij reuera Himanuelem cum quo, & in quo fuit nobis cum Deus, quando Verbum caro factum habitauit in nobis, qui cum Matris summa integritate datus est domo Dauid in signum humanæ liberationis à peccato, Sathana, & morte; nam antequam ipse sciret experimentali scientia reprobare malum, & eligere bonum relicta, & capta est terra illorum duorum Regum per Assyrios, qui infesti, & molesti erant terræ Ihehudah. Vnde iuxta hunc sensum littera sic interpretanda est. Ecce Virgo Maria permanens in sua puritate, prægnans è cœlo erit, & pariet incorrupta Filium, & quia puer in terris Patrem non habebit, qui nomen imponat ipsa vocabit nomen eius Hemanuel, id est, nobiscum Deus. *Oleaster.*

Christus datus domo Dauid in signũ humanæ liberationis à peccato, morte, & diabolo.

B. Virgo Filio nomen impo suit.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 8. vers. 1. *Sume tibi librum grandem.* Quare Beata Virgo dicitur liber grandis?

B. Virgo liber grandis continens Diuinam Sapientiam, cuius non est numerus.

Resp. Liber iste grandis fuit Beata Maria. Libri qui fiunt ab hominibus sunt parui, quia pauca continent. Nam etsi Salomon dicat *Ecclesiastes Vltim. Faciendi libros nullus est finis*, vt ait Themistius ea quæ scimus sunt minima pars eorum, quæ ignoramus; sed Beata Maria Virgo fuit liber grandis, quia continuit Diuinam Sapientiam, cuius non est numerus, in ipso enim secundum Apost. *Sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 1.*

B. Virgo liber, in quo omnes possunt, & debẽt legereque obseruare debent.

2. Resp. Fuit in hoc libro, & scriptura in qua omnes possunt, & debent legere, & obseruare in eo contenta. *D. Ambros. in lib. de Virginib.* sit vobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ, habetis in ea probitatis exempla, vt sciatis quid eligere, quid vitare debeatis Virgo erat non corpore; scilicet, tantum; sed & mente, quæ nulli doli ambitum sincerum violaret affectum, corde humilis, verbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi. Verecunda sermone, arbitrum mentis, non hominem, sed Deum quærens, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperum spem reponens, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, sequi rationem, amare virtutem. *Et infra*, congeminatus ieiunio dies, etsi reficiendi necessitas fuit, plerumque cibus obuius erat, qui mortem arceret, non qui delicias ministraret, dormiendi non prius cupiditas, quam necessitas fuit, etsi quando dormiebat corpus vigilabat animus, qui vel lecta repetit, vel interrupta continuat, vel agenda pronuntiat, vel ordinata disponit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 1.*

Exemplar est omnis virtutis.

In B. Virgine Deus conclusit sapientiã, & scientiam Dei.

3. Resp. Per librum grandem intelligit Propheta vterum Beatissimę Mariæ, illa namque liber est cœli, & terræ, in quo thesaurum sapientiæ, & scientiæ Dei Dominus concluſit; in quo abscondita à sæculis in Deo Sacramenta sunt descripta, vt ab omnibus in Mysterijs Sacri Rosarij perlegantur. Liber in quatn, sed virginitate clausus, & signatus, quæ nulla vnquam corruptio referauit. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum.*

B. Virgo virginitate clausa, & signata.

4. Resp. Grandis quia incomprehensibilem comprehendit, in cu-

ius amplitudinis laudem canit Eccleſia. *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Tam grandis eſt vterus Virginis, vt cœlum cœli non immerito dicatur, *cœlum cœli Domino*, inquit, Propheta, *Pſalm.* 113. Terram autem dedit filijs hominum, in cœlo Deus habitat in quo Angeli ſoli ante aduentum Domini Dei aſpectu fruebantur. Soli tunc facie ad faciem Deum videbant ſoli Beati, nec vllum hominum eiuſdem beatitudinis potuerunt inuenire conſortem; ſed nunc iam vterus Virginis cœlum homini eſt, locus Beatitudinis, imò & cœlum cœli Domino in quo dominator cœli nouem menſibus, corporaliter habitauit; in quo primo anima Beata Deum vidit per eſſentiam; anima videlicet Saluatoris ab inſtanti Conceptionis Verbi, vt docet *S. Thomas 3. part. quæſt. 9. art. 2.* eandem gloriam eſſentialem, qua nunc gaudet ſortita eſt. *Didacus Aluarez ibidem.*

B. Virgo grãdis, quæ incõprehenſibilẽ comprehendit in vtero.

Vterus Virginis cœlum, & locus Beatitudinis.

Anima Saluatoris in vtero Virginis, Deum vidit per eſſentiã.

5. Reſp. Liber etiam nouus eſt ipſa Beata Virgo, quia nouum quoddam, & inauditum miraculum in illa Dominus operatus eſt illud videlicet, de quo *Ierem. ait: Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Aut vero quia nunquam actuali peccato eius anima ſanctiſsima inueterata eſt, vel maculata, ſed ſemper nouum hominem induta, veterem cum actibus ſuis nunquam agnouit. *Didacus Aluarez in cap. 8. Iſaiæ.*

In Incarnatione Filij nouum, & inauditum miraculum in B. Virgine Deus operatus eſt.

Anima B. Virginis nunquã actuali peccato maculata.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 1. *Scribe in eo ſtylo hominis.* Quid intelligitur per ſtylum hominis?

Reſp. Quo inſtrumento ſtylo hominis, id eſt, intelligibiliter aperte, & lucide. Nota quod elementum dicitur ſcribi, quando eius figura protrahitur: ſic ergo Spiritus Sanctus verbum ſcripſit dum eius cooperatione, caro Verbi fuit in vtero virginali formata. Spiritus Sanctus enim dupliciter ſcribit, ſcriptura; ſcilicet, inuiſibili, vt in cordibus Prophetarum, ſcriptura viſibili quando Verbum carnem aſſumpſit, & quod latuerat in cordibus Prophetarum, reuelatum eſt in conſpectu gentium. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 7. §. 4. num. 1.*

Cooperatione Spiritus Sãcti caro Chriſti fuit in vtero virginali formata.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 3. *Acceſsi ad prophetiſſam.* Quare Beata Virgo dicitur prophetiſſa?

B. Virgo prophetiſſa.

Reſp. Id eſt, Beatam Virginem, quam nemo ambigit prophetiſſam fuiſſe. *Hugo Cardinalis.*

2. Reſp. Et quod gratia; ſcilicet, prophetiæ non ſolum in bonis inueniatur, vt Dauid, Iſaia, Ieremia, Ezechiele, Daniele, & alijs, ſed etiam in malis hominibus, patet in Saule, Balaam Ariolo, & Caipha, qui cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit, vt dicit Euangeliſta. *Ioann. 11.* Et hanc gratiam copioſe habuit Beata Maria, vnde *Gloſſ.* ſuper illud *Iſaiæ 8.* Acceſsi ad prophetiſſam, id eſt, Virginem Mariam in illa figuratam; Et conceptum ex ea Filium iuſsit vocari *Accelera, Spolia, Detrahe, Feſtina, Prædari*, quod nomen conuenit Chriſto concepto ex prophetiſſa; ſcilicet, Beata Maria, ſed de Spiritu Sancto. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19. §. 4.*

Gratia prophetiæ non ſolum in bonis, ſed etiam in malis inuenitur.

3. Reſp. Sancti hæc verba accipiunt tanquam dicta in Perſona Spititus Sancti, qui Prophetas, & Sacerdotes adhibuit teſtes huius Myſterij, & in Beatam Virginem ſuperueniens illam grauidam efficit. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Tranenſis.*

Spiritus Sanctus Prophetas, & Sacerdotes adhibuit teſtes Myſterij Incarnationis.

4. Reſp. Aliqui ex noſtris hic per prophetiſſam Sacram Virginem Mariam intelligunt, quæ reuera fuit Prophetes, vt exceleberrimo illo Cantico, *Magnificat*, conſtat. Et hæc expoſitio valde placuit, quoniam omni pietate plena eſt; & ſic litteram interpretantur; vt ſcilicet, præmiſſa verba ſint Spiritus Sancti, aut Dei Patris dicentis: *Et acceſsi ad Virginem.* Mariam prophetiſſam, & concepit, & peperit Filium. *Oleaſter.*

Virtute Spiritus Sancti Incarnatio Verbi facta.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 3. *Et peperit Filium.* Cur non dixit peperit ei Filium?

Reſp.

Chriſtus non vni, vel alteri, ſed in ſalutem omnium natus.

Resp. Obserua quod non dixit peperit ei Filium, sed absolutè peperit Filium, quia non vni, aut alteri, sed in salutem omnium natus est Christus. *Isaiæ 9. Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Didacus Aluarez, Episcopus.*

B. Virgo desiderabat videre Filium natum.

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 8. vers. 17. *Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.* Quare desiderat videre faciem Filij?

Resp. Maria desiderabat videre istam faciem, quæ dat gloriam Angelis, & Beatis os, euangelizans nouam legem, manus quæ cœlum, & terram creauerunt. Neque mirum si desiderabat videre istam maiestatem, & poterat dicere: *Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.* Nota abscondit faciem suam; scilicet, antiquis patribus ipsum desiderantibus videre, qui mortui sunt ante. *D. Vincentius Ferrer in Vigilia Natiuitat. Christi.*

Christus antiquis Patribus absconditus.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 9. vers. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam* Quis populus ambulans in tenebris, vidit lucem magnam?

Nato Christo corpus suum resplenduit sicut Sol, & nox facta est vt meridies.

Resp. Statim quando Christus fuit natus corpus suum resplenduit, sicut Sol quando oritur, & nox facta est vt meridies, & ita claruit. Cogitate quommodo multi qui non dormiebant admirantes de tanta claritate voluerunt videre fontem luminis, & concurrentibus ad tam magnum spectaculum luminis, Virgo sentiens tumultum gentis Filium posuit in præsepio. Iudæi autem venerunt, & viderunt vnde lumen procedebat, dixerunt aliqui, Propheta dicit: Quod quando Messias nascetur, nox sicut dies illuminabitur, dixerunt alij. Si esset forte iste? Dixerunt quidam, taceatis non curetis. Si Herodes sciret interficeret nos itaque timore Herodis non fuerunt ausi recipere Regem Messiam. De isto lumine Propheta: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam habitantibus in regione vmbræ mortis. D. Vincentius Ferrer Dominic. infra octauas Natiuit. Domini.*

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 11. vers. 1. *Egredietur virga de radice Ieſsè.* Quare Beata Virgo dicitur virga?

Paupertas B. Virginis rerum, & spiritus, Modica per humilitatem, Recta per charitatem, Peccati expers, Flexibilis per compassionem, Solitudinem amauit, Dæmones arcet, Contemplationi dedita.

Resp. Dicitur autem Virgo gloriosa virga, quia gracilis propter rerum, & spiritus paupertatem, Modica per humilitatem, Recta per charitatem, Plana per peccati immunitatem. Flexibilis per compassionem: cortice tecta per solitudinis amorem, arcens canes, id est, dæmones à nobis per deuotam orationem, erecta sursum per iugem contemplationem. Hæc est virga quæ deuorauit serpentes magorum. *Exodi 7.* Hæc est virga super cuius caput adorauit Iacob. *Genes. 47.* Hæc est virga, quæ diuisit mare rubrum, vt transirent liberi filij Israel ad terram Promissionis, *Exodi 14.* Hæc est virga Aaron, quæ fronduit, & floruit, & fructum fecit pariter, *Num. 17.* Hęc est virga, quæ percussit duos Duces Moab, id est, superbiam, & luxuriam, *Num. 24. Orietur Stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Hæc est virga, quæ consolatur peccatores. *Psalm. 72. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hęc est virga cuius sumitate tetigit Angelus panes, & carnes Gedeonis, & ascendit ignis de petra, & consumpsit omnia, *Iud. 6.* Et tu si tetigeris hanc virgam affectu pię orationis, exibit ignis charitatis de Christo, & consumet omnia consumenda in te. Hęc est virga odorifera. *Cant. 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Hæc est virga aurea, cuius summitatem Esther deosculans grata effecta est Regi. *Esther 5.* Hęc est virga, qua mensuratum est Templum. *Ezech. 11.* Et tu si velis esse de Templo, necesse habes hac virga mensurari. Hæc est virga decoris, cui virga funiculi sociatur? *Zachar. 11.* Assumpsi mihi duas virgas, vnam

Superbiæ, & luxuriæ immunis.

Consolatur peccatores.

B. Virgo oranda, vt Christus consumat omnia consumenda in nobis.

B. Virgo virga data prædicatoribus ad portandũ.

vocaui decorem, & alteram funiculum. Hæc est virga quæ sola datur prædicatoribus ad portandum secum in via. *Marci 6. Præcepit eis Iesus nequid tollerent in via, nisi virgam.* Hæc est virga

B. Virgo dæmonibus terribilis.

ferrea terribilis dæmonibus, *Psal. 2. Reges eos in virga ferrea.* Hæc es virga, quæ data est Ioanni ad metiendum Templum. *Apocal. 11. Datus est mihi calamus similis virgæ.* Hęc virga lignea est, & fertilis hominibus, *Numer. 17. Ingressus Moyses inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui*, id est, Zachariæ. Hęc est, virga aurea, & delectabilis Angelis. *Ester 15.* Tulit Rex virgam

B. Virgo omnes regit, & dirigit in cœlum.

auream, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & vt breuiter concludam, Hęc est, virga quę sola omnes regit, & dirigit in Regnum Filij sui, *Psalm. 44. Virga directionis, virga Regni tui. Hugo Cardinalis.*

B. Virgini nec nodus, nec cortex peccati adhæsit.

2. Resp. Virga vniformis staturа, quia non nodosa. *Ambros.* hæc est virga, cui nec nodus, nec cortex adhęsit. *Beatus Albertus Mag. lib. 12. de laudibus B. Virg. cap. 6. §. 20. num. 1.*

Virginis paupertas, & humilitas, & pietas.

3. Resp. *Egredietur virga*, id est, Virgo Maria, quæ virga quippe gracilis dicitur propter paupertatem, & humilitatem, & flexibilis propter pietatem. *Lyranus. Ambrosius Spiera, Carmelita.*

4. Resp. De ipsa quippe multis sęculis ante ortum eius Isaiam Spiritu Sancto afflatum dixisse constat: *Egredietur virga de radice Iesse.* Hęc itaque virga, quæ talem ex se protulit florem nullo dissentiente, Virgo Maria fuit, & flos qui de radice eius ascendit, eius Benedictus Filius, super quem & in quo omnis plenitudo Diuinitatis essentialiter requieuit. Hęc igitur tanti Filij dignissima parens, cum in aluo suę parentis naturali lege conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam, à fine vsque ad finem pertingentem cuncta implentem, cuncta regentem, nouo quodam, & ineffabili gaudio, cœlum, & terram, & omnia quę in eis sunt profundissima, atque ineffabili iubilatione pro sua reintegratione, quam per illam sibi euenturam, Diuina, & occulta inspiratione pręuidebat, perlustrasse? *Sanctus Anselmus Cantuariensis, Ordinis Sancti Patris nostri Benedicti.*

In conceptione B. Virginis, Deus cœlum, & terrã ineffabili iubilatione perlustrauit.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 11. vers. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quare dicitur virga?

B. Virgo virga Filius eius flos.

Resp. Nos virgam de radice Iessè Sanctam Mariam intelligamus, de qua apud eundem legimus *Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, & florem Dominum Saluatorem, qui dicit in Canticis, *Cantic. 2. Ego flos campi, & lilium conuallium.* Quod nullum habuerit sibi fruticem cohęrentem, quod simplex fuerit, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohęrente, & ad similitudinem Dei vnione, seu vnitate fœcunda. *D. Hieronymus.*

B. Virgo simplex fuit, pura, & sincera.

2. Resp. Communius hoc nomine Beatissimam Virginem intelligunt. *Tertullian. lib. de carne Christi, Hieron. Augusti serm. 3. de temp. Ephrem. orat. de laudibus Deiparæ.* Signanter autem *B. Leo. Papa serm. 4. de Natiuitate Domini.* In virga *ait* non dubie, quod Beata Maria prædicta est, quæ de radice Iessè progenita, Spiritu Sancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ, vtero quidem Materno, sed partu enixa est Virgineo. *Hieronymus à Lanuza, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Balbastrensis, tract. 3. in Euang. §. 11. num. 44.*

Spiritu Sancto fœcundata.

Partu Virgineo enixa.

Dub. 29. Ad eadem verba, cap. 11. vers. 1. *Egredietur virga de radice Iessè.* Cur Beata Virgo dicitur egressa, non orta?

Orta de genere Iudæorũ.

Resp. Notandum quod virga ista non dicitur orta, sed egressa de radice Iessè, id est, radice, & genere Iudęorum. Radix enim terrę humorem, sed virga rore cęli, & calore solis crescit, radix stat in imo, virga ascendit sursum; sic Iudęi ex quibus egressa est per

Iudæi petebant ima vitiorum.

per Annam, & Ioachim petebant ima vitiorum, vnde & infernorum: Beata Maria sublimia virtutum, vnde & cœlorum, Iudei vt radix sunt in terram fixi per cupiditatem temporalem, hæc in aere per auiditatem cœlestium, Iudei constringuntur vt radix frigore infidelitatis, & hæc fouetur calore charitatis. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 5. §. 1.*

Iudæi fixi in terram per cupiditatem.

B. Virgo cœlestia petebat.

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 11. vers. 1. *Et flos de radice eius ascendet.* Cur non dixit quod flos de virga, sed de radice ascendet?

Christus & Virgo Maria de eadem radice originē ducunt.

Resp. Poterat enim verè dixisse, *Et flos de Virga ascendet*, sed maluit dicere de radice, vt vnde virga, id est, Maria, inde florem, id est, Christum duxisse originem demonstraret. Vnde ad *Romanos 9.* Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laudib. B. M. cap. 6. num. 46.*

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 11. vers. 1. *Et flos de radice eius ascendet.* Cur Christus dicitur flos virgæ?

B. Virgo sine semine viri Filium produxit.

Resp. Sicut enim solus Deus Pater Filium ab æterno genuit sine socia Matre: ita sola Virgo Mater eundem in tempore genuit, sine socio Patre. Hinc & ipsa Virgo, per virgam Aaron significata fuit, quę extra terram sine humore adiecto subito flores, & fructum protulit, vt ex ea cognosceretur quis nam futurus esset Sacerdotio, sic & Maria ab omni viri contactu aliena, sine semine viri florem, & fructum produxit Dominum Christum, qui solus est Sacerdos immaculatus. *Adrianus Mangotius, Societatis Iesu.*

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 14. vers. 13. *Sedebo in monte Testamenti.* Quare hoc dixit Lucifer?

Resp. Hoc Lucifer ille superbus verbis suis insinuauit, cum aiebat: *Super altitudinem nubium conscendam*, & quod nullam creaturam similem habere volebat, nec etiam gloriosam Virginem: *Et ero similis Altissimo*, quasi dixerit: Super altitudinem illam nubium, & montem Testamenti, hæc ambio cum etiam sit Arca Testamenti, est etiam Beata Deipara, nihil est gloriosus quam ipse Altissimus. Si ergo super altitudinem illam nubium, & montem Testamenti conscendam vbique similis ero Altissimo. *Seraphinus Porrecta, Ordinis Prædicatorum, ad cap. 11. Deuteronomij.*

Lucifer nullam creaturā similem habere volebat, nec etiam B. Virginem.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 15. vers. 5. *Per ascensum enim Luith flens ascendet.* Quo sensu hæc aptantur Beatę Virgini?

Virgo Maria lachrymis ascendebat ad Deum.

Resp. *Luith* interpretatur *maxilla*, & per virtutem lachrymarum per maxillas suas fluentium, ascendebat ipsa ad Deum, & nos in necessitatibus nostris ad Deum per lachrymas occurrere docuit. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis Mariæ secunda Stella sextæ Coronæ.*

B. Virgo facit nos Deo occurrere lachrymis in necessitatibus nostris.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 16. vers. 1. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti.* Quare Beata Virgo dicitur petra deserti?

Gentiles lapides pro Deo colebant.

Resp. *De petra deserti*, id est, de Ruth Gentili. Gentes enim lapides pro Deo colebant, & ideò à Domino deserti erant, & lapides vocabantur. *Lucæ 3.* Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę. Item *Lucæ 19. Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ruth Moabitis nupsit Booz, *Ruth 4.* Ex quo genuit Obeth, Patrem Iesse, Patrem Dauid, de cuius semine Virgo Maria processit Mater Christi, qui sicut pro vtroque populo venit, sic de vtroque nasci voluit. *Hugo Cardinalis.*

Christus sicut pro vtroque populo venit, sic de vtroque nasci voluit.

2. Resp. Petra deserti dicitur Virgo Maria, de qua excisus est lapis paruus sine manibus, qui creuit in montem magnum, *Danielis 2.* de qua dicitur *Prouerb. 30. Tria mihi sunt difficilia, & quartum penitus ignoro, Viam Aquilæ in cœlo, Viam colubri supra petram.* Coluber diabolus est, cuius triplex est vestigium. Luxuria, superbia, auaritia. Vestigium luxuriæ, non fuit in hac petra, quia Virgo fuit mente, & corpore. Vnde dixit: *Quommodo*

Diaboli vestigium superbia, luxuria, auaritia.

Deipara. Virgo mente, & corpore.

Nullum vestigium superbiæ in B. Virgine.

fieri istud, quoniam virum non cognosco, id est, me non cognituram propono. *Lucæ* 1. Vestigium superbiæ non fuit in ea, quia humilis. Vnde respondit: *Ecce Ancilla Domini. Lucæ* 1. Vestigium auaritiæ non fuit in ea, quia pauper voluntarie. Vnde nec vnquam legitur conquæsta Filio de paupertate sua, licet pauperrima fuerit. Hæc merito dicitur petra, quia super ipsam posita sunt fundamenta Ecclesiæ. Vnde *Eccles. 26. Fundamenta æterna super petram stabilem, & mandata Dei in corde Mulieris sanctæ.* Eleganter autem dicitur petra deserti, id est, refugium peccatoris, qui desertus est à mundo. Vnde *Psalm.* 103. Petra refugium herinacijs, vel leporibus alia littera, *Timidis. Prouerb.* 30. *Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum. Hugo Cardinalis.*

Paupertatem voluntariam elegit.

Super B. Virginem posita sunt fundamenta Ecclesiæ.

B. Virgo refugium peccatoris.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 16. vers. 5. *Præparabitur in misericordia solium.* An Beata Virgo dicatur solium misericordiæ Dei?

Resp. Solium Diuinæ misericordiæ, est Maria Mater misericordiæ, in qua omnes inueniunt solatia misericordiæ. Nam sicut misericordissimum Dominum, ita misericordissimam Dominam habemus. Dominus noster multę misericordiæ est omnibus inuocantibus se, & Domina nostra multæ misericordiæ est omnibus inuocantibus se. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect.* 9.

B. Virgo multæ misericordiæ est inuocantibus se.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 19. vers. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* An Beata Virgo dicatur nubes?

Resp. Quia nubes est omnium impressionum cœlestium susceptiua de facili. Quia scilicet, Domina nostra receptaculum fuit omnium cœlestium gratiarum; Nam cæteris Sanctis per partes, Mariæ autem totam se infudit gratiæ plenitudo, sicut *D. Hieronymus* dicit, vnde Angelus dicit ei: *Aue gratia plena*, & ideò præ cęteris Sanctis extitit gloriosa, *Exodi* 16. *Gloria Domini apparuit in nube. Ioannes à Sancto Geminiano libr.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Nubes est omnium impressionum cœlestium susceptiua de facili.

B. Virgo receptaculum omnium cœlestium gratiarum.

2. Resp. Quia nubes est solaris radij incorporatiua, sed tamen radius, qui in ipsa nube incorporatur ipsam penetrans non eam scindit, nec ipsa nubes diuiditur, ita ipsa Domina nostra Filium Dei in se recepit, & carne vestiuit, & sine sui corruptione etiam mundo peperit. *Ezech.* 32. *Sole nube tegam. Act.* 1. *Nubes suscepit eum. Ibidem.*

Nubes solaris radij incorporatiua.

B. Virgo sine sui corruptione Filiũ Dei concepit, & peperit.

3. Resp. Quia est caloris mitigatiua, & vmbratiua, quia scilicet, Virgo Maria est omnium malorum nostrorum mitigatiua, *Psalm.* 184. *Expandit nubem in protectionem eorum. Matth.* 18. *Nubes lucida obumbrauit eos. Ibidem.*

Nubes caloris mitigatiua,

4. Resp. Quia nubes est laborantium recreatiua, & siti ęstuantium refrigeratiua, quia scilicet, Domina nostra, est omnis nostri laboris consolatiua, & refrigeratiua, *Eccles.* 35. *Speciosa misericordia Domini in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Ipsa enim est Regina misericordię. *Ibidem.*

B. Virgo mala nostra mitigat.

Nubes est laborantium recreatiua.

B. Virgo labores nostros refrigerat.

5. Resp. Nubes resoluta in pluuiam, est terrę fœcundatiua, ac seminum nutritiua, impinguatiua, augmentatiua, & multiplicatiua, quia scilicet, Domina nostra per impetrationem gratię terram animę nostrę fœcundat, bonas affectiones in nobis nutrit, & impinguat, & opera nostra augmentat, & multiplicat. *Isaiæ* 14. *Vers.* 14. *Nubes roris in die messis*, Nam ipsa infundendo Diuinę gratię rorem, facit nos multiplicare bonorum operum messem. *Ibidem.*

Nubes terrã fœcundat.

B. Virgo bonas affectiones in nobis nutrit, & animam gratia fœcundat.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 19. vers. 1. *Super nubem leuem.* Quare Beata Virgo dicitur nubes leuis?

B. Virgo leuauit mundum graui de fœnore peccatorũ.

Resp. Quia leuauit hunc mundum graui de fœnore peccatorum. Leuis erat quę remissionem peccatorum vtero gestabat. *Diuus Ambrosius.*

2. Resp. Leuem dictam, quod li-

Libera abomni passione.

libera erat omni passione, & tomite, & quod super omnes res terrenas volabat. *Procopius.*

Super omnes res terrenas volabat.

3. Resp. Nubes erat secundum hæreditatem, quæ leuis erat secundum Virginis integritatem. Leuis erat, quæ non homini quærebat placere sed Domino. Leuis erat quæ non iniquitate conceperat, sed spiritu superueniente generabat, nec in delicto, sed cum gratia parturiebat. *D. Ambros. in Psalm. 118. tom. 2. serm. 5.*

B. Virgo non homini quærebat placere, sed Domino.

B. Virgo grauamen in portando Filium non habuit.

4. Resp. Nubes est Virgo Maria, quæ grauamen in portando non habuit, & ipsa sola peperit sine dolore Saluatorem sæculi. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 13. §. 6.*

B. Virgo terrena contemnens cœlestia petebat.

5. Resp. Quia nubes est sua leuitate sursum ascensiua, quia scilicet, Virgo Beata contemnens terrena semper erat ad cœlestia eleuata, *Isaiæ 19. Ascendet Dominus super nubem leuem*, id est, Virginem a terreno amore alleuiatam, & cœlesti calore subtiliatam. *Ioannes à Sancto Geminiano libr. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

A peccato etiam veniali aliena.

6. Resp. Ipsa est nubes purissima, & à veniali peccato, nihil enim est ita ponderosum, & maculosum coram Deo vt peccatum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Filius Dei venit in mundū per Beatam Virginem.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 19. vers. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Cur dicitur quod ingredietur Dominus Ægyptum ascendens super nubem leuem?

℟. Significans quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi huius venturus erat per Virginem. *Ambrosius Eremita, Ordinis Patris nostri D. Augustini.*

Christus ingrediens AEgyptum cum Ioseph, & Maria Matre eius.

2. Resp. Et ingredietur Ægyptum, id est, mundum sic nascendo de Virgine, vel ad litteram in Ægyptum, cum Ioseph, & Maria Matre eius. *Matth. 2. Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. Hugo Cardinalis.*

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 19. vers. 1. *Ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Quommodo à facie Domini Iesu commora sunt simulacra Ægypti?

AEgyptij fecerunt imaginem puellæ puerum gestantis, quam secrete adorabant.

Resp. Timor Virginis; scilicet (fugiens in Ægyptum) fuit considerando Ægyptiorum infidelitatem, qui erant pessimi idolatræ. Nota hic secundum *Magistrum historiarum.* Quommodo ad vaticinium Ieremiæ eos de idolatria reprehendentis, fecerunt imaginem puellæ puerum gestantis, quam secrete adorabant, & ingrediente Domino Ægyptum, omnia idola corruerunt, & fuit completa prophetia, *Isaiæ 19. Onus Ægypti ecce Dominus.* Nubes est caro, seu Christi humanitas, quæ est vita nostra vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. *Iacob 4. Dominus enim ascendit super nubem*; quia ipse regebat humanitatem leuem, quia sine opere peccati. Cum autem Virgo intrasset per primam Ciuitatem Ægypti, quæ dicitur Heliopolis inuenit gentes plorantes, quia simulacra ceciderant, & confracta fuerunt, & interrogabant Virginem vnde veniret, quæ respondit quod de terra Promissionis. Dicebant ei. Scitis vos quia Virgo peperit? Quia tale signum fuerat eis datum à Ieremia, quod quando illa Virgo pareret simulacra corruerent. Credo quod Virgo voluit videre illam imaginem puellæ, dicens quod non adorarent eam, sed Deum in imagine representatum. Et qualis consolatio fuit ista Virginis Mariæ, & poterat dicere: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* O si cognouissent eam. *D. Vincentius Ferrer serm. in octaua Innocentium.*

Sol est omni luce creata in quantitate maior, claritate lucidior, fœcunditate virtuosior.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 19. vers. 18. *Ciuitas solis vocabitur vna.* Quare Beata Virgo dicitur Sol?

Resp.

Reſp. Nota quod Beata Virgo ſoli comparatur propter tria, Nam Sol eſt omni luce creata in quantitate maior, claritate lucidior, fœcunditate virtuoſior. Ita Beata Virgo eſt omni Sancto Paradyſi maior quantitate meritorum, lucidior claritate præmiorum, virtuoſior fœcunditate prolis, & morum, vel fœcunditate donorum, vel miraculorum. Sicut enim Sol eſt fons lucis, & caloris, & in cuius virtute inferiora germinant. Ita Beata Virgo fuit fons illius, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *Ioann.* 1. Ergo eſt illa, de qua dicitur *Iſaiæ* 19. *Ciuitas ſolis vocabitur vna. Armandus de Vellouiſu Ordinis Prædicator. collation.* 17. *de Annuntiat. Dominica ex Pſalm.* 18.

B. Virgo omnes Sanctos excedit quantitate meritorum, claritate præmiorũ, fœcunditate morum, donorum, miraculorum.

B. Virgo fons illius qui eſt lux vera.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 24. *Benedictio in medio terræ.* An Beata Virgo dicatur medium terræ?

Reſp. Medium terræ cui benedixit Dominus, dici poteſt Beata Virgo, in quo terræ medio inchoata eſt ſalutis noſtræ benedictio, iuxta illud *Pſalm.* 73. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem. Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Virginis, cap.* 12.

In B. Virgine inchoata ſalutis noſtræ benedictio,

2. Reſp. Maria mirabili proprietate terræ medium appellatur, ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcanum Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, reſpiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui habitant in inferno, & qui nos præceſſerunt, & qui nos ſequuntur, illi qui ſunt in cœlo, vt reſarciantur, qui in inferno, vt eripiantur, qui præceſſerunt Prophetas, vt fideles inueniantur, qui ſequuntur, vt glorificentur in hoc ergo benedicto terræ medio benedictus eſt Iſrael, benedictus eſt Dei populus, dum per benedictam Dei Matrem, Deo eſt acceptus. *Diuus Bonauentura ibidem. Ex Diuo Bernardo ſerm.* 2. *de Pentecoſte.*

Ad B. Virginem reſpiciunt omnes qui habitant in cœlo, & in terra, ſicut ad rerum cauſam.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 16. *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iuſti.* Quo ſenſu Beata Virgo à finibus terræ audiuit gloriam iuſti; ſcilicet, Chriſti?

Reſp. Nota à finibus terræ, fines terræ capiuntur dupliciter, vel localiter, vel temporaliter, quantum ad primum computando à centro terræ, illud quòd magis diſtat à centro eſt circunferentia, terra eſt centrum, circunferentia eſt cœlum Empireum. Ecce fines localiter, à quibus Gabriel, & Virgo Maria audiuerunt laudes iuſti, id eſt, Saluatoris, quia regula eſt in ſancta Theologia, quod cum dicitur, iuſtus abſolutè intelligitur ſemper de Saluatore. *Diuus Vincentius Ferrer in Vigilia Natiuitatis Chriſti.*

Regula in ſacra Theologia, cum dicitur, iuſtus abſolutè, intelligitur de Saluatore.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 16. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Cur Beata Virgo commendat ſecretum ſuum?

Reſp. Tempus tacendi ei fuit ante mortem Chriſti, loquendi poſt. Debuit tacere in præſentia Verbi, nec radiare debuit Luna præſente Sole, ſicut nec Luna radiat in præſentia Solis. Sed Verbo obmuteſcente per mortem ipſa debuit reuelare myſteria; quæ conſeruabat in corde ſuo contra ſcandalum Crucis, quia ſuper omnes nouit. Vnde dicere poterat illud *Iſaiæ* 24. *Secretum meum mihi.* Inde etiam turbata fuit in ſalutatione Angelica, quia ſileutium ſuum quod valdè amabat, reſpondendo infringere cogebatur. *Daniel Agricola Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci Cornna duodecim coronarum Beatæ Virginis Mariæ ſexta ſtella.*

B. Virgo reuelauit myſteria, quæ conſeruabat in corde ſuo contra ſcandalum Crucis.

B. Virgo ſileutium valdè amauit.

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 24. verſ. 16. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Quale ſecretum Beata Virgo Maria ſibi reſeruauit?

Reſp. Inter Chriſti conceptionem, & eius Natiuitatem inuenio magnam differentiam in ſacra Scriptura, ſingulariter in hoc quod Chriſti Natiuitas non fuit omnino occulta, & ſecreta, imò voluit quod eſſet mundo nuntiata, & publicata, tam per Angelos, quàm per cœlos, per ſtellam Orietis,

Chriſti Natiuitas nuntiata per multos.

tis, per animalia, per Reges Orientis ſecundum quod iam fuit prophetatum: *Ego mouebo cœlum, & terram, mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & Veniet deſideratus omnibus gentibus, Agæi* 2. Nota cœlum, id eſt, Sanctos Angelos: ſed circa eius conceptionem voluit quod eſſet occulta, quia nullæ perſonæ huius mundi fuit reuelata, non Patriarchis, non Prophetis, nec ſanctis perſonis, niſi ſolum Archangelo Gabrieli, & Virgini Marię, ſecundum quod fuit prophetatum per Iſaiam: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. D. Vincentius Ferrer in Vigilia Natiuitat. Chriſti.*

Conceptio Chriſti reuelata ſolum Gabrieli, & Virgini Mariæ.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & ante murale.* Quommodo hęc deſcriptio B. Virgini conuenit?

Chriſtus in B. Virgine cõcluſus per Incarnationis Myſterium, & eam concluſit per defenſionis Myſterium.

Reſp. Sic expone ò Sion, ò tu Eccleſia, annuntio tibi, quod vrbs fortitudinis erit nobis. Et quæ ſit vrbs illa declarat per illud quod ſequitur: *Saluator ponetur in ea murus.* Et nota quod ſi Saluator ponetur in ea intra eam concluditur, & ſi murus ponitur concludit eam. Hæc ergo deſcriptio vrbis, Mariæ ſpecialiter conuenit, nec poteſt aliis conuenire; nam in ea concluſus eſt Saluator per Incarnationis Myſterium, & ipſe eam concluſit, vt murus per defenſionis Myſterium. Ipſe eſt enim Gedeon, id eſt, circuiens in vtero, nam in vtero Virginis, quoad humanam circunſcriptus naturam nihilominus per incircunſcriptam Diuinæ Potentiæ naturam circuibat etiam Matrem ſuam. *Beatus Albertus Magnus lib. 11. de laudibus B. Virginis, cap. 1. num. 24.*

Chriſtus quoad humanam naturam in vtero Virginis circunſcriptus.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 1. *ponetur in ea murus.* Qui murus poſitus eſt in Beata Virgine?

Diuina protectio erga Beatam Virginẽ.

Reſp. Murus protectio Diuina. Si enim Dominus in circuitu populi ſui, multo fortius in circuitu Matris ſuæ. Vnde de ea dicitur *Iſaiæ 26. Saluator ponetur in ea murus. Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Stella quarta.*

B. Virgo ſeptem Donis Spiritus Sancti munita contra ſeptẽ peccata mortalia.

2. Reſp. Quia murus dicitur à muniendo, appellatur Maria Ciuitas munita ratione murorum ſuorum, vnde poteſt dici, quod habebat quaſi murum ſeptemplicem; ſcilicet, ſeptem Dona Spiritus Sancti contra ſeptem criminilia; ſcilicet, murum ſobrietatis contra gulam, murum pudicitiæ contra luxuriam, murum paupertatis contra auaritiam, murum fortitudinis contra accediam, murum benignitatis contra iram, murum charitatis contra inuidiam, & murum humilitatis contra ſuperbiam. *Beatus Albertus Magn. lib. 11. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 24.*

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 28. verſ. 22. *Conſummationem enim, & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper Vniuerſam terram.* Quando Dominus fecit abbreuiationem?

Verbum Diuinum breuiatum quando intra virginalis vteri auguſta viſcera claudebatur.

Reſp. Quia hæc Arca paruula erat, exinaniuit ſe formam ſerui accipiens, vt ab ea capi poſſit. Vnde *Roman. 9. Verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram*, quia Pater Filium breuiabit. Vnde *Iſaiæ* 28. conſumationem, & abbreuiationem Dominus exercitum faciet, quod fuit quando Verbum Patris vnigenitum, & immenſum intra virginalis vteri auguſta viſcera claudebatur. *Beatus Albertus Magnus lib. de laudibus Beatæ Mariæ Virginis, cap. 1 num. 16.*

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 29. verſ. 11. *Et erit vobis Viſio omnium, ſicut Verba libri ſignati.* An Beata Virgo Maria dicitur liber ſignatus?

B. Virginis laudes nullus hominum, niſi ſolus Chriſtus explicare poteſt.

Reſp. Beatiſsima Virgo liber eſt, ſi aliquis homo, vel Angelus huius libri magnalia dicere, & explicare velit, non poteſt. Signatum eſt enim, ſolus Leo de Tribu Iudà; ſcilicet, Chriſtus Dominus illum ſoluere, & aperire valet. *Pater Silueira tom. 1. in Euang. cap. 5. quæſt. 46. num. 141.*

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 15. *Væ qui profundi eſtis cor-*

de,

Qui dicuntur profundi corde?

Resp. Væ certè profundis corde ad malum, quia profunda corda malorum sunt profundæ sentinæ diabolorum, & profunda sepulchra plena fœtoribus vitiorum. O quam longe ab isto væ fuit innocentissimum cor Mariæ. *D. Bonauentura in speculo B. Virginis, Lect. 2.*

Cor Virginis innocentissimum.

2. Resp. Proprium delictum Maria non habuit, & ab innocentissimo corde eius, pœnitentia longe fuit. Vnde ergo cor Mariæ pœnitere debuit, cum nunquam dignum aliquid pœnitentia admisit. *D. Bernardus serm. 2. in Assumptione.*

B. Virgo nunquam dignũ aliquid pœnitentiæ admisit.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 33. vers. 20. *Respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ. Oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam.* An Beata Virgo dicatur solemnitas nostra, & domus opulenta?

Resp. Ipsa est Ciuitas, & domus opulenta, & prædiues. *Isaiæ* 33. *Respice Sion*, id est, Mariam Ciuitatem solemnitatis nostræ. *Gloss.* in qua vera est solemnitas. Oculi tui videbunt Ierusalem Ciuitatem opulentam gratia, & gloria, & ipso Deo. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo Ciuitas opulenta gratia, & gloria.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 33. vers. 20. *Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.* Quare Tabernaculum non poterat transferri?

Resp. Hoc est, Tabernaculum quod nunquam poterit transferri; scilicet, ad alios vsus quam ipsius Filij Dei. Et nota quod Tabernaculum propriè est militantium, sicut enim miles pugnaturus armatur in Tabernaculo; scilicet, vt armatus exeat ad conflictum. Sic Christus cum diabolo pugnaturus, pro Sponsa sua ex hæreditata; scilicet, Ecclesia in vtero Beatæ Virginis velut in Tabernaculo armaturam humanæ carnis sibi adaptauit, sicut ipsum ex parte humani generis rogauit. *Psalm. 34. vers. 2.* dicens: *Aprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi*, & armatus ingrediens cum diabolo in passione dimicauit, & percussit cum manu Crucis affixa, quia ibi abscondita est fortitudo eius. *Abuc. 3. Beatus Albertus Magnus libr. 10. de laudibus Beatæ Virginis, capit. 28. numer. 2.*

Christus cum diabolo pugnaturus, in vtero B. Virginis velut in Tabernaculo armaturã humanæ carnis, sibi adaptauit.

Dub. 52. Ad illa verba, cap. 35. vers. 1. *Exultabit solitudo.* An Beata Virgo dicatur solitudo?

Resp. Maria conuenienter solitudo dici potuit, quę tam libenter solitaria fuit, quam etiam tanquam libenter solitariam Angelus visitauit. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect. 12.*

B. Virgo libẽter solitaria.

Dub. 53. Ad illa verba, cap. 35. vers. 1. *Florebit quasi lilium.* An Beata Virgo floruit, sicut lilium?

Resp. Hæc terræ solitudo floruit, quasi lilium per virginitatem. O lilium Angelicum, ò flos cœlestis, ò verè flos cœlesti, quam tantum dilexit apis illa super cœlestis. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect. 12.*

B. Virgo floruit quasi lilium per virginitatem.

2. Resp. Apis illa quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam, quando ad Ciuitatem Nazareth, quæ interpretatur flos, aduolauit ad suaue olentem perpetuæ virginitatis florem pernenit, illi insedit, illi inhæsit. *D. Bernardus serm. 2. de Aduentu Domini.*

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 35. vers. 1. *Germinans germinabit.* Quare de Beata Virgine dicitur germinasse?

Virgo Maria peperit sine violatione.

Resp. De ea dicitur exultabit solitudo, id est, Virgo non viro coniuncta. Germinans germinabit lætabunda, & laudans, id est, pariet, sicut germinat terra, vel arbor absque aperitione, ita Beata Virgo sine violatione. *D. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 31.*

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 35. vers. 2. *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda.* Quando Beata Virgo lætabunda exultabit?

Gaudium B. Virginis in Natiuitate Christi.

Resp. Si autem illo Nascente cuncta lætata sunt; Mater eius qualiter lætabatur? Quæ erat in Genitrice lætitia, si ita gaudebant omnia? Lingua balbutit: cor refugit, sensus expaueſcit ad pondus tanti gaudij, quommodo enim vas adhuc fragilem, adhuc lu-

lureum, & mortale poterat perdurare? Quia ille obumbrauit ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat; Ille dabat suffetentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat. *D. Amadeus homilia 4. de laudibus Beatæ Mariæ.*

Aliena à superbia, auaritia, & luxurias

Dub. 56. Ad illa verba, cap. 35. vers. 19. *Non erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Quo sensu verificatur quod Leo, & mala bestia non ascendet per Beatam Virginem?

Resp. Leo superbia, quę locum non habuit in Virgine humillima. Mala bestia auaritia, vel luxuria, quæ non violauerunt Virginem misericordiæ Genitricem. *Beatus Albertus Magnus libr. 12. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 1. §. 10. num. 6.*

B. Virgo quãto humilior, tanto receptibilior gratiarum

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 40. vers. 2. *Omnis Vallis exaltabitur.* An Beata Virgo dicatur vallis?

Resp. Vallis quanto humilior, tanto receptibilior est aquarum: sic & Maria gratiarum. Vallis autem irrigationes aquarum recipit quandoque à superiori, quandoque ab inferiori; à superiori quidem per pluuias de monte defluentes, ab inferiori vero per aquas de fonte effluentes. Similiter humilis Maria quasi de superiori, & inferiori, quasi de monte, & fonte irrigata est, cum de Diuina, & Humana Filij sui natura, tanta gratiarum benedictione infusa est. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, cap. 12.*

B. Virgo de Diuina, & Humana Filij sui natura gratia infusa est.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 41. vers. 18. *Ponam desertum in stagna aquarum.* An Beata Virgo dicatur desertum?

Temporalia deseruit.

Resp. Maria enim verè fuit desertum à deserendo, quia deseruit diuitias, delitias, pompam, & gloriam mundi, omnia huiusmodi reputans, vt stercora, vt lucrifaceret Christum. *Beatus Albertus Magnus libr. 8. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 7. num. 1.*

Gloriam paupertatis dedit ei Filius excellentissimè.

Dub. 59. Ad illa verba, cap. 42. vers. 8. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quam gloriam alteri non dat Dominus?

Resp. Spiritualis, & vera paupertas, de qua Dominus dicit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Gloria Domini præelegisse paupertatem, & hanc gloriam excellentissimè dedit Filius, & inspirauit Matri suæ, & sic exponendum; alteri quam Mariæ. *Daniel Agricolæ, Franciscanus, corona duodecim Coronarum B. Virginis nona Stella.*

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 43. vers. 20. *Dedi in deserto aquas flumina in inuio, vt darem potum populo meo electo.* An Beata Virgo dicatur desertum, & inuium?

Resp. In deserto, id est, in Maria, quæ in Psalm. 62. appellatur: *Terra deserta inuia, & inaquosa.* Dedi inquam in hoc deserto, viam, id est, Christum, qui *est via veritas, & vita, Ioann. 14.* Et inuio, id est, in ipsa Maria, quæ est terra per quam non ambulauit vir; scilicet, maritus eius Ioseph. *Ierem. 2.* vnde canit Ecclesia. *Via viri inuia*, flumina, gratiarum, & donorum. *B. Albertus Magnus libr. 8. de laudibus B. Virginis, cap. 7. num. 1.*

B. Virgo terra inuia per quam non ambulauit vir eius S. Ioseph.

Dub. 61. Ad illa verba, cap. 45. vers. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Quare Christi Incarnatio rori comparatur?

Filius Dei in vterum Virginis descendit quasi furtim, & occulte.

Resp. Hic orat Ecclesia aduentum Filij, qui solo rore cœlestis gratiæ, non operatione naturæ, quasi furtim descendit in aluum Virginis. Vnde *Numer. 11. Cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter, & man. Deuteronom. 33. Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cœli caligabunt rore. Isaiæ 26. Ros lucis ros tuus, & terram Gigantium detrahes in ruinam. Et cap. 55. Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat, & infundit terram, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti; sic erit verbum quod egredietur de ore meo*, id est, Filius. *Osseæ 14. Ero quasi ros, & Israel germinabit, sicut lilium. Hugo Cardinalis.*

Spiritus Sanctus descendit in B. Virginem velut ros, & imber in Incarnatione Filij.

2. Resp. Descendat, inquit, Spiritus Sanctus in Virginem, velut ros, & imber, & incarnetur Filius Dei, & nascatur de cœlo iustus,

ſtus, Chriſtus iuſtus nihilum ipſe, & iuſtificans impios. *Thomas à Maluenda, Ordinis Prædicatorum.*

Deſcenſus roris occultus, eſt & abſconditus.

3. Reſp. Aduentus enim in carnem ſignificatur per roris deſcenſum, deſcenſus roris occultus eſt, & abſconditus; Qualiter ros deſcendit in lilium non videtur, ſed quod ex eius deſcenſu ſpecioſior ſit flos lilij cognoſcitur. Deſcendit enim Dominus in Virginem manente virginitatis integritate, ſicut ros deſcendit in lilium, ſine lilij corruptione. Qualiter deſcendit non capit mens hominis, quia generationem eius quis enarrauit, *Iſaiæ* 53. *Beatus Albertus Magnus lib.* 12. *de laudibus B. Virginis, cap.* 5. §. 12.

Deſcendit Dominus in Virgine manente virginitatis integritate.

4. Reſp. Eſt notandus ordo contextus, vt enim terra fruges producat neceſſe eſt vt è cœlo virtutem accipiat, atque ex nubibus pluuiam, qua fœcunderur, deinde herbas producit, & fruges hominibus, & animantibus cæteris; ita & in Verbi Incarnatione, prius cœlum, id eſt, virtus Spiritus Sancti, Mariam Virginem fœcundauit, ac poſtmodum concepit, & peperit Saluatotem. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum.*

Spiritus Sanctus prius B. Virginē fœcundauit, poſtmodum concepit, & peperit Saluatorem.

Dub. 62. Ad illa verba, cap. 45. verſ. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quo ſenſu hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Filius Dei in credulam Virginem deſcēdit.

Reſp. Dicendo *rorate cœli deſuper*, Myſterium Angelicæ expreſſit allocutionis, qua Verbum Deus in interiorem aurem credulæ Virginis, ſicut pluuia in vellus deſcendit, & per hoc quod ait: *Et nubes pluant iuſtum*, ſe atque cæteros Prophetas, qui vt nubes iuſtum; ſcilicet, Chriſtum, & Fideles eius in terra cordis noſtri doctrina de pluunt: *Aperiatur*, inquit, *terra ſuſcipiendo Verbum*, & dicendo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum*, & germinet Saluatorem, benedicta in æternum Deum nobis proferens, & hominem. *D. Ambroſius libr.* 3. *de officijs, tom.* 3. *cap.* 6.

Prophetæ, & Doctores nubes ſunt, doctrinam in terram cordis noſtri de pluentes.

2. Reſp. Si de Chriſto locum interpreteris ſenſus eſt, Stillate cœli deſuper, & cęli ſtillent Chriſtum, qui eſt iuſtitia noſtra, aperiat ſe terra, id eſt, conſentiat Virgo, & fructificent; ſcilicet, cœlum, & conſenſus, & operatio cœleſtis Patris cum Virgine in mundo, Chriſtus qui eſt ſalus, & iuſtitia noſtra, quam ſcilicet, ſalutem, & iuſtitiam terra ſimul cum cœlo, id eſt, Virgo cum Patre cœleſti facient germinare in Chriſto. *Oleaſter.*

Conſenſus B. Virginis, & operatio cœleſtis Patris cum Virgine fructificauerunt Chriſtū in mundo.

3. Reſp. In quibus verbis expreſſit Propheta duo ſine quibus aduentus Meſſiæ nequaquam fieret. Primum, eſt voluntas Diuina mittens Saluatorem, ſecundum nempè in Benedicta Trinitate Perſonam ad generis noſtri redemptionem. Secundum, erat voluntas Virginis conſentiens, vt fieret Mater Dei; neque enim in vita in quam fuiſſet Mater Saluatoris, neque facta eſt eiuſdem Genitrix, quouſque auditis, & intellectis legationis Diuinæ verbis reſpondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Primum horum expreſſit Iſaias in prioribus deſiderij ſui verbis: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Vbi affingendo perſonam rebus, quæ perſonam non habent cœlis, & nubibus loquens; quia Deus, quem pro Redemptoris miſsione rogabat, in cœlis erat, & ſicut ros, & pluuia de cœlo, aut aere, & nubibus deſcendunt; ita & Redemptor noſter de cœlis ad terram vſque peruenit. Secundum verò expreſsit Propheta in poſterioribus verbis illis: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Per terram enim, nihil aliud hic quam vterus Virginis intelligitur; quia ſicut terra omnes de ſe fructus generat: ita Beata Virgo de ſe protulit Saluatorem, quod Dauid in Pſalmis indicauit cum dixit: *Et terra noſtra dabit fructum ſuum*, id eſt, vterus glorioſæ Virginis Saluatorem nobis germinabit. *Abulenſis Paradoxon. ſeu ænigma, de Vaſe mirabili Mariæ.*

Ad Verbi Incarnationem requirebatur voluntas B. Virginis.

B. Virgo de ſe protulit Saluatorem.

Dub. 63. Ad illa verba, cap. 45. verſ. 8. *Nubes pluant iuſtum.* Quo ſen-

Gabriel Chriſtum Virgini nunciauit.

sensu verificatur, quod nubes pluunt iustum?

Resp. Tunc enim nubes iustum pluit, quando Gabriel Christum Virgini nunciauit. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, sermone 1. in Annuntiat.*

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 45. vers. 8. *Nubes pluant iustum.* Quare Incarnatio Christi pluuiæ assimilatur?

Pluuia tribus modis generatur virtute caloris attrahentis, virtute vaporis ascẽdentis, & virtute venti colligentis.

Resp. Pluuia tribus modis generatur; scilicet, virtute caloris attrahentis, virtute vaporis ascendentis, & virtute venti colligentis. Venti enim volantes supra mare multum humorem sæpè colligunt & secum ad aerem attrahentes in pluuiam dissoluunt. Istam autem pluuiam substantialem his tribus modis generatam fuisse ostendit Gabriel in triplici loquutione cum Virgine. Primo namque ostendit ipsam esse generatam virtute caloris attrahentis, cum dixit: *Aue gratia plena.* Gratia enim Dei, est amor Dei, amor autem est ignis, iuxta illud *Lucæ 12. Ignem veni mittere in terram.* Si igitur Virgo fuit plena gratia, & amore Dei, fuit plena igne, & calore, & virtute istius caloris, Diuinum fontem ad se attraxit, & istam cœlestem pluuiam generauit. *Psalm. 71. Descendet sicut pluuia in vellus. Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo virtute amoris Dei, quo erat accensa Filium Dei attraxit.

2. Resp. Ostendit Gabriel istam pluuiam generandam virtute vaporis, cum dixit: *Ecce concipies, & paries Filium.* Filius autem Dei est vapor Dei, iuxta illud *Sapient. 7. Vapor est virtutis Dei.* Iste igitur vapor Dei infra viscera Virginis sine sui inclsione, siue apertione se occultauit, iuxta illud *Ecclesiast. 24. Quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam,* id est, qui in me per carnem assumptam habitauit. Et iste vapor inter viscera Virginis occultatus, in pluuiam se diffudit, quando mundum famelicum satiauit. *Psalm. 77. Pluit manna ad manducandum. Iacobus de Voragine ibidem.*

Filius Dei intra viscera Virginis se occultauit sine sui apertione, & corruptione.

3. Resp. Ostendit Gabriel hanc pluuiam generandam virtute venti colligentis, cum dicitur: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Spiritus est ventus, iuxta illud *Ioann. 3. Spiritus vbi vult spirat.* Iste autem ventus flans in Maria, id est, in corde Virginis Mariæ, humores Virginis Mariæ collegit, & corpus Christi formauit, quod salutarem pluuiam generauit, quia totum mundum fructificare fecit. *Iacobus de Voragine ibidem.*

Spiritus Sanctus humores Virginis Mariæ collegit, & corpus Christi formauit.

Dub. 65. Ad eadem verba, cap. 45. vers. 8. *Aperiatur terra.* Quare Beata Virgo dicitur terra?

Terra nihil humilius, nihil vtilius.

Resp. Quid terra humilis? Quid terra vtilius? Terram omnes sub pedibus habemus, & de terra omnes vitam fouemus. Vnde enim victum, & vestitum, panem, & vinum, lanam, & linum, & huius vitæ necessaria, nisi de terra, & de plenitudine terræ habemus. Quid ergo humilius? Quid vtilius terra? Similiter quid humilius? Quid vtilius Maria? Ipsa denique humilitate sua omnium est infima, ipsa plenitudine sua omnium est vtilissima, vitæ namque spiritualis necessaria habemus de plenissima terra Maria. *Diuus Bonauentura in specul. B. Virginis, Lect. 7.*

Vitæ spiritualis necessaria habemus de plenissima terra Maria.

Dub. 66. Ad eadem verba, cap. 45. vers. 8. *Aperiatur terra.* Quo sensu hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Quidam exponunt. *Aperiat se terra, & fructificent salus, & iustitia,* id est, Virgo pariat sine opere viri: Pariat, inquam, nobis Saluatorem, & Iustificatorem, quas progerminare simul faciet, id est, quas Virgo est productura simul cum Christo. *Thomas à Maluenda, Ordinis Prædicator.*

Peperit Virgo sine opere viri.

Virgo Maria salutẽ, & iustitiam simul cũ Christo produxit.

2. Resp. Aperiatur terra. *Gloss.* id est, Maria, ad credendum, & germinet Saluatorem, id est, Iesum. *Beatus Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo credidit, & produxit Iesum.

3. Resp. Aperiatur terra, id est, Beata Virgo per consensum cordis, non per fractionem corporis. *Hugo Cardinalis.*

Concepit sine fractione corporis.

Virginis cōsensus requirebatur ad Incarnationem Verbi.

4. Resp. Ista terra se aperuit, aperuit quidem animum suum ad consentiendum, quem consensum requirebat Sponsus dicens *Cant. 5. Aperi mihi soror mea. D. Bern. super Cant.* Surge, curre, aperi. Surge per fidem. Curre per deuotionem. Aperi per consensionem. Aperuit enim vterum suum ad concipiendum. Hæc est enim illa porta, de qua dicitur *Ezechiel 44.* Quæ fuit clausa omni viro, sed aperta Domino. Aperuit os suum ad benedicendum, quando dixit: *Magnificat anima mea Dominum. Iacobus de Voragine serm. 1. in Annuntiat.*

B. Virgo gratias egit pro beneficio Incarnationis.

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 46. vers. 13. *Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam.* Quam gloriam dedit Dominus in Sion, & Ierusalem?

Dominus Iesus datus B. Virgini in Incarnatione, quādo factus est Filius eius.

Resp. Dabo in Sion, id est, in Maria salutem, id est, Iesum, qui interpretatur salus, qui datus est ei in Incarnatione, quando factus est Filius eius, & per ipsam datus est nobis, *Isaias 9.* Et in Ierusalem, id est, in ipsa Maria gloriam meam, id est, Filium meum, quia gloria Patris Filius sapiens. *B. Albertus Magnus lib. 11. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 29.*

Amor Patris ad Filium solidior, amor tamen Matris tenerior.

Dub. 68. Ad illa verba, cap. 49. vers. 15. *Nunquid obliuisci potest Mulier infantem suum, vt non misereatur Filio vteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quare Propheta hic loquitur, de amore Matris erga Filium, non de amore Patris?

Magna est cura B. Virginis deuotis.

Resp. Quasi dicat nullo modo, sed magnam curam habet vt prouideat ei, de nutrimento, & necessariis, & quamuis amor Patris ad Filium sit solidior, amor tamen Matris est tenerior, & hinc est, quod paruulus magis recurrit ad Matrem, pro his quæ vult, quam ad Patrem, quia experitur magis à Matre, quàm à Patre obtinere, quod petit. O quanta est cura Beatæ Virginis Mariæ de nobis, omnibus aperit sinum misericordiæ suæ, nec est, qui abscondat se à calore beneficiorum eius! *D. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Dub. 69. Ad illa verba, cap. 49. vers. 5. *Et nunc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi.* Quare Dominus Iesus dicitur seruus ex vtero?

Dominus Iesus constitutus seruus noster ex vtero Matris.

Resp. Omnia Christo Christiani debent, sed inter cætera hoc potissimum videtur, quod nobis ex vtero seruierit. Vt autem videas, quod hoc reuera fecerit, audi quid de Matre eius statim post eius conceptum. *Lucas refert cap. 1. num. 39. Exurgens*, inquit, *Maria abiit in montana cum festinatione, vt seruiret Elisabeth.* Grauida erat à sex mensibus cognata Elisaberth, & Maria Virgo expeditior ad ministerium, quam grauida, neque tamen de ministerio cogitat, nisi post conceptum. Sed quare? Nisi quia puer Iesus constituturus seruus noster, ex vtero Matris incitauit eam ad consanguineæ ministerium. Ad quid etiam putas Mariam grauidam, & iam partui proximam. Cum Sponso in Bethlehem ascendisse, nisi quia paruulus Iesus simul cum Matre se iam volebat Tyranni seruum profiteri, & non solum seruire. *Oleaster, Ordinis Prædicatorum.*

Auris iustorum non verbis sæcularibus, sed cæle stibus diligēter attendit.

Dub. 70. Ad illa verba, cap. 50. vers. 4. *Mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi Magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem.* Quommodo Beata Virgo habuit aurem erectam, & apertam?

Resp. Eleganter verba disposuit, cum sibi prius erectam aurem perhibuit, quam apertam. Erectam habet aurem, qui non ad rumurculos singulares, vel ad eloquium de terra musitans, sed ad ea quæ de sursum sunt, paratum habet auditum, quibus bonum est aurem aperiri, depressa est enim auris, quæ verbis sæcularibus diligenter attendit. Mane dicit Maria erectam sibi aurem, quæ ab initio ætatis, ad verba cœlestia paratum habuit auditum, & docuit nos habere, & erexerat aurem, & aperuerat Dominus auditum Mariæ. Vnde quasi iuuencula, erectam habens aurem facile, & libenter suscepit verba Angelica, in quibus turbata est, quæ etiam nullum verbum au-

B. Virgo nullum verbum audisse legitur ante salutationem Angeli.

audisse legitur in Euangelio ante illud, & ab auditu ipsius initium sumpsit nostra reparatio, vt intraret remedium, vnde irrepsit morbus, & per eadem vestigia sequeretur vita mortem. Lux tenebras, veritatis antidotum, serpentis venenum, & vitæ ianua fieret auditus, per quem intrauerat mors in mundum. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum B. Virginis Mariæ, nona corona.*

Vitæ ianua fuit auditus per quem intrauerat mors in mundum.

Dub. 71. Ad illa verba, cap. 53. vers. 2. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* An Beata Virgo dicatur terra sitiens?

Resp. Terra sitiens dicitur terra arida, & non compluta, quæ licet exterius humorem non recipiat vnde concipiat, & aliquam radicem pariat, quæ postmodum in arborem, vel herbam prodeat; tamen quandoque Deo operante ex se ipsa, & non aliunde radicem aliquam concipit, quæ prosilit in herbam, vel arborem: sic Beata Virgo non accipiens humorem ab extrinseco, vnde intus conciperet operante in se Diuina gratia, concepit Filium ex se ipsa. Vnde dictum est ei *Lucæ 1. Ecce concipies in vtero*, id est, ex vtero, qui conceptus hoc modo prodijt ex vtero verus homo, ideò dictus est, ascendere de terra sitienti, sicut radix. *Beatus Albertus Magnus lib. 8. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 11.*

B. Virgo non accepit humorē ab extrinseco, sed Filium Dei concepit ex se ipsa.

2. Resp. De terra sitienti, id est, de Beata Virgine. *Haymo.* Virginem debemus intelligere, cuius vterus non fuit humano, & virili semine humefactus, *Psalm. 62.* in terra deserta inuia, & inaquosa. *Hugo Cardinalis.*

3. Resp. Ipsa est terra faciens salutem omnium: ascendet. *Gloss.* id est, Filius Dei, sicut virgultum. *Gloss.* de vtero Virginis coram eo, & sicut radix de terra sitienti. *Gloss.* sicca, & munda à concubitis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo mūda à concubitus.

Dub. 72. Ad illa verba, cap. 53. vers. 8. *Generationem eius quis enarrauit.* Quare dixit Isaias quis generationem eius enarrauit?

Resp. Quam generationē? Ante te Luciferum genui te, ecce vna generatio, ante Luciferum, ante omnia quæ facta sunt, ante omnes Angelos, ante omnem creaturam. Quare? Quia omnia per ipsum facta sunt, sed forte eius secunda generatio narratur. Quis illam narrat, fide concipitur, masculus non accedit. Vterus Virginis tumet, procedit tanquam Sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio, mirabilis ista humana, quia sine Patre, mirabilis illa quia sine Matre. *D. Augustinus tom. 10. hom. 36.*

Generatio Christi æterna mirabilis, quia sine Matre.

Generatio humana Christi, mirabilis, quia sine Patre.

2. Resp. Non solum de generatione æterna ex Patre hoc intelligitur, sed etiam ex Matre temporali generatione, & per maximè, quommodo sit vnitum Verbum Domini, quia nullus viator capere potest. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 22. §. 1.*

Incarnationem Verbi nullus viator capere potest.

3. Resp. Plerique Patrum generationem eius Diuinam. Alij humanam ex Virgine Matre, quasi dicat: Ne offendamini infirmitate, & ignominia mortis eius, nam Diuinam habet generationem, estque verus Deus de Deo, & admirabili modo per Spiritum Sanctum progenitus ex Virgine, quæ duæ genituræ sunt ineffabiles. *Maluenda.*

Duæ Christi generationes ineffabiles.

Dub. 73. Ad illa verba, cap. 53. vers. 8. *Quia abscissus est de terra viuentium.* An Beata Virgo dicatur terra?

Resp. Dicitur terra, quia sicut dicit *Augustinus.* Bonaterra est in altitudine montium, temperamento collium, planitie camporum: sic ipsa fuit alta per cœlestium contemplationem: *Ego in Altissimis habito*; fuit temperata per discretionem, cuius discretio apparet: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc.* Fuit plana per humilem conuersationem, quod patet, quia licet Deum conceperit, tamen tribus mensibus, cum Elisabeth humiliter conuersata fuit. Vel terra dicitur, quia terra exterius venustatur plantis, interius ditatur innumeris thesauris. In intimo est plena tormentis, & ibi inferius esse prohibetur. Sic & ipsa exterius fuit ornata

Bona terra est in altitudine montium, temperamento collium, planitie camporū.

B. Virgo alta per cœlestiū contemplationem.

Temperata per discretionem. Plana per humilem conuersationem.

B. Virgo exterius ornata moribus, interius ditata virtutibus.

Cor Virginis vulneratum doloribus tormentorum.

ta venustate morũ, & interius fuit ditata thesauro virtutum, in intimo cordis vulnerata doloribus tormentorum, iuxta illud *Lucæ* 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Iacobus de Voragine serm. 1. in Annuntiatione.*

Dub. 74. Ad illa verba, cap. 53. vers. 8. *Qui abscissus est de terra viuentium.* An Beata Virgo dicatur terra viuentium?

Christus de B. Virgine absque virili semine natus est.

Resp. Cum ait Propheta: *Quoniam abscissus est de terra viuentium*, alludere videtur ad illud quod olim modum prophetauit Daniel de lapide abscisso, de monte sine manibus, *Daniel* 2. qui percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, per quem lapidem significatus est Christus, qui de Virgine sine manibus, id est, absque virili semine natus est. Sicut ergo Daniel Beatam Virginem montem dixit propter virtutis cumulum, atque eminentiam sanctitatis, qua omnes alios Sanctos, & spiritus excessit Angelicos; ita Isaias terram viuentium nuncupauit, quoniam Mater est omnium, qui spiritualiter viuunt, sicut Eua eorum, qui viuunt secundum carnem, ideò Euæ nomen prima mulier accepit, quoniam mater fuit omnium viuentium. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum.*

Sanctitate excessit omnes Sanctos, & spiritus Angelicos.

Dub. 75. Ad illa verba, cap. 54. vers. 2. *Dilata locum tentorij tui.* Quo sensu hæc exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo obscura Iudæis, Christianos illuminat.

Resp. Legitur *Numer.* 9. in loco vbi stetisset nubes, ibi castramentabantur Filij Israel. Nubes est Beata Virgo, quæ obscura est Ægyptijs, id est, perfidis Iudeis, & illuminat Hebræos, id est, vos Christianos. Huius nubis locus fuit humilitas. Vnde ipsa ait *Lucæ* 1. *Respexit Dominus humilitatem Ancillæ suæ.* Dilatare ergo tentorium suum in hoc loco, est dilatare humilitatem, iuxta illud *Eccles.* 3. *Quanto maior es humilia te in omnibus. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo quã tomaioretur, humiliabat se in omnibus.

Dub. 76. Ad illa verba, cap. 54. vers. 10. *Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea non recedet a te.* Quare Beata Virgo dicit, quod misericordia eius non recedet à nobis?

Virgo Maria non derelinquet peccatores, dummodo velint cõuerti.

Resp. Ipsa est etiam (ex nimia misericordia quam ad nos habet) etiam alijs Sanctis, peccatores derelinquentibus, ipsa nunquam derelinquet nos. *Isaiæ* 54. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent; misericordia autem mea*, id est, Mater mea non recedet à te, non dimittet, neque derelinquet, dummodo volueris conuerti. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo ab omnibus omni ora oranda.

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 56. vers. 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* An Beata Virgo dicatur domus orationis?

Resp. Hæc domus orationis passiuè, de qua Dominus dicit *Isaiæ* 56. *Domus mea*, id est, Maria, quam ego nouem mensibus corporaliter inhabitaui, *domus orationis vocabitur cunctis populis*, quibus dicit Ecclesia omnis homo, omni hora ipsam ora. *B. Albertus Magnus lib. 10. de laudibus B. Mariæ, cap. 30. num. 12.*

Christus potest dici fructus labiorũ B. Virginis.

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 57. vers. 19. *Creauit fructum labiorum pacem. Pacem ei qui longe est, & qui prope est.* An Christus dicatur fructus labiorum B. Virginis?

Resp. Fructus ventris Mariæ benè potest dici fructus labiorum Mariæ; quia dum de labijs suis stillauerunt melliflua verba illa, *Lucæ* 1. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuum*, statim concepit mellifluum fructum suum. *D. Bonauentura in speculo B. Virg. cap. 16.*

B. Virgo orta de tenebrosa synagoga tanquam lumen.

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 58. vers. 8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum.* Quo sensu verum, quod Beata Virgo processit quasi mane?

Resp. Tunc, id est, tempore gratiæ, erumpet, id est, subito, & improuise nascetur de tenebrosa synagoga quasi mane, quod videtur procedere de tenebrosa nocte, lumen tuum ò Ecclesia, id est, Beata Virgo, cuius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias. *B. Albert. Magn. lib. 7. de laudibus B. Virginis, cap. 9. num. 1.*

Dub.

A B. Virgine profluit nobis omne bonum.

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 58. verſ. 11. *Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Quare Beata Virgo dicitur fons aquarum indeficiens?

Reſp. Ipſa eſt fons à quo nobis profluxit, & profluit omne bonum, *Iſaiæ* 58. *Eris*; ſcilicet, ò Maria, *quaſi hortus irriguus*, *Gloſſ.* virtutum floribus, & operum fructibus conſpicuus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. *Gloſſ.* aſsimilaberis Chriſto capiti tuo, cuius non deficiunt aquæ, ſpirituales, quæ irrigunt Eccleſiam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo virtutibus conſpicua.

Aſsimilata Chriſto.

Dub. 81. Ad illa verba, cap. 59. verſ. 16. *Vidit, quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat.* Quo ſenſu hæc aptantur B. Virgini?

B. Virgo occurrit Deo fidelius, potentialius, fiducialius, præ omnibus Sanctis.

Reſp. Ipſa eſt quæ occurrit Deo fidelius, & fiducialius, & potentialius præ omnibus Sanctis, ad Deum refrænandum, ne feriat peccatorem. *Iſai.* 59. *Vidit*, *Gloſſ.* Deus, *quod non eſſet vir. Gloſſ.* in Iudæis, Sanctus, *& aporiatus eſt*, *Gloſſ.* id eſt, contriſtatus, *quia non eſt qui occurrat*, *Gloſſ.* Deo vt non percutiat; ſed ipſa præ omnibus occurrit, ſicut Abigail Dauid, quem placauit. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 82. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 1. *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum.* An B. Virgo Maria dicatur Ieruſalem illuminata?

B. Virgo in Incarnatione Filij Dei illuminata ipſo Deo.

Reſp. Ipſa eſt Ciuitas ſplendidiſsima, quæ in Incarnatione Filij Dei totaliter illuminata fuit, cui congratulando, ſic loquitur Propheta. *Iſaiæ* 60. *Surge illuminare Ieruſalem*, id eſt, Mariam, ergo ſumma, imò ipſo Deo, quia venit lumen tuum. *Gloſſ.* id eſt, Filius, & gloria Domini ſuper te orta eſt. *Gloſſ.* ad illuminandum Filius Dei, ſicut Sol ortus illuminat mundum. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 2. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* An Beata Virgo dicatur terra tenebris operta?

B. Virgo turbata in Filij ſui paſsione.

Reſp. Quia terra eſt qualitate obſcura; ita Beata Virgo obſcurata, & turbata eſt in Filij ſui paſsione, *Iſaiæ* 60. *Ecce tenebræ*; ſcilicet, afflictionis, & doloris, *operient terram*, id eſt, Beatam Virginem. Et ibidem: *Luxit, & elanguit terra. Ioannes à Sancto Geminiano, Ordinis Prædicatorem, lib. 1. de cœlo, & elementis, cap. 48.*

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 2. *Tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Quommodo Deus ortus eſt ſuper Beatam Virginem?

Dominus ortus ſuper B. Virginē ſpecialiſsimè, abundantiſsimè, digniſsimè.

Reſp. Quia *ecce tenebræ*, *Gloſſ.* infidelitatis, & peccati, *operient terram*, *Gloſſ.* id eſt, terrena amantes, *& caligo populos*: ſuper te ſpecialiſsimè, abundantiſsimè, digniſsimè orietur Dominus, *Gloſſ.* verus Sol. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 85. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 2. *Gloria eius in te videbitur.* Quommodo gloria Dei in Beata Virgine viſa fuit?

Gloria Dei viſa in B. Virgine ſicut lumen in lucerna, Sol in nube.

Reſp. Gloria eius in te videbitur, ſicut lumen in lucerna, Sol in nube, ignis in rubo. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 86. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Quare gentes, & Reges ambulabunt in ſplendore B. Virginis?

Reſp. Ambulabunt gentes, id eſt, miſeri peccatores in lumine tuo, *Gloſſ.* in Chriſto, qui eſt lux, & Reges, id eſt, iuſti, vel etiam Angeli in ſplendore ortus tui. Omnes enim indigent tua gratia, tua illuminatione, tua propitiatione. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Omnes homines, & Angeli indigent propitiatione B. Virginis.

Dub. 87. Ad illa verba, cap. 60. verſ. 4. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide.* Quare Beatæ Virgini dicit Filius, quod leuet in circuitu oculos?

Omnes congregantur ad B. Virginem per deuotionem, & neceſsitatem.

Resp. Ipsa est ad quam omnes, & per quam omnes congregantur per deuotionem, per necessitatem, ad ipsam omni die, vel in festiuitate eius confluentes. Vnde & Filius eius quasi ei in hoc congratulando, & eam ad subueniendum prouocando dixit *Isaiæ* 60. *Leua.* O Mater Maria, *in circuitu oculos tuos*; scilicet, misericordiæ, & bonitatis, & largitatis, & vide hilariter, communiter, & largiter. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Christus B. Virginē prouocat ad subueniendum in necessitatibus.

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 60. vers. 4. *Omnes isti congregati sunt. venerunt tibi.* Qui congregantur ad Beatam Virginem?

Omnium refugium.

Resp. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. *Gloss.* ex omni natione quæ sub cœlo est, peccatores pro venia, iusti pro gratia, tristes pro gaudio, incarcerati pro liberatione. Immò veniunt sibi, & ipsi Angeli pro lætitia, venerunt ad honorem tuum, ad largitatem tuam, ad misericordiam tuam, eiulantes, & clamantes, subueni ò Domina, quia potens es; quia misericors es, quia Mater Dei es, clamantibus ad Te iugiter, licet simus peccatores, tamen sumus ex misericordia tua consilij tui, & filiæ tuæ. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Homines cō filij sunt B. Virginis, mulieres filiæ.

Dub. 89. Ad illa verba, cap. 60. vers. 5. *Tunc videbis, & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Quo sensu hæc verba aptantur Beatę Virgini?

Gaudium B. Virginis quā do venerunt Reges Orientis.

Resp. Gaudium Virginis Mariæ fuit in die Apparitionis, quando venerunt Reges Orientes. O quale gaudium fuit illud! Virgo stabat cum Filio, vt dicunt Doctores, adhuc in illo loco, vbi peperit, & subito magnus rumor fuit in Ciuitate Bethlehem. Iam potestis cogitare, quia equorum homines in aduentum trium Regum faciunt magnum rumorem. Et venerunt ad locum vbi erat, & Ioseph non erat cum Virgine, vt dicit textus: *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius*, & non alium dicit *Gloss.* & quando Virgo sensit equites, cogito ego, quod ipsa abscondit Filium, & posuit se in præsepio, & posuit se ad laborem. Quando Virgo audiuit Reges mirantes de Stella, quę stetit supra vbi erat puer. Virgo gauisa est propter illam prophetiam, *Num.* 24. *Orietur Stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Reges admirantes, vel admirando dicebant. Et quid est hoc? Quia Stella non consuenit stare, nisi hora prandij, & quietis, & modo stat, & dabat mirabiles radios. Poterant dicere Reges non est hic Palatium, nos Regem natum perquirimus, & venerunt ad portam vbi erat Virgo, & eleuata modicum flacciata dixerunt Virgini, scitis vos vbi es quinatus est Rex Iudæorum. Et respondit Virgo: Domini hoc debent scire magni Rabini, & dum Virgo loqueretur, corda Regum calefiebant, respicientium se mutuo. Deinde interrogauerunt Virginem. An haberet Filium? Et Virgo respondit, quod sic. Item interrogauerunt de die Natiuitatis? Respondit, quod erant 13. dies. Item quis vocabatur? Respondit Virgo Maria: *Iesus.* Audito hoc nomine procidentes adorauerunt Iesum. Quem Virgo eis ostendit, & adorando dicebant: O Domine, Creator cœli, & terræ, & tanta est humilitas vestra dimittendo cœlum, & venire in istam miseriam pro nostra saluatione. Deinde adorauerunt Matrem, & dicebant sibi ò Camera Filij Dei, Templum Sanctum Domini, Regina cœli, & Domina mundi, Et apertis thesauris suis obtulerunt munera. Ecce gaudium. De isto gaudio prophetauit Isaias dicens: *Tunc videbis, & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*; scilicet, infidelitatis, quia illi Reges infideles erant, & non Iudęi: *Fortitudo Gentium venerit tibi. D. Vincentius Ferrer serm. 2. in Natiuitat. Beatæ Virginis.*

Dub. 90. Ad illa verba, cap. 60. vers. 7. *Domum Maiestatis meæ glo-*

B. Virgo glorificata in cœlo, in terra, in Purgatorio.

glorificabo. Quommodo Deus domum Maiestatis suę glorificauit?

Resp. *Domum Maiestatis meæ*, quam tota Trinitas potenter, & abundanter possidebit, & ad implebit *glorificabo* in cœlo, & in terra, in inferno, in Purgatorio, vel *glorificabo* coram Angelis, coram Sanctis, coram Patriarchis, & Prophetis, coram iustis, & peccatoribus. Vel *glorificabo* ipsam pię omnibus honorando, præ omnibus diligendo, præ omnibus in Matrem assumendo, præ omnibus ei potestatem in cœlo, & in terra, dando ei Regna omnia, cœlestia, terrestria, & infernalia subijciendo. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo glorificata corã iustis, & peccatoribus.

Filius potestatem dedit B. Virg. in cœlo, & in terra.

Dub. 91. Ad illa verba, cap. 60. vers. 11. *Aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur.* Quas portas Beata Virgo habet apertas?

Resp. Nunquam enim deuotè clamantibus ad Beatam Virginem clauditur respectus misericordiæ eius, Nam sicut oculi Domini super iustos, sic oculi Mariæ super peccatores. *Beatus Albertus Magnus libr. 11. de laudibus Beatæ Virginis, capit. 1. numer. 5.*

B. Virgo deuote clamantibus nõ claudit suam misericordiam.

Dub. 92. Ad illa verba, cap. 60. vers. 12. *Gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Quo sensu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Qui seruiunt B. Virgini non peribunt in die iudicij

Resp. *Gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi.* O Mater Maria! *peribit. Gloss.* in die iudicij, quod non sit. Ergo qui seruierint ei, non peribunt; & hoc est, verum, & in me Domina totaliter, & finaliter impleatur, Amen. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 93. Ad illa verba, cap. 62. vers. 1. *Donec egrediatur vt splendor, iustus eius.* Quare Christus dicitur egressus, vt splendor, & vnde egressus est?

Christus tenebras nostræ ignorantiæ illuminauit.

Resp. Et nota quod dicit, *donec egrediatur vt splendor*, iustus eius, *egrediatur*; scilicet, de sinu Patris in vterum Virginis, & de vtero Virginis in mundum tenebrosum, *vt splendor*, ad illuminandum tenebras nostræ ignorantiæ quantum ad intellectum. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 94. Ad illa verba, cap. 62. vers. 5. *Habitabit enim iuuenis cum Virgine.* Quommodo hoc impletum in Beata Virgine?

Habitauit S. Ioseph, vel S. Ioannis cum B. Virgine.

Resp. Habitabit enim in ea iuuenis; scilicet, cum Virgine, Ioseph, vel Ioannes cum Maria. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 95. Ad illa verba, cap. 63. vers. 3. *De Gentibus non est Vir mecum.* Quare Dominus excludit viros?

Resp. Notandum quod dicit *de Gentibus non est Vir mecum*, excludit enim viros, non mulieres, quia Mulier illa Beata Maria, quæ stabat iuxta Crucem, secum fuit ad patiendum ex compassione: & sicut dicimus de Domino Iesu, quod habuit summum dolorem in passione, & summum gaudium. Dolorem quidem secundum sensitiuam, gaudium secundum intellectiuam, quia vt dicit *Damascenus*, vnicuique; scilicet, potentiæ permittebatur agere quæque propria: ita de Matre Domini, quia tunc habuit summam compassionem, & congratulationem, compassionem quidem existentem in natura simul, & in ratione, vt in natura, congratulationem verò in ratione, vt ratione. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 14.*

B. Virgo iuxta Crucem patiebatur ex compassione.

Christus in passione habuit summũ dolorem secũdum sensitiuam, & summum gaudiũ secundum intellectiuam.

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 64. vers. 7. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Quare conquæritur Dominus, quod non est qui consurgat, & teneat eum?

B. Virgo iram Dei detinet.

Resp. Ipsa enim detinet iram Dei, ne statim vindicet nos. Vnde dicitur *Cant 3. Tenui eum nec dimittam.* Conquærebatur enim Dominus. *Isaiæ 64. Non est qui consurgat, & teneat te*, antequam Maria nasceretur; sed ipsa facta est aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram Filio suo, ventrem, & vbera eidem repsentans. *Beatus Albertus Magnus libr. 2. de laudibus Beatæ Mariæ.*

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 65. vers.

B. Virgo iliæſa ab omni peccato.

verſ. 8. *Quommodo ſi inueniatur granum in botro.* An Beata Virgo dicatur granum in botro?

Reſp. Hæc dicit Dominus: quommodo ſi inueniatur poſt tempeſtatem granum, *Gloſſ.* illæſum. Hoc granum eſt Virgo Maria illæſa ab omni peccato, & tempeſtate venialis peccati in botro humani generis. Vel in botro, id eſt, in Sancta Anna, Matre eius. Hoc granum inuentum fuit in Natiuitate Virginis Gloriosæ, quando nata eſt. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Sancta Anna botrus in quo inuenta eſt B. Virgo.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 1. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum, quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi.* Quare Dominus quærit, quæ eſt domus iſta ei ædificata?

Reſp. Ipſa eſt domus Imperatoris omnium, qui ad conſilium omnium Patriarcharum, & Prophetarum, & amicorum Dei in ſolatium peccatorum ædificata eſt, de qua, & de cuius ædificatione, & conſtructione, Deus qui gloriatur in conſilio Sanctorum, vt dicit *Pſalm.* 1. Quaſi conſilium requirat, dicit *Iſai.* 65. *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi,* tam immenſa, vt in ea includar, quia dicitur *Iſai.* 66. *Cœlum mihi ſedes, & terra ſcabellum pedum meorum, & cœlum, & terram ego implebo.* Quæ eſt ergo illa tam magna, tam lata, tam longa domus, quam ædificabitis mihi? Quæ debet eſſe adeò inclinata, vt nominetur in vniuerſis Regnis cœleſtibus, Terreſtribus, & Infernalibus. Volo etiam vt non ſecundum ſolum conſilium Trinitatis, veruntamen ſecundum conſilium, & voluntatem omnium ſeruorum meorum, & Patriarcharum, & Prophetarum ædificetur. Quod das tu conſilium Dauid Propheta, qualis debet eſſe? Reſpondeo. Domus totius puritatis, & ſanctitatis, *Pſalm.* 62. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo*, & talis ſanctitudo, quæ ſit ab omni inquinatione libera, vt dicit *Dioniſ.* ſed hoc non inuenitur in terra morientium, in qua non eſt videre, niſi faciem abyſſi, *Geneſ.* 1. Ioannes enim non habet, ſed clamat, *cap.* 13. *Sanctifica me Saluator.* Petrus non habet cui dicit Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem in me.* Inſuper vt dicit *Iob* 25. *Aſtra non ſunt munda in conſpectu Domini, ſed conſolamini populo meus dicit Deus noſter.* Inuenta eſt Maria hanc puritatem habens, vt dicit, qua ſub Deo maior nequit intelligi. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo in ſolatium omnium peccatorum ædificata.

Sanctitas Virginis ab omni inquinatione libera.

B. Virgo eam puritatem habuit, qua ſub Deo maior nequit intelligi.

Dub. 99. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 1. *Cœlum ſedes mea. Terra autem ſcabellum pedum meorum,* An Beata Virgo dicatur cœlum, terra, ſedes Dei, ſcabellum pedum eius?

Reſp. Magnum, quod fecit Deus, eſt terra, & cœlum, & in eo luminaria magna. Magna eſt terra, excelſum cœlum, velox curſus ſolis. Et Magnificus qui fecit iſta, ſcilicet, Deus. Terra eſt Beatiſsima Virgo, quoad corpus terrenum humile, & fructiferum. Cœlum ipſa quoad animam totam cœleſtem plenam charitate, & ſideribus virtutum. De his cœlo, & terra dicit Dominus *Iſai.* 66. *Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* In anima enim eius propter maximam puritatem requieuit Deus, & in corpore eius terreo fuit ſcabellum, vbi ſtetерunt pedes eius, id eſt, humanitas aſſumpta in ventre eius, ibi & Sol maximus, Sol Iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, & quem cœli capere non poterant ſuo gremio continuit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 22. §. 9.*

Anima B. Virginis tota cœleſtis plena charitate, & virtutibus.

Humanitas aſſumpta in ventre Virginis.

Dub. 100. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 7. *Antequam parturiret peperit. Antequam veniret partus eius, peperit maſculum.* Quo ſenſu hæc verba exponuntur de B. Virgine?

Reſp. *Antequam parturiret, peperit. Septuaginta: Antequam veniat dolor parturientium peperit maſculum.* Vbi Virgo, & obſtetrix, & Genitrix ſibi ipſi in illa celebritate exhibuit clientelam, Nihil quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ſibi vſuram pœnarum pro voluptate, vltiore pe-

B. Virgo, & obſtetricis, & genetricis ſibi ipſi exhibuit clientelam in partu.

te-

tebat. *Arnaldus de laudibus Beatæ Mariæ.*

Dolor non ſubſequutus eſt partum B. Virginis.

2. Reſp. Quia voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu ſubſequutus eſt. *D. Damaſcenus lib. 4. de Fide, cap. 15.*

3. Reſp. *Antequam parturiret*, id eſt, dolorem partus ſuſtineret, *peperit*, in alijs autem parturitio præcedit partum, ſecundum illud *Geneſ. 3. In dolore paries*, ſed Beata Virgo ſine dolore peperit. *Alexander de Ales, Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci, ſuper miſſus eſt.*

B. Virgo Verbū Dei concepit corde, & peperit ore.

4. Reſp. Antequam parturiret illic, antequam tempus illud ei veniret, & Filium viſibilem ex ventre Virginis ſancta Sion ederet peperit, & Mater eiuſdem Verbi effecta eſt, concepit enim corde, & Verbum Dei peperit ore. *Rupertus cap. 31. in Iſaiam.*

Duplex partus Virginis vnus in carne, & alter in ſpiritu. Primus, plenus gaudio. Secūdus, dolore, & amaritudine.

5. Reſp. Nota quod Beatæ Mariæ duplex fuit partus vnus in carne, & alter in ſpiritu. Partus carnis fuit virgineus, & omni gaudio plenus, quia Virgo peperit ſine dolore gaudium Angelorum. Vnde dicit eum Sara. *Geneſ. 21. Riſum fecit mihi Dominus: quicumque audierit, congaudebit mihi.* Beatæ Mariæ debemus congaudere, & corridere in Filij eius Natiuitate, debemus & ei condolere in Filij eius paſsione, cuius animam pertranſiuit gladius; & tunc fuit ſecundus partus doloroſus, & omni amaritudine plenus. Nec mirum Dei Filium quem Spiritu Sancto cooperante Virgo conceperat, Virgo pepererat, videbat ligno clauis affigi, inter latrones ſuſpendi. *D. Antonius Paduanus Dominic. infraoct. Natiuitat. Domini.*

Nomen Virginis ineffabile.

Dub. 101. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 7. *Antequam parturiret peperit.* Quare nomen parientis fœminę tacetur?

Reſp. Quæ peperit innuitur, cum dicit peperit, innuitur enim quod aliqua peperit, admirabile verò nomen eius, quaſi ineffabile tacuit, quod eſt Virgo Mater. *B. Albertus Magnus lib. 4. cap. 14. num. 1.*

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 7. *Antequam veniret partus eius peperit maſculum.* Cur maſculus de ſola Muliere productus?

Perditio noſtra intrauit per Mulierē de ſolo viro productam, ſed reparatio facta eſt per virum de ſola Muliere productum.

Reſp. Tale decuit eſſe noſtræ redemptionis initium; intrauit enim noſtra perditio per mulierem de ſolo viro productam, propter hoc decuit, vt eſſet noſtra redemptio, & reparatio per virum de ſola Muliere productum, vt eſſet ſimile in contrario. Talem modum reparationis petebat, *Eccleſ. 36.* dicens Domino: *Innoua ſigna, & immuta mirabilia*, mirabile fuit, quod Dominus de ſolo Adam primo homine mulierem produxit, mutatum fuit mirabile eum de ſola Muliere, ſecundus Adam productus eſt. *B. Albertus Magnus lib. 4. de laudibus B. Virg. cap. 14. num. 1.*

Dub. 103. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 8. *Quis audiuit vnquam tale.* Quo ſenſu hæc exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo peperit ſine dolore, ſed iuxta Crucem parturiuit.

Reſp. Peperit primo Beata Maria ſine dolore, & peperit maſculum ſuum primogenitum, quem pannis inuoluit, parturiuit poſtea iuxta Crucem dolorem immenſum ſentiendo. Cum Filio in Cruce, non vnum, ſed multos filios, qui redempti ſunt à Domino, ſimul quantum ad virtutem cauſæ, non ſimul quantum ad eſſe, ſed diuerſis temporibus quantum ad applicationem effectus ipſius paſſionis; quis vnquam audiuit tantum gaudium, vt in primo? Quis vidit tantum dolorem, vt in ſecundo partu? Certe nullus. *D. Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 14. §. 2.*

B. Virgo ſine naturalium læſione peperit Saluatorem.

2. Reſp. Lex enim data eſt mulieribus, *Geneſ. 3. In dolore paries filios*, & *Ioann. 16. Mulier cum parit triſtitiam habet.* Lex igitur naturæ eſt, quod mulier primo parturiat, antequam pariat, ſed Maria non fuit ſubdita huic legi, quia ſine dolore, id eſt, ſine naturalium læſione peperit Saluatorem. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 14.*

B. Virgo iuxta Crucē nos genuit, & peperit Filio cōpatiendo.

Dub. 104. Ad illa verba, cap. 66. verſ. 8. *Parturiuit, & peperit Sion*

Sion filios ſuos. Quo ſenſu ex intelligitur quod Sion peperit filios ſuos?

Reſp. Sicut Chriſtus nos genuit verbo veritatis ad eſſe ſpirituale gratiæ, quod perfectius eſt, quam eſſe naturale in Cruce patiendo: ita & Beata Virgo Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus Filio compatiendo, pœnas immenſas pro nobis patienti: *Parturiuit Sion filios ſuos*, id eſt, Beata Virgo Maria, quæ ſpeculabatur Myſterium Paſſionis, interpretatur enim Sion ſpeculatio, parturiuit ſumme condolendo in paſſione Filij. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

B. Virgo parturiuit ſumme condolẽdo in paſſione Filij.

IEREMIAS.

Chriſtus vigilat ſuper iuſtos, & peccatores, vt Pater Virgo Maria, vt Mater.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 11. *Virgam vigilantem ego video.* An Beata Virgo dicatur virga vigilans?

Reſp. Id eſt, Mariam vigilantem fideliter ſuper electos, vt Mater ſuper Filium, vigilantem miſericorditer, ſicut Magiſter ſuper Diſcipulum, ſic ipſa ſuper peccatores, vt eos corrigat, vigilantem terribiliter ſuper dæmones, vt percutiat, & interficiat: *Et dixit Dominus ad me. Bene vidiſti, quia ego vigilabo ſuper domum*, vt Pater, ipſa verò vigilabit, vt Mater. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo ſolium in quo Dominus ſedit per miſericordiam incarnatus.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 17. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem ſolium Domini, & congregabuntur ad eum omnes gentes.* An Beata Virgo dicatur ſolium Domini, ad quod omnes gentes congregantur?

Reſp. *Vocabunt Ieruſalem*, id eſt, Maria quæ eſt viſio pacis in tempore illo, id eſt, in tempore gratiæ, & Incarnationis Filij Dei, ſolium Domini in quo Dominus ſedit per miſericordiam incarnatus: *Et congregabuntur ad eam omnes gentes*, id eſt, peccatores, quia apud ſolium illud peccatores abſoluuntur, & non ſecundum merita puniuntur. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Apud B. Virginem peccatores abſoluũtur.

B. Virgo munita in natura, in gratia, in gloria.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 14. *Ingrediamur Ciuitatem munitam.* An Virgo Maria dicatur Ciuitas munita?

Reſp. *Ingrediamur Ciuitatem munitam*, id eſt, ad Mariam, munitam in natura, in gratia, in gloria. *Gloſſ.* munitam, quia aliæ captæ ſunt. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo pro nobis deprecatur.

Dub. 4 Ad illa verba, cap. 8. verſ. 14. *Sileamus ibi.* Quare in Ciuitate munita, id eſt, in Beata Virgine ſilendum?

Reſp. Quia non audemus deprecari Dominum, quem offendimus, ſed ipſa deprecet, & roget. *Gloſſ. apud B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 21. *Solij gloriæ tuæ recordare.* Quare Propheta rogat Dominum, quod ſolij gloriæ ſuæ recordetur?

Reſp. Solium gloriæ eſt Beata Virgo, quæ ſignificatur per matrem Salomonis, de qua dicitur 3. *Reg.* 3. *Thronus eius poſitus eſt iuxta thronum Regis*, quando ipſa venit ad eum poſtulare pro Adonia; & dixit ei Salomon: *Pete mater mea quod vis. Non enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Cum ergo ipſa ſit aduocata noſtra oſtendens Filio pectus, & vbera; ò tu Domine *recordare ſolij gloriæ tuæ*, quaſi audi eam pro nobis orantem. Simile *Memento ſalutis author.* Hoc eſt, ſolium excelſum, & eleuatum ſuper quod vidit Propheta Dominum ſedentem. *Iſaiæ* 6. 2. *Reg.* 23. *Dauid ſedet in Cathedra ſapientiſſimus. Hugo Cardenal.*

Chriſtus audit Beatam Virginẽ pro nobis orantẽ

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 1. *Si ſterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Quid faciet Dominus ſtante B. Virgine coram eo?

Reſp. Sed quid ò bone Ieſu ſi ſteterit coram te Regina Mater tua miſericorditer, & fideliter te implorans? Nunquid erit anima

tua

tua tunc irata ad populum peccatorem, vt exaudias eam? Certe, immo ſicut prius dixiſti iratus ad Ieremiam: *Ejce illos a facie mea, egrediantur ad gladium, ad famem, ad captiuitatem, ad mortem.* Sic nunc clamauit Maria: Placatus reduc, & introduc miſeros peccatores, ad pacem contra gladium, ad ſaturitatem contra famem, ad libertatem contra captiuitatem, ad vitam contra mortem. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo placat Dominũ, impetrat pacem, ſaturitatem, libertatem.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 5. *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? Aut quis contriſtabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Quo ſenſu hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo deſperatorũ cauſas aſſumit.

Reſp. Ipſa eſt quæ deſperatorum peccatorum cauſam, quam etiam nullus Sanctorum præſumit aſſumere, ipſa aſſumit. *Ierem.* 15. dicente Domino ad peccatorem deſperatum. *Quis miſerebitur tui Ieruſalem*, id eſt, ò anima deſperata, quæ prius fuiſti viſio pacis, nunc autem viſio inferni. Aut quis contriſtabitur pro te, cum ſententia mortis formetur contra te; *Ite maledicti.* Cum te omnes Angeli, & Sancti dereliquent, tibi reſpicies adiutorium, & non erit, aut quis ibit ad rogandum illum iratum Dominum, ex cuius ore gladius acutus exibit. *Apoc.* 1. illum quem contempſiſti, quem grauiſſimè offendiſti, pro pace tua, quem quærere neglexiſti. Nunquid hoc Angelus faciet, nunquid Apoſtolus; ſed certe omnibus derelinquentibus te, Mater miſericordiæ, non derelinquet. Dicit enim illud *Eſther* 8. *Quommodo poſſum ſuſtinere necem.* Illa, inquam, miſerebitur, illa compatietur, illa ibit ad rogandum pro pace noſtra, & ſine dubio impetrabit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

In die iudicij omnibus Sanctis derelinquentibus peccatorem Beata Virgo non derelinquet.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 16. *Et factum eſt mihi Verbum tuum, in gaudium, & lætitiam cordis mei.* Quod Verbum factum eſt in gaudium, & lætitiam Beatæ Virginis?

Vltimum gaudium B. Virginis in ſua benedicta Aſſumptione.

Reſp. Gaudium vltimum fuit in ſua benedicta Aſſumptione, nam quando anima fuit ſeparata à corpore, quia tunc iam non fuiſſet gaudium huius mundi, ſed alterius; ſed quando Filius ſuus miſit ſibi Angelum Gabrielem cum ramo palmæ dicens: *Suſcipe eum qui mandat ſalutes Iacob.* Nam ab hinc ad tres dies ibis ad Filium tuum, qui iam parauit Cathedram; & dixit Virgo Filio ſuo: *Factum eſt mihi Verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei, Ierem.* 15. *D. Vincentius Ferrer ſermone 2. in Natiuit. Beatæ Virginis.*

Gabriel Angelus miſſus cũ ramo palmæ ad B. Virginem ante mortem.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 1. *Deſcende in domum figuli.* Quæ eſt domus figuli in quam Dominus deſcendit?

B. Virgo domus figuli in qua Deus fecit opus ſuũ reformationis generis humani.

Reſp. Ipſa eſt domus figuli, & domus reformationis generis humani. Dixit Dominus ad Ieremiam: *Surge, & deſcende in domum figuli.* Domus figuli, id eſt, Dei, eſt Beata Virgo in qua fecit Deus opus ſuum ſuper totum opus Incarnationis, ipſum ponens in rotam humanæ nobilitatis, vt fons ſitiret, panis eſuriret, requies fatigaretur, lux obtenebraretur, vita in ligno moreretur. Hæc eſt domus reformationis, in qua reformatus fuit miſer Theophilus, ſicut in laudibus eius canitur in proſa. *Theophilum reformans gratia. B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo domus reformationis peccatoris.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 20. *Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Ipſa eſt ſapientiſſima aduocata, quæ per efficaciſſimum modum, veniam, & gratiam, & gloriam verbi obtinuit apud Dominum dicens, & allegans illud in conſpectu Filij, & Dei Patris. *Ieremiæ* 18. *Recordare*, ò Filij, *quod ſteterim in tempore* mortis tuę, *in conſpectu tuo*, apud Crucem, vbi ſteti miſerabiliter, lachrymabiliter, & lamentabiliter; ſed nunc apud te ſto potentialiter, regaliter, vt *Regina à dextris tuis*, in

B. Virgo ſapientiſſima aduocata, quæ per efficaciſſimum modum veniam, & gratiam, & gloriam obtinet peccatoribus.

in vestitu deaurato, circundata varietate; vt loquar pro eis, qui digni sunt morte æterna, bonum; *& auerterem indignationem tuam*, grauem, duram, & æternam ab eis, quam tunc meruerunt, nunc, & in futurum, in corpore, & anima. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Omnes debent in conspectu Virginis stare seruiendo, quia in conspectu Dei stat pro nobis orãdo.

2. Resp. Quia ipsa in conspectu Dei est semper dicens illud *Ieremiæ* 18. *Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum.* Quid ergo? Certe ex quo ista talis, & tanta pro nobis stat in conspectu Filij sui pro nobis orando, iustum est vt nos stemus in conspectu illius ei obsecrando, famulando, & seruiendo. Elephantes enim dicuntur Lunam adorare, & omni noui Lunio cum balneati fuerint, solent omnes nouæ Lunæ in signum reuerentiæ capita inclinare, & ad hoc faciendum solent paruulos suos instruere, & docere. *Albertus de Marquesijs, Ordinis Sancti Patris nostri Francisci, de Polo Arctico, cap. 75.*

Elephantes Lunam adorant,

Nouæ Lunæ caput inclinant, & ad hoc faciendũ filios instruũt

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 23. vers. 24. *Cœlum, & terram ego impleo.* Quare Beata Virgo vocatur cœlum?

Matrimoniũ Euæ ad replẽdam terram.

Matrimoniũ Virginis ad replendũ cœlum;

Resp. Matrimonium Euæ fuit ad replendam terram, sed matrimonium Virginis fuit ad replendum cœlum, quæ concepit sine corruptione, portauit in vtero sine grauitate, peperit sine dolore, genuit Filium absque peccato, qui venerat delere peccata, & quia matrimonium Virginis fuit ad replendum cœlum, ideò ipsa merito cœlum nominatur. Vnde *Ier.* 23. dicitur: *Cœlum, & terram*, id est, animam, & corpus Mariæ, *ego impleo. Daniel Agricola, Ordinis Sancti Patris nostri Francisci, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis, secunda Stella, nonæ coronæ.*

B. Virgo prius concepit verbum in mente per fidem, quam in ventre.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 23. vers. 24. *Cœlum, & terram ego impleo.* Quare prius dicit cœlum, quam terram?

Resp. Nota prius dicit cœlum quam terram, quia prius concepit eum Virgo in mente per fidem, & dilectionem, quam in ventre per naturæ vnionem. *Daniel Agricola ibidem.*

B. Virgo se totam in seruitio nostro ponit.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 26. vers. 14. *Ecce in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum, & rectum est in oculis vestris.* Quo sensu hęc verba aptantur Beatæ Virgini?

Resp. Ipsa est quæ se ipsam exemplo Filij totam se nobis, & pro nobis offert, sicut dixit Ieremias tribulatoribus suis, sic ipsa dicit amatoribus suis. *Ecce ego*; scilicet, Mater Dei Regina cœli, *in manibus vestris sum*, me totam in seruitio vestro ponendo. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 30. vers. 14. *Ædificabitur Ciuitas in excelso suo, & Templum iuxta ordinem sunum fundabitur.* An Beata Virgo dicatur Ciuitas ędificata in excelso, & iuxta ordinem fundata?

B. Virgo omnibus est firmamentum, & exemplũ,

Templum Trinitatis

Resp. Ipsa est Ciuitas altitudinis, ędificabitur à Domino Ciuitas, id est, Maria in excelso, vt sit omnibus firmamentum, exemplum, *Matth. 5. Non potest Ciuitas abscondi super montem posita.* Et Templum gratię, & glorię, & misericordię; immò & Templum Trinitatis, quod totum est Maria, *iuxta ordinem suum*, qui singularis ordo est, & excellentissimus super omnes homines, & super omnes Angelos, *fundabitur*, per humilitatem, erigetur per spem, decorabitur per charitatem. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 31. vers. 22. *Creauit Dominus nouum super terram.* Quare hęc prędicuntur Israelitis?

Resp. Prędicit, ac promittit Propheta Israelitis, qui duro captiuitatis iugo pręmebantur liberationem, reditum in patriam, ac rerum omnium fœlicitatem. Et vt intelligerent vnde tanta beatitudo expectanda foret, attendite, inquit, diligenter, & audite, quod antea nunquam cognoueratis: *Nouum creauit Dominus super terram, Fœmina circundabit virum.* Ista captiuitas temporalis, sicut &

an-

antea Ægyptiaca illa ſeruitus ſpiritalem nobis adumbrabat captiuitatem, & ſeruitutem, quam prima culpa; ſuperbiaque parentis, vniuerſum genus humanum incurrit. Verum huius tam grauis, ac ęrumnoſæ ſeruitutis, & captiuitatis iugo preſsis, maximam adfert conſolationem, ſpemque libertatis Prophera prædicens, ac promittens aduentum Mariæ Virginis, & Chriſti Domini ex ea generis humani Redemptoris. *Adrianus Mangotius, Societatis Ieſu.*

Aduentus Chriſti, & Mariæ maximã attulit conſolationem, & ſpem.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 22. *Creauit Dominus nouum.* Quare dixit creauit?

Creator omnium in ſua Incarnatione factus eſt creatura.

Reſp. Benè dicitur *creauit*, quia creare eſt nouum aliquid facere, quod antea non fuiſſet. Benè etiam dicitur creauit, quia in ſua Incarnatione Creator omnium factus eſt creatura. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus B. Virg. cap. 13. num. 1.*

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 22. *Creauit Dominus nouum.* Quare opus Incarnationis dicitur nouum?

Reſp. Ducite fideles Chriſti feſtiuiſsima gaudia, res nobis hodie perfecta eſt noua, quæ olim fuerant repromiſſa, vt ſine Virginis detrimento pudoris Filium lactarent vbera Genetricis. Hęc illa eſt nouitas Ieremię Prophetę vaticinio nunciata: *Faciet Dominus nouum ſuper terram*; & quaſi quandam lucernam huius obſcuritatis accendens continuo ſubiecit, fœmina circumdedit virum. Hoc eſt, inquit, nouum, quod ſuper terram dico Dominum eſſe facturum, quia fœmina circumdabit virum. *D. Auguſt. ſerm. 5. de Natali Domini.*

Opus Incarnationis nouum ſuper terram.

2. Reſp. Verè enim fuit hoc nouum, & in auditum à ſęculo alioquin nouum non eſſet, niſi ſupra naturam, & contra ſolitum curſum naturę Virgo Deum, & hominem ſine complexu virili genuiſſet. Item bene dicit nouum. Tres enim mirabiles nouitates mirabiliter ſingulares, & ſingulariter mirabiles, quales nec factę ſunt, nec amplius faciendę ſunt ſuper terram, fecit omniporens illa Maieſtas in Aſſumptione noſtrę carnis, quando coniuncta ſunt ad inuicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, fides, & cor humanum. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. quarta Stella, tertiæ coronæ.*

Supra naturã, & contra ſolitum curſum naturæ fuit, quod Virgo Deum, & hominem ſine complexu virili genuiſſet.

Deus in Aſſumptione carnis fecit nouum, quando coniuncta ſunt ad inuicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, fides, & cor humanum.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 22. *Creauit Dominus nouum ſuper terram.* Quare dixit ſuper terram?

Reſp. Super terram quia conceptus, & partus Virginis omnem tranſcendit intellectum humanum. Vnde dicit *Beatus Ioannes cap. 1. Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere*, id eſt, explicare vnionem verbi. *B. Albert. Magn. lib. 4. de laudib. B. Virg. cap. 13. num. 1.*

Conceptus, & partus Virginis tranſcendit intellectum humanum.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 22. *Fœmina circundabit virum.* Quare dixit circundabit?

Reſp. Aduertite fratres, & me potius veſtro intellectu prędcedite: *Fœmina*, inquit, *circundabit virum*, ò fœmina ſuper fœminas benedicta, quę & virum non cognouit, & virum in vtero circundedit, quę concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de ſpiritali ſemine gratulatur. Circundat Maria virum Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum ſerpenti conſentiendo. *D. Auguſtinus ſerm. 5. de Natali Domini.*

B. Virgo circundedit virum; Angelo fidem dando.

2. Reſp. Solet homo circundare quod ſuum eſt proprium, non quod alienum; in alijs filijs ſubſtantia filij non eſt tota propria matris, ſed & patris, & ideò nulla mater circundat filium, vt Virgo Maria; omnis alia figura pluribus lineis formatur; circularis verò figura vna linea clauditur; ſic Beata Virgo ſola clauſit intra viſcera ſua Chriſtum. Alij filij duabus lineis figurantur; ſcilicet, patre, & matre, quod circundatur ex nulla parte eſt apertum, ſed vndique clauſum: ſic Beata Virgo Maria ante partum, & in partu, & poſt partum, & ideò circundabit virum; ſcilicet, Ieſum totum perfectum. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 42. §. 3. Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. poſt Domin. 1. Quadrag.*

Subſtantia Filij tota, & propria Matris.

B. Virgo ſola clauſit intra viſcera Filium.

B. Maria Virgo ante partum, in partu, & poſt partum.

Sine vlla opera viri concepit.

3. Reſp. Fœmina Maria Virgo circundabit, id eſt, ſuo vtero concipiet, cinget, complectetur, ſine vlla opera viri, totum id opus erit huius fœminæ, operante Spiritu Sancto, virum fortem, ſeu prævalidum Chriſtum, & ſi corpore puſillum ſapientia tamen, & intelligentia, virtute, potentia, & cæteris Spiritus Sancti Donis perfectiſsimum, & abſolutiſsimum virum. Inſigne vaticinium de conceptu Filij Dei ex Virgine Maria, quod etiam veteres Doctores Hebræorum, ex hoc loco agnouerunt apud *Galatinum lib. 7. Arcanorum Catholicæ Veritatis. Thomas Maluenda, Ordinis Prædicatorum.*

Chriſtus in vtero Virginis, etſi corpore puſillus, ſapientia, virtute, potentia, Spiritus Sancti Donis perfectiſsimus.

Abſque opere humano concepit.

4. Reſp. Fœmina circundabit virum in gremio vteri ſui, quaſi non creauit, vel generauit, vel aliquo opere alio humano faciet, ſed tantum circundabit. *Hugo Cardinalis.*

Dominus Ieſus non dum natus, vir erat, non ætate, nec corpore, ſed animi vigore.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 22. *Circundabit virum.* Cur dixit virum, non infantem?

Reſp. Si dixiſſet infantem, vel paruulum, nec nouum videretur, nec mirum, ſed vir erat Ieſus nec dum natus, ſapientia quidem non ætate, nec corporis, ſed animi vigore. Hanc quoque Ieremiæ nouitatem Iſaias luciditſsimè aperit, dum dicit: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum, ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Vides quam pulchre, & concorditer mirafacta Sanctorum, & myſtica dicta ſibi inuicem conueniunt? Vides quam ſtupendum ſit hoc vnum de Virgine factum miraculum, quod tot miracula præuenerunt, tot oracula promiſſerunt. *Albertus Caſtellanus ſermone de laudibus B. Virg. ex Sanct. Patr. dictis.*

Dicta Sanctorum ſibi inuicem conueniunt.

Incarnationis Myſterij multa oracula promiſſerunt.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 31. verſ. 23. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons Sanctus.* Quare Beata dicitur mons Sanctus, & pulchritudo iuſtitiæ?

B. Virgo habuit excellentiam meritorum.

Reſp. Mons Sanctus eſt Sancta Maria, quæ benè mons dicitur propter excellentiam meritorum, propter altitudinem vitæ, & morum. Pulchritudo huius montis; pulchritudo, inquam, iuſtitiæ, pulchritudo vitæ, & morum Mariæ tanta fuit, vt merito in Canticis de ipſa dici poſsit, *Cant. 4. Tota pulchra eſt amica mea*, pulchra itaque in vita, pulchra in morum diſciplina, & tota pulchra, quommodo tota. *Audi D. Hieron. tom. 9. cap. 10. in Aſſumpt. B. M. Virg.* Quidquid in Maria heſtum eſt totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum miſericordia, & iuſtitia; quæ de cœlo proſpexit, tali pulchritudini Mariæ Domi nus merito benedixit. *D. Bonauent. in ſpecul. B. Virg. Lect. 14.*

Altitudinem vitæ, & morum.

Pulchra in vita, pulchra in morum diſciplina.

Nihil eſt virtutis, quod ex B. Virgine nō reſplendeat.

2. Reſp. Diuinam pulchritudinem Beata Virgo habuit, in cuius vtero ipſa Diuina pulchritudo nouem menſibus habitabit, de qua dicitur *Pſalm. 44. Concupiſcet Rex decorem tuum. D. Hieronym.* Si Mariam diligenter aſpicias, nihil eſt virtutis, nihil ſpeciei ſitatis, nihil candoris, quod ex ipſa non reſplendeat. *Iacob. de Voragine ſerm. 5. in Annuntiat. B. Virginis Mariæ.*

Qui B. Virginē colit nullas timebit inſidias.

3. Reſp. Ipſa eſt mons, & domus totius ſecuritatis. *Ierem. 31.* conſolans peccatores dicit, adhuc dicunt verbum iſtud. *Gloſſ.* fideles: *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons Sanctus. Gloſſ.* in quo quis habitabit nullas timebit inſidias. Capitales inimicitias habens, libenter ædificaret, id eſt, vbi eſſet tutus, ſic tu cole Virginem per deuotionem, & tutus eris. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Qui B. Virgini ſeruire deſiſtit, patitur penuriā omnis boni.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 18. *Ex eo autem tempore quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Quo ſenſu exponuntur hæc de Beata Virgine?

Reſp. Regina cœli eſt Beata Virgo, cui qui ſeruire deſiſtit, patitur penuriam omnis boni, qui autem humiliter ei ſeruit abundat omni bono, ipſa enim optime procurat familiam ſuam; vnde *Prou. vltimo de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis.* Tunc de nocte ſurgit, quando in aduerſitatibus noſtris orat pro nobis,

In aduerſitatibus noſtris orat pro nobis.

ſed

Quando alij Sancti non poſſunt impetrare à Deo, B. Virgo quaſi violẽta oratione impetrat à Filio.

ſed tunc dat prædam. Domeſticis ſuis, quando alij Sancti non poſſunt, quaſi violenta oratione impetrat à Filio ſuo, & inde cibat ancillas ſuas, id eſt, humiles ſibi ſeruientes; ſcilicet, effectu petitionum, quem quaſi vi obtinet à Filio ſuo. *Eccleſiaſtic. 24. Ego quaſi fluuius Dorix, & ſicut aquæductus exiui à Paradiſo: Dixi rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Hugo Cardinalis.*

THRENI.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Quommodo ſedet ſola Ciuitas, facta eſt quaſi vidua Domina gentium, Princeps Prouinciarum facta eſt ſub tributo.* An Beata Virgo dicatur facta ſub tributo?

B. Virgo dolores quos effugit pariẽs, in paſsione Chriſti ſuſtinuit.

Reſp. Sponſa Dei electa in morte Filij ſui vidua facta eſt dolores ſuſtinens, & afflictiones ſuper modum, facta eſt ſub tributo doloris, & angustiæ. Vnde *Damaſcenus.* Ipſa Beata Virgo Maria, & earum, quæ ſuper naturam digna effecta, Dominarionum; dolores quos effugit pariens, hos in Chriſti paſsionis tempore omnes ſuſtinuit amanter, naturali compaſsione viſcerum lacerationem tolerans. Etque Deum cognouit per natiuitatem, hunc vt maleficum interfectum videns, cum gladio, cogitationibus lacerabatur. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 12. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Quare Beata Virgo rogat tranſeuntes, vt videant ſi eſt dolor, ſicut dolor Virginis?

Reſp. Conſiderando cauſam Paſsionis Filij mei, videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus, conſidero enim quod cauſa huius Paſsionis, eſt vt redimatur genus humanum & ſatisfiat Deo pro peccato humani generis totius, & pro peccatis duo non ſolum originalibus, ſed etiam actualibus, mortalibus, & venialibus, totius humani generis, non ſolum pro electis, ſed & pro reprobis. Cum ergo pro quolibet mortali debeatur pœna infinita, id eſt, infernalis, nec homo cum ſit virtutis finitæ poteſt per ſe ſatisfacere debito infinito, vt Deo ſatisfieret de tantis offenſis; oportet quod Chriſtus Filius meus, qui infinitus eſt ſua Diuinitate in humanitate aſſumpta patiendo: ſic ſatisfaceret pro omnibus per paſsionem meriti infiniti, vnde pœnam ſuſtinebit pro omnibus peccatis noſtris, & ſic pœna eius erit quaſi infernalis. Cum ergo Filius meus ſuſtineat tales cruciatus, ego quæ ſum Mater, & Pater eius, quia non alium Patrem habet in terris optimus, amantiſsimus. Videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus; vt & ego dicere valeam dolores inferni circundederunt me, gemitus mortis, & dolores inferni circundederunt me. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 41. §. 2.*

Non fuit dolor, ſicut dolor B. Virginis in paſsione Filij.

2. Reſp. Sicut non fuit dolor, ſicut dolor ille, qui tranſiuit corpus, & membra Filij, ſicut ipſe dicit *Threnor. 1. O vos omnes*, ſic non fuit dolor, ſicut dolor ille, qui Matris viſcera per compaſsionem pertranſiuit, vnde in *Pſalm. 44.* notabiliter dicitur: *Circundata varietate*, videlicet tot dolorum, quot Filium ſuum videbat patientem. Hinc enim videbat caput ſpinis coronari hinc genas auelli, hinc vultum conſpui, hinc manus, & pedes configi, hinc os felle potari, hinc caput expirantis ſuper humerum inclinari, hinc latus mortui lancea aperiri, verè ergo circundata varietate dolorum. *Daniel Agricolæ corona duodecim Coronarum B. Virginis Mariæ, Vndecima Stella, ſecundæ coronæ.*

Tot dolores ſuſtinuit quot Filius paſſus eſt.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 13. *De excelſo miſsit ignem in oſsibus meis, & erudiuit me.* Quem ignem miſsit Dominus in Beatam Virginem ad erudiendum eam?

Spiritus Sanctus intellectum Virginis illuminauit, voluntatem inflammauit.

Resp. Dicere potuit ipsa Virgo Maria: *De excelso missit ignem in ossibus meis, & erudiuit me*, ossa Virginis potentiæ interiores, in quibus consistit virtus animæ. De excelso ergo cœlo missit Deus ignem Spiritus Sancti in potentijs Virginis, in intellectu ad illuminandum, in affectu ad inflammandum, in sensitiua ad desiccandum; scilicet, concupiscentiam, in generatiua ad fœcundandum. De omnibus erudiuit eam Deus de his, quæ oportuit. *D. Antoninus de Missione Spiritus Sancti ad Mariã Virg.*

Spiritus Sanctus ad B. Virginẽ missus ad desiccandum in sensitiua cõcupiscentiam, & ad fœcundandum in generatiua.

Dub. 4. Ad illa verba; cap. 1. vers. 20. *Vide Domine quoniam tribulor.* Quommodo hæc verba aptantur B. Virgini?

Resp. Ipsa est Mater amaritudinis in Filij passione, quæ fuit Mater dulcedinis in Filij sui dulcissimi conceptione. Dirigens ergo ad Deum Patrem orationem suam dicit: *Vide Domine*; scilicet, ò Pater vt pium iudicem cruciatus flectat. Vide primo Filium tuum pulcherrimum, deformissimum; excelsum deijcissimum, & clamantem ad te. *Matth.* 27. Eli, eli, vt quid dereliquisti me. Vide Filium tuum super omnia mihi coniunctissimum, per mortem corporalem disiunctissimum. Vide secundo me pauperem Mariam Matrem vnigeniti tui. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo Mater amaritudinis in Filij passione, quę fuerat Mater dulcedinis in Filij conceptione.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Amaritudine plena sum.* Quare Beata Virgo dicit se amaritudine plenam?

B. Virgo plena amaritudine in passione Filij.

Resp. Vide pauperem Mariam Matrem vnigeniti tui, quoniam amaritudine plena sum, quæ aliquando fui dulcedine plena, quando Angelus dixit mihi: *Aue gratia plena*, modo mihi væ dici potest. Væ tibi Maria, amaritudine plena in anima, quam gladius pertransiuit in auribus audiens clamorem insultantis Vahu, qui destruit Templum. Tertio audiens clamorem clamantis: *Vt quid dereliquisti me, Ioann,* 19. vel audiens clamorem se à me licenciantis, & dicentis: *Mulier, ecce Filius tuus.* Vel plena in oculis videns coronatum spinis, lanceatum sputis illitum, vndique sanguine cruentatum. Quia ergo nunc amaritudine plena sum, rogo, & volo, vt peccatores sint pleni misericordia, iusti gratia, electi gloria. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. vers. 13. *Magna est velut mare contritio tua.* An dolor B. Virginis magnus fuerit velut mare?

Resp. Iuxta huius sacratissimi, ac melliflui Nominis Maria interpretationem, Stella es, ac myrrha maris, amarum item mare. Et quidem myrrha maris fuisti ratione compassionis amarissimæ, qua veluti acutissimo gladio anima tua sanctissima transfixa est, ac veluti inquieti maris fluctibus exercita. Verba illa Domini dicere poteras, *Psalm.* 87. *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Magna sane velut mare fuit contritio tua. *Adamus Brouuerus in Coloniensi Academia Theologus.*

B. Virgo in passione Filij veluti inquieti maris fluctibus exercita.

BARVCH.

Dvb. 1. Ad illa verba, cap. 3. vers. 24. *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Christus debitor est B. Virgini.

Resp. Euge, euge, quæ tibi obnoxium habes illum omnium fœnaratorem, omnes namque Deo debitores cum simus, Tibi ipsi est debitor. O Deo probata, Deumque mortalibus generationibus principium tribuentem vberibus tuis snbiectum habens. Sic celeberrimus quodam loco Propheta *Baruch* 3. quam prorsus incomprehensibilis sis erudiens nos. *O quam magna domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus, & non habet finem, sublimis, atque immensus. D. Methodius de Purific. B. M. Virg.*

B. Virgo prorsus incõprehensibilis.

2. Re.

B. Virgo vtitur Angelis vice aulicorum.

2. Resp. Beata Virgo non modo Hera, ac Domina tam amplissimi imperij est; verum vtitur etiam spiritibus illis Beatis vice aulicorum, ac pedis eius claudentium, quorum ad omnia paratissimorum, turmatim semper, & ordinatissimè latera, curiamque ipsius magnificè implentium. *Alexius à Salo, Ordinis Sancti Patris nostri Francisci, Capuccinus.*

B. Virgo liber, in quo tot scripturæ, quot opera virtutum.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. vers. 1. *Hic liber mandatorum Dei.* An Beata Virgo dicatur liber?

Resp. De hoc libro virginali ait Baruch, *cap. 4. Hic est liber mandatorum.* Mandata Dei sunt de operibus virtutum. Tot sunt in hoc libro scripturæ, quot opera virtutum, ille verò legit in eo, & colit, qui eam imitatur, & diligit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 4. §. 1.*

B. Virginem colit, qui eã imitatur.

EZECHIEL.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni.* Quare super firmamentum est thronus Sapphirinus?

B. Virgo exaltata super Choros Angelorum.

Resp. Potest dici quod firmamentum sunt Angeli, thronus autem Sapphirinus, est Beata Virgo, quæ est exaltata super firmamentum, id est, super Choros omnium Angelorum. De quo throno dicit *Psalm. 88. Thronus eius sicut Sol in conspectu meo semper. Hugo Cardinalis. D. Bonauentura in speculo B. Virg. Lect. 13.*

B. Virgo thronus non iudicij, & vindictæ, sed misericordiæ.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Similitudo throni.* An B. Virgo dicitur thronus?

Resp. Ipsa est thronus non iudicij, & vindictæ, sed misericordiæ, & gratiæ. Vnde *Hebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*, vt misericordiam consequamur, & gratiam in auxilio opportuno. Item *Cant. 3. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Hugo Cardinalis.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. ver. 26. *Quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni.* An Beata Virgo comparetur lapidi Sapphiro?

Resp. Iste thronus dicitur Sapphirinus. Sapphirus enim paruus est, & transparens, restringit fluxum sanguinis, fugat antracem, & aerei coloris est. Similiter Beata Virgo aerei coloris est, per cęlestem inhabitationem. Transparens est per perspicacem de Deo agnitionem, quia Diuina claritate tota perfusa est: vel transparens ad corporis glorificationem, quia in corpore pie potest credi glorificata. Restringit fluxum sanguinis, quia præstat nobis auxilium ad restrictionem libidinis. Fugat antracem superbiæ, quia illis qui se coniungunt sibi per charitatem, & deuotam supplicationem confert humilitatem cordis. *Hugo Cardinalis.*

B. Virginis conuersatio cœlestis.

B. Virgo perspicacem habuit de Deo agnitionem.

In corpore glorificata.

B. Virgo præstat auxilium ad restrictionem libidinis.

Confert humilitatẽ cordis.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Ecce manus missa ad me in qua erat inuolutus liber.* Quare Beata Virgo Maria dicitur liber inuolutus?

B. Virgo Apostolica prædicatione, & collatis quotidie beneficijs nota.

Resp. In quâ erat inuolutus liber, id est, Maria de qua nihil, vel parum antea sciebat mundus. Et expandit illum coram me, quod factum est secundum quod in Apostolica prædicatione, & quotidie fit in beneficiorum eius inumera perceptione. *B. Albert. Magn. lib. 12. de laud. B. Virg. cap. 7. num. 16.*

B. Virgo scientiam habuit vtriusque Testamenti.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. vers. 9. *Erat scriptus intus, & foris.* Quare hic liber dicitur scriptus intus, & foris?

Resp. Scriptus fuit hic liber foris quantum ad scientiam Veteris Testamenti; vnde dicit: *Sicut locutus est ad Patres nostros*; intus scientia Noui, quod tanquam Magistra docuit Apostolos, ideò dicitur *Lucæ 2. Maria conseruabat omnia verba hæc*, tanquam liber. *B. Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Virg. cap. 7. num. 15.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 3. vers. 12. *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Quare Beata Virgo dicitur gloria Domini?

Resp. Gloria Domini est gloriosa

Mater Domini, quæ verè benedicta est propter gloriam quam habet. De loco suo duplici benedicta, de loco quo Filius eius apud ipsam requieuit in vtero benedicta est, de loco quo ipsa apud Filium requiescit in cœlo, vterque enim locus dignissimus est, sicut patet per *Beatum Bernardum*, dicentem sic: Nec in mundo locus dignior virginalis vteri thalamo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, quo Mariam Filius Mariæ sublimauit. Benedicta est ergo Maria propter gloriam suam. *D. Bonauentura in Speculo Beatæ Mariæ Virginis, cap. 12.*

Benedictus vterus B. Virginis.

In mũdo nullus locus dignior virginalis vteri thalamo, in quo Filium Dei suscepit.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 3. vers. 24. *Ingredere, & includere in medio domus tuæ.* Cur dicitur Ezechieli ingredere?

Resp. Regina Prophetarum Virgo Maria, est domus fraternitatis in qua Filius Dei ordinem, & habitum humani generis induit, & assumpsit, & factus est frater noster. *Ezech.* 3. dixit Dominus ad Ezechielem, *Gloss.* qui interpretur, *roboratus a Deo*, & significat Christum. *Ingredere* subtiliter, sicut Sol per fenestram vitream, largiter sicut pluuia in vellus. Humiliter sicut vincula pœnalitatum, omnia assumendo mirabiliter, vt quem totus Orbis non potest includere, vterus tenellæ Virginis includat. Vnde sequitur: *Et includere in medio domus tuæ*, id est, in vtero Mariæ. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo domus fraternitatis, in qua Filius Dei ordinem, & habitum humani generis induit.

Quem totus mũdus capere nõ potuit, vterus Virginis inclusit.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 3. vers. 24. *Includere in medio domus tuæ.* Quare dixit includere in medio domus tuæ?

Resp. Includere, vt operator, *Psam. 73. Operatus est salutem in medio terræ.* Includere vt conseruator, qui & se, & alios in domo fraterna includit, vt protegantur, & non lædantur. Includere vt obses, qui vinculatur, donec reddatur id quod promissum est. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Filius Dei inclusus in vtero Virginis, vt operator, vt conseruator, vt obses.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 11. vers. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* An Beata Virgo auferat cor lapideum ad homine?

B. Virgo duros peccatores conuertit ad pœnitentiam.

Resp. Mater Domini habet dominium super lapides, id est, super corda lapidea, & adamantea peccatorum, vt ipsos conuertat ad pœnitentiam. Iuxta illud Propheticum Ezechielis: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, atque domesticum. Albertus de Marquesiis, Ordinis Sancti Patris nostri Franciſci, in Cœliloquio Morali de B. Virg. Maria.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 16. vers. 10. *Vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & vnxi te oleo.* Quare Propheta descripsit ornamenta Ierusalem?

Resp. Videamus quid de gloria Ierusalem, & splendore cœlestis dicat Spiritus Sanctus: *Vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te subtilibus, ornaui te ornamento*, id est, me fortasse toto, qui totus ornamentum sum, & pulcherrimum, non muliebre, sed virile mundum. Si talibus dignatus est Dominus Ierusalem ornamentis, cœlestia, & recondita Sacramenta in se continentibus, quid non talibus, & longe melioribus, insigniuerit Reginam cœlorum, & singularem mundi, & Angelorum Dominam? *Alanus Varenius ſerm. 2. de laudib. B. Virginis.*

B. Virgo multis donis, & virtutibus insignita.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 17. vers. 24. *Exaltaui lignum humile.* Quod nam lignum humile exaltatum a Deo?

B. Virgo merito humilitatis exaltata in Matrẽ Domini.

Resp. *Exaltaui lignum humile*, scilicet, Mariam, quæ exaltata est merito humilitatis suæ in Matrem Domini, & Reginam Paradisi. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Virginis, cap. 6. num. 12.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 18. vers. 31. *Quare moriemini domus Israel.* Quare hæc Dominus dixit domui Israel?

Resp. Ipsa est tantorum meritorum, in summo apud Deum præ omnibus Sanctis Virgo Maria, quod quasi mirando, & quasi inter-

Peccatores meritis B. Virginis viuunt vita gloriæ.

terrogando quærit Dominus à peccatoribus, quare moriantur morte æterna cum viuere possint vita gloriæ meritis, & intercessione Virginis Mariæ. *Ezech.* 18. *Hæc dicit Dominus*; scilicet, ad peccatores desperatos, & per peccatum mortificatos; *quare moriemini*, ita crudeliter, ita viriliter, ita negligenter, ita totaliter, *domus Israel*, *Gloss.* qui estis Filij Israel, Abraham, Isaac, & Iacob. Qui patrum merito debetis viuere, ex quo sic concludo. Si meritis Abraham, Isaac, & Iacob possumus viuere, qui fuerunt peccatores, & serui Dei, multo fortius possumus, & debemus vita gloriæ meritis post Dominum supremis Virginis Mariæ. Quæ Mater Dei est; Domina mundi, Regina cœli, cui omne iudicium misericordiæ dedit Dominus Filius post se, vt omnes honorificent Matrem. Quia igitur Filij misericordiæ eius sumus, clamat Dominus dicens, illud quod statim sequitur in littera: *Nolo mortem morientis*, *Gloss.* quia debetis viuere mea misericordia, & merito, & precibus Virginis Matris Mariæ. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Nullus Sanctorū ita potenter potest se opponere iræ Dei, sicut B. Virgo.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 22. vers. 30 *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, & non ieueni.* Quare non inuenit, qui se apponeret iræ Dei?

Resp. Ipsa est Regina illa, quæ stat à dextris Dei in vestitu deaurato; stat autem ibi, vt se opponens iræ Dei, & plagæ Dei contra peccatores, quia nullus Sanctorum, ita potenter facit vt ipsa, nec potest facere. *Ezech.* 22. *Hæc dicit Dominus, quæsiui virum*, qui interponeret sepem, *Gloss.* id est, intercessionem, *& staret oppositus contra me pro terra*, id est, peccatore, qui non cœlum, sed terra dicitur propter peccatum, *ne dissiparem eam*, crudeliter, celeriter, & totaliter, *& non inueni*: sed hoc est, reseruatum Virgi Mariæ; cuius officium, hoc est, & specialiter iniunctum

Officium B. Virgini specialiter iniunctum à Domino, opponere se iræ Dei, & pro peccatoribus exorare.

à Domino, *B. Albertus Magnus in Biblia B. Virg.*

B. Virgo Filium Dei vestiuit humanitate nostra.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 32. vers. 7. *Solem nube tegam.* Qua nube tectus Sol?

Resp. Ipsa est nubes candidissima vestiens Solem Iustitiæ humanitate nostra in Incarnatione sua. *Ezech.* 22. *Solem*, id est, Christum, nube humanitatis in vtero Mariæ tegam sapienter humiliter, & misericorditer. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo tam multis diuitijs cœlestibus superfunditur, vt eas sine mensura accepisse videatur.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 40. vers. 3. *Funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius.* Quis sensus huius visionis?

Resp. Visionis mysticus sensus erat neminem futurum fuisse in Ecclesia, qui incertam, limitatamque mensuram spiritualium donorum, tam gratiæ, quàm gloriæ, non haberet; sola Virgo tam multis diuitijs cœlestibus, & gratiæ, & gloriæ superfunditur, vt eas sine mensura accipisse videatur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. vers. 11. num. 19.*

B. Virgo ad hoc electa, vt esset refugiū peccatorum.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 40. vers. 5. *Et ecce murus foris secus in circuitu domus vndique.* An Beata Virgo dicatur murus?

Resp. Muri patrocinia, & beneficia Beatæ Virginis ad illos, qui transgressi sunt regulam Euangelicæ doctrinæ, pro quibus se opponit, tanquam murus pro ira Dei, qui ad hoc elegit eam, vt esset refugium peccatorum. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis, tertia Stella, nonæ coronæ.*

Per Beatam Virginē exiuit de cœlis ad nos quidquid gratiæ venit in mundum.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 44. vers. 1. *Conuerti me ad viam portæ Sanctuarij exterioris.* An Beata Virgo dicatur porta?

Resp. Dicitur autem Beata Maria porta, quia cum proprietas portæ sit importare, & exportare, id est, medium per quod res ab extra, ad intra Ciuitatem, vel domum portantur, & etiam medium, per quod res quæ sunt intus in Ciuitate, vel domo ad extra portantur; ita per Beatam Mariam

riam exiuit de cœlis ad nos, quidquid vnquam gratiæ creatum venit in mundum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 12.*

B. Virgo fuit porta per quã Filius Dei intrauit ad nos.

2. Reſp. Fuit Beata Virgo porta, quia ſicut ad introeundum, & exeundum porta ſeruit habitatoribus; ita Domina Virgo fuit fœlix porta, per quam Deus intrauit ad nos, cum de ea Redemptor noſter veram carnem humanam aſſumpſit, & per quam exiuit quando poſt nouem menſes de ipſa natus eſt verus homo. *Abulenſis in Prædoxo de Vaſe mirabili Mariæ, cap. 1. §. 3.*

3. Reſp. Per portam Sanctuarij exterioris; ſcilicet, Mariam intrauit in mundum. Benè enim porta per quam, & Deus ad nos, & nos acceſſum habemus ad Deum; Nam antequam ipſa fieret porta, erat quaſi murus continuus diuidens inter nos, & Deum, & ideò pauca, aut nulla celebrabantur comercia Angelorum, & hominum. Facta eſt autem porta, & factum eſt admirabile comercium, & deinceps terrena cœleſtibus ſociata. *B. Albertus Magnus lib. 10. cap. 31. num. 8.*

Per B. Virginem factum comercium inter Deum, & homines.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 1. *Quæ reſpiciebat ad Orientem.* Cur reſpiciebat ad Orientem?

B. Virgo verum lumen nobis effudit

Reſp. Hæc porta ad Orientem aſpiciebat quoniam verum lumen effudit, quæ generauit Orientem, peperitque Solem Iuſtitiæ. *Diuus Ambroſius de Inſtitutione Virg. cap. 18.*

2. Reſp. Benè Maria dicitur porta Orientalis, quia per eam ingreſſus eſt in mundum verus Oriens, qui nos viſitauit ex alto; & quia per eam oritur in nobis gratia, & patet acceſſus ad verum Orientem, id eſt, Chriſtum, qui ortus eſt ex ea, & ipſa eſt principium ortus noſtri ad vitam. Porta autem Occidentalis fuit Eua, quæ fuit principium ingreſſus noſtri ad Occaſum, & mortem, ſed per Mariam ingreſſus eſt Dominus Deus Iſrael in Incarnatione, & egreſſus in Natiuitate, & ſemper perſeuerauit clauſa Principi, id eſt, ad honorem Principis; ſcilicet, Chriſti. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 13. num. 1.*

B. Virgo principium ortus noſtri ad vitam, quia Eua porta fuit Occidentalis, & ingreſſus noſtri ad mortẽ

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 1. *Et erat clauſa.* Quare hæc porta clauſa?

Reſp. Animaduerte, & prudenter intellige quicunque de virginea illa natura verba facis, quod ſcilicet, nullo modo virginalis illa porta patefacta ſit, eius prouidentia, & voluntate, qui antea in ipſa conceptus eſt. Hoc enim futurum prædixit Spiritus Sanctus, cum per Propheram dixit: *Hæc porta clauſa erit, & non aperietur.* Quantum igitur pertinet ad virginalem naturam, Virginis clauſtra nullo modo aperta ſunt. Quod verò pertinet ad potentiam Geniti Domini, nihil clauſum omnia aperta, nihil quod impedimentum afferre potuerit, cum omnia Domino ipſi ſint reſerata. Quamobrem, & ſuperiores potentiæ clamantes dicebant inferioribus. *Pſalm. 23. Tollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ. Sanctus Amphilogius Græcæ Eccleſiæ Doctor Iconij in Lycaonia Epiſcopus.*

Virginis clauſtra nullo modo aperta ſunt

2. Reſp. Quid eſt: *Clauſa erit in æternum?* Niſi quod Maria Virgo eſt ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum. *D. Auguſtinus ſerm. 10. in Natali Domini.* Hanc portam dicit Propheta clauſam eſſe, & fore in æternum, quia Domina noſtra licet conceperit, & peperit, virginitatis tamen integritatem non amiſit. *Abulenſis in Paradoxa de Vaſe mirabili Mariæ, cap. 1. ſect. 2. Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 12.*

Virgo ante partũ, in partu, poſt partum.

Concepit, & peperit virginitatis tamen integritatem non amiſit.

3. Reſp. Vt claritas ſolis vitrum abſque læſione penetrat, & vt radius oculorum tranquillo, & claro liquori ſine deciſione, & diuiſione immergitur, & vſque ad fundum vniuerſa rimatur; ſic Dei Verbum adijt virgineum habitaculum, & inde prodijt clauſo Virginis vteto; quippe qui facile poſſet extra Virginem corpus creare de nihilo, facile potuit corpus acceptum de Virgine extra

Filius Dei legi naturæ in Incarnatione non ſe ſubdidit, ſed legẽ naturæ ſubdit ſibi.

ſine

ſine carnis ſciſsione traijcere, nec enim legi naturę ſe ſubdidit, ſed legem naturæ ſubdit ſibi. *D. Amadeus hom. 3. de Virginitate Mariæ. D. Antoninus vbi ſupra. Hugo Cardinalis.*

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 2. *Vir non tranſibit per eam.* Quare vir non tranſibit per eam?

B. Virgo porta aperta Domino, ſed nõ viro.

Reſp. Quid eſt ergo quod Dominus ad Ezechielem teſtatur porta hæc clauſa erit, & non aperietur, aperta quidem fuit Domino, ſed non viro, ſicut ibidem ad ipſum dicitur: *Vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. Beatus Alanus de Rupe in Cant. cap. 5.*

B. Virgo incognita viro.

2. Reſp. Quid eſt homo non tranſibit per eam, niſi quod Ioſeph non cognouit eam. *D. Auguſtinus ſerm. 10. in Natali Domini.*

3. Reſp. In eo quod dicitur vir non tranſibit per eam perfecta commendatur carnis eius integritas, quam non attigit vir eius Ioſeph. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 31. num. 8. Abulenſis vbi ſupra.*

4. Reſp. Vir non tranſibit per eam, quia ſemper incognito viro. *Lucæ 1.* quommodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? *Hugo Cardinalis.*

Concepit nõ opere viri, ſed Spiritus Sancti.

5. Reſp. Vir non tranſibit per eam, quia Virgo Maria concepit non opere viri, ſed opere Spiritus Sancti. *Diuus Antonius Paduanus Dominica infraoctauas Epiphaniæ.*

Sanctus Gabriel non dicitur ingreſſus in B. Virginem, ſed ad eam.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 2. *Eritque clauſa Principi, Princeps ipſe ſedebit in ea.* Cui Principi clauſa erit?

Reſp. Principi, id eſt, ipſi Archangelo Gabrieli, vnde non dicitur ingreſſus in eam; ſed ad eam, *Lucæ 1.* licet in quoſdam alios boni Angeli dicuntur ingreſſi. Vnde *Ezech. 2. Ingreſſus eſt in me ſpiritus, & Zachariæ 2. Angelus qui loquebatur in me*, in hac verò portam ſoli Domino debebatur ingreſſus. *B. Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo clauſa diabolo, nulli tentationi ipſius mẽs eius patuit.

2. Reſp. Nota clauſa Principi, & Princeps ſedebit in ea. Principi enim huius mundi, id eſt, diabolo clauſa fuit, quia nulli tentationi ipſius, mens eius patuit, & Principi Chriſtus in ea ſolus ſedit per aſſumptæ carnis humanitatem. *D. Antonius Paduanus Dominica 3. poſt Trinitatem.*

Nullo virili contactu polluta.

3. Reſp. Erat enim prorſus rationi conſentaneum, vt Templum tantę venerationis in quo tanto tempore Dominus ipſe habitauerat, nullo vnquam virili contactu pollueretur. *Abulenſis in Paradoxa de Vaſe mirabili B. Virginis.*

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 44. verſ. 2. *Porta hæc.* An Beata Virgo dicatur porta?

Chriſtus per Beatam Virginem ingreſſus in Templum.

Reſp. Thema in Annuntiatione Domini; Porta Beata Maria, per quam eſt ingreſſus in Templum. *Pſalm. 117. Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam*, id eſt, per eius interceſsionem, *Gen. 28.* Quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Hæc eſt porta in qua factum eſt matrimonium inter Booz, & Ruth, id eſt, inter Chriſtum, & Eccleſiã *Ruth 4.* Iuxta hanc portam ſedens Dauid audiuit mortuum Abſalonem aduerſarium ſuum, *2. Reg. 18.* ideò dicitur *Ierem. 7.* Sta in porta domus Domini. Hæc eſt porta cui appropinquans Dominus ſuſcitauit mortuum. *Lucæ 7. Hugo Cardinalis.*

Per interceſsionem B. Virginis patet ingreſſus in cœlum.

Per B. Virginem factum matrimoniũ inter Chriſtũ & Eccleſiam.

2. Reſp. Portam hanc de qua loquitur Dominus ad Prophetam, Patres Deiparam Virginem intelligunt. Porta hæc reſpiciebat ad Orientem, quia Virgo Sanctiſsima antiquam requirebat patriam, Paradiſum, quem Deus conſeuit in Edem ad Orientem, non gerebat affectum ad iſta terrena, ſed ad cœleſtia ſemper anhelabat, quamuis corpore ſemper verſaretur in terra, animo tamen fixa cœlo hærebat. Deinde quia cum reliquis Veteris Teſtamenti Patribus ſummo deſiderio, atque amore tenebatur aduentus Chriſti Saluatoris, vt verus ille Sol Iuſtitiæ oriretur in mundo, ad operandam ſalutem hominum in medio

B. Virgo ad cœleſtia anhelabat.

B. Virgo cum reliquis Patribus Veteris Teſtamenti ſummo deſiderio tenebatur aduentus Saluatoris.

ter-

terræ. *Adrianus Mangotius, Societatis Ieſu, in Monita Mariana, Monito 5.*

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 46. verſ. 2. *Porta autem non claudetur vſque ad veſperam.* Quare non claudebatur vſque ad veſperam?

Vſque ad finem vitæ noſtræ, & vſque ad finem mundi inuenimus miſericordiã apud B. Virginem.

Reſp. Quia vſque ad finem vitæ noſtræ ſemper poſſumus inuenire miſericordiam apud Matrem miſericordiæ, & vſque ad finem mundi, vnde dicit, vſque ad futurum ſæculum non deſinam; ſcilicet, miſeris miſereri, & pro peccatoribus aduocare. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 31. num. 11.*

DANIEL.

B. Virgo ſingularem habuit virtutũ omnium excellentiam.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 34. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus.* An Beata Virgo dicatur mons?

Reſp. Mons merito dicitur Virgo Maria propter ſingularem virtutum omnium excellentiam quibus fuit ornatiſsima. *Adrianus Mangotius, Societatis Ieſu.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 34. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus,* Quare Chriſtus dicitur lapis de monte abſciſſus ſine manibus?

Chriſtus ſine humano ſemine de vtero virginali exortus.

Reſp. Abſque coitu, & humano ſemine de vtero virginali, *D. Hieronym.* Sine opere humano, ſine maritali amplexu de Virgine exortus eſt, hinc ipſe ad Patrem: *Tu es qui me extraxiſti de ventre Matris.* Tu es qui ſingulari opere ſpiritus tui extraxiſti me de ventre, abſque vllius hominis opere, & permanente Matris integritate. *D. Auguſtinus tract. 9. in Ioannem.* Per quem lapidem ſignificatur Chriſtus, qui de Virgine ſine manibus, id eſt, abſque virili ſemine natus eſt? *Didacus Aluarez in capit. 52. Iſaiæ, numer. 13.*

Deus excellẽtius benedictus in B. Virgine.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 56. *Benedictus es in firmamento cœli.* Quare Deus ſingulariter dicitur benedictus in firmamento cœli?

Reſp. Cum enim omnia opera Dei benedicant ei, quoniam nulla tam deſpecta creatura eſt, quæ non aliquo ſingulari beneficio laudem Dei videatur continere; excellentius tamen benedictus es in firmamento cœli, quod eſt Maria, non ſolum, quia ipſa cæteris creaturis ſingulariter præeminet; verum etiam quoniam luminarium ſuorum, id eſt, virtutum ornatu multiplici, inſtar firmamenti miram Dei potentiam in ſe mirabiliter oſtendit. *Beatus Albertus Magnus lib. 7. de laudibus B. Virg. M. verſ. 3.*

B. Virgo virtutum ornatu miram Dei potentiam in ſe mirabiliter oſtendit.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 57. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quo ſenſu hæc aptantur Beatæ Virgini?

B. Virgo collaudata ab Angelis, hominibus, & corporalibus rebus.

Reſp. Collaudatæ quippe ſunt aliquæ mulieres ex virtutibus ſuis, & benedictæ ab hominibus, vt Iudith, & aliquæ aliæ; ſed nulla earenus vt Maria, collaudatur enim ab Angelis, ab hominibus, & ab omnibus corporalibus rebus. Ab Angelis quidem: *Benedicta tu in mulieribus,* & merito, quia genuit Angelorum reſtauratorem conciuium ſuorum Redemptorem. Reſtaurauit enim Filius ſuus reddendo per equipollentiam deperditum, multiplicando numerum, & augmentando ſuperadditum; ſcilicet, quartam Herarchiam, in qua ipſe cum Matre ſua ſuper omnem Herarchiam, per quem laudant Angeli, atque Archangeli Maieſtatem Dei, & aſſumpta ipſa Beata Maria laudantes Angeli benedicunt Deum. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24.*

Chriſtus reſtaurauit reddendo per æquipollentiam deperditum.

Dub. 5. Ad illa verba, Danielis 4. verſ. 7. *Ecce arbor in medio terræ.* Cur Daniel agens de arbore, quæ erat in medio terræ, alta, magna, forti, pulchra, vtitur hac voce *ecce*, quæ admirantis eſt?

Reſp. Ad ſenſum tropologicum totam hanc viſionem conuertens,

Excellentiæ Sancti Roſarij admirandæ;

Sa-

Sacram Mariani Rosarij confraternitatem in ea recte delineatam video. Ecce inquiebat Daniel: Vox hæc cum admirantis sit, & demonstrantis rem aliquam magnam, ac portentosam, rectè in hanc confraternitatem conuenit. Est enim hæc sacra societas Paradisus quidam, in quo secundus Adam, & Eua, Christus, & Maria conueniunt ad spiritualem mundi regenerationem. Est sidereum cœlum gratiam, ac cœlestium charismatum fluentis, sterilem peccatorum terram fœcundans. Est omnium virtutum maximè verò pudicitiæ propugnaculum. Est fons vitæ, in quo fideles animæ ab omni lauantur scelere: est antidotum, quo ornantur, & reficiuntur infirmi: est arbor vitæ corroborans debiles, & æternitatem vitæ conferens: est arbor scientiæ boni, & mali, cuius gustu docemur declinare à malo, & facere bonum: est ortus amænitatis, ex quo flores omnis generis virtutum colliguntur: est suffragium viuorum, & defunctorum: est vena, & minerale spiritualium omnium metallorum, quibus ditantur, & locupletantur Deiparæ alumni, est turris ex qua mille clypei pendent, quibus aduersus hostes Virginis famuli armantur: est fodina vberrima lapidum pretiosorum, cunctarumque virtutum, quibus ornantur, & coronantur animæ fidelium: est velut Stella maris, per quam pertumescentes mundi fluctus, & peccatorum tetram caliginem dirigimur, illuminamur, atque ad portum salutis ducimur: est diadema gloriæ ex pretiosis gemmis compositum, quo Deipara Virgo coronatur, sicut Paulus dicebat quibusdam fidelibus *ad Philipens. 4. Vos estis corona mea.* Cur & Virginis famuli corona eius non sint. Hæc quis non admiretur? *Ioannes à Carthagena tomus 3. de sacris Arcanis Deiparæ in Festo Sanctissimi Rosarij, fol. 375. homilia 7.*

2. Resp. Fraternitas hæc; scilicet, Sacratissimi Rosarij, est Arca Testamenti, in qua tabulæ Legis Diuinæ Sapientiæ, virga Dei omnipotentiæ, & manna cœlestis consolationis diliteſcunt. Arca est Noe per quam totus mundus à diluuio peccatorum liberatur, & ab inundatione tribulationis protegitur. Est iris clementiæ Dei, in qua designatur peccatorum venia, & reconciliatio Diuina organum est cuius modulatione, ætherea lætantur agmina. Cythara est, cuius melodia, Ecclesia summa repletur lætitia. Est symphonia, cuius suaui armonia peccatorum fugantur crimina, & Christi, ac Mariæ aures demulcentur. Flumen est quo terra Militantis Ecclesiæ fouetur, ambitur, & irrigatur mirificosque fructus, eius fœcundata virtute, producit. Sacra est Theologiæ Bibliotheca, Diuina est, & humana Dei, & hominis stupenda mysteria, & beneficia referans, gazophilazium est Diuinorum Thesaurorum, ex quo Deus pauperibus sua dona distribuit: horreum est Diuinæ misericordiæ ex quo nutriuntur fideles animæ, tymiama est summæ fragrantiæ, & odoris per quod cuncta opera nostra Christo, & Mariæ offerimus in odorem suauitatis: via compendiosa est cœlorum, per quam fideles ad cœlestem Paradisum tendunt: scutum est validissimum, in quo omnia hostium tela nequissima facillimè confringuntur, & in illos retorquentur. Arcus est cuius sagittis tartareæ potestates vulnerantur, & confodiuntur. Compendium est mirabilium operum Dei. Monile est quo Deipara exornatur, signum est ostensiuum amoris erga Virginem, memoratiuum Diuinorum Arcanorum, ac prognosticum futuræ fœlicitatis æternæ. Mystica tandem scala est Iacob, per quam veri Virginis amatores, vsque ad conspectum Dei viuentis ascendunt. Hæc quis non admiretur. *Carthagena ibidem.*

3. Resp. Certè illud *ecce* Danielis, non solum admirantis est, sed & demonstrantis, demonstrauit Fraternitatem Rosarij non semel S. Dominico Deipara Virgo Maria, ac prædicandum imperauit. Demonstrauit eum S. Dominicus

Sacrum Rosarium à pluribus demonstratum.

auditoribus suis, qui concionanti illi aures, & operam dabant: demonstrauit eam semper postea tanti Patris proles Prędicatorum partim concionibus publicis, partim scriptis monumentis: demonstrauit eam Sanctissima Sedes Apostolica per Summos Pontifices complures, per purpuratos Patres Cardinales, per Legatos Apostolicos, per Archiepiscopos, Pręsulesque varios Ecclesię. Qui omnes voce, ac stylo eadem Christi fidelibus certatim proposuerunt: demonstrauit denique eam Deus Optimus Maximus miraculis, & plurimus, & illustrissimis. *Carthagena ibidem.*

4. Resp. Addo his quę de arboris metaphora dixit mirandam quandam, & inauditam arborem cuius meminit, *Rebellus lib. 1. de Rosario, cap. 6. articul. 1.* commemorat natam fuisse in Ibernia in Diœcesi Corciclonensi in territorio Comitis Destron, prodigiosam quandam arborem longitudinis septem, vel octo palmorum, quæ reliquis omnibus arboribus valde dissimilis erat, in eo tamen longior, & dissimilior, quod ex ramis eius pendebant Rosaria, quorum calculi orbiculares erant, suis funibus inserti. Affirmat autem hoc portentum visum fuisse anno 1575. nonullaque ex Rosarijs allata fuisse in oppidum Britannię nomine Sanctimalo, quo mirabili portento voluit Deus, etiam vt Author naturę Rosarium approbare, & consequenter fraternitatem tantę Virginis deuotioni addictam.

Arbor in Ibernia ex quibus ramis pendebant Rosaria

A Deo Authore naturæ Rosarium approbatum.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Ecce arbor in medio terræ.* Quare Beata Virgo dicitur arbor in medio terrę?

B. Virgo in medio Ecclesiæ communiter ad omnes se habens.

Resp. Commendatur à communitate Beata Virgo, quia communiter omnibus benefacit: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ*, id est, Maria in medio Ecclesię, omnes respiciens, & communiter quantum in se est, ad omnes se habens. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Altitudo eius nimia.* Cur nimia dicitur altitudo Beatę Virginis?

Propter humilitatem habet dignitatem, & sublimitatem super omnem creaturam.

Resp. Commendatur à dignitate, & sublimitate super omnem creaturam, & altitudo eius nimia, *D. Bernard.* O Virgo virga sublimis ad quantam celsitudinem verticem Sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum Maiestatis. Neque id mirum quoniam in altum mittis radices humilitatis, & magna virtutum magnitudine. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Aspectus illius erat, vsque ad terminos vniuersæ terræ.* Quare aspectus Beatę Virginis, vsque ad terminos vniuersę terrę?

Misericordia B. Virginis vniuersalis ad iustos, & peccatores, & ad illos, qui sunt in Purgatorio.

Resp. Commendatur à misericordia vniuersaliter ad omnes, aspectus eius; scilicet, intuitus misericordię, erat vsque ad terminos vniuersę terræ. *Gloss.* Non solum ad Angelos, & iustos, sed ad peccatores: immò, & ad illos, qui sunt in Purgatorio. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Subter eam habitabant animalia.* Quare dicitur quod subter eam habitabant animalia?

Peccatores confidenter habitant sub eius protectione.

Resp. Commendatur à protectione fidelissima. Subter eam, id est, sub protectione eius habitabant lætanter, & confidenter animalia, id est, miseri peccatores propter reformationem, protectionem, pausationem, & pulchritudinem. *Beatus Albertus Magnus ibi.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 4. vers. 7. *Et in ramis eius conuersabantur volucres cœli.* Quo sensu?

B. Virgo omnes alit.

Resp. Commendatur à iocunditate, quam habuit inter omnes Sanctos, & in ramis eius virtutum, misericordiæ, humilitatis, & charitatis. Conuersabantur volucres cœli, id est, omnes Sancti, & ex ea vescebatur omnis caro, quia omnes alit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana,*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 3. vers. 40. *Non est confusio confidentibus in te.* Quare non est confusio con-

Peccator Iudicem timēs inueatur B. Virginem.

confidentibus in Beata Virgine?

Reſp. Si quis fortaſſe à Filio terreatur, quia Iudex eſt, Matrem intueatur, quę medicina eſt. Vnde *Caſsiodorus in quadam epiſtola.* Tu Patrona humani generis. Tu afflictis reis medicina ſingularis, quis tuo non egeat munere, cum ſit peccare commune. Item *Diuus Bernard. homil. 2. ſuper miſſus eſt.* Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſſus, iudicij horrore perterritus, baratro incipias abſorberi, triſtitiæ deſperationis abyſſo, cogita Mariam in periculis, & anguſtijs rebus dubijs, cogita Mariam, inuoca Mariam. Maria non recedat ab ore; non recedat à corde, & vt impetres eius ſuffragium orationis, ne deſeras conuerſationis exemplum. Ipſam ſequens non deuias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis, & ſic in te metipſo experiris, quam merito dictum ſit: *Et Nomen Virginis Maria.* Ex his patet quod merito ſibi dici poteſt, illud *Danielis 3. Non eſt confuſsio confidentibus in te. Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum, ad illa verba, Sapient. 3. Qui confidunt.*

Nulla confuſsio peccatori confidenti in B. Virgine.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 5. num. 10. *Regina autem pro re quæ, acciderat Regi, & optimatibus eius, domum conuiuij ingreſſa eſt, & proloquens ait: Rex in æternum viue, nō te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.* Quare Regina conſolatur Regem?

B. Virgo non vocata adeſt in tribulatione.

Reſp. Turbatur ſæpè numero peccator ſuorum ſcelerum conſcientia, & vltrice ira Dei: iam iam in eius caput ruitura vehementer perturbatur. Vbi lateat, quo effugiat, quibus præſidijs armetur prorſus ignorat, eo ducitur vt deſpetet, & abiecta ſpe ſalutis in baratrum vitiorum præcipitetur, ecce tibi Regina, & verè Mater, Virgo Sanctiſſima mentem ingreditur. Summe animos inquit. Quid paueſcis? Peccaſti? Quieſce, ne in præceps abeas, tuorum ſcelerum remedia non deſunt. En tibi non vnus tantum Daniel, ſed multiplex, innumeros vides confeſſarios, conſule probatiſſimum, virus euome, plagas detege, offert lachrymas quibus tua vulnera detergantur, & liniantur, mihi crede reuiuiſces. O veram, non Reginam dixeris, ſed Matrem, quæ non vocata ades, & contempta patrocinaris. *Pater Mendoza 1. Reg. 14. annotat. 17. ſect. 2. num. 7.*

Contempta patrocinatur.

OSSEAS.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 14. *Ducam eam in ſolitudinem.* Quare B. Virgo dicitur ſolitudo?

B. Virgo ſeparata à mundo, ſoli Deo intenta.

Reſp. Fuit Beata Virgo ſolitudo, quia ſeparata turbine mundi, & ſoli intenta Creatori, & in hanc ſolitudinem animi ducebat eam Spiritus Sanctus, ſicut prædixerat, *Oſeæ 2.* ducam in ſolitudinem. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. duodecima corona.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 3. *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.* Quare ortus Beatæ Mariæ dicitur diluculum?

Vſque ad B. Virginē durauit nox, quam Eua introduxit.

Reſp. Ortus Mariæ fuit diluculum diei gratiæ, quia vſque ad ipſam durauit nox quam prima Mater in mundum introduxit. *B. Albertus Magnus lib. 7. de laudibus B. Virg. cap. 8.*

Virgo Maria principium Chriſti ſecundum humanam naturā.

2. Reſp. Diluculum principium eſt diei, & Maria principium Chriſti ſecundum humanam naturam, quam aſſumpſit de ea, qui Chriſtus dies eſt æternus, ſecundum naturam Diuinam. Diluculum etiam iſtud coniungit noctem, id eſt, peccatores diei, id eſt, Chriſto, & in hoc diluculo incepit mundo dieſcere. *Daniel Agricola vbi ſupra, quarta Stella, decimæ coronæ Beatæ Virginis Mariæ.* Diluculum iſtud coniungit noctem, id eſt, peccatores diei, id eſt, Chriſto. *B. Albertus Magnus vbi ſupra.*

B. Virgo Deo cōiungit peccatores.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 6. v. 6. *Miſericordiā volui, & non ſacrificiū.* Legit *D. Antonin. Obedientiam*

malo quam ſacrificium. Quæ obedientia B. Virginis ſacrificio gratior?

Reſp. O fœlix obedientia, ò inſignis gratia, quæ dum fidem dedit humiliter cœli in ſe opificem corporauit. Implcuit in ea Dominus, quod dudum prædixerat: *Obedientiam malo, quam ſacrificium, & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta.* Hæc fuit vera obedientia omnique ſacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hoſtijs acceptior, hinc pro meruit gloriam, quam ipſa poſtmodum hauſit: *Ecce*, ait, *Lucæ 1. Beatam me dicent omnes generationes.* O Beata Maria quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditum inuenit. *D. Auguſtinus ſerm. 18. in Annunt.*

Obedientia Virginis qua aſſenſit Incarnationi, omni ſacrificio gratior.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 12. *Væ eis cum receſſero ab eis.* Quare minatur væ recedentibus à Beata Virgine?

Reſp. Summus honor ſumma gloria, & ſumma vtilitas eſt ſeruire Mariæ, & de eius eſſe familia. Vnde ei ſeruire regnare eſt, ſicut dicit Boetius de Domino, & eius agi præmijs ſumma libertas eſt: ſeruus ergo Mariæ ſi ceciderit non collidetur, quia Domina miſericorditer ſupponit manum ſuam, ipſa enim ſola poſt Filium Comes eſt, quæ poſsit ſubleuare cadentem. Vnde dicit cum Filio illud *Oſeæ 9. Væ eis cum receſſero ab eis. Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virginis, ſeptima Stella, ſecundæ coronæ.*

Summa vtilitas ſeruire B. Virgini, & de eius eſſe familia.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 1. *Vitis frondoſa Iſrael.* Quare Beata Virgo aſsimilatur viti frondoſæ?

Reſp. Domina mundi, Regina Prophetarum aſsimilatur viti non qualicumque, ſed fortiſsimæ. *Oſeæ 10. Vitis frondoſa Iſrael*, id eſt, Maria omni gratia plena. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo omni gratia plena.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 6. *Ero quaſi ros Iſrael germinabit, ſicut lilium.* Cur Beata Virgo aſsimilatur Iſrael?

Reſp. Iſrael interpretatur Princeps cum Deo. Maria enim ſola principatum cum Deo obtinet in cœlo, & in terra. Interpretatur etiam vigil cum Deo, ſicut dicit *Hieronymus*, quia ipſa iugiter vigilat cum Filio ad cuſtodiam populi Chriſtiani. *B. Albertus Magnus lib. 12. de laudib. B. Mariæ, cap. 5. §. 12.*

B. Virgo principatum obtinet cū Deo, in cœlo, & in terra.

B. Virgo iugiter, vigilat cū Filio ad cuſtodiam populi Chriſtiani.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 6. *Iſrael germinabit ſicut lilium.* Quare Dominus Ieſus comparatur lilio?

Reſp. Lilium enim non ſeminatione propagatur, ſed de ſubſtantia Filij portio, & fit lilium: ſic Beata Virgo ex ſe ſoboleſ propagauit, quia de eius carne quandam portionem ſumpſit, Spiritus Sanctus, & formauit in lilium, id eſt, in Filium, qui dicit *Cant. 2.* Ego lilium conuallium. *B. Albertus Magnus vbi ſupra.*

De carne B. Virginis quādam portionem ſumpſit Spiritus Sanctus, & formauit corpus Chriſti.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 14. *Ero mors tua ò mors.* Quomodo Beata Virgo fuit mortis mors?

Reſp. Fortiſsimum eſt mors, quæ omnes creaturas mortales ſuperat, & proſternit, *quis eſt enim qui viuet, & non videbit mortem. Pſalm. 88.* Certè nullus, quia nec proprio Filio Dei humanato pepercit: ſed Beata Maria fortior morte fuit, ſicut enim per fœminam Euam mors intrauit in mundum; ita per fœminam Mariam deſtructa eſt mors: ſcilicet, per fructum ventris ſui, vnde dicere poterat illud *Oſeæ 13. O mors ero mors tua. Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 18. §. 4.*

B. Virgo filius eſt Matter, cuius Deus eſt Pater.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 9. *Ex me fructus tuus inuentus eſt.* Cui loquitur Deus?

Reſp. Dicat Deus Pater ad Mariam, dicat ad fidelem animam, dicat ad Eccleſiam: *Ex me fructus tuus inuentus eſt.* Tuus ò Maria ad hunc fructum producendum electa. Tuus ò anima ad hunc fructum diligendum

Chriſtus noſter.

dum illecta. Tuus ò Eccleſia ad hunc fructum percipiendum collecta. Tuus, inquam, tuus. Tuus certè corporaliter per aſſumptam naturam. Tuus ſpiritualiter per gratiam. Tuus Sacramentaliter per Euchariſtiam. Tuus æternaliter per gloriam. Ex me tamen Tuus eſt, quia ex meo vtero genitus eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Ex Vtero ante Luciferum genui te. Pſalm.* 109. ò verè nimis admiranda, nimiſque veneranda nobilitas, quia fructus ventris materni eſt Filius vteri æterni, & ſapientia cordis paterni, *Diuus Bernard.* illius ò Maria eris Mater, cuius Deus eſt Pater; Filius potentiæ, & charitatis erit corona tuæ caſtitatis, ſapientia paterni cordis erit fructus vteri virginalis. *Diuus Bonauentura in ſpeculo B.Virg.Mariæ, cap.*14.

B. Virgo illius eſt Mater, cuius Deus eſt Pater.

IOEL.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Germinauerunt ſpecioſa deſerti.* An Beata Virgo dicatur deſertum?

Reſp. Deſertum quod ſine cultura germinat, & profert paſtum animalium ſignare poteſt Mariam, quæ ſine cultura maritali protulit Filium, qui eſt paſtus animarum fidelium, ideò benè de ipſa dici poteſt, illud *Ezech.* 36. *Terra illa inculta facta eſt, Vt hortus Voluptatis. D. Bonauentura in ſpeculo B.Virg. cap.*16.

Sine cultura maritali protulit Filium ſuum.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Germinauerunt ſpecioſa deſerti.* Quæ ſunt ſpecioſa huius deſerti?

B. Virgo ſpecioſa deſiderijs, operibus, virtutibus, & donis.

Reſp. Specioſa huius fœlicis deſerti ſunt ſpecioſa germina cœleſtium deſideriorum, ſpecioſæ herbæ operum bonorum, ſpecioſi flores virtutum, & donorum, ſpecioſa folia vtilium verborum, & certè ſpecioſus fructus ventris ſui, qui eſt paſtus omnium iuſtorum, Maria eſt deſertum hoc ſpecioſum. *D. Bonauentura ibi.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Lignum attulit fructum ſuum, ficus, & Vinea dederunt Virtutem ſuam.* Quo ſenſu hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Narrat Plinius *lib.* 12. *cap.* 6. Quod in India creſcit ficus mirabili modo fructificans, & in fructibus ita onuſta, quod præpondere rami deprimuntur ad terram, & rurſus de terra recreſcunt, folia habet ita lata, quod extenduntur in modum peltæ, vnde ſub hijs foliis latitant homines, & iumenta. Sed vmbra iucundiſsima, habet poma ita dulcia, quod præ dulcedine pro miraculo à comedentibus reputantur. Iſta ficus eſt parabola Virginis Benedictæ, *Matth.* 24. *Ab arbore fici diſcite parabolam*, hæc enim habet ramorum longitudinem, foliorum amplitudinem, & pomorum dulcedinem. Rami in homine ſunt potentiæ animæ, memoria, intelligentia, & voluntas cum potentijs ſenſitiuis, iſti rami erunt pleni fructibus in Maria, memoria, deuotione intelligentia, contemplatione. Voluntas dilectione, ſenſus compaſsione. In tantum fuerunt onuſti rami iſti virtutibus gratijs, & meritis, quod vſque ad terram ſe inclinauerunt per humilitatem, quando dixit: *Ecce Ancilla Domini.* Secundo, iſta ficus habet foliorum amplitudinem in tantum, quod admodum peltæ protegere poteſt hominem, etiam vnum folium. Certè moraliter Virgo iſta tantam habet verborum potentiam, & gratiam in curia ſummi Regis, quod tam hominem viuentem rationaliter, quàm iumentum, id eſt, hominem viuentem beſtialiter protegit, & defendit, ſi ad eius patrocinium velit habere refugium, *Mich.* 3. *Sedebit Vir ſubtus ficum ſuam.* Tertio, habet ficus iſta in pomo ſuo tantam dulcedinem, quod eius ſuauitas à comedentibus pro miraculo reputatur.

Ficus in India mirabili modo fructificans.

Potentiæ, & ſenſus B. Mariæ pleni virtutibus.

B. Virgo protegit ad eius patrocinium refugientes.

B. Virgo ineffabilem confert dulcedinem in cœlo Filio suo fruentibus.

Nam Filio suo in æterna cœna fruentibus ineffabilem confert dulcedinem, vt dicat vnaquæque persona, illud *Cant. 2. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum, in cap. 3. *sapientiæ.*

B. Virgo per compassionem passionis Filij quasi in sanguinē mutata.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. vers. 31. *Luna conuertetur in sanguinem.* Quo sensu verum quod Luna, id est, Beata Virgo versa est in sanguinem?

Resp. Quia scilicet, Sole Christo per mortem in passione obtenebrato. Luna ista per dolorem, & compassionem suæ mortis in sanguinem est mutata. *Albertus de Marquesijs, Franciscanus.*

Peccatores per Beatam Virginem virtutibus adornantur.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 3. vers. 18. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Quare Beata Virgo dicitur fons irrigans torrentem spinarum?

Resp. Ipsa est fons domus Domini irrigans aridit atem peccatorum, *Ioelis 3. In die illa*, scilicet, gratiæ, & misericordiæ, *egredietur* in mundo nascendo, *fons*, id est, Maria, *de domo Domini*, & irrigabit torrentem spinarum. *Gloss.* vt quæ vitiorum punctionibus pungebantur, modo virtutum floribus adornantur. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

AMOS.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. vers. 7. *Non facit Dominus Deus Verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Quo sensu hæc aptantur B. Virgini?

B. Virgini reuelata sunt occulta mysteria scripturarum.

Resp. Nona gratia dicitur interpretatio sermonum, id est, expositio scripturarum, non per exercitium habita ex lectionibus Doctorum exponentium, sed per infusionem Spiritus Sancti, quam habuerunt Apostoli, vt patet in Petro ex epistola sua, hanc gratiam habuisse Beatam Mariam patet ex hoc, quia dicit Amos Propheta *cap. 3. Non faciet Dominus Verbum, quod non reuelet seruis suis*; sed Beata Maria super omnes fuit Ancilla Domini, quin imò Mater Domini, vnde multo magis credendum est, quod ei reuelata fuerunt occulta mysteria scripturarum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19.*

IONAS.

Christus elegit Matrem pauperrimā, & humilimā.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 12. *Tollite me, & mittite in mare.* Quare missio Iona in mare cessauit tempestas?

Resp. Tollite me, & mittite me ditissimum in pauperrimam, me sublimissimum in humillimam, me Dominum in ancillam in mare, hoc est, in vterum Mariæ. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.* Mittite in mare, id est, in Mariam, & cessabit mare à vobis, id est, tempestas, & tribulatio. *Hugo Cardin. 3. Reg. 20. Fecit etiam Rex*, Ionas interpretatur Filius Columbæ, & significat Filium Virginis, quæ Columba dicitur propter puritatem. Cum igitur esset orta tempestas in mari mundi, seu humani generis multorum malorum, quæ minabantur, & trahebant ad submersionem inferni, Ionas, id est, Dei Filius, & Virginis, cui attribuitur sapientia ait per effectum ad Patrem, & Spiritum Sanctum. Ex quo propter sapientiam inordinate appetitam processit hæc miseria, & afflictio in humano genere, tollite me, & mittite in mare, id est, operamini mecum, vt in mundum intrans carnem assumam, quo facto, id est, incarnato cessauit virtualiter perditio humana. *D. Antoninus de Missione Filij Dei, cap. 12. §. 1.*

Incarnato Filio Dei cessauit tribulatio.

Filio Dei incarnato cessauit virtualiter perditio humana.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. vers. 15. *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo.* Quommodo hæc aptantur B. Virgini? Resp.

B. Virgo à deuotis, & amicis repellit persecutiones aduersantium.

Resp. Beata Maria à sibi deuotis, & amicis vndas tentationum repellit, & fluctus, id est, furores persequentium, & tempestates, id est, impetus aduersantium, ad æqualitatem pacis, & tranquillitatem reducet. Quod figuratum est, *Ionæ* 1. vbi dicitur quod: *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo.* Per Ionam intellige orationem puram, & deuotam, quæ tunc in mare mittitur, quando Beatæ Virgini porrigitur, & tunc mare, id est, mundus sæuiens, cessat a feruore suo, id est, persecutionis furore. *Ioannes à Sancto Geminiano lib.* 1. *de cœlo, & elementis, cap.* 48.

Oranda B. Virgo dum sæuit persecutio aduersantium.

MICHEAS

Homo securus per protectionem B. Virginis.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. vers. 4. *Sedebit vir subter vineam suam.* Quare vir requiesceet subter vineam, seu vitem suam?

Resp. Id est, requiesceet, & securus erit per protectionem Beatæ Virginis, quæ data est virtuosè agentibus in protectionem, & refrigerium, vnde *Thren.* 3. dicitur: *In vmbra tua viuemus in gentibus. Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virg. septima Stella, vndecimæ coronæ.*

B. Virgo defendit humiles, pauperes pacis amatores.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. vers. 8. *Tu turris gregis nebulosa filiæ Sion.* An Beata Virgo dicatur turris gregis?

Resp. Dicitur turris gregis, quia defendit humiles, pauperes, & amatores pacis, & concordiæ, & pro amore suo, & Filij sui large dantes lanam suorum temporalium, & cæteras proprietates ouium. *B. Albertus Magnus lib.* 11. *de laudib. B. Virg. cap.* 5. *num.* 3.

B. Virgo obumbrat, & abscondit peccatores.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. vers. 8. *Turris nebulosa.* An Beata Virgo dicatur turris nebulosa?

Resp. Ipsa est turris potentiæ Dei. *Turris gregis, Gloss.* id est, munimentum nebulosa obumbrans, & abscondens peccatores. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. vers. 8. *Et veniet potestas prima.* Quo sensu prima potestas data est B. Virgini?

B. Virgo habet secundam potestatem in cœlo, & in terra.

Resp. *Gloss.* id est, Christus dans tibi secundam potestatem in omnibus, vt ita dicere possis: Data est mihi omnis potestas, in cœlo, & in terra. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

HABACVC.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. vers. 3. *Deus ab Austro veniet.* An B. Virgo Auster dicatur?

Lucifer optauerat sedere in sinistra cœli parte; Beatæ Virgini dextera cœli pars, in qua sedeat præparata est.

Resp. Hoc est, à Virgine. Auster autem dicitur dextera cœli pars, iuxta illud: Aquilonem, & mare, id est, Austrum, tu creasti, *Psalm.* 88. *num.* 3. seu vt vertit, *D. Hieronym. Aquilonem, & dextrum*, Nam Beatissima Virgo non modo cœlum, sed etiam dexteram cœli partem supergreditur. Optauerat infœlix ille Cherub sedere in lateribus Aquilonis, *Isaiæ* 14. *Num.* 13. hoc est, in sinistra cœli parte, eam antequam prenderit, in æternum barathrum deijciendus. Tibi verò ò Deipara non nisi Auster, seu dextera cœli pars, in qua æternum sedeas præparatur. *Pater Mendoza* 1. *Reg.* 4. *vers.* 11. *num.* 7.

B. Virgo habuit prærogatiuam virginalis puritatis.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. vers. 3. *Deus ab Austro veniet, Beatus Albertus Magnus. Legit Deus à Libano veniet.* An Beata Virgo dicatur Libanus?

Resp. Dicitur Libanus, qui interpretatur candor propter prærogatiuam virginalis puritatis. *B. Albertus Magnus lib.* 8. *de laudib. B. Virg. cap.* 5.

Virtus altissimi obumbrauit B. Virgini in conceptione Filij Dei.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. vers. 3. *Et sanctus de monte Pharam, alij: De monte vmbroso, & condenso.* An Beata Virgo dicatur mons vmbrosus, & condensus?

Resp. Vmbrosus dicitur iste

mons, quia virtus Altissimi obumbrauit ei in conceptione Filij Dei, qui est lux inaccessibilis, & lucem habitat in accessibilem. *B. Albertus Magnus vbi supra.*

Omnes virtutes in superlatiuo concurrunt in B. Virgine.

2. Resp. Condensus est mons iste per vniuersarum virtutum multitudinem, quæ designantur in condensitate arborum, quia in ea quasi consitæ à Diuina Sapientia concurrunt omnes virtutes in superlatiuo. *Beatus Albert. Magn. ibidem.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 3. vers. 3. *Et sanctus de monte Pharan*, vt supra de monte vmbroso, & condenso?

B. Virginis excellentia à nullo intellectu creato per medium creatũ potest deprehendi.

Resp. Si Virgo Maria est mons vmbrosus, opacus, & condensus quommodo ipsa describitur indutа radijs, ac lumine solis, *Apoc. 12. Num. 1.* Lux enim omnem condensitatem, ac opacitatem depellit, & excludit. O ingens Mariæ excellentia, mons est vmbrosus, tot ac tantis virtutibus, & donis spiritualibus, vt à nullo nostro intellectu per medium creatum valeat perspici, ac deprehendi. Vestitur tamen Sole Iustitiæ.

B. Virginis dignitas lumine Diuinitatis cognoscitur.

Hic enim ingens mons tantummodo potest lumine, ac luce Diuinitatis discooperiri, manifestari, ac intueri. Lumine Diuinitatis Marianus splendor, cognoscitur, ac propalatur. *Pater Silueira tom. 4. in Euang. lib. 6. cap. 8. quæst. 2. num. 20.*

Animalia calefaciebant puerũ Iesum positum in præsepio cũ anhelitu.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 3. vers. 2. *In medio annorum notum facies. Hugo Cardinalis. In medio animalium duorum cognosceris.* Cur in præsepio positus fuit Dominus Iesus in medio duorum animalium?

Resp. Iam videtis quommodo viget frigus in isto tempore. Cogitate si Virgo Maria habebat frigus, quia non legitur quod portaret vestes foderatas, propter hoc posuit Filium suum in præsepio, vt animalia calefacerent eum cum anhelitu prout fuit reuelatum Abacuc Prophetæ: *Domine audiui auditum tuum, & timui. Diuus Vincentius Ferrer Dominica infra octauas Domini.*

Paupertas vestium B. Virginis.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 3. vers. 11. *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo.* Quo sensu hæc verificantur de Beata Virgine?

In cœlum assumpta soli Christo copulata.

Resp. In cœlum enim assumpta fuit soli Christo copulata, quia tunc Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo. *Albertus de Marquesijs, Franciscanus, cap. 75. Cœlitoquiorum Moralium.*

Gaudium Simeonis accipiẽs puerum Iesum in Templo præsentatum.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 3. vers. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* In cuius persona hæc dicuntur?

Resp. Simeon in persona omnium non solum gauisus est, sed etiam exultauit dicens illud *Abacuc 3. Ego autem in Domino gaudebo.* Supple modo per Prophetas promisso, & denuntiato, & exultabo in Deo Iesu meo per Deum misso, & per Virginem in Templo præsentato. *Armandus de Vellouisu, Ordinis Prædicatorum, collatione 10. de Purificatione B. Mariæ, ex Psalm. 9.*

SOPHONIAS.

B. Virgo ad cœlestia desideria sublevata.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. vers. 8. *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra.* Quo sensu hęc aptantur Beatę Virgini?

Resp. Christus dicitur ignis, consumens, mobilis, leuis quando spretis per eius gratiam mundi solicitudinibus, ad cœlestia desideria eam sublevauit. *Sophon. 3. In igne zeli mei*, id est, in feruore, & vehementia dilectionis meę, qua dilexi Mariam, deuorabitur omnis terra, id est, omnis terrenitatis amor, & appetitus. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. quinta Stella, decimæ coronæ.*

Pro Beata Virgine nobis data ad intercedendum, gratiæ Deo agendæ.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. vers. 9. *Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* An Beata Virgo dicatur labium electum?

Resp. Ipsa est labium electum no-

nobis promiſſum. Labium iſtud Maria, pro quo nobis dato à Deo debemus inuocare nomen Domini, & vnanimiter, atque concorditer illi ſeruire. *Beatus Albertus Magnus lib. 9. de laudibus B. Virg. cap. 16.*

AGGÆVS.

Gloria Mariæ maxima, quia de puriſſima ſubſtantia eius formata eſt caro Chriſti.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 10. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ*, Quo ſenſu hęc exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Prima domus Eua, ſecunda Maria, gloria Euæ quod manu Domini formata eſt in Paradiſo de ſubſtantia Adæ. Gloria Mariæ in infinitum maior, quia de puriſſima ſubſtantia eius formata eſt caro Chriſti, cuius pretio redemptus eſt mundus, & quod per partum ipſius per Euam perditus, nobis reſtitutus eſt Paradiſus. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. cap. 30. num. 13.*

Gabriel nuncius miſſus ad B. Virginem.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam.* Quommodo cœlum, & terra, & mare, & arida fuit commota?

Reſp. Cœlum, & terram, id eſt, Gabrielem cœleſtem nuntium, & Mariam. *Lucæ 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo. Et nomen Virginis Maria.* Mare, & aridam, id eſt, Virginem Mariam, mare in amaritudine paſsionis, & aridam in ariditate conceptionis; non enim concepit virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, & veniet deſideratus cunctis gentibus. *Armandus de Vellouiſu, Ordinis Prædicatorum, collat. 37. ex Pſalm. 49. de Natali Domini.*

B. Virgo non concepit virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 8. *Implebo domum iſtam gloria.* Quommodo hoc impletum?

Puer Ieſus in Templo præſentatus, Templum gloria implebit.

Reſp. Eo quod ipſe Deus carnem indutus ingreſſurus eſſet in eam, ac corporali præſentia honeſtaturus. Vnde veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, quod hodie primum completum cernimus, quando Virgo Sanctiſsima impletis diebus purgationis, primogenitum induxit in Templum, vt offerret, & conſecraret eum Domino. *Adrianus Mangotius, Societatis Ieſu.*

ZACHARIAS.

B. Virgo magno zelo à Chriſto dilecta.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 14. *Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno.* An Beata Virgo dicatur zelata à Deo?

Reſp. Maria amica Chriſti, quia magno zelo ab eo dilecta, vnde de ea dicit Chriſtus, *Zachariæ 1. Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno*, Mariam; ſcilicet, deſignatam per Ieruſalem, & Sion. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Mariæ Virginis, ſecunda Stella, octauæ coronæ.*

B. Virgo murus conſeruationis, & defenſionis.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Ego ero ei murus ait Dominus, in circuitu.* An Beata Maria Virgo dicatur murus?

Reſp. Ipſa eſt murus conſeruationis, & defenſionis contra diabolum, mundum, & peccatum: *Ego murus in circuitu, Gloſſ.* id eſt, defenſio in eis. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 2. *Ecce candelabrum aureum totum.* An B. Virgo dicatur candelabrum?

Deipara poſt partum manſit Virgo.

Reſp. Candelabrum Sancta Maria, quoniam materiæ expertem lucem geſtauit Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quoniam poſt partum manſit Virgo. *D. Anaſtaſius Nicenus quæſt. 33. in Scripturam.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 1. *Aperi Libane portas tuas.* Quo ſenſu hæc exponuntur de B. Virgine?

B. Virgo dat virtutem reſtſtendi peccato.

Reſp. Libanus interpretatur candidatio, & ſignificat Beatam Mariam, quæ fuit candida, & habet tres portas; ſcilicet, potentiæ, ſa-

ſapientiæ, & miſericordiæ. Quidam enim peccant per infirmitatem. Iſtis aperit portas potentiæ dando eis virtutem reſiſtendi. Quidam per ignorantiam illis aperit portas ſapientiæ dando eis lumen cognoſcendi. Quidam per certam malitiam, & illis aperit portas miſericordiæ dando eis gratiam pœnitendi. Aperit manus ſuas ad largiendum, *Prouerb. Vlt. Manum ſuam aperuit inopi*, id eſt, Chriſto pauperi, per ſex opera miſericordiæ. Vnde dicit *D. Bernard.* Beata Virgo Dei Filium in vtero ſuſcepit, nudum carne, vel etiam pannis operuit, eſurientem pauit, ſitientem lacte potauit, infirmum per infantiam non ſolum viſitauit, ſed etiam omnia humana ſibi exhibuit, in carcere poſito, & crucis patibulo ligatum viſitauit, eius ſepulturæ interfuit. Aperuit cor ſuum ad ſubueniendum, quia miſericordia ſua ſubuenit vniuerſis, ſcilicet, bonis, malis, viuis, & defunctis, vnde cantat Eccleſia: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ.* Aperit quidem bonis impetrando gratiam, vnde dicitur: *Maria Mater gratiæ*, aperit malis obtinendo remiſsionem, & miſericordiam, vnde dicitur: *Mater miſericordiæ.* Aperit viuis eos à dæmoniorum inſidijs protegendo, vnde dicitur: *Tu nos ab hoſte protege.* Aperit mortuis eos ad gloriam deducendo, vnde dicitur: *Hora mortis ſuſcipe. Iacobus de Voragine ſerm. 1. in Annuntiat. B Mariæ.*

B. Virgo peccatoribus dat lumen cognoſcendi peccatum ſuum.

Dat gratiam pœnitendi.

Chriſto exhibuit opera miſericordiæ

Miſericordia Virginis ſubuenit bonis, & malis, viuis, & defunctis.

Bonis impetrat gratiam. Malis remiſſionem.

A dæmoniorum inſidijs protegit.

Mortuos ad gloriam deducit.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid.* Quare Beata Virgo dicitur fons patens?

Reſp. Maria quaſi fons quantum deſcendit, tantum aſcendere poteſt, & quia fons iſte inferius omni creatura deſcendit per humilitatem in conceptu Dei, & in ſua Aſſumptione ſuper omnem puram creaturam. *B. Albertus Magnus lib. 9. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 7.*

B. Virgo iuſerius omni creatura deſcēdit per humilitatem, vnde in Aſſumptione, ſuper omnem puram creaturam aſcendit.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 1. *In die illa erit fons patens.* An B. Virgo dicatur fons, *Cant. 4.* Puteus aquarum viuentium, & 2. *Reg. 23.* Si quis mihi daret potum aquæ de ciſterna Bethlehem?

Reſp. Beatiſsima Virgo eſt fons, quantum ad communia beneficia, quæ exhibet omnibus. Puteus autem quantum ad ſpecialem deuotionem, quam dat ſuis ſpecialibus. Ciſterna verò in quantum ab ipſa fluit refectio peccatoribus. *B. Albertus Magnus ſupermiſſus eſt, cap. 198. & Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Mariæ, quinta Stella.*

Communia beneficia exhibet omnibus

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 1. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem.* Cur Beata Virgo dicitur fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem?

Specialem deuotionē dat amicis ſpecialibus.

Reſp. Ipſa eſt fons communicationis cœleſtium, terreſtrium, & in Purgatorio peccatorum, *Zach. 13. Erit fons patens, Gloſſ.* omnibus ſitientibus. *Domui Dauid*, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ, *Gloſſ.* id eſt, maiorum peccatorum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Ab ipſa fluit refectio peccatoribus.

2. Reſp. Per domum Dauid intelligitur Sancta Eccleſia, per habitantes autem in Ieruſalem, figurantur omnes fideles, qui ſunt de Regno Eccleſiæ. Beata Virgo patet per miſericordiam, & compaſſionem, vt quicumque Chriſtianus ex intimo corde ipſam inploraverit, eius meritis, ac interceſsione ſuorum peccatorum veniam conſequetur. *B. Albert. Magnus ſerm. 37. de Natiuit. B. Virg.*

B. Virgo miſericordiam largitur exiſtentibus in cœlo, in terra, in Purgatorio.

Peccatori B. Virginis interceſsione ſuorum peccatorum veniam conſequetur.

EX MALACHIA.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 1. *Statim Veniet ad Templum ſuum Dominator.* An Beata Virgo dicatur Templum?

B. Virgo ita preuilegiata, vt omnes rei, qui ad illam currūt ex toto corde, ſaluentur.

Reſp. Ipſa enim eſt Templum Dei mirabile præomnibus Sanctis, quia magna dignitate priuilegiatum eſt, vt omnes rei, & malefactores, qui ad illam currunt ex toto corde ſaluentur, ſicut patet in Theophilo, & alijs pluribus. *D. Bernardus* ille taceat laudes tuas

Vir-

Virgo, qui te in tuis neceſsitatibus inuocatam defuiſſe ſenſerit. *Diuus Thomas ſerm. in Purificatione.*

B. Virgo monet mentem Filij ad miſericordiam.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 16. *Scriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum.* An Beata Virgo dicatur liber monument?

Reſp. Maria dicitur liber monumenti, quia monet mentem Filij ad miſericordiam. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudib. B. Virg. cap. 7.*

1. MACHABÆORVM.

In B. Virginis manu dextra ſunt coronæ vt deuotos exornet, in ſiniſtra clypei vt tueatur.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 57. *Ornauerunt faciem Templi coronis aureis, & ſcutulis.* Quare Templum exornatum coronis, & ſcutulis?

Reſp. In illud Templum Zorobabelis, cuius faciem Hebræi coronis aureis, & ſcutulis ornauerunt, vt Beatam Virginem præſignarent, cuius vtraque manus plena eſt, dextera quidem coronis vt exornet, ſiniſtra vero clypeis, vt tueatur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. verſ. 11. annot. 12 ſect. 2. num. 12.*

Chriſtus, & Maria Eccleſiæ fideles protegunt.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 39. *Refulſit Sol in clypeos aureos.* Qui clypei aurei in quos Sol refulſit?

Reſp. Refulſit Sol Diuinitatis, in clypeos aureos, clypei iſti Chriſtus, & Maria, qui protegunt fideles Eccleſiæ, & reſplenduerunt montes ab eis, id eſt, Angeli, & iuſti. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virginis, nona Stella.*

Splendor Angelorum, & iuſtorum, a Chriſto, & Maria.

2. MACHABÆORVM.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 14. verſ. 37. *Razias autem Vir amator Ciuitatis, qui pro affectu Pater Iudæorum appellabatur.* Quo ſenſu hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Ex maxima affectione ad bonum populi Iudæorum Razias dicebatur Pater eorum. Sed nunquid fuit aliquis ſanctus, vel ſancta ita affecta ad ſalutem, & omne bonum populi Chriſtiani, ſicut Beata Virgo Maria. Vnde cum Chriſtus vellet tribus lanceis mundum perdere, propter tria vitia mundi; ſcilicet, ſuperbię, auaritiæ, & luxurię. Beata Virgo precibus ſuis obtinuit dilationem ſententię, dicens ſe miſſuram in mundum ad prędicandum Beatum Dominicum, & Beatum Franciſcum cum ſuis, vt ſic reducerentur. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

B. Virgo maximè affecta ad omnē bonum populi Chriſtiani.

B. Virgo miſſa in mundum Beatos Dominicū, & Franciſcum cum ſuis ad prædicandum.

(§§§)

Explicit Biblia Mariana Veteris Teſtamenti.



IN-



INCIPIT BIBLIA Mariana Noui Teſtamenti ex pluribus Auctoribus collecta.

D. MATTHÆVS.

B. Virgo inſtruit Religioſos in caſtitate, paupertate, & obedientia quam vouent.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti.* An Beata Virgo dicatur liber?

Reſp. Hic eſt liber contemplatiuorum, quos ipſa inſtruit quaſi triplici lectione; ſcilicet, caſtitate, quam vouent in ingreſſu ordinis contra luxuriam. Paupertate per abrenuntiationem proprietatis contra auaritiam. Humilitate per votum obedientiæ contra ſuperbiam. Fœlix qui hæc operando recordatur lectionem huius libri. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 7. num. 19.*

B. Virgo multos per annos operoſiſsimè fabricata eſt à Dei omnipotentia.

2. Reſp. Tot ſæcula euehuntur, vt dignitatem Matris Dei ſuſpicari valeamus; conditum eſt momento ad vnam Dei vocem cœlum, & quidquid cœli ambitu continetur; At Virginem Deiparam multos per annos operoſiſsimè fabricata eſt Dei omnipotentia. Nec mirum, ſunt reliqua omnia, etiam ſimul ſumpta, nihil aliud, quam riuulus quidam ab immenſo Diuinitatis mari longiſsimè emanans; at Virgo Sanctiſsima Deo tam affinis, & Deo adhærens vt Mater Filio. *D. Methodius Martyr in homil. de Beata Virgine.*

B. Virgo Deo tam affinis, vt Mater Filio.

Materia librorum fiebat ex cortice arboris.

3. Reſp. Beata Maria dicitur liber ratione materiæ. Antiquitus autem materia librorum fiebant cartæ de ligno, id eſt, ex cortice illo arboris ſubtiliori, qui eſt medius inter corticem exteriorem groſſum, & lignum, qui cortex medius, & ſubtilis dicitur liber. Vnde à tali materia liber eſt dictus; quę materia benè congruit Beatæ Matiæ, quia facta eſt medio, ſeu mediatrix inter Deum, & homines, propter quod canit Eccleſia: *Mediatrix hominum, abluſtrixque criminum, peccatorum venia*; ſcilicet, procurando iſta, & ideò peccatores diſcordes, & inimici Dei facti propter offenſam, vt reconcilientur ei, debent ad iſtum librum, & ad iſtam mediatricem recurrere, nam ſicut ipſa mediante ſedata eſt lis inter Deum, & homines; ita etiam per ipſam terminantur queſtiones inter

B. Virgo mediatrix inter Deum, & homines.

ter homines, & diabolum. *D. Antoninus de Natiuit. Beatæ Mariæ. cap. 5.*

Verbum à Patre genitum eſt, ſicut Verbum noſtrũ mentale. A Prophetis prædicatum, ſicut Verbum noſtrum vocale.

4. Reſp. Dicitur liber Beata Maria ratione ſcripturæ eius. Scriptura enim libri, nihil eſt aliud quam verbum inchartatum, id eſt, charta incorporatum. Et repreſentat Verbum Dei Incarnatum in Virgine. Nam tanquam noſtrum verbum mentale eſt Verbum à Patre genitum, *Pſalm. 44. Eructauit cor meum Verbum bonum.* Tanquam verbum vocale, eſt Verbum Dei à Prophetis prædicatum. *Iſaiæ 55. Verbum quod egredietur de ore meo*; ſcilicet, per Prophetas, non redibit ad me vacuum. Sed tanquam verbum inchartatum, ſeu ſcriptum eſt Verbum Dei in vtero Virginis formatum, ſeu incarnatum. *D. Antoninus ibidem.*

Verbum Dei in vtero incarnatum, eſt ſicut Verbum ſcriptum in cartha.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis.* Cur ponitur generationis?

Generatio quadruplex de terra, de viro, de viro, & muliere, de muliere ſine viro.

Reſp. Notandum quod quadruplex eſt generatio. Prima dicitur de terra, quia de terra ſumptus eſt Adam. *Geneſ. 2. Formauit Deus hominem de limo terræ.* Secunda de viro, quia de eo ſumpta eſt Eua, ibi: *Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Tertia de viro, & muliere, qua generatus eſt Cain, *Geneſ. 4. Adam vero cognouit vxorem ſuam*, quę concepit, & peperit Cain. Quarta vero eſt de muliere ſine viro, vt in Virgine, quę concepit Chriſtum. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ſine viro cõcepit.

2. Reſp. Nec tamen parua eſtimes te audire, hanc audiens generationem; eſt enim valde ineffabile, quod Deus ex muliere naſci dignatus eſt, & habere progenitores Dauid, & Abraham. *D. Ioannes Chriſoſtom. in Cathena D. Thomæ.*

Valde ineffabile, quod Deus ex muliere naſci dignatus eſt.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationes.* Quare D. Matthęus poſuit titulum?

Reſp. D. Matthęus in preſenti tractabat de excellentia Virginis Marię, quę in illo continetur, de qua natus eſt Ieſus; ideò Spiritus Sanctus diſpoſuit, vt hoc ornatu, ac titulo maximo componeretur, illud enim quod magni æſtimatur magno apparatu, atque artificio fabricatur, & exornatur. Talia ſunt Deo, quæ ad Virginem ſpectant; ideoque hic omnis decor, ac honeſtas apponitur, & hac de cauſa Spiritu Sancto dictante inter omnes Euangeliſtas, primo à Matthæo ſcribitur generatio temporalis Chriſti, quæ erat ex Virgine, quia de illa tanquam de pretioſiſsimo ſtemmate Chriſtus Dominus gloriabatur. *Pater Silueira hic, quæſt. 2.*

De Beata Virgine tãquam de pretioſiſſimo ſtemmate Chriſtus Dominus gloriabatur.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis.* Quare non dixit liber actorum Chriſti, ſed generationis?

Dominus Ieſus de eo præcipuè lætatur, quod à Matre accepit.

Reſp. In operationibus reſplenduit poteſtas, quam à Patre habuit, faciendi miracula, inſtituendi Sacramenta, dimittendi peccata; in generatione verò humana, id quod à Matre accepit, maximè apparet, & Dominus meus Ieſus Chriſtus de eo præcipuè lætatur, quod à Sanctiſsima Matre communicatum habet. *Pater Silueira hic, quæſt. 5.*

Dignitas, & ſublimitas fœcunditatis Mariæ.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti.* Quare poſuit *Ieſu Chriſti*?

Reſp. In hoc quod dicitur generationis notatur Mariæ fœcunditas, in hoc quod dicitur Ieſu Chriſti fœcunditatis dignitas, vel ſublimitas. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Virginis, cap. 7. §. 4.*

B. Virgo Mater vera Chriſti.

Dub. 5. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis.* An Beata Virgo dicatur liber generationis?

Reſp. Notandum quod Beata Virgo Maria eſt liber generationis habens in ſe quadruplicem generationem. Prima eſt naturalis, quia vt Mater vera ex ſuis ſanguinibus purum genuit Chriſtum Filium ſuum. Secunda eſt ſpiritualis, quia vt Mater ſpiritualis genuit Ioannem Baptiſtam modo ſpeciali, non ſolum leuans eum de terra, quando natus eſt, quia præſens in partu eius, ſed etiam, & magis, quando vt de Sacro Spiritu Sancto, & aqua gratia baptizatus eſt Ioannes in

Vt Mater ſpiritualis genuit S. Ioannem Baptiſtam.

Mater adoptiua S. Ioannis Euangeliſtæ.

in vtero ſanctificatus ad vocem Virginis quando ſalutauit Elizabeth. Tertia, eſt adoptiua quando moriente Filio Imperator ipſe in throno Crucis manens reſcripto ſuo, & edicto adoptauit ſibi Ioannem Euangeliſtam in Filium dicens: *Ecce Filius tuus, & ecce Mater tua.* Quarta, generatio ſua eſt generalis, & educatiua; qua ſcilicet, bonos generat, vt pia Mater, & nutrit meritis, & exemplis, *Eccleſiaſt.* 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis. D. Antoninus* 4. *p. tit.* 15. *cap.* 5. §. 2.

B. Virgo bonos generat vt pia Mater, & nutrit exẽplis.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 6. *Dauid autem Rex genuit Salomonem.* Quare in genealogia Chriſti ponitur Salomon?

Reſp. Secunda Mariæ gratia eſt Natiuitas gaudioſa. Natiuitas tua Sancta Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerſo mundo. Videntes enim Angeli natam tam ſanctam creaturam, magnum gaudium fecerunt, & ita quolibet anno in cœlo fit, vt reuelatum fuit cuidam Sancto Heremitæ. Vnde in genealogia Domini ſubditur Dauid genuit Salomonem, qui interpretatur pacificans merces, quia Angelos dolentes modo ſuo de perditione hominum, & eorum ruina Natiuitas huius lætificauit. Vnde in Introitu Miſſæ canitur: *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes, de cuius Natiuitate gaudent Angeli. D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 6. §. 2.

Natiuitas Virginis lætificauit Angelos dolentes de perditione hominum.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ.* Cur Euangeliſta non deduxit generationem Beatæ Virginis ex Dauid, de qua vere natus eſt Chriſtus?

Reſp. Sicut ad ſatisfaciendum humanæ conſuetudini Euangeliſta deſcripſit genealogiam Chriſti per Ioſeph; ita ad ſatisfaciendum conſuetudini ſcripturarum ſacrarum non deduxit generationem Chriſti per viam Matris: Non eſt enim conſuetũ in ſcriptura genealogias ſcribere per fœminas. At ſi dicatur, quod poterat Euangeliſta per maſculinã lineam ex Dauid deducere generationem Ioachim Patris Mariæ, & concludere Barpather autem genuit Ioachim Patrem Mariæ, de qua natus eſt, ſicut modo concluſit: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ.* Reſpondetur primo, quod non conſtat Beatam Virginem traxiſſe originem ex Dauide per continuam lineam maſculinam, quoniam ad veritatem fidei quod Beata Virgo ſit ex ſemine Dauid, non oportet quod per continuationem maſculinæ lineæ à Dauide deſcenderit, nihil enim officit veritati, ſi per multas lineas fœminas hoc fuerit. Et forte hoc inſinuat ſcripta conſanguinitas Beatæ Mariæ cum Elizabeth, quam conſtat fuiſſe ex filiabus Aaron. *Lucæ* 1. Dicitur nihilominus ſecundo, quod ſi hoc feciſſet Matthæus duplex aſſumpſiſſet opus, ſcilicet, genealogiam Beatæ Virginis texendi, & texendi genealogiam Ioſeph. Genealogia ſiquidem Ioſeph neceſſario erat deſcribenda ad ſatisfaciendum Iudæis, & humanæ conſuetudini. *Caietanus.*

Non conſtat B. Virginem traxiſſe originem ex Dauide per continuam lineam maſculinam.

Non eſt conſuetum in Sacra Scriptura genealogias ſcribere per fœminas.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *Virum Mariæ.* Quommodo Euangeliſta aſſequitur intentum; ſcilicet, monſtrare Natiuitatem Chriſti ex Dauid per hanc genealogiam?

Reſp. Matthæus aſſecutus eſt intentum, & voluit intelligi ſe aſſecutum intentum, ex eo quod iſtam ſeriem generationum afferre ſe propoſuit in principio in teſtimonium quod Ieſus Chriſtus eſt Filius Dauid: hinc enim implicite ſignificauit, quod Ioſeph iure propinquitatis erat vir Mariæ, ac per hoc Maria, & Ioſeph erant ex vna, & eadem ſtirpe. Ita quod deducendo originem Ioſeph declarauit ſimul identitatem ſtirpis inter Ioſeph, & Mariam, ac per hoc Chriſtum eſſe verè natum ex Dauide, & non ſolum ſecundum originem legitimi Patris. *Caietanus Vide D. Auguſt. contra Fauſtum. Antonium de Giſtandis, Ord. Præd. Inquiſitor. Thaurinenſem, in Feſto Natiu. B. M. Virg.*

Sanctus Ioſeph iure propinquitatis erat vir Mariæ.

Sanctus Ioſeph, & Maria erant ex vna, & eadem ſtirpe.

Dub. 9. Ad illa verba, cap 1. verſ. 16. *Virum Mariæ.* Cur poſitis progenitoribus vniuerſis finiens in Ioſeph addidit, virum Mariæ?

Reſp. Poſitis progenitoribus vniuerſis, & finiens in Ioſeph addidit virum Matiæ monſtrans

Sanctus Ioſeph propter Beatam Virginem poſitus in genealogia progenitorũ Chriſti.

quod propter illam, & hunc in genealogia poſuit. *D. Chriſoſtomus in cathena D. Thomæ.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *De qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.* Cur dixit de qua natus eſt Ieſus?

Reſp. Quod eſt contra Valentinum, qui dixit Chriſtum nihil aſſumpſiſſe de Virgine, ſed per illam tanquam per riuum, aut fiſtulam pertranſiſſe. *D. Auguſt. de Hæreſ. in cathena D. Thomæ.*

Error Valentini dicentis Chriſtum nihil aſſumpſiſſe de B. Virgine.

2. Reſp. Cur autem carnem ex vtero fœminæ aſſumere voluerit, ſumma conſilij penes ipſum eſt, ſiue quia vtrumque ſexum hoc modo honorandum iudicauit, aſſumendo formam viri, & naſcendo de fœmina, ſine aliqua alia cauſa quam non temere dixerim. *D. Auguſtinus contra Fauſtum in cathena D. Thomæ.*

Chriſtus aſſumendo formam viri, & naſcendo de fœmina vtrũque ſexum honorauit.

3. Reſp. Quam ita placuiſſe Spiritui Sancto, eiuſque prouidentia Euangeliſtas ſiluiſſe, quia Virginis gloria intus erat, & magis cogitari poterat, quam deſcribi. Quid amplius quæris? Quid vltra requiris in Virgine? Sufficit tibi quod Mater Dei eſt. Quænam obtecto pulchritudo? Quænam virtus? Quæ perfectio? Quæ gratia? Quæ gloria Matri Dei non congruit? *D. Thomas Villanueua, Ordinis Sancti Patris noſtri Auguſtini, ſerm. 2. de Natiuitate.*

Omnis gratia, perfectio, & gloria Matri Dei congruit.

Dub. 11. Ad illa verbá, cap. 1. verſ. 16. *De qua natus eſt Ieſus.* Cur voluit naſci de Virgine?

Reſp. Deus ſic elegit Matrem quæ videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porro Deum huiuſmodi decebat Natiuitas, quia non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat, & Virgini partus, vt non pareret niſi Deum. Voluit itaque, & Matrem ſuam eſſe Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus, ac debitum quidem omni iure miraculum iſtud erat, vt ita conceptui partus reſponderet. *D. Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt.*

Deum decebat quod nõ niſi de Virgine naſceretur.

Talis congruebat Virginis partus, vt non pareret niſi Deũ.

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *De qua natus eſt Ieſus.* Quo ſenſu dicitur Dominus Ieſus natus de Patre, de Matre, & de Spiritu Sancto?

Reſp. Chriſtus natus eſt de Patre ſubſtantialiter, de Matre materialiter, de Spiritu Sancto potentialiter, ſiue virtualiter. *Hugo Cardinalis.*

Dominus Ieſus natus de Patre ſubſtãtialiter, de Matre materialiter, de Spiritu Sancto potentialiter.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *De qua natus eſt Ieſus.* Quare dicitur hic ex Virgine natus Ieſus, & non Deus?

Reſpondeo Ieſus dicit vnionem duarum naturarum in vna perſona, immò vt dicunt communiter Logici, Ieſus dicit de formali naturam humanam, & connotat Diuinum ſuppoſitum, noluit ergo Chriſtus Dominus hic ſcribi ſub nomine Dei, quod de formali dicit naturam Diuinam, ſed ſub nomine Ieſus, quod primo, & formaliter humanam importat naturam, quæ eſt cato Virginis, de qua tanquam præclariſſima gloriatur Chriſtus. *P. Silueira hic, quæſt. 41.*

Ieſus dicit de formali naturam humanam, & connotat Diuinũ ſuppoſitum.

Gloriatur Dõminus Ieſus de carne accepta à B. Virgine.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 16. *De qua natus eſt Ieſus.* Cur dixit de qua, non de quibus natus eſt Ieſus?

Reſp. De qua, inquit, Matthæus, non de quibus, quia de ſola Virgine. Ipſa ſola hoc honore præ omnibus mundi creaturis apud Deum digna eſt habita, imò, & cœli. *Antonius Broickuuius, Ordinis Sancti Patris Franciſci.*

B. Virgo præ omnibus creaturis hoc honore digna habita eſt, quod ſit Mater Dei.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria.* Cur Chriſtus de deſponſata naſci voluit?

Reſpondeo dicendum, quod conueniens fuit Chriſtum de deſponſata Virgine naſci, tum propter ipſum, tum propter Matrem, tum etiam propter nos. Propter ipſum quidem Chriſtum quadruplici ratione. Primo, quidem ne ab infidelibus tanquam illegitime natus abiiceretur, vnde *D. Ambr. lib. 2. in Lucam, cap. 1.* Dicit quid Iudæis, quid Herodi poſsit aſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſequuti. Secundo, vt conſueto modo eius genealogia per virum deſcriberetur, vnde dicit *Diuus Ambr. ſuper Lucam*, qui in ſæculum venit, ſæculi debuit more deſcribi; viri autem perſona quæritur, qui

Chriſtus de deſponſata naſci voluit, ne tanquam illegitime natus abijceretur.

Sacra Scriptura viri originem quærit.

qui in Senatu, & reliquis curijs Ciuitatum, generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit scripturarum, quæ semper viri originem quærit. Tertio, ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret; & ideò Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam, vt partus eius diabolo cœlaretur. Quarto, vt à Ioseph nutriretur, vnde & Pater eius dictus est, quasi nutritius. *D. Thomas 3. part. quæst. 29. art. 1.*

Partus Virginis cœlatus diabolo.

Christus à Sãcto Ioseph nutritus.

2. Resp. Fuit etiam conueniens ex parte Virginis. Primo, quidem quia per hoc redditur immunis à pœna, ne scilicet, lapidaretur à Iudæis tanquam adultera, vt *Hieron.* dicit. Secundo, vt per hoc ab infamia liberaretur, vnde dicit *Ambr. super Lucam.* Quod desponsata est, ne temeratæ virginitatis, adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne proferre. Tertio, vt ei à Ioseph ministerium exhiberetur, vt *D. Hieronymus* dicit. *D. Thomas ibidem.*

Conueniens fuit B. Virginem desponsari, & Christum de desponsata nasci, ne B. Virgo lapidaretur à Iudæis, vt adultera.

Et vt ab infamia liberaretur.

Desponsata Sãcto Ioseph vt ei ministerium exhiberet.

3. Resp. Ex parte etiam nostra hoc fuit conueniens. Primo, quidem, quia testimonio Ioseph comprobatum est Christum ex Virgine natum. Vnde *D. Ambros. dicit super Lucam.* Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, & delere iniuriam, & vendicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum. Secundo, quia ipsa verba Virginis Matris magis credibilia reddũtur suam virginitatem asserentis. Vnde *Ambros. dicit super Lucam.* Fides, Mariæ verbis magis adscisitur, & mendacij causa remouetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse inupta mendacio prægnans; causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Quæ quidem duo, pertinent ad firmitatem fidei nostræ. Tertio, vt tolleretur excusatio virginibus, quę propter suam in cautelam, non vitant infamiam. Vnde *Ambros. dicit*: Non decuit virginibus sinistra opinione viuentibus vealmen exsationis relinqui, quod infamata Mater quoque Domini videretur. Quarto, quia per hoc significatur vniuersa Ecclesia, quæ cum Virgo sit, desponsata tamen est vni viro Christo. Vt *Augustinus dicit in lib. de sancta Virginitate.* Potest etiam; & quinto ratio esse. Quod Mater Domini fuit desponsata, & Virgo; quia in persona ipsius, & virginitas, & matrimonium honoratur, contra hæreticos alteri horum detrahentes. *D. Thomas ibidem.*

Virgines propter suam in cautelam non vitãt infamiam.

Ecclesia desponsata vni viro; scilicet, Christo.

In persona B. Virginis virginitas, & matrimoniũ honoratur.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 1. vers. 18. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria.* Cur desponsata Ioseph, cum non ex eius concubitu, sed Virgo peperit?

Resp. Non tantum erat fas, vt eum ob hoc ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum; hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, & seruata pari consensu continentia, posse permanere coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Præsertim quia nasci eis Filius potuit sine vllo complexu carnali. *D. Augustin. de consens. Euangel. in cathena D. Thomæ.*

Inter coniugatos seruata pari consensu continentia potest permanere matrimonium.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 1. vers. 18. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria.* An fuit desponsata per verba de futuro?

Resp. Non sponsalibus de futuro, sed per verba de præsenti, ita quod iam erat legitima coniux; imò sic conuersabatur cum Ioseph, quod licite absque nulla nota potuissent si voluissent, consummasse matrimonium. Quod patet ex eo, quod aliter non fuisset consultum famæ Beatæ Virginis ipsa apparente vtero grauida. Et hæc eadem est ratio ad litteram, quare Beata Virgo fuit coniugata; vt scilicet, consuleretur famæ eius: Puella enim non coniugata inuenta grauida infamis est. Ex parte quoque prolis (scilicet, Iesu Christi) oportuit ad litteram Beatam Virginem esse coniugatam, ne Iesus spurius haberetur. Nec de est quoque tertia ratio litteralis ex parte opportunorum obsequiorum ad fugam in Ægyptum, quæ per Ioseph exhibenda erant. *Caietanus.*

B. Virgo desponsata Sancto Ioseph per verba de præsenti.

Desponsata Sancto Ioseph, vt consuleretur famæ B. Virginis.

Coniugata ne Iesus vt spurius haberetur.

Sanctus Ioseph obsequia exhibuit Matri, & Filio fugientibus in Ægyptum.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria.* Quare Dominus Ieſus non de ſimplici, ſed de deſponſata concipitur?

Dominus Ieſus nō de ſimplici, ſed de deſponſata concipitur.

Reſp. Primo, vt matrimonium bonum eſſe oſtendatur. Secundo, vt Domina omnium nullo bono priuaretur. Tertio, vt hoſtis fallatur. Quarto, vt teſtis caſtitatis habeatur. Quinto, vt origo Dominæ deſcribatur, quia ſcriptura non conſueuit fœminas genealogizare. Sexto, vt ab infamia ſeruaretur. Septimo, vt pœna cauerētur. Octauo, vt à Chriſto perſecutio tollatur. Nono, vt Filius procuretur. Decimo, vt Dominæ ſeruiatur. Vndecimo, vt humilitas virginitati coniungatur. Duodecimo, vt occaſio incurrendi infamiam virginibus tollatur. Tertiodecimo, vt Filij charitas, & humilitas oſtendatur, qui potius Filius fabri voluit reputari, quam Matrem infamari. Quartodecimo, vt Matris dignitas humilitati ſocietur, vt quanto maior eſt, humiliet ſe in omnibus, vt ſit Mater Dei, & vxor fabri. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana. Vide Hugo Cardinal.*

Dignitas Virginis humilitati ſociata.

Quintodecimo. Quoniam futurum erat, vt omnes ſancti de Virgine naſcerentur, Eccleſia deſponſata, Chriſto, ideò Chriſtus naſcitur de Virgine deſponſata, ne dignius naſcerentur ſerui, quam Dominus. *Imperfectus homil. 1. in Matthæ. Hug. Cardin.*

Sancti de Virgine, id eſt, Eccleſia deſponſata Chriſto, nati.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu.* Quare non dixit; Virgo Maria, ſed ſimpliciter Mater?

Præparatione egent homines ad capienda magnalia B. Virginis.

Reſp. Non dixit Virgo Maria, ſed ſimpliciter Mater, vt ſermo in primis nihil noui afferens abſque difficultate caperetur, propter quod prius præparans auditorem, quaſi ad aliquid eorum quæ ex more veniunt, audiendum, & hac interim ſibi expectatione deuincens, tunc demum infert, quod iure omnes queant, & de nouitate rei, & de maieſtate mirari dicens: *Inuenta eſt à Spiritu Sancto. D. Ioannes Chriſoſtomus homilia 4. in Matthæum.*

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Mater Ieſu Maria.* Cur nomen Virginis ponitur?

Maria interpretatur Stella maris Hebraice, Domina Syriace.

Reſp. Interpretatur autem Maria Stella maris Hebraice, Domina Syriace, quia & lucem ſalutis, & Dominum mundo edidit. *Beda ſuper Lucam.*

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Mater Ieſu Maria Ioſeph.* Cur deſponſata fabro?

Chriſtus hominum ſalutem operatus eſt per lignū Crucis.

Reſp. Ideò fabro lignario Maria deſponſata erat, quoniam Chriſtus Eccleſiæ Sponſus omnium ſalutem hominum operaturus erat per lignum Crucis. *D. Chriſoſt. ſuper Matthæum.*

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quo tempore inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto?

B. Virgo poſt tres menſes à conceptione Chriſti inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.

Reſp. Videtur hoc ad litteram fuiſſe poſt tres menſes à conceptione Chriſti, quando Beata Virgo reuerſa eſt a domo Zachariæ Patris Ioannis Baptiſtæ. Vterus enim prægnantis poſt tres menſes manifeſtè apparet. *Caietanus.*

Sanctus Ioſeph abſens erat quando Angelus introiuit ad Virginē ſalutandam.

2. Reſp. Sicut hiſtoria non incredibilis docet, quando geſta ſunt, quæ refert Lucas. Ioſeph abſens erat, nec enim conueniens eſt putare, præſente Ioſeph introiſe Angelum ad Mariam, & dixiſſe quæ dixit, & Mariam reſpondiſſe quæcunque reſpondit, etſi credamus Angelum potuiſſe intrare ad eam, & loqui plane, tamen Mariam abiſſe in montana, & manſiſſe cum Eliſabeth menſibus tribus, poſsibile non fuit præſente Ioſeph, quia neceſſe erat, vt abſentationis eius, & manſionis diutinæ requireret cauſas. Poſtquam autem rediit peregre poſt tot menſes inuenit eam grauidam manifeſte. *Diuus Chriſoſtom. ſuper Matthæum.*

Sanctus Ioſeph licentia maritali omnia Virginis nouerat.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Inuenta eſt in vtero habens.* An ab alio fuit inuenta?

Reſp. Non ab alio inuenta eſt, niſi à Ioſeph, qui pene licentia maritali omnia nouerat. *D. Hieronymus.*

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 1. verſ.

B. Virgo habens in vtero de Spiritu Sancto inuẽta est à Sancto Ioseph habẽs in vtero

verſ. 18. *In vtero habens de Spiritu Sancto.* Quommodo hæc exponuntur?

Reſp. Id eſt, opere Spiritus Sancti conceperat, non quia hoc Ioſeph cognouerat; ſed ipſa habens in vtero de Spiritu Sancto, inuenta eſt à Ioſeph habens in vtero. Vel ſic diſtingue inuenta eſt in vtero habens, & hoc fuit de Spiritu Sancto, id eſt, de Spiritu Sancto erat habens in vtero. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Inuenta eſt.* Cur dicitur inuenta?

Reſp. Propriè autem dicit inuenta eſt; quod non de excogitatis dici conſuetum eſt. *D. Chriſoſtom. in homil.*

Partus B. Virginis maximè expectatus.

2. Reſp. Quia inuenta es in vtero habens, profer ex vtero ò benigniſsima, panem quo ſatiemur, vinum quo lætificemur, medicinam qua ſanemur, obſidem quo redimamur, theſaurum quo ditemur, & fratrem quo iuuemur, Dominum per quem exaltemur, & coronemur. Omnia hæc eſt Ieſus tuus vnicus, quem in vtero habes. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quommodo fuit inuenta habens in vtero de Spiritu Sancto?

Reſp. Virgo Maria fuit inuenta in vtero habens per excellentiam ſpecialem. Mulieres communiter quando ſunt grauidæ fiunt macræ, diſcoloratę, tędioſę, appetunt varia; ſed non fuit ſic de Beata Virgine, imò dicunt aliqui Sancti Doctores, quod ex quo Virgo fuit grauida radij ſplendoris procedebant de facie ſua, & maximè quando fuit iuxta partum. Dicit Philoſophus quod omne agens naturale, quantum dat de forma ſubſtantiali, tantum & de accidentibus conſequentibus formam, vt qui dat ignem, dat etiam calorem, & ſplendorem; ita Deus Pater de ſua forma ſubſtantiali dedit Filium ſuum Virgini Marię. Quod autem Filius Dei dicatur forma authoritas, *ad Philiphenſes 2. Qui cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſe metipſum formam ſerui accipiens*, neque mirum ergo ſi dedit ſplendorem ſibi in facie, ideò grauida exiſtens Virgo erat pulchrior, & clarior. *D. Vincentius Ferrer ſerm. in Vigil. Natalis Domini.*

Ex quo B. Virgo fuit grauida radij ſplendoris procedebant de facie ſua maximè iuxta partum.

Grauida exiſtens erat pulchrior, & clarior.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 18. *Habens de Spiritu Sancto.* Cur dixit de Spiritu Sancto?

Reſp. Ne autem moleſtes Euangeliſtam interrogando qualiter ſit natus ex Virgine, breuiter expoſuit ſe dicens de Spiritu Sancto, quaſi Spiritus Sanctus eſt, qui operatus eſt hoc miraculum; neque enim Gabriel, neque Mattheus amplius dicere potuerunt. *D. Chriſoſtom. in homil.*

Spiritus Sanctus operatus eſt opus Incarnationis in vtero Virginis.

2. Reſp. Hoc ergo quod dicitur, eſt ex Spiritu Sancto, Euangeliſta ex parte ſua adduxit, vt cum diceretur habere in vtero omnis mala rémoueretur ſuſpicio à mentibus audientium. *Gloſſa.*

Famæ B. Virginis, & honori conſulẽdum.

3. Reſp. Non autem ſicut quidam ſceleratiſsimè opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuiſſe pro ſemine, ſed potentia, ac virtute Creatoris dicimus operatum. *D. Hieronymus in expoſit. cap. fin.*

Spiritus Sanctus non fuit pro ſemine cum Beatam Virginẽ fœcundauit.

4. Reſp. Quod enim ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantia eſt, aut ex poteſtate eius eſt; ex ſubſtantia ſicut Filius, quia à Patre: ex poteſtate ſicut ex Deo omnia, quommodo & in vtero habuit Maria ex Spiritu Sancto. *D. Ambroſius in lib. de Spiritu Sancto.*

B. Virgo habuit in vtero non ex ſubſtãtia Spiritus Sancti, ſed ex poteſtate, & virtute.

5. Reſp. Commendatur etiam à ſanctitate ex ſanctitate ſumma poſt Deum, ibi de Spiritu Sancto. De hac puritate dicit *Anſelmus in lib. de conceptu virginali.* Decebat vt illius hominis conceptio de Matre puriſsima fieret. Nempè decens erat, vt ea puritate quæ maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo Mater, cui Deus Pater vnicum Filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt natus aliter eſſet vnus, idemque Deus, communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ſibi ſubſtantialiter Matrem eligebat, & de quo Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur ille, & naſceretur de

B. Virgo habuit ſanctitatem ſummã poſt Deum.

quo ipse procedebat. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 1. vers. 18. *Habens in vtero de Spiritu Sancto.* Cur solius Spiritus Sancti mentionem facit, cum non sint separabilia opera Trinitatis?

Trinitas operata est Mysterium Incarnationis.

Resp. Neque enim separabilia sunt opera Trinitatis. Cur in ea faciendâ; scilicet, Christo, solus Spiritus Sanctus nominatus est? An & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligitur? *D. Augustinus ad Eustachium.*

Sanctus Ioseph iustus per fidē, qua credebat Christum de Virgine nasciturum.

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 1. vers. 19. *Ioseph autem Vir eius cum esset iustus.* Quare Ioseph iustus scribitur?

Resp. Iustus erat per fidem, qua credebat Christum de Virgine nasciturum, vnde voluit se humiliare ante tantam gratiam. *Glossa.*

Sanctus Ioseph posibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare.

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 1. vers. 19. *Et nollet eam traducere.* Quare nolebat Sanctus Ioseph Beatam Virginem traducere?

Resp. O inestimabilis laus Mariæ! Magis credebat castitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ. Posibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. *Imperfectus homil. 1. in Matthæum.*

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 1. vers. 19. *Et nollet eam traducere, Voluit occulte dimittere eam.* Quare Sanctus Ioseph nollens traducere Beatam Virginem, volebat occulte dimittere eam?

Sanctus Ioseph consulebat B. Virgini, ne vituperaret eam.

Resp. Significatur enim tanta iustitia Ioseph (vt iustitia est nomen veræ rectitudinis animi) vt duo vellet; scilicet, & consulere sibi, ne cohabitaret adulteræ, & consulere coniugi, ne vituperaret eam: propterea enim elegit medium dimittendi eam occulte, hoc est, recedere nihil dicendo, quod coniux sua esset grauida ex adulterio: existimando namque eam adulteram, habebat violentam rationem videndo eam grauidam, & sciendo quod ipse non cognouisset eam. *Caietanus. Hugo Cardinalis.*

2. Resp. In coniugatis reperitur trip ex bonum; scilicet, fides, proles, & Sacramentum, vt ait *B. Augustinus*, & in omnibus his tribus excelsit Beata Maria coniugata omnes coniugatas, & fides quidem intelligitur, vt alter alteri seruet fidelitatem, non commiscendi se cum altero, vel cum altera; sed Beata Maria non solum cum altero se non commiscuit, sed nec cum Sponso suo Ioseph, de communi consensu virginitatis votum emisserunt, & vterque in virginitate permansit, vt dicit *B. Augustinus 27. quæst. 2. Beata Maria.* Tanto coniugium est sanctius, quanto castius, nec ideò Ioseph voluit dimittere eam, vt Matthæus Euangelista dicit *cap.* 1. cum videret eam prægnantem, quia eam suspectam haberet de adulterio, sed vt dicit *D. Bernardus*, reputabat se indignum cum tam sancta manere, quoniam cum scirct eam plenam omni honestate, & modestia, & sanctitate æxistimauit eam non de viro, sed à Spiritu Sancto imprægnatam. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 3.*

In coniugatis reperitur triplex bonum, fides, proles, Sacramentum.

Sanctus Ioseph, & Deipara de communi consensu virginitatis votū emiserunt.

Sanctus Ioseph voluit dimittere B. Virginem reputans se indignum cum tam sancta manere.

3. Resp. Vel cum nollet eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam, voluit occulte dimittere eam, id est, tempus nuptiarum mutare. Vera enim virtus est, cum nec pietas sine iustitia, nec sine pietate seruatur iustitia, quæ separatæ ab inuicem dilabuntur, *Glossa.*

Sanctus Ioseph nolebat traducere B. Virginem in domum ad cohabitationem assiduā, volebat tamē tempus nuptiarum mutare.

4. Resp. Aliter potest distingui, & accipitur traducere pro propalare, & notantur tria circa Ioseph; scilicet, iustitia, pietas, & prudentia; iustitia notatur in hoc, quod volebat innocentem seruare ab infamia. Pietas, quia nolebat eam traducere, id est, propalare, id est, publice adulteram promulgare. Prudentia, quia volebat eam occulte dimittere. *Hugo Cardinalis.*

Sanctus Ioseph iustitia, pietas, & prudentia.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit illi dicens.* Quare tempus Diuinæ instructionis ponitur?

Sanctus Ioseph tempore congruo instructus ab Angelo, cum imminebat periculum dimissionis.

Resp. Tempus congruum, ac necessarium Diuinæ instructionis tangitur. Ante illud siquidem tem

pus

pus non oportuit Ioseph instrui; nec ante illud tempus disposita erat mens eius ad percipiendam Angelicam instructionem, quando nihil de vtero coniugis cogitabat, sed nunc imminebat periculum dimissionis: & animus iustus sanctis cogitationibus fluctuans, præparabatur ad Diuinum lumen suscipiendum: sicut animus Nabuchodonosor cogitans quid post se futurum esset præparatus est ad suscipiendum somnium futurorum præsagium, vt dicitur *Danielis* 2. *Caietanus.*

Angelus apparuit B. Virgini in vigilia, Sancto Ioseph in somnis.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Ecce Angelus Domini in somnis apparuit illi.* Quare Beatæ Virgini Angelus apparuit in vigilia: Ioseph autem in somnis?

Resp. In promptu ratio est differentiæ ex differenti perfectione eorum. Iste enim iustus, illa describitur plena gratia. *Caietanus.*

Angelus pastoribus apparuit manifeste, Sancto Ioseph in somnis.

2. Resp. Ideo autem non apparuit manifeste Ioseph, sicut pastoribus, quia valde fidelis erat, pastores autem indigebant quasi rudes. Virgo autem indiguit, quasi primo de maximis instruenda. Similiter etiam Zacharias indiguit ante conceptionem prolis mirabili visione. *D. Chrisostomus in homilia.*

Zacharias ante cõceptum prolis indiguit mirabili visione.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Ecce Angelus Domini in somnis apparuit illi.* Quare Virgo non reuelauit sibi, quando videbat suam tristitiam, & perplexitatem, quia ipse credidisset sibi, licet modo Sponsus non crederet Sponsæ suæ?

Respondeo. Quod secretum commissum non est reuelandum vbi deuotè committitur, ex quo secretum est bonum, iustum, & sanctum, quia alias reuelandum est: *Sacramentum Regis abscondere bonum est. Tob.* 12. ideò Virgo Maria quæ habebat conscientiam delicatissimam, noluit reuelare, timens ne Regem offenderet, vel Deum præcipue. *Diuus Vincentius Ferrer sermone in Vigilia Natalis Domini.*

Secretum commissum non est reuelandum.

B. Virgo non reuelauit Sancto Ioseph de Spiritu Sancto concepisse.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Ioseph Fili Dauid.* Quare Angelus Ioseph vocat Filium Dauid?

Sanctus Ioseph, & B. Virgo ex eadem tribu.

Resp. Filium Dauid vocat, vt reuocet ad memoriam se, & Mariam ex eadem tribu esse, & ideò nullatenus diffidat hanc promissionem posse compleri in Maria. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quare describitur Ioseph timens accipere Mariam?

Sanctus Ioseph timebat Deum offendere accipiens adulteram.

Resp. Timor respectu mali est, ac per hoc aperit Angelus, quòd Ioseph timebat offendere Deum si acciperet adulteram, quia quasi patronus adulterij efficeretur. *Caietanus.*

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Noli timere accipere Mariam.* Quare hæc dicta sunt Ioseph ab Angelo?

Sanctus Ioseph admonetur ab Angelo ne timeat accipere Mariam.

Resp. Sponsus etiam ne timeat admonetur, quia pius animus dum compatitur, plus pauescit, ac si dicat. Hic non est mortis causa, sed vitæ, quia quæ vitam parturit, non meretur occidi. *Seuerus.*

B. Virgo mente dimissa à Sancto Ioseph.

2. Resp. Dicit autem noli timere accipere, id est, intus retinere, iam enim mente dimissa erat. *Chrisostom. in homilia.*

3. Resp. Noli timere accipere eam nuptiali Conuentu, & assidua cohabitatione. *Rabbanus.*

Sanctus Ioseph accipit B. Virginem assidua cohabitatione.

4. Resp. Propter tres autem causas apparuit Angelus Ioseph, hoc dicens ei. Primo ne iustus homo ignorans, faceret rem iniustam ex proposito iusto; deinde propter honorem ipsius Matris, nam si dimissa fuisset apud infideles turpi suspicione carere non poterat. Tertio vt intelligens Ioseph sanctam conceptionem diligentius se custodiret ab illa, quam prius. Ideò tamen non ante conceptionem Virginis venit ad Ioseph, vt nec cogitaret hic quæ cogitauit, nec pateretur quæ passus est Zacharias, culpam infidelitatis incurrens, de conceptione coniugis iam longeuæ: incredibilior enim erat res, Virginem posse concipere quam annum. *D. Chrisostomus super Matthæum.*

Angelus propter tres causas apparuit Sancto Ioseph.

Iustus homo timet, etiam ignorans facere rem iniustam.

Sanctus Ioseph honori consuluit B. Virginis.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Coniugem tuam.* Quomodo B. Virgo dicitur coniux?

Sanctus Ioseph intelligẽs sanctam conceptionẽ diligẽtius se custodiuit à B. Virgine.

Resp.

Cum B. Virgo dicitur cõiux Ioseph, nuptiarum celebratio declaratur.

Resp. Non autem te moueat quod eam coniugem vocat. Non enim virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio, nuptiarum celebratio declaratur *D. Ambrosius super Lucam.*

More scripturæ Sponsi dicuntur viri, Sponsæ vxores.

2. Resp. Non tamen est putandum, quod ex eo quod vxor est appellata Sponsa esse desierit; cum hanc esse consuetudinem scripturæ nouerimus, quę Sponsos viros, & Sponsas appellet vxores. *D. Hieronymus contra Heluidium.*

Inter Sanctũ Ioseph, & Beatam Virginẽ fuit verum coniugium.

3. Resp. Hinc apparet, quod ita erat desponsata, quod erat coniux: erat enim inter eos verum coniugium, quia erat vera copula coniugalis. At si speculatiuè obijcitur; quommodo cum veritate coniugij stat continua virginitas mentis in Beata Virgine; cum vxor potestatem corporis sui coniugi tradiderit? Respondetur quod consensus in copulam coniugalem non contrariatur virginitati mentali, quoniam non est consensus in futurum actum copulę carnalis, sed est consensus in potentiam. Copula enim coniugalis potentiam significat ad copulam carnalem, potentia siquidem tantum distat ab actu, vt quod est aliquid in potia, non sit illud, qui enim est Rex in potentia, non est Rex. *Caietanus.*

Consensus in copulam coniugalem, non contrariatur virginitati mentali.

B. Virgo coniux erat non commixtione corporis, sed copulatione animorũ.

4. Resp. Coniux erat non concubitu, sed affectu, non commixtione corporis, sed in vnione siue copulatione animorum. Vnde *Augustinus.* Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis seruata pari consensu, continentia posse permanere, arctarique coniugium, non mixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. *Hugo Cardin. ex Glossa.*

Iustus accipit pœnitentiam in coniugem.

5. Resp. Quilibet iustus debet habere Mariam coniugem, id est, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim est pœnitentia in vxorem, quia pulchra, quia diues, quia nobilis, soror enim Regis cœlestis est. Dolorem enim, & miseriam Christus ab vtero habuit; sed multi dormiunt cum Ioseph, quibus ait Apostolus *ad Ephes. 5. Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Sicut autem non curatur de verbo dormientis: sic non multum ædificantur homines in prædicatione Prælati in peccato iacentis. Multi autem timent accipere Mariam, quousque timor Domini, quasi Angelus monet eos dicens: Noli timere Fili Dauid; scilicet, si vis imator esse Christi, qui fuit irrisus, flagellatus, crucifixus. *Iosue* 1. Noli timere, sed confortare, & esto robustus. Hoc matrimonium inchoatur per contritionem. *Osseæ 2. Sponsabo te mihi in iudicio.* Quando enim homo diiudicat se per contritionem, tunc contrahuntur Sponsalia. Ratum fit per confessionem. *Ioann. 1. Rabbi vbi habitas? Venite, & Videte, & venerunt, & manserunt apud eum.* Consumatur autem per satisfactionem, *Matth. 3. & 4.* Facite fructus dignos pœnitentiæ, & tunc quod in ea natum est de Spiritu Sancto est. Tres enim filios genuit pœnitentia. Testimonium conscientiæ 2. *Corint. 1. Gloria nostra, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Prælibationem iocunditatis æternæ, *Psalm. 33. Gustate, & Videte.* Adeptionem gloriæ, *Psalm. 30.* Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. *Psalm. 127. Fili tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ,* quia ducunt ad epulas satietatis æternæ. *Hugo Carainalis.*

Prædicatio Prælati in peccato iacentis non ædificat.

Timent multi pœnitentiam suscipere.

Matrimoniũ cum pœnitẽtia, inchoatur per contritionem, ratum fit per confessionem, consumatur per satisfactionem.

Pœnitentia tres filios gignit, testimonium cõscientiæ, prælibationem iucũditatis æternæ, adeptionem gloriæ.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 1. vers. 20. *Quod enim in ea natum est.* Quare dicitur, natum in ea non ex ea?

Error Valentini dicentis Christũ corpus cœleste habuisse.

Resp. Nota natum in ea, quoniam opus naturæ significat, & confutat errorem Valentini, dicentis Christum corpus cœleste habuisse, & per vterum Beatæ Virginis quasi per fistulam transisse. Excluditur siquidem hoc dicente Angelo, quod *in ea natum est*, non enim nascitur nisi opere naturali, in ea in vtero eius. Et hinc habet distinctionem illam inter Natiuitatem in vtero, & Natiuitatem ex vtero. Natiuitas siquidem hic significatur. Et aperte naturale opus maternum aperitur colligendo, quod prius dixerat: *Cum esset desponsata Mater eius,* & quod statim subiun-

B. Virgo naturalis Mater Christi.

ſubiungit pariet Filium. Ex eo enim quod hic dicit in ea natum eſt, & eam vocat Matrem eius quod in ea natum eſt, & quod pariet Filium, manifeſtiſsimè ſignificat naturale opus maternum intra viſcera Beatæ Virginis interueniſſe, quo eſt Mater, & pariet Filium. Quæ ideo ſunt notata, vt naturalem Matrem Chriſti Beatam Mariam intelligamus, ſicut reliquæ Matres ſunt naturales Matres ſuorum Filiorum: hoc ſolo dempto, quod non ex virili ſemine concepit. *Caietanus.*

Naturale opus maternum intra viſcera B. Virginis interuenit, quo fuit Mater.

2. Reſp. Aliud eſt naſci in ea, & aliud ab ea, naſci ab ea, & prodire in lucem, naſci in ea, eſt idem quod concipi. Vel ſecundum præſentiam Angeli quam habet ex Deo, cui futurum quaſi præteritum eſt, natum dicitur *Gloſſa.*

Naſci ab ea eſt prodire in lucem, naſci in ea, eſt idē quod concipi.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 20. *Quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Cur Angelus dixit Sancto Ioſeph quod in Beata Virgine natum eſt, de Spiritu Sancto eſt?

Reſp. Directe reſpondet Angelus cogitationi Ioſeph præſupponentis adulterium: excludendo hoc, & dicendo, quod non ex virili ſemine, ſed ex Spiritu Sancto natum eſt in vtero Beatæ Virginis, id quod natum eſt in ea, hoc eſt, quod Spiritus Sanctus vice ſeminis virilis in hac Natiuitate functus eſt. *Caietanus.*

Spiritus Sanctus vice ſeminis virilis functus eſt in conceptione Filij Dei.

2. Reſp. Mater Ieſu, id eſt, ſalutis, eſt Religio, quæ eſt amarum mare per pœnitentiam, quia non poteſt in ſe mortuum pati. Hæc habet in vtero de Spiritu Sancto, quando ſcilicet, de inſpiratione Diuina aliqui intrant. Vterus eius Conuentus. Sed hodie habet quoſdam ſimiles Iacob, id eſt, bonos, qui luctantur cum Domino, & habitant in Tabernaculis, & ideò obtinent benedictionem, & Eſau habet, id eſt, malos, hi inuicem colliduntur, vt dicere poſsit Religio. Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere. *Geneſ.* 25. Nota Monachi, vel Clauſtrales in Conuentu ſunt quaſi pueri in vtero, quia non ſunt curioſi de cibo, & vili cibo vtuntur. Secundo, quia calidi ſunt, nec timent frigus, nec videntur, ſilentium tenent. Tunc naſcuntur, quando mittuntur ad Prioratum, vel fiunt Abbates. Sed multi ſunt progenies viperarum, tempus naſcendi non expectantes. Hinc Rachel pertriſtatur in ortu Benjamin. Hodie fit contentio quis naſcatur prior. Sed Eſau primo naſcitur, quia prius promouentur mali quam boni. *Matth.* 27. *Non hunc ſed Barrabam. Hugo Cardinalis.*

Religio eſt mater ſalutis.

Aliqui de inſpiratione Diuina intrant Religionem.

Boni, & mali Religioſi inuicem colliduntur.

Boni Religioſi, quaſi pueri in vtero, non ſunt curioſi de cibo, vili veſte vtuntur, non videntur, ſilentium tenent.

Religioſi naſcuntur quando mittuntur ad Prioratū.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Hoc autem totum factum eſt.* Quare hoc factum eſt?

Reſp. Vt ſcilicet, Virgo propinquo ſuo deſponſaretur, vt caſta ſeruaretur, vt Angelus per ſomnium Ioſeph loqueretur, vt eam Sponſam accipere iuberetur, vt pueri nomen Ieſus vocaretur, vt Virgo Saluatorem mundi generaret. *Hugo Cardinalis.*

Prius promouentur mali, quam boni.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Hoc autem totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit.* Quare Beata Maria fuit Virgo in concipiendo?

Cura Dei erga B. Virginem.

Reſp. Simpliciter conſitendum eſt Matrem Chriſti Virginem concepiſſe, contrarium enim pertinet adhæſim Hebionitarum, & Cherinthi, qui Chriſtum purum hominem arbitrabantur, & de vtroque ſexu eum natum putauerunt. Quod enim Chriſtus ſit conceptus ex Virgine, conueniens eſt propter quatuor. Primo, propter mittentis Patris dignitatem conſeruandam. Cum enim Chriſtus ſit verus, & naturalis Dei Filius, non fuit conueniens, quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundo, hoc fuit conueniens proprietati ipſius Filij, qui mittitur, qui quidem eſt Verbum Dei: verbum autem abſque omni corruptione cordis concipitur, quin imò cordis corruptio perfecti Verbi corruptionem non patitur. Quia ergo caro ſic fuit à Verbo Dei aſſumpta, vt eſſet caro Verbi Dei, conueniens fuit quod etiam ſine corruptione Matris con-

Conueniens fuit Chriſtum ex Virgine concipi propter quatuor.

Hæreſis Hebionitarum, & Cherinthi, qui Chriſtum purum hominem arbitrabantur, & de vtroque ſexu eum natum putauerunt.

Non fuit cōueniēs quod Chriſtus aliū Patrem haberet, quā Deū.

Conceptus ſine corruptione Matris

conciperetur. Tertio, hoc fuit conueniens dignitati humanitatis Chriſti, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur. Secundum illud *Ioann.* 1. *Ecce Agnus Dei* (ſcilicet, innocens) *qui tollit peccatum mundi*: non poterat autem eſſe, quod in natura iam corrupta ex concubitu caro naſceretur ſine infectione originalis peccati. Vnde *Auguſtinus dicit in libro de Nuptijs, & Concupiſcentia.* Solus nuptialis concubitus ibi non fuit; ſcilicet, in matrimonio Mariæ, & Ioſeph, quia in carne peccati fieri non poterat ſine vlla carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato. Quarto, propter ipſum finem Incarnationis Chriſti, quæ ad hoc fuit, vt homines renaſcerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo, id eſt, ex ipſa Dei virtute. Cuius rei exemplar apparere debuit in ipſa conceptione Chriſti, vnde *Auguſtinus dicit in lib. de ſancta virginitate, tom. 6. cap. 6.* Oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum carnem naſci de Virgine, quo ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia ſecundum ſpiritum naſcitura. *D. Thom. 3. part. quæſt. 28. art. 1.*

Sine vlla carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, concipi voluit Chriſtus, qui futurus erat ſine peccato.

Membra Chriſti de Virgine Eccleſia nata ſecundū ſpiritum.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet.* Quare Beata Maria fuit Virgo in partu?

Reſpondeo dicendum, quod abſque omni dubio afferendum eſt Matrem Chriſti etiam in partu Virginem fuiſſe. Et hoc quidem conueniens fuit propter tria. Primo, quidem quia hoc competebat proprietati eius, qui naſcebatur, qui eſt Verbum Dei. Nam verbum non ſolum in corde abſque corruptione concipitur, ſed etiam abſque corruptione ex corde procedit: vnde vt oſtenderetur quod illud corpus eſſet ipſius Verbi Dei, conueniens fuit vt de incorrupto Virginis vtero naſceretur. Vnde *in ſermone quoddam Concilij Epheſini legitur.* Quæ parit carnem puram, à virginitate ceſſat; ſed quia natum eſt in carne Verbum, Deus cuſtodit virginitatem, ſe ipſum oſtendens per hoc Verbum. Neque enim noſtrum Verbum cum paritur corrumpit mentem, neque Deus Verbum ſubſtantiale, partum eligens, peremit virginitatem. Secundo, hoc eſt, conueniens quantum ad effectum Incarnationis Chriſti. Nam ad hoc venit, vt noſtram corruptionem tolleret, vnde non fuit conueniens, vt virginitatem Matris naſcendo corrumperet. Vnde *Auguſtinus dicit in quodam ſermone, de Natiuitate Domini.* Fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta. Tertio, fuit conueniens, ne Matris honorem naſcendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos. *D. Thomas ibidem, art. 2.*

Afferendum eſt B. Virginem in partu Virginē fuiſſe propter tria.

Chriſtus de incorrupto Virginis vtero natus.

Non fuit cōueniēs quod Chriſtus virginitatem Matris naſcēdo corrumperet, qui venerat ſanare corrupta.

Chriſtus honori Matris conſuluit.

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 22. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet.* Quare Beata Maria fuit Virgo poſt partum?

Reſpondeo dicendum, quod abſque omni dubio deteſtandus eſt error Heluidij, qui dicere præſumpſit, Matrem Chriſti poſt partum à Ioſeph eſſe carnaliter cognitam, & alios filios genuiſſe. Hoc enim primo derogat Chriſti perfectioni, qui ſicut ſecundum Diuinam naturam vnigenitus eſt Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius: ita decuit vt eſſet vnigenitus Matris tanquam perfectiſſimum germen eius. *D. Thomas ibi, art. 3.*

Error Heluidij, dicentis Matrem Chriſti poſt partū à Ioſeph carnaliter cognitā, & alios filios genuiſſe.

Chriſtus vnigenitus eſt Patris, decuit etiam vt eſſet vnigenitus Matris.

2. Reſp. Hi error iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius Sacrarium fuit vterus virginalis, in quo carnem Chriſti formauit; vnde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem. *D. Thomas ibi.*

3. Reſp. Derogat dignitati, & ſanctitati Matris eius, quæ ingratiſſima videretur ſi tanto Filio contenta non eſſet, etſi virginitatem, quæ in ea miraculoſe conſeruata fuerat ſponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto, etiam ipſi Ioſeph eſſet ad maximam præſumptionem imputandum, ſi eam quam reuelante Ange-

Decebat quod vterus Virginis poſt partum non violaretur per commixtionem virilem, derogaret hoc Spiritui Sancto, & ſanctitati Matris

Sãcto Ioseph esset ad maximã præsumptionem imputandum, si Beatam Virginem, quæ de Spiritu Sancto concepit, polluere attentaret.

gelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognouerat, polluere attentaret; & ideò simpliciter est asserendum quod Mater Dei, sicut Virgo concepit, & Virgo peperit; ita etiam & Virgo post partum in sempiternum permansit. *D. Thomas ibidem.*

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 1. vers. 25. *Et non cognoscebat eam.* Quare dicitur quod Ioseph non cognoscebat Beatam Virginem?

Sanctus Ioseph nõ cognoscebat B. Virginem à conceptione Filij propter splendorem vultus eius.

Resp. In Euangelio Nazareorum legitur, vt dicit *Chrisostom.* quod Ioseph Mariam videre facie ad faciem non poterat, quoniam Spiritus Sanctus eam a conceptione penitus impleuerat, ita quod non cognoscebat eam propter splendorem vultus eius. Sicut legitur quod Discipuli non poterant videre faciem Domini propter splendorem, *Matth.* 17. *Hugo Cardinalis.*

Sanctus Ioseph non cognouit cuius dignitatis erat B. Virgo ante partum, post partum agnouit.

2. Resp. Vere non cognouit eam cuius fuerat dignitatis, quia vnigeniti Dei facta fuerat Mater; sed postquam peperit, tunc cognouit, quia speciosior, & dignior facta fuerat, quam totus mundus, nam quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum vteri sui sola suscepit. *Imperfectus, & D. Chrisost. super Matthæum.*

B. Virgo agnosci, vel intueri non poterat, Dominum gloriæ habẽs in vtero.

3. Resp. Propter Sanctissimæ Mariæ glorificationem à Ioseph cognosci non potuit donec peperit. Dominum enim gloriæ habens in vtero quommodo cognosceretur? Si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intendere in eum filij Israel, quanto magis Maria agnosci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentię in vtero habebat. Post partum autem à Ioseph agnita inuenitur specie faciei, non tactu libidinis. *D. Hilar. in homilia.*

Beata Virgo agnita à Sancto Ioseph post partum specie faciei.

Sanctus Ioseph cognouit dignitatem, & miraculum Virginis, videns genitum ex ipsa.

4. Resp. Non nouerat quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra maximè mulier, non igitur cognouit ipsam, donec vidit miraculum, nec cognouit miraculum ipsius, donec vidit genitum ex ipsa. *D. Epiphan. hæres.* 38.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 1. vers. 25. *Peperit Filium suum primogenitum.* Quare Dominus Iesus dicitur Filius primogenitus Beatæ Virginis, cum non habuerit alios filios?

Error dicentium B. Virginem alios filios habuisse.

Resp. Ex hoc autem quod dicit Filium suum primogenitum, quidam peruersissimè suspicantur, & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum non dici, nisi quod habeat, & fratres, cum hic mos scripturarum sit, vt primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. *D. Hieronym. super Matth.*

Mos scripturarum vocare primogenitũ non quem fratres sequuntur, sed eum qui primo natus est.

2. Resp. Primogenitus dicitur inter omnes electos per gratiam, propriè autem vnigenitus Dei Patris, vel Mariæ dicitur. *Glossa.*

Christus dicitur primogenitus inter electos, sed vnigenitus Patris, vel Mariæ.

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 2. vers. 2. *Vidimus Stellam eius.* Quare Reges Stella duce veniunt ad puerum adorandum?

Resp. Maria est Stella vtilissima nos ad patriam cœlestem dirigendo, immò ducendo nos per mare huius sæculi ad gratiam Filij sui, tanquam ad portum Paradisi, vnde ipsa est Stella illa clarissimè fulgens, tres Magos ad Christum rectissimè ducens. Maria certè est Stella, quæ influctibus præsentis vitę valde est necessaria. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect.* 3. Ne auertas oculos tuos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice Stellam, voca Mariam. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. *D. Bernardus homilia 2. super missus est.*

B. Virgo ad patriam cœlestem dirigit.

B. Virgo Stella in vita præsenti valde necessaria.

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 2. vers. 2. *Vidimus Stellam eius in Oriente.* Quid significat Stella in Oriente visa?

B. Virgo Stella apparens in Oriẽte gratiæ, Eua in Occidẽte culpæ.

Resp. Ipsa est Stella Orientis, quæ commendatur in hoc, quod apparuit in Oriente gratiæ, & non sicut Eua in Occidente culpæ, quæ fuit Stella Occidentis. *Beatus Alber-*

bertus Magnus in Biblia Mariana.

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 2. v. 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex.* Quare Dominus Ieſus dicitur natus Rex?

Reſp. Specialiter de Chriſto dictum eſt. *Matth. 2. Vbi eſt qui natus eſt Rex?* Alij enim poſtquam nati ſunt de matre, poſſunt coronari in Reges, ſed non naſcuntur Reges, ſed Chriſtus in die, qua conceptus eſt à Matre, coronatus eſt in Regem. Vnde *Cant. 3.* dicitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudib. Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 6.*

Chriſtus, die qua conceptus eſt à Matre, coronatus in Regem.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt.* Quare Herodes audiens, quod Reges viderant Stellam, turbatus eſt?

Diabolus turbatus in Natiuitate Beatæ Virginis.

Reſp. Stella iſta; ſcilicet, Maria commendatur in hoc, quod turbauit Herodem, id eſt, diabo um. Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & poſt diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, id eſt, Mariæ, quæ apparuit per naturam in mundo naſcendo, & per gratiam in morte peccatoris apparendo. Hoc enim Herodes, id eſt, diabolus, pellicens, vehementer expaueſcit. *B. Albertus Magn. in Biblia Mariana.*

In morte peccatoris apparet per gratiam, quod diabolum turbat.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 9. *Ecce Stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Quare Stella antecedebat Reges?

B. Virgo duxit ad Chriſtum.

Reſp. Stella iſta, id eſt, Maria, commendatur à fideliſſimo ducatu peregrinorum Chriſti Ieſu: *Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*, ſicut antecedit reconciliatrix eum, vel inuitatrix hoſpitem, *Ioann. 4. Vado parare vobis locum*, vel ſicut antecedit, viam oſtendens, viam patriæ ignoranti. *Beatus Albertus ibi.*

Oſtendit viã patriæ.

2. Reſp. Oportet omnes chriſticolas per mare huius ſæculi nauigantes attendere ad Stellam maris; ſcilicet, Mariam hoc ſi quis egerit, non iactauitur vanæ gloriæ vento, nec tribulationum ſcopulis allidetur, nec ſcyllea voluptate voragine abſorbebitur, ſed ad portum ſalutis tutus perueniet. *Fulbertus in ſermone apud Diuum Antoninum 4. part. tit. 15. cap. 32. §. 2.*

Qui per mare huius ſæculi nauigant ad Stellã maris Mariam attendant.

Dub. 52. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 10. *Gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Quare viſa Stella gauiſi ſunt Reges gaudio magno valde?

Gaudiũ Regum Orientis viſo Filio & Matre.

Reſp. Hanc Stellam non materialem in cœlis, ſed virginalem in terris viderunt Magi, quando inuenerunt puerum non ſolum, ſed cum Maria Matre eius. Vnde gauiſi ſunt gaudio magno viſo puero, gauiſi ſunt, & viſa Matre. Additum eſt eis gaudium, vt magnum eſſet. Erat enim quædam fruitio videre iuuenculam ſpecioſiſſimam, honeſtiſsimam, ſapientiſsimam, cum paruulo Filio ſuo, & piè credi poteſt (& ſi Euangeliſta non dicat) verbis melliſluis, ſapientia plenis, illis magis gratias egiſſe. *D. Antonin. vbi ſupra.*

Reges Orientis habuerunt fruitionẽ videntes B. Virginem iuuenculam, ſpecioſiſsimam, ſapientiſsimã.

Dub. 53. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 11. *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Quare Paſtores primo vident Virginem, deinde puerum, *Lucæ 2. verſ. 16. Inuenerunt Mariam, Ioſeph, & Puerum.* Magi verò prius vident Puerum, deinde Mariam?

Credibile eſt B. Virginem gratias egiſſe Regibus Orientis.

Reſp. In illis quippè vt ſimplicibus ratio obtupeſcebat, ne circa modeſtiam, & grauitatem virginei vultus diſcurreret, ſed tantum ad puerum intuendum, quem Angelus prædixerat, feſtinabant; in iſtis autem vt ſapientibus mens poterat ita titubare, vt ex Virginis præſentia aliquid Diuinum, ac ſupra naturam conciperent, & ideò primo Chriſtum vident, quem vt Deum recognouerunt, ac fatentur, & tandem Virginem intuentur. *Pater Silueira.*

Reges ex præſentia Virginis aliquid Diuinum, ac ſupra naturã poterant concipere.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 11. *Inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius.* Quo ornatu?

Reſp. Non diademate coronata, aut in lecto aureo recumbente, ſed vix tunicam habente vnam, non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis, qualem habere potuit carpentarij vxor peregre

Veſtes B. Virginis non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis.

regre constituta. *D. Chr. super Mat.*

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 2. v. 11 *Inuenerunt puerũ cum Maria Matre eius.* Quare puer erat cum Matre?

Dominus Iesus in infantia sua puerulus ostendebatur in omnibus.

Resp. Adiungitur cum Maria Matre eius, vt in omnibus puerulus significetur. *Caietanus.*

2. Resp. Inuenerunt puerum Iesum, vel salutem cum Maria, amaritudine pœnitentiæ, vt habetur. 2. *ad Timoth.* 3. *Qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur.* Ecce Maria. *Act.* 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum.* Vnde *Exodi* 3. *Moyses inuenit domum Domini in rubo ardente. Hugo Cardinalis.*

Dominus Iesus per multas tribulationes inuenitur.

Dub. 56. Ad illa verba, cap. 2. vers. 11. *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Quare non inuenerunt cum Sancto Ioseph?

Non est danda malæ suspitionis occasio.

Respondet Rabbanus super Matth. Dicens Diuino autem nutu factum est quod aberat Ioseph, ne aliqua malę suspicionis occasio daretur gentibus, ne forte vt dicit *Sanctus Vincentius in sermone*, putaretur pater pueri. *Antonius Gistandis, Ordinis Prædicatorum.*

Sanctus Ioseph absens erat quando Reges intrauerunt domum, & inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.

2. Resp. Non dicit cum Ioseph, quia Diuina dispositione actum est, vt illa hora absens esset, ne crederetur de ipso Christum natum. Vnde dicit *D. Hilarius*, quod Ioseph non legitur post Natiuitatem Christi vir Mariæ dictus. In quo innuitur quod ante Natiuitatem vir eius dicebatur, quasi nuntius ad officium, sed post natum puerum non est dictus vir, vt per hoc insinuaretur, quod Christo nato poterat ei pueri solatium sufficere. *Hugo Cardinalis.*

Sanctus Ioseph ante natum puerum dictus vir Mariæ, sed non dicitur vir post puerum natum.

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 2. vers. 11. *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Quid agebat B. Virgo cum Magi intrarunt domum, quid egerint Magi? & quæ verba habuerunt ad inuicem?

Respondet *S. Vincent. in serm. 1. Epiphaniæ.* Quod vt dicunt sancti Doctores adhuc semper Virgo erat in illo porticu vbi pepererat. Cogitate quando semper Virgo sensit venire illam militiam, quod timuit, & abscondit puerum in præsepio, & ipsa orabat, & totum corpus contremebat. Reges autem mirabantur cum non viderent ibi Palatium, nec magnam domum, & aspiciebant se mutuo dicentes: Quid est hoc quod Stella nõ mouetur. Dixit *Maximus in serm.* Quod Stella emittebat radios nouos, & clariores, quasi dicens Regibus: Hic est Rex, quem quæritis. Reges autem descenderunt de animalibus suis: & vnus eorum veniens ad porticum eleuauit modicum flaccidam, siue coopertam extensam ne frigus intret, dicens: Quis est hic, & accedentes alii duo Reges, quando viderunt semper Virginem statim habuerunt magnam deuotionem, quæ dixit eis: Domini, quid placet vobis, qui responderunt. Scitis vos vbi est, qui natus est Rex Iudęorum, quia volumus ipsum adorare? Semper Virgo non dixit se nescire, sed dixit: O Domini hoc scire deberent magni Domini, & Rabbini, & Rectores Ciuitatis. Et venerunt dicebat: Et interim Reges totaliter in corde fuerunt calefacti inde exeuntes respexerunt Stellam pulchriorem, quę stabat superius immobiliter, & iterum redierunt, ad semper Virginem, & dixerũt sibi. Vos habetis Filiũ? Quæ respondit ita Domini: Et illi. Est ne dies quod peperistis? Respondet, Domini, hodie sunt tredecim dies. Dixerũt Reges: O bona iuuencula ostendatis ipsum nobis. Tunc semper Virgo sciens, quod veniebant pro bono, accepit Filium de præsepio, & ostendit eis qui dixerũt: Quo modo vocatur. Respõdet semper Virgo: *Iesus.* Quo nomine audito prõcidentes adorauerunt Dominum dicẽtes: O Saluator vos benè veneritis. O Domine tanta est humilitas vestra, quod voluistis venire in stabulo huius mũdi miseri, vos qui estis infinitus in Diuinitate, estis restrictus in Humanitate. Vos qui estis Creator estis factus creatura. Vos qui estis solus immortalis, impassibilis estis factus passibilis, & mortalis. O Domine tanta est gratia ista, & silẽtes osculabantur pedes eius. Deinde adorantes semper Virgini, id est, Matri dicebant. O camera Paradisi, Templum Dei, Sacrarium Spiritus Sancti. O Benedicta vos portastis nobis Saluatorem. *Antonius*

Verba quæ habuerũt Reges Orientis ad inuicem, & ad B. Virginem.

Gistandis, Ordinis Prædicatorum, ex D. Vincent. Ferrer dub. 51.

Quod Deo offertur per Beatam Virginem offerendum.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 2. vers. 11. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quommodo se Virgo habuit ergo oblationes Magorum?

Opera nostra interuentu Virginis ad Deum ascendunt.

Resp. Ingredientes Magi thesauros suos aperiunt, munera Christo Domino offerunt, quæ tamen oblata sunt Sanctissima Virgine interueniente. Nam cum Christus Dominus instar aliorum puerorum in omnibus segereret, non poterat proprijs manibus huiusmodi dona acceptare, ac recipere, ergo hoc totum per Virginem exhibitum, per quod nobis innuitur, quod opera nostra interuentu Virginis ad Deũ ascendunt. *Pater Silueira hic, q. 35.*

Tristitia Virginis fugiens in Ægyptũ.

Dub. 59. Ad illa verba, cap. 2. vers. 13. *Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Quommodo se habuit Sanctus Ioseph post admonitionem Angeli?

Resp. Statim Ioseph ibat ad cameram Virginis, quæ orabat iuxta illud Dauid: *Media nocte surgebam,* Ioseph pulsabat ad ianuam, de quo Virgo admirata, cum aperuisset vidit Ioseph flentem; Et ait: Domine, de quo ploratis, cum sit gaudendum, quia habemus Filium Dei nobiscum, de quo vos estis nutritor. Et Ioseph. O Benedicta cito recedamus, quia Herodes vult interficere Filium vestrum, cogitate tristitiam Virginis! Primo, timore Filij. Secundo, ex fuga. Tertio, ad Ægyptum, ad terram Infidelium. Dicatur quando exibant Ciuitatem, & Virgo sentiebat aliquid, videbatur sibi quòd esset Herodes, & timebat sum me abscondens Filium in gremio, & equitans super asinam fugit in Ægyptum, vbi septem annis fuit tanquam exul. *D. Vincentius Ferrer serm. 2. in Natiuit. Virginis.*

Virginitas Mariæ ostenditur ex Sponso, & ex Filio.

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 2. vers. 13. *Surge, & accipe puerum, & Matrem eius.* Quare Beata Virgo cum esset desponsata Sancto Ioseph coniux nuncupatur, post partum vero Mater Iesu dicitur?

Resp. Cum desponsatam eam iusto significabat, coniugem nuncupauit, sed post partum Mater tantum Iesu ostenditur, vt quemadmodum iusto Ioseph deputaretur Mariæ in virginitate coniugium, ita venerabilis eius ostenderetur in Iesu Matris virginitas. *D. Hilarius.*

B. Virgo propter Filiũ præparata.

Dub. 61. Ad illa verba, cap. 2. vers. 13. *Accipe puerum, & Matrem eius.* Cur posuit primo puerum, secundo Matrem?

Resp. Non dixit Matrem, & puerum, sed è conuerso puerum, & Matrem eius, quia non propter Matrem puer natus est, sed propter puerum Mater præparata est. *D. Thomas.*

Cura quam habuit Sanctus Ioseph de B. Virgine fuit propter Filium.

2. Resp. Dicit puerum primo, quia dignitatem habet per se, & prior debet esse in cura; & postea Matrem, quia dignitas, & cura Matris est propter puerum. *B. Albert. Magnus.*

Dub. 62. Ad illa verba, cap. 2. vers. 14. *Qui consurgens accepit puerum, & Matrem eius.* Quommodo se gessit Beata Virgo hæc Sancto Ioseph ei reuelante?

Timor Virginis fugiens in Ægyptũ.

Resp. Cogitate quanta mutatio debuit esse in corde Virginis Marię subito referente sibi Ioseph reuelationem media nocte, quanta solicitudo ad fugiendum, statim Ioseph strauit asinam, & Virgo flens, & orans dicendo: Fili vos, qui liberastis Dauid, & tres pueros de camino, nunc adiuuate me Matrem vestram, & Ioseph equitauit Virgo cum puero, & recesserunt de domo. Cogitate quid fuit de periculo mortis maximè de Rege, cum quanto timore, & pauore ibant, & quando Virgo sentiebat aliquos discurrentes per Ciuitatem cum exibat, fatim videbatur sibi, quod esset Herodes, cum autem fuerunt extra Ciuitatem. Virgo Maria quęsiuit à Ioseph, an dixerat sibi Angelus, quo iret, respondit, quod sic in Ægyptum. *D. Vincent. Ferrer serm. in oct. Innocent.*

Mira quæ cõtigerunt in via fugiens in Ægyptum.

Dub. 63. Ad illa verba, cap. 2. vers. 15. *Secessit in Ægyptum.* Quę contigerunt in via?

R. In libro de infantia Christi, quem Hieronymus Chromacio, & Eliodoro, Episcopis, transtulit ex Hębraico in Latinũ, scribitur quod Ioseph Virginẽ cum Filio iumento im-

impoſuit, & ipſe in alio aſcendit, & arripuerunt iter per montana, & per deſertum nolentes ire per maritimam timore Herodis, erantque cum eis tres pueri, & vna puella in obſequium Chriſti; & exeuntes latrones de quadam ſpelunca cum cæteri timentes fugerent, ſerpentes puerum adorauerunt, ſimiliter Leones, & Leopardi, & alia genera ferarum adorantes Ieſum per deſertum antecedentes, viam eis oſtendebant; & poſt dies tres dum aqua in vtribus defeciſſet, & omnes feſsi ſub palmæ arbore quieſcerent, Virgo Maria reſpiciens ad comam arboris de fructibus eius concupiuit, & confeſtim palma cacumen ſuum ante pedes Virginis inclinauit, & collectis ex ea fructibus ad ſatietatem omnium, arbor ſe iterum erigens ad ſtarum priſtinum redunt, *& infra.* Multa quoque miracula de Chriſto puero ab eodem oſtenſa in præfato libello reperiuntur, quæ tam breuitatis cauſa, quam ex eo quod inter apocripha conumerantur omittuntur. Illud tamen memorabile pro conſtanti à Doctoribus habetur, quod ingrediente puero Ieſu in Templum idolorum, cum Maria Matre ſua, omnia phani idola corruetunt, iuxta prophetiam Iſaiæ, propter quod miraculum multi Ægyptiorum conuerſi ſunt ad eum, & Virginem Matrem benigne tractantes, puerum Ieſum pulcherrimum plurimum reuerti ſunt, & ipſum aliquem magnorum Deorum exiſtimabant. Extat ibidem fons modicus in quo fertur Virginem Matrem puerum ſæpius balneaſſe, & pannos eius propriis lauaſſe manibus. In quo fonte omnes pueri etiam Sarracenorum, quacunque valetudine detenti, deſcendentes confeſtim ſanantur. Eſt & ibi lapis vbi Virgo panniculos Chriſti lotos, ad ſiccandum extendebat. *Petrus de Natalibus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Equilinus, lib. 2. de Sanctis in menſe Ianuarij occurrentibus, capit. 51.*

Extat fons in Ægypto in quo B. Virgo Filium balneauit, & pannos lauit.

Fontis illius aqua loti pueri ſanantur.

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 15. *Et erat ibi, Vſque ad obitum Herodis.* Cur non dicitur, & erat ibi Sanctus Ioſeph cum puero, & Matre?

Vbi Sanctus Ioſeph, ibi Ieſus, & Maria.

Reſp. Hic exprimit tempus quo ad vſque Ioſeph exiſtitit in Ægypto, & non ait erat cum puero, & Matre; ſed tantum de Ioſeph hic fit expreſſa mentio, quia manifeſtum eſt, quod vbi erat Ioſeph, ibi, & Ieſus, & Maria aderant. *Pater Silueira hic.*

Dub. 65. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 15. *Et erat ibi.* Quæres cum Beata Virgo fuiſſet quaſi exul in Ægyptum per ſeptem annos, de quo viuebat? Quia Ioſeph erat iam ſenex, & non poterat laborare?

B. Virgo labore manuum ſuarum prouidebat, ſibi Filio, & Ioſeph.

Reſpondeo, quod Virgo Maria, de manibus conſuit, filauit, texuit, prouidebat ſibi, & Filio, & Ioſeph. Dicatur quommodo per Filium mittebat capitia, vel camiſſias ad domum, cuius erant. Angeli prouidiſſent ſibi, ſed noluit. Ad hoc proprie eſt textus, *conſiderauit ſemitas domus ſuæ*: ſcilicet, paupertatis, & humiliratis *& panem otioſa non comedit, Prouerb. vltimo. D. Vincentius Ferrer ſermone 8. Innocentium.*

Dub. 66. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 16. *Mittens occidit omnes pueros.* Quid parentes innocentium demeruerunt, vt in ipſis punirentur?

Iudæi puniti in filijs ſuis, quia noluerunt recipere B. Virginem, nec Sanctum Ioſeph hoſpitio.

Reſp. Quia noluerunt recipere hoſpitio ſemper Virginem Mariam grauidam, nec eius Sponſum Ioſeph, nec etiam poſt Natiuitatem Chriſti viſis tot miraculis, ne Herodi diſplicerent. Ideo Deus prouocauit contra eos Herodem, quem timentes offendere diſplicuerunt. *Antonius Giſtandis in feſt. Sanctorum Innocent. dub. 25.*

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 3. *Beati pauperes ſpiritu.* Beata Virgo Maria quommodo fuit pauper ſpiritu?

Paupertas ſpiritus importat abdicationem rerum.

Reſp. *Gloſſa.* Pauperes ſpiritu ſunt, quia non neceſsitas, ſed fides, & deuotio beatos facit, vt contemptis omnibus Domino viuant. Importat ergo abdicationem rerum, hæc autem abdicatio fuit in ſummo in B. Maria. Nam hæc abdicatio fit duobus modis; ſcilicet, per rerum ſubiectionē, vel per rerū om-

omnimodam obiectionem, sed magna est paupertas per rerum subiectionem, maior per rerum abiectionem, maxima autem quæ est ex vtrisque composita, de qua dicit Apostol. 2. *Corinth.* 6. *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Hoc autem non potuit esse, nisi in Beata Maria omnimode, perfectè, & propriè, omnes alij si res abiecerunt, non retinuerunt, etsi retinuerunt, non abiecerunt, quia tantum procuratores, & fructuarij, & non Domini fuerunt. Beata autem Mater Dei Virgo existens, & Regina cœli ius, & dominium, & vsu fructum possessionis habebat in rebus Filij sui. Vnde & bene potuit relinquere, & omnia possidere, relinquere quantum ad vsum, & fructum, possidere quantum ad proprietatem, & ius dominij, & sic Beatissima Virgo potuit habere perfectissimam paupertatem. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24.*

1. Virgo habuit perfectissimam paupertatem,

2. Resp. Beata Virgo spiritus paupertatem habuit quantum ad rerum abiectionem excellentius omni homine preter Christum Dominum, vel in carentia necessariorum. Non attenditur perfectio paupertatis penes propinquationem ad summum defectum, sed penes voluntatem, & deuotionem, & personæ dignitatem. Si enim æquè parum habeat miles, & rusticus, pauperior est miles quam rusticus; immò quod rustico diuitiæ, paupertas est militi, & quod militi diuitiæ paupertas est principi, & sic ascendendo: Quanto quis dignior sit, in eodem defectu tanto erit inferioribus pauperior, ergo cum Beatissima Virgo præcellat omnes in dignitate, & æqualem alijs habuit paupertatem, excellit tamen omnes impropportionabiliter in paupertatem. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo excellit omnes improportionabiliter in paupertate,

Dub. 68. Ad illa verba, cap. 5. vers. 4. *Beati mites.* Quommodo mititas fuit in Beata Virgine?

B. Virgo habuit mansuetudinem excellentissimè præter Christum,

Resp. Ipsa enim mititatem, & mansuetudinem præter Christum excellentissimè habuit, *Gloss.* Mites sunt, qui malis moribus dominantur, quod ipsa perfectissimè fecit, quia eius dominium de malis moribus fuit, sine pugna omnium aliorum cum pugna. Item *Glossa.* Mansuetus non irritat, nec irritatur, nec nocet, vel nocere cogitat, & nulli nocere, & omnibus in summo prodesse. Hoc totum fuit in summo in ipsa. Item *Glossa.* Mitis est, quem nec animi rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, quod nullus perfectissimè viatorum impleuit, vt ipsa sola, vnde & tota Ecclesia ipsam laudando dicit: *Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos. Beatus Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Mites qui malis moribus dominantur.

Mansuetus nulli nocere, & omnibus prodesse studet.

2. Resp. Sed contra. *Numer.* 12. dicitur: Mitissimus super terram, ergo Beata Virgo Maria non habuit mititatem excellentissimè. Respondetur, quod intelligitur de illis qui tunc erant super terram, non de Virgine. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24.*

B. Virgo omnia æquanimiter sustinuit,

Dub. 69. Ad illa verba, cap. 5. vers. 5. *Beati qui lugent.* Quommodo hæc beatitudo in Beata Virgine fuit?

B. Virgo lugebat ex dilectione peccata populorum,

Resp. Nota quod ait *B. Augustin.* 28. *q.* 1. Iam vero ea sunt in nostris officijs gratiora; scilicet, quæ cum liceret nobis non impendere, dilectionis tamen causa impendimus, & hoc sicut quo ad homines, ita quo ad Deum. Sed Beata Maria non erit debitrix ad lugendum pro peccatis, quia nullum in se habuit, lugebat tamen ex dilectione peccata populorum; & quando vt ait *B. Gregorius*, stabat Mater dolorosa iuxta Crucem lachrymosa, dum pendebat Filius, non minus lugebat peccata crucifigentium, quam afflictionem Filij. Vnde sicut in Cruce orauit, vt ait *Apostol. ad Hebr.* 5. *Cum lachrymis, & clamore valido*; scilicet, pro peccatis humani generis relaxandis: ita & Mater eius Beata Maria fontes fecit lachrymarum; de suis pudicissimis oculis, vt ait *Anselm.* In illa passione, quam sustinere nouerat pro peccatis hominum, & pro incolatu præsentis miseriæ, quare non magis lugebat, quam Dauid dicens:

Iuxta Crucem non minus flebat peccata crucifigentium, quam afflictionem Filij.

Fue-

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie Vbi eſt Deus tuus, & per maximè poſt Aſcenſionem Filij. Vnde ad conſolationem ſui ſecundum *Beatum Hieronym.* viſitabat loca ſæpè vbi Filius aliquid magni egeret. *D. Antoninus* 4. *p. tit.* 15. *cap.* 24. §. 1.

Beatitudo luctus fuit excellentiſsimè in B. Virgine poſt Chriſtum.

2. Reſp. Beatitudo enim luctus poſt Chriſtum fuit in Beata Virgine excellentiſsimè, quia cuius cauſa nobilior, & effectus, omnes alios viatores inſtigabat ad flendum peccatum. Beatam autem Virginem inſtigabat ad flendum ſola charitas. Item dicit *Hieronymus.* Seruitia quanto minus debita, tanto magis grata, ſed luctus Beatæ Mariæ Virginis nullo modo fuit debitus debito neceſsitatis, ſed tantummodo debito charitatis, ergo ſicut eius luctus alijs fuit imptoportionabilis, ita & conſolatio eius alijs etiam fuit improportionabilis. *B. Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Luctus Beatiſsimæ Virginis gratiſsimus.

Conſolatio Virginis alijs improportionabilis, ſicut & luctus.

Dub. 69. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 6. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Quommodo Beata Virgo eſuriuit, & ſitiuit iuſtitiam?

Reſp. Nulla pura creatura magis deſiderauit iuſtitiam bonorum operum in ſe, & in toto humano genere, ſicut Beatiſsima Maria. Eſurire eſt opera iuſtitiæ difficiliora feruenter appetere. Sitire eſt opera iuſtitiæ communiora, & faciliora deſiderare, ſicut laborioſius, & tardius comeditur, quam bibitur. *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient*, ait Diuina ſapientia. *Eccleſiaſt.* 24. Et quia magis ſibi incorporauit Diuinam ſapientiam, & gratiam, quam aliquis, vel aliqua, ideò magis eſuriuit, & ſitiuit iuſtitiam bonorum operum. Eſurire quippe propriè eſt viatorum, & ſitire, ſaturari, & inebriari eſt comprehenſorum; vt oſtendit *Pſalm.* 35. *Satiabor, & inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, inter eſurire autem, & ſatiari eſt medium; ſcilicet, comedere; ſed cum nihil ſit vacuum, & illa ſint extrema extat, & medium, medium autem pertinet ad ſtatum medium. Ille autem ſtatus eſt ſtatus Beatæ Mariæ Virginis habebit ergo Beata Maria iſtam Beatitudinem citra comprehenſores, & vltra viatores. *D. Antoninus vbi ſupra.*

B. Virgo plus omnibus eſuriuit, & ſitiuit iuſtitiam bonorū operum.

B. Virgo habuit citra cōprehenſores, & vltra viatores hanc Beatitudinem; ſcilicet, eſurire, & ſitire iuſtitiam.

Dub. 70. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 7. *Beati miſericordes.* Quommodo hæc Beatitudo fuit in Beata Virgine?

Reſp. Excellit ſine comparatione omnes, quod patet ex hoc, quia dicitur ipſa, & prædicatur Mater miſericordiæ, quod nulli alij propriè conuenit. Dicuntur autem aliqui viri miſericordiæ, quia omnes habent comparationem ad miſericordiam per modum originis eſſentialis, & per modum Matris, conuenientia autem eſſentialis improportionabiliter excedit modum inhærentiæ per modum accidentis, vnde vniuerſos excellit miſericordia. Item quidquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. Beatiſsima autem Virgo eſt cauſa Filij, Filius autem eſt cauſa totius boni, & omnis miſericordiæ, ergo & Mater eſt cauſa totius miſericordiæ, quod alij non conuenit. Item illud quod æque propriè, & principaliter habet duas naturas in confuſas, æque propriè habet proprietates duarum naturarum. Vnde, & iſtæ æque propriè ſunt Chriſtus eſt Deus, Chriſtus es homo, ergo & hæc, Chriſtus Natus eſt à Deo, Chriſtus Natus eſt ab homine, ergo etiam & ſic, Chriſtus eſt à Deo, Chriſtus eſt ab homine, ſed Chriſtus omnes operationes attribuit Patri à quo ipſe eſt, ergo & Matri à qua ipſe eſt, attribuentur operationes eius, quæ conueniunt ei ratione humanæ naturæ, ſicut & Patri operationes quæ conueniunt Diuinæ naturæ, ſed ſecundum humanam naturam Chriſtus exhibuit nobis officium ſummæ miſericordiæ in paſsione, ergo & Beatiſsimæ Virgini attribuntur effectus ſummæ miſericordiæ. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 24. §. 1.

B. Virgo exc ellentiſsimè habuit Beatitudinē miſericordiæ.

Cauſa eſt totius miſericordiæ.

B. Virgini attribuuntur effectus ſummę miſericordiæ.

Miſericordia eſt dare, & dimittere.

2. Reſp. *Gloſſa.* Miſericordia eſt dare, & dimittere, ſed Beata

B. Virgo plus dedit improportionabiliter, & dimiſit ſuper omnes creaturas

Virgo omnibus plus dedit improportionabiliter, & dimiſit ſuper omnes creaturas, ergo habet Beatitudinem miſericordiæ ſuper omnes. Item *Ambroſius*, miſericordia eſt nullum in miſeria relinquere, & nullum miſerum facere. Hoc autem in ſummo fuit in Beata Virgine, & ſic habuit miſericordiam ſuper omnes. Item hæc miſericordia non ſolum in electis conſiſtit, ſed in omni peccato corrigendo. Hoc etiam habuit in ſummo Beata Virgo, & ſic habuit Beatitudinem miſericordiæ ſuper omnes. Item miſericordia reddita ei improportionabiliter ſuper omnem miſericordiam, quæ eſt præmium, ergo Beatitudo miſericordię erat in ea improportionabiliter ſuper omnem naturam quæ eſt meritum. Vnde & Mater miſericordiæ vocatur, & Regina miſericordiæ *B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Miſericordiã in corrigendo habuit ſuper omnes.

Dub. 71. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 8. *Beati mundo corde.* Quommodo fuit munditiæ Beatitudo in Beata Virgine?

Tres actus Ierarchiæ, purgare, illuminare, perficere.

Reſp. Secundum Dioniſium. Tres ſunt actus Ierarchiæ. Purgare, illuminare, perficere, & ſunt ad ſe ordinati, ita quod magis purgatus, magis illuminatus, magis perfectus, ſed Beata Virgo Maria fuit in ſummo illuminata, & perfecta, ergo & in ſummo purgata, & in ſummo munda. Item viſio Dei, quæ eſt præmium huius munditiæ improportionabiliter maior eſt viſionibus omnium Angelorum, ergo & præmium huius munditiæ improportionabiliter maius eſt viſionibus omnium; ſcilicet, Angelorum, ergo & munditia eius erit maior munditijs omnium Angelorum. *Beatus Albertus Magnus ibi.*

B. Virgo in ſummo munda, illuminata, & perfecta

Munditia B. Virginis maior munditijs omnium Angelorum.

2. Reſp. Dicit *Gloſſ.* Mundi corde ſunt, quos conſcientia non arguit peccatorum, ſeu qui ſibi nihil conſcius eſt; ſed hoc fuit potiſsimè imò ſingulariter in Beata Maria ergo per maximè fuit mundo corde. Item actus fidei purificat ſecundum illud Petri in actib. *Fide purificans corda eorum*, ſed Beatiſsima Maria habuit fidem perfectiorem cunctis, ergo & puritatem quæ mundi cauſa eſt. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 1.*

Mundi corde ſunt, quos cõſcientia non arguit peccatorum.

Peccatum nõ arguebat cõſcientiam Virginis.

Dub. 72. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 9. *Beati pacifici.* Quommodo hæc Beatitudo fuit in Beata Virgine?

Reſp. Dicit *Gloſſa.* Pacifici ſunt, qui omnes motus animi rationi ſubijciunt, quia his nihil repugnat, ſimiles Patri ſuo, qui eſt ſumma quies, ſed hoc fuit in ſummo in Beata Virgine. Item alia *Gloſſa.* Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, ſed nec nobis pacifici eſſe poſſumus. Sed in Beata Maria caro non reuelauit aduerſus ſpiritum, ergo ipſa maximè fuit pacifica. Item ſi pacifici dicuntur, qui faciunt pacem inter alios, quod & fecit Filius Dei pacem faciens his, qui prope, & his qui longe erant, medium vniuerſale per quod fuit facta pax inter Deum, & homines fuit Beata Virgo, mediatrix, & reconciliatrix omnium, ergo & ipſa in ſummo pacifica. *Diuus Antoninus ibidem.*

Pacifici, qui motus animi rationi ſubijciunt.

In Beata Virgine caro nõ reuelauit aduerſus ſpiritum.

B. Virgo medium vniuerſale, per quod fuit facta pax inter Deum, & homines.

2. Reſp. Alijs pacificis datur in præmium, quod ſint Filij Dei per adoptionem, ſed ei datum eſt, quod ſit Mater Dei per naturam; ſed improportionabiliter plus eſt eſſe Matrem per naturam, quam Filium Dei per adoptionem, ergo & pacificatio cuius eſt hoc præmium erat in ipſa in ſummo ſuper omnes. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Pacificatio fuit in Beata Virgine ſuper omnes.

Dub. 73. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 15. *Vos eſtis lux mundi.* Cum eſſe lucem mundi ſit Apoſtolorum quommodo Beata Virgo dicitur lux mundi?

Reſp. Proprietas Apoſtolorum eſt quod ſunt lux mundi; ſed Beata Virgo in ſummo illuminauit mundum, ergo in ſummo exercuit officium prædicationis. *Beatus Albertus Magnus ſupermiſſus eſt, cap. 157.*

B. Virgo in ſummo exercuit officium prædicationis.

Dub. 74. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* Quommodo Beata Virgo fuit lux coram hominibus?

B. Virgo lux vera, quæ ſuis exemplis nos illuminauit.

Reſp. Lumen autem quod eſt in Vir-

Virgine eſt illud, de quo *Matth. 5. Luceat lux veſtra coram hominibus*, quod vere ipſa opere compleuit, quando nos ſuis ſanctiſsimis virtutum exemplis illuminauit; ideo de ea canit Eccleſia: *Hodie nata eſt Beata Virgo Maria ex progenie Dauid, per quam ſalus mundi credentibus apparuit, cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo. Albertus de Marqueſiis, Franciſcanus.*

B. Virgo Ciuitas refugij

Dub. 75. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 14. *Non poteſt Ciuitas abſcondi.* Quommodo Beata Virgo dicitur Ciuitas non abſconſa?

Reſp. Ipſa eſt Ciuitas in excelſo poſita omnibus, & in refugium, *Matth. 5. Non poteſt Ciuitas abſcondi, Gloſſ.* id eſt, celari, ſuper montem poſita; ſcilicet, virtutum, gratiarum, gloriarum, immo ſuper cœlum Empyreum, in quo poſita eſt Ciuitas noſtra in die Aſſumptionis, *Gloſſ.* ipſe mons manifeſtat eam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Super cœlum Empyreum poſita in die Aſſumptionis.

Dub. 76. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 15. *Neque accendunt lucernam.* Quommodo, & quando Beata Virgo dicitur lucerna accenſa?

B. Virgo lucerna accenſa totaliter in die Incarnationis.

Reſp. Nec accenduntur; ſcilicet, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Lucernam, id eſt, Maria, quæ accenſa fuit totaliter in die Incarnationis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 23. *Si ergo offers munus tuum ad Altare.* Quare Beata Virgo dicitur Altare?

B. Virgo Altare omnium oblationum noſtrarum, & propitiationum.

Reſp. Ipſa eſt Altare omnium oblationum noſtrarum, & propitiationum, *Matth. 5. Si offers munus tuum ad Altare*, id eſt, ad Mariam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 45. *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* Quare Beata Virgo dicitur Sol Oriens ſuper bonos, & malos?

B. Virgo nata pro iuſtis, & peccatoribus.

Reſp. Ipſa eſt Sol omnibus ſe communicans. *Matth. 5. Solem ſuum*, id eſt, Virginem Mariam, *oriri facit*, per Natiuitatem in mundo, & per gratiam in mente apparendo, *ſuper bonos*, vt confidenter conſolentur, illuminentur, accendantur, & *pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*, ſed aliter, & aliter. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 6 *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum.* Quare oratio debet fieri intra cubiculum?

B. Virgo interna, & externis viribus honoranda.

Reſp. Chriſtianus bonæ notæ, quandocunque conſtituerit Dei Matrem iuſtis honoribus honorari; id ita faciendum ſciat, vt intelligatur eam ab ipſo internis, externiſque viribus honorari. Primum igitur locus aliquis illi deligendus eſt ſe motus, & procul à turbis, quoniam etiam ſcriptum eſt: *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum*, vt collecto, tranquilloque animo incipiat, atque abſoluat reuerentias illas, quibus putet poſſe Deiparam ſibi blandiri. *Alexius à Salo, Capuccinus, arte pie amandi, & collendi Deiparam.*

Secrete, tranquilloq; animo honoranda.

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 9. *Sic ergo Vos orabitis, Pater noſter.* Quare Matris mentionem non facit?

B. Virgo in Filio, & Patre; vt Mater recognita.

Reſp. Nec Mater quidem præteritur, ſiquidem in Filio, & Patre Mater recognoſcitur, de qua conſtat, & Patris, & Filij nomen. *Tertulianus.*

Dub. 81. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 16. *Cum ieiunatis.* Quale fuit ieiunium Beatæ Virginis?

B. Virgo Maria nullū donum obtinuit, niſi grādi, aſperoque ieiunio præmiſſo.

Reſp. Nec ipſa Beatiſsima, & Sanctiſsima Virgo Maria, cœlorum Regina, & Dei Mater chariſsima, cui donorum Diuinæ gratiæ plenitudinem conceſsit, quam propterea Angelus gratia plenam vocauit; aliquod donum obtinuerit niſi grandi, aſperoque ieiunio præmiſſo. Vt enim ipſamet B. Eliſabeth viduæ reuelauit, cuius reuelationem refert Seraphicus, piiſſimuſque Doctor *Bonauentura in meditatione de vita Chriſti, cap. 3.* Excepta illa prima, copioſaque gratia, quam in ſua ſanctiſsima, ac pura conceptione recepit, nullum deinceps donum aliud, aut fauorem conſequta fuit, niſi per cre-

B. Virginis ieiunium quale.

crebra ſuſpiria, indefeſſas vigilias grandia, & continuata ieiunia. Tam grandia ſiquidem illa extetiſſe docuit *Ambroſ. lib. 2. de Virginibus*, vt naturæ vires excederent, tam continua, vt ieiunio congeminaret dies imò forſitam hebdomadas, Namſi multi ſancti integris menſibus, ſine cibo manentes ieiunium tenuerunt, multo magis de Virgine Beatiſsima id poſſumus credere, etſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus pletumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. *Dominus Hieronymus Baptiſta Lanuza, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Balbaſtrenſis, in homilij, tract. 1. prima pars, §. 25. num. 98.*

Cogitatio B. Virginis in ſepulchro Filij mortui.

Dub. 82. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 21. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* In quem theſaurum fuit cor Beatæ Virginis?

Reſp. Vere dicere poſſum, quod ſepulto Filio meo quaſi duo corda in vno ſepulchro fuerunt. Nunquid non dicitur: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Sic in ſepulchro Filij mei ſemper cogitatio, & cor meum verſabatur. *B. Brigit. lib. 2. Reuelationum.*

Omnium, & ſingularum neceſsitatum noſtrarũ ſciẽtiſsima.

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 32. *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Quomodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Nec altera boni patroni conditio illi deeſt. Nam capaciſsima ſane eſt gerendi muneris illius, nempè omnium, ac ſingularum neceſsitatum noſtrarum ſcientiſsima, vt de ea merito dici poſsit, ſcit Mater veſtra, quia his omnibus indigetis. *Alexius à Salo de arte pie amandi Deiparam, priuileg. quart.*

B. Virgo arbor bona bonum fructũ faciens.

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Quo ſenſu exponuntur hæc de Beata Virgine?

Reſp. Ipſa eſt arbor bona, quæ optimum fructum fert, *Matth. 7. Non poteſt arbor bona*, id eſt, Maria, bona in natura, melior in gratia, optima in gloria, fructus malos facere, quia à radice fructus arboris pullulat. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo firma, ſtabilis, fortis.

Dub. 85. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 24. *Aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram.* Quis vir ſapiens, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram?

Reſp. Ipſa eſt domus totius fortitudinis, & firmitatis, & ſtabilitatis. *Matth. 7. Aſsimilabitur viro ſapienti*, id eſt, Chriſto, qui ædificauit domum ſuam, id eſt, Virginem Mariam ſupra petram totius firmitatis, ſtabilitatis, & fortitudinis. Qui enim de facili mutantur, per inconſtantiam, & inſtabilitatem, non bonæ ſunt domus Dei. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo in Paſsione Filij non cecidit à fide, ſicut Apoſtoli fletit, vt fortiſsima iuxta Crucẽ.

Dub. 86. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 25. *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſuper petram.* Quare irruentibus in domum fluminibus, & ventis non cecidit domus?

Reſp. Deſcendit pluuia, & venerunt flumina in paſsione Filij prædilecti, & flauerunt venti; ſcilicet, vituperatores, & irriſores dicentes, & flantes, *Matth. 27. Vah qui deſtruit Templum Dei*, & irruerunt in domum illam, vnde & ipſa poterat dicere illud *Pſalm. 41.* ad Dominum Patrem: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*, & non cecidit per infidelitatem, & incredulitatem, ſicut omnes Apoſtoli, ſed potius fletit, vt fortiſsima apud Crucem fundata enim erat ſuper firmam petram. *Gloſſ.* id eſt, Chriſtum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Domina eſt puritatis quę poteſt peccatores mundare.

Dub. 87. Ad illa verba, cap. 8. verſ. 2. *Domine, ſi vis potes me mundare.* Quo ſenſu hæc verba intelliguntur de Beata Virgine?

Reſp. Ipſa eſt Domina puritatis, ad eam confluite immundi peccatores, & mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris. Clamabat quondam leproſus ad Chriſtum mundatorem, *Matth. 8. Domine, ſi vis potes me mundare.* Si Filius tuus dedit hanc poteſtatem Apoſtolis, & ſemi plenam dicens lepro-

prosos mundate, multo fortius tibi, quæ Domina es, & Mater. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana, in cap. 65. Isaiæ.*

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 8. vers. 8. *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Cur Centurio iudicat indignum tectum suum?

B. Virgo dignum in vtero suo hospitiũ parauit Christo.

Resp. Natus est in carne Christus, sed natus est de Spiritu Sancto. Accepit hospitium carnis, sed in aula Virginis. Benè ergo Centurio tectum suum indignum iudicat. *D. Petrus Chrisologus serm. 15.*

Dub. 89. Ad illa verba, cap. 8. vers. 8. *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit.* Quomodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Angelis imperat, & eos mittit ad homines.

Resp. Ipsa est Centurio qui veraciter potest dicere: *Nam & Ego*; scilicet, Maria, *homo sum*, licet Mater Dei, & super omnes Angelos, *sub potestate constitutus*, scilicet Dei, *habens sub me milites*; scilicet, omnes Angelos. *Iob 25. Nunquid non est numerus militum eius. Et dico huic vade, ad liberandum*, ad consolandum, ad transferendum socios meos, & fratres homines, *& vadit*, obedienter, & libenter, & festinanter, & alio veni, & venit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 90. Ad illa verba, cap. 8. vers. 27. *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Quommodo hæc intelliguntur de Beata Virgine?

Pietas Virginis ostenditur super eos, qui sunt in tribulatione

Resp. Mare moraliter vno modo dicitur huius vitæ amaritudo, & super illud mare Beata Virgo habet virtutem; scilicet, quia eius pietas ostenditur super illos, qui sunt in tribulationis amaritudine positi: *Nam venti, & mare obediunt ei.* Venti sunt aduersitates exteriores, mare sunt interiores amaritudines, vel venti sunt violentiæ tentationum, mare perturbatio tribulationum. *Albertus de Marquesijs, Franciscanus, in cœliloquijs de Beata Maria.*

Dub. 91. Ad illa verba, cap. 9. vers. 1. *Ascendens Iesus in nauicu-*

lam, & venit in Ciuitatem suam. Quare Beata Virgo dicitur nauicula?

B. Virgo nauis in qua transfretauit Filius Dei de littore immortalitatis ad littus mortalitatis.

Resp. Ipsa est nauicula in qua transfetauit Filius Dei, de littore immortalitatis ad littus mortalitatis, assumens nostram humanitatem, & suam nobis conferens diuinitatem. *Beatus Albert. Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 92. Ad illa verba, cap. 11. vers. 9. *Plusquam Prophetam.* Quare Sanctus Ioannes dicitur Propheta?

D. Ioannes Baptista Propheta dictus.

Resp. Ioannes Baptista dicitur Propheta, quia Christum digito demonstrauit occultum aliis, quanto magis dici debet prophetissa, quæ eum generauit, & toti mundo occultum Deum visibilem ostendit. Ioannes dicitur Propheta non solum, sed plusquam Propheta, quia de eo prophetatum est, & quia parentes in sua Natiuitate Prophetas quodammodo fecit Matrem, videlicet, & Patrem, vt patet in Euang. *Lucæ* 1. Multo magis dici debet plusquam Propheta Beata Maria, quæ copiosissimè, & aperte per Prophetas est prænunciata, à Patriarchis designata, & in multis generibus rerum figurata, vt in Arca, in Virga, in vellere Gedeonis, & alijs. Ipsa quoque videtur Ioannem constituisse Prophetam, nam vt audiuit salutationem Mariæ Elisabet exultauit infans in vtero eius; scilicet, Ioannes Baptista, vnde nisi quia cognouit mysterium occultissimum omnibus ei illud ostendit modo quo potuit; scilicet, exultando, adorando, & tunc primum Ioannes factus est Propheta ex voce Beatæ Mariæ, quin imò etiam Mater repleta Spiritu Sancto cognouit, & declarauit ipsam rem occultissimam cunctis clamans, vt omnes audirent, vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19. §. 4.*

D. Ioannes Baptista parentes suos Prophetas quodammodo fecit.

B. Virgo Prophetа, & plusquam Propheta.

D. Ioannes Baptista factus Propheta ex voce B. Virginis.

Dub. 93. Ad illa verba, cap. 12. vers. 35. *Bonus homo de bono thesauro profert bona.* Quis bonus homo qui de thesauro suo profert bona?

B. Virgo thesaurus misericordiæ, gratiæ, & veniæ.

Resp. Ipsa est locus thesaurorum

rum Dei. *Matth.* 12. *Bonus homo*; ſcilicet, Chriſtus, Deus, & homo, *de bono theſauro ſuo*, id eſt, Virgine Maria profert bona miſericordiæ, gratiæ, & veniæ. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Chriſtus in paſsione maximè ſolicitus de Matre

Dub. 94. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 48. *Quæ eſt Mater mea?* Quare Chriſtus dixit, quæ eſt Mater mea? Videtur enim negare Matrem.

Reſp. Non autem faſtidioſe de Matre ſua ſenſiſſe exiſtimandus eſt, cui in paſsione poſitus, maximæ ſolicitudinis tribuit affectum. *D. Hilarius.*

Chriſtus Matrem ſuam non negauit

2. Reſp. Si negare vellet Matrem, tunc vtique negaſſet quando Iudæi exprobrabant ei de Matre. *D. Chriſoſtomus.*

3. Reſp. Non ergo iuxta Marcionem, & Manichæum Matrem negauit, vt natus de phantaſmate putaretur, ſed Apoſtolos cognationi prætulit, vt & nos in comparatione dilectionis carni ſpiritum præferamus: nec maternum refutat obſequium pietatis, cuius præceptum eſt: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*, ſed paternis ſe myſterijs, vel affectibus amplius, quam maternis debere demonſtrat. *D. Hieronymus.*

In comparatione dilectionis, quæ ſunt Dei præferenda ſuæ cognationi.

Opera Diuina præponenda humanis.

4. Reſp. Non ſunt hæc verba paruipendentis Matrem, & conſanguineos, ſed docentis ſeruandum ordinem, vt diuina opera præponantur humanis, vt Diuina prædicatio, vt religio non omittatur, non interrumpatur propter pietatis officia. Dicit enim Euangeliſta: Quod adhuc Ieſu loquente ad turbas proculdubio euangelizando Regnum Dei, importunus quidam dixit: *Ecce Mater tua. Caietanus.*

Diuina prædicatio non omittenda propter pietatis officia.

Dub. 95. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 50. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater ſoror, & Mater eſt.* Quare vocat Matrem, quem voluntatem Patris facientem agnoſcit?

Anima quæ voluntatem Dei facit, Mater Chriſti eſt

Reſp. Altius verba Chriſti intelligens, ſe cognouit duplicem Matrem, carnis videlicet, quia vere fic erat, & ſpiritus ſuper omnes animas, quoniam per amplius Dei voluntatem ipſa perfecerat, quæ plene perfecta, iuxta ſententiam Saluatoris eam animam quæ fecerit, efficit Chriſti Matrem, in qua maternitate perfectius Virgo profecit, quam illa, quæ ſolum eſt carnis, magiſque in illa grata facta Filio, quam in illa, per quam ipſum geſtauit in aluo. *Caſſianus lib. 2. de Beata Virgine, cap. 26.*

B. Virgo gratior facta eſt Filio faciens ſuam voluntatem, quam eum portans in vtero.

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 8. *Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Chriſtus ſemen cadens in terram B. Virginem.

Reſp. Ipſum eſt ſemen, quod cecidit in terram bonam. Virginem dico Mariam, & attulit in alijs quidem fructum triceſimum, in alijs ſexageſimum, & in alijs centeſimum, in ipſa vero ſingulari priuilegio ſimul triceſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Triceſimum ſiquidem fructum ſemen hoc attulit, quando Chriſtus ſua præſentia nuptias conſecrauit. Sexageſimum fructum attulit: cum tempore ſuæ prædicationis continentiam prædicauit, & docuit, centeſimum quando Matrem Virginem Ioanni Virgini in Cruce commendauit. *Abſalon Abbas, Benedictinus, in Purificat. ſerm. 3.*

In B. Virgine attulit fructum triceſimum, ſexageſimum, & centeſimum.

Chriſtus ſua præſentia nuptias conſecrauit.

Cõtinentiam prædicauit.

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 32. *Fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* Qui ſunt rami, & folia huius arboris?

Matrem Virginem Ioanni Virgini commendauit.

Reſp. Rami ſunt ſancti viri, qui imitatione virtutis, & ſanctitatis propoſito Beatæ Virgini quodammodo inſerti ſunt, longitudine ſpei, & latitudine charitatis circunquaque diffuſi. Folia vero verba ſunt Euangelicæ veritatis, quæ ipſa Apoſtolos, & alios naſcentis Eccleſiæ filios docuit. *Abſalon Abbas in Natiuit. Beatæ Virginis, ſerm. Vnicus.*

Qui B. Virginem imitantur rami ſunt B. Virgini inſerti.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 13. verſ. 44. *Simile eſt Regnum cœlorum theſauro.* An Beata Virgo Maria dicatur theſaurus?

B. Virgo Euangelium docuit Apoſtolos.

Reſp. Theſaurus Beata eſt Virgo Maria. Virgo Maria theſaurus

eſt

Virtutes, & dona B. Virginis nullo modo possunt à nobis declarari.

est omnium virtutum, ac donorum, quæ nullo modo à nobis exponi valent, vt diuitiæ huius thesauri iuuenti, quæ nullo modo declarantur. *Pater Silueira hic, quæst.* 1.

Dub. 99. Ad illa verba, cap. 13. vers. 46. *Inuenta autem vna pretiosa margarita.* Cur Beata Virgo dicitur pretiosa margarita?

Margarita nascitur ex rore cœli.

Resp. Fertur quod margarita nascitur ex rore cœli in concham maris se aperientem. Sic Christus de Spiritu Sancto in Beatam Virginem verbis Angeli consentientem. *Isaiæ* 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Hugo Cardinalis.*

Christus incarnatus de Spiritu Sancto in B. Virgine verbis Angeli consentienti.

Dub. 100. Ad illa verba, capit. 13. vers. 46. *Abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Quare negotiator vendens omnia quæ habet, emit margaritam?

Resp. Iste negotiator est ipsemet Dei Filius, qui abijt, Angelos in cœlo reliquendo, id est, non assumendo naturam eorum, omnia sua vendidit, dum cum humana natura commutauit, vt ipse daret nobis diuinitatem suam, & nos ei humanitatem nostram; tunc enim omnia bona sua acquisita sunt nobis cum illa, cum ipse specialiter assumpsit istam pretiosam Margaritam, id est, Virginem Mariam sponsam. *Diuus Antoninus* 4. *part. tit.* 15. §. 2.

Christus dedit nobis Diuinitatem suam, & nos ei Humanitatem nostram.

Dub. 101. Ad illa verba, cap. 15. vers. 22. *Miserere mei Domine Filij Dauid.* Quare mulier Cananea Christum Filium Dauid dicit?

B. Virgo de semine Dauid orta.

Resp. Cum hæc mulier Christum Filium Dauid dicit, Filium Virginis Mariæ appellat; ipsa enim de semine Dauid est orta. Optimè præcallens Cananea, quod nullo efficatiori modo Deum ad sibi subueniendum inclinare valebat, quam si sub nomine Mariæ preces deferre, procerto habuit, quod talis oratio suo expers effectu minime exiret. *Pater Siluera tom.* 4. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 5. *num.* 45.

Sub nomine Mariæ orationes deferendæ Deo.

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 15. vers. 22. *Filij Dauid.* Cur non dicit Filij Mariæ?

Nomen B. Virginis non audet Cananea ore proferre.

Resp. Non dicit Filium Mariæ, sed Dauid, quia Mariæ nomen ore proferre non audet. *Pater Siluera vbi supra.*

Dub. 103. Ad illa verba, cap. 16. vers. 13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, vers. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Cur Diuus Petrus non dixit: Tu es Filius Virginis?

Vnus idemque Filius Virginis est Filius Dei.

Resp. Cum diceret Beato Petro vna cum cæteris Apostolis, quem dicunt homines esse Filium hominis, ac deinde refert, vos autem quem me esse dicitis? Ait ergo Petrus pro omnibus: Tu es Christus Filius Dei viui, non quod eum negaret Filium Beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait Christus, sed vt demonstraret vnum eundemque Filium hominis esse Filium Dei. *Diuus Ildephons. serm.* 2. *de Assumpt.*

Dub. 104. Ad illa verba, cap. 17. vers. 1. *Assumpsit Iesus Petrum, ac Iacobum, & Ioannem fratrem eius.* Cur Ioannes assumitur ad gloriam transfigurationis?

A Maiestate Christi dignitas, & celsitudo Virginis deprehenditur.

Resp. Disponebatur Ioannes, eius curæ Virgo Mater committeretur, & vt cum ea familiariter tanquam Filius degeret, vtque de illa multa, & magna in sua Apocalipsi scriberet: eligitur ergo ipse ad transfigurationis gloriam, vt à Beata Maiestate, ac splendida gloria Filij instruatur, quanta sit Mariæ celsitudo, quantaque cum reuerentia, ac cultu ipsa cœli Domina, ac Regina Angelorum debeat tractari, ac agi, quod solum à visa Filij Maiestate potest cognosci, ac deprehendi. *Pater Siluera tom.* 4. *lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 2. *num.* 18.

Dub 105. Ad illa verba, cap. 17. vers. 1. *Duxit illos in montem excelsum seorsum.* Quis fuit hic mons vbi transfiguratus est Dominus?

Per Beatam Virginem venit lumen æternum sedentibus in tenebris.

Resp. Hic mons Thabor, quod interpretatur lumen veniens, quia in eam primo venit, & per eam venit lumen æternum sedentibus in tenebris, & in ea transfiguratus est Dominus omnium, assumens formam serui. *Beatus Albertus Magnus lib.* 8. *de laudibus B. Virgin. cap.* 5. *num.* 1.

Dub. 106. Ad illa verba, cap. 17. vers. 5. *Ecce nubes lucida.*

Quæ

Nubes naturaliter non est lucida, quæ lucida est, est supra naturã.

Quommodo illa nubes dicitur lucida, cum naturaliter nubes non sit lucida?

Resp. Naturaliter nubes non est lucida propter spissitudinem, vnde videmus quod ipsa nobis lucem, seu radios Solis, & lumen Stellarum tollit. Ideò si nubes lucida est, hoc est, supra naturam eius, sicut apparet de nube in transfiguratione quæ fuit multum lucida vltra naturam nubium. Spiritualiter. Nulla creatura humana quantum est de sui natura potuit esse lucida, & sancta propter culpam tenebrarum, & condensationem peccati, & ideò cum Beata Maria in mundo, munda, & lucida apparuit, hoc fuit contra consuetudinem humanam, quia in ipsa Rex æternus transfiguratus est, & de furibundo iudice mutatus est in pijssimum patrem. *Antonius Rampegolis, Ordinis D. Augustini in figuris de Beata Virgine.*

B. Virgo in mundo apparuit munda cõtra consuetudinem humanam.

Dub. 107. Ad illa verba, cap. 17. vers. 5. *Nubes lucida.* An Beata Virgo dicatur nubes lucida?

Resp. Nota per lucidam nubem Beatam Virginem, propter tria in nube lucida reperta. Nam nubes habet fœcundare, eo quod inducit beneficium pluuiæ super terram. Habet æstum temperare, quia se interponit inter nos, & Solem, & habet illuminare, quia vt dictum fuit super naturaliter lucidum est: sic Beata Maria hæc tria plenissimè habuit. Nam primo fuit fœcundissima, quia abundantiam pluuiæ gratiarum fecit in mundo descendere, *Psalm. 71. Descendet sicut pluuia in vellus.* Et temperat nobis æstum Diuinæ Iustitiæ, cum peccamus, quia se interponit inter nos, & Deum pro cura delictorum nostrorum. *Antonius, qui supra.*

Nubes terrã fœcundat, æstum temperat, & illuminat.

B. Virgo abundantiam gratiarum fecit in mundo descendere.

Temperat iudicem.

Dub. 108. Ad illa verba, cap. 17. vers. 5. *Hic est Filius meus dilectus.* Quommodo hæc verba Beatę Virgini conuenire possunt?

Resp. Quamuis autem Pater propositum verbum dixerit, nihilominus tamen, & Matri conuenire potest, & dicit: *Hic est Filius meus dilectus*; prout igitur Matri conuenit, tria de Filio dixit. Primo, quod ipsum tanquam vera Mater Filium genuit, cum dixit: *Hic est Filius meus.* Secundo, quod ipsum singulari amore dilexit, cum ait: *Dilectus.* Tertio, quod sibi semper in eo complacuit, cum subiunxit, in quo benè complacui. Circa primum notandum, quod ipsa fuit Christi vera Mater, & tota Mater, aliæ matres, etsi sint veræ matres, non totæ matres, quia Pater in generatione Filij partem habet, ipsa autem tota Mater fuit, quia tota substantia corporis Christi de suis visceribus sumpta extitit. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, serm. 2. Sabbat. post 1. Dominicam Quadragesimæ.*

Virgo Maria vera Mater Christi, & tota Mater.

Tota substantia corporis Christi de B. Virgine sumpta.

Dub. 109. Ad illa verba, cap. 17. vers. 5. *Hic est Filius meus dilectus.* Quommodo Beata Virgo dilexit Filium suum?

Resp. Dilexit eum fortiter, nam tempore Passionis Christi, quidam fuerunt fortes in amore, sed debiles in associatione, & fide, sicut Apostoli, qui ipsum viuum dilexerunt, sed tamen ab ipso recesserunt, & fidem perdiderunt. Alij fuerunt fortes in associatione, & in amore, sed tamen debiles in fide, sicut deuotæ mulieres, quæ Christum mortuum dilexerunt, & ab eius Cruce non recesserunt, sed tamen fidem non perdiderunt: Beata autem Virgo fuit fortis in amore, quia Filium semper dilexit, imò facilius esset ei mori, quam ab eius dilectione separari, *Cant. 8. Fortis est vt mors dilectio.* Fuit fortior in associatione, quia iuxta Crucem immobilis extitit. *Ioann. 19. Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*, fuit fortissima in fide, quia fides in ipsa sola remansit, nec tempore Passionis, extingui potuit, ideò bene dicitur de ea. Non extinguetur in nocte, id est, in tribulatione Passionis, lucerna eius, id est, fides eius, quæ totum mundum illuminat. *Iacobus de Voragine, qui supra.*

B. Virgo fortis in Christi dilectione, fortior in associatione, fortissima in fide.

2. Resp. Dilexit eum sapienter, quod patet per tria signa. Primum est, quantumcunque Filius suus esset puer delicatus, tamen in his quæ Dei erant sibi parcere nolebat,

B. Virgo Filium dilexit sapienter.

B. Virgo ad festiuitates Filium ducebat

bat, ſed ad feſtiuitates eum ducebat. Secundum eſt, quod quantumcunque eum diligeret, tamen nunquam ſibi diſſuadere voluit, quin Crucem aſcenderet, & mortem pro humano genere ſuſtineret. Tertium eſt, quod quamuis Filium in Cruce poſitum grauiſsimos dolores pati, tamen nunquam ſibi ſuaſsit, vt de Cruce deſcenderet, & à doloribus ſibi parceret. *Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo nunquam ſuaſit Filio, vt Crucemnon aſcenderet, & à doloribus ſibi parceret.

Dub. 110. Ad illa verba, cap. 17. verſ. 5. *In quo mihi bene complacui.* Quo ſenſu poteſt Beata Virgo Maria hæc verba dicere?

Reſp. Cum humanando Filius etiam ſit factus glorioſæ Virginis in carnem, *Ioann. 1. Verbum caro factum eſt.* Poterit, & eadem Mater glorioſa Virgo dicere: Anima fidelis attende, quoniam hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Ambroſius Spiera ſeruita, ſeu vt alij dicunt, Carmelita.*

B. Virgo ſibi bene complacuit in Chriſto.

2. Reſp. Chriſtus Matri ſemper complacuit ille Filius Matri complacet, qui de Matre curam ſollicitam habet. Chriſtus curam de Matre habuit in ſua infantia, quia ſigilla pudoris ſibi illibata ſeruauit; in ſua pueritia, quia in omnibus ſibi ſubditus, *Lucæ 2. Deſcendit, & venit in Nazareth, & erat ſubditus illis.* In ſua iuuentute, quia inuitatus ad nuptias, ad preces Matris aquam in vinum mutauit. In ſua paſsione, quia de Cruce ipſam Ioanni commendauit. Poſt ſuam Reſurrectionem, quia ſicut dicit *Sedulius:* Chriſtus reſurgens primo Mariæ apparuit. Poſt ſuam Aſcenſionem, quia ad eius mortem venit in anima, & corpore ipſam aſſumpſit, & ad ſuę maieſtatis dexteram collocauit. *Iacobus de Voragine ſerm. 2 Sabb. poſt 1. Domin. Quadrageſimæ.*

Chriſtus curam ſollicitã habuit de Matre in vita, in morte, & poſt mortem.

Dub. 111. Ad illa verba, cap. 17. verſ. 19. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis.* Quid ſignificatur per granum ſinapis?

Reſp. Granum ſinapis eſt paruum, & calidum, & ſignificat fidem Beatæ Mariæ, quæ fides fuit ita conſtans, & certa, & humilis, & ſine aliqua hæſitatione, quia cum ait: *Ecce Ancilla Domini,* optans, & poſtulans, vt mons qui eſt in vertice montium tolleret ſe de cœlo, & mitteret ſe in mare huius mundi per Incarnationem ex ea prout ſibi Angelus nuntiauerat, ſubito mons ipſe ſublimiſsimus obediuit intrans Virginis vterum, certe nullius ſancti, vel ſanctæ fuit vnquam fides ita conſtans, & feruens, quod iſtud petere auderet, vel impetraret. *D. Antoninus 4 p. tit. 15. cap. 19. §. 3.*

Fides B. Virginis fuit cõſtãs certa, humilis.

Dub. 112. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 23. *Aſsimilatum eſt Regnum cœlorum homini Regi.* Quis eſt iſte homo Rex?

Reſp. Eſt ipſe Chriſtus, vt docent *Origenes, D. Paſchaſius, & alij,* qui eſt ſupremus Rex, vtpote Dei Filius, & homo factus per Incarnationem, & prius dicitur homo, & poſtea Rex, ſicque gloriatur de natura aſſumpta ex vtero Virginis, in qua venit ad ſalutem generis humani. *Pater Silueira hic.*

Chriſtus gloriatur de natura aſſumpta ex vtero Virginis.

Dub. 113. Ad illa verba, cap. 20. verſ. 21. *Dic vt ſedeant hi duo filii mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram.* Cur Mater petit ſedes à Chriſto?

Reſp. Quia facilius concederet Chriſtus matri quam filijs, quia forte illa aliquando adiuuerat Dominam noſtram ſororem ſuam ad nutriendum Chriſtum. *Abulenſis quæſt. 54.*

Chriſtus magnifeſtimat miſteria exhibit à Matri.

Dub. 114. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 1. *Et veniſſent Bethphage ad montem Oliueti.* Quid ſignificat aduentus Chriſti ad mõtem Oliueti?

Reſp. Montem Oliueti, *Gloſſa,* id eſt, ad ſublimitatem miſericordiæ reſpiciens, oleum enim miſericordia interpretatur. Nam vt oleum lucis, miniſtra eſt, & laborum, & dolorum ſolamen; & excellit cunctis liquoribus; ſic etiam Beata Virgo. Venit ergo ad montem Oliueti Filius Dei, quando venit ad Mariam ex ea incarnatus. *B. Albert. Mag. in Biblia Mariana.*

B. Virgo dolorum, & laborum ſolamen.

Incarnatus Filius Dei, totus miſericors.

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 11. *Qui maior eſt veſtrum erit, miniſter veſter.* Quommodo Beata Virgo eſt miniſtra noſtra?

Reſp. Ipſa eſt ſeruitrix, & miniſtra peccatorum ſecundum conſti-

B. Virgo miniſtra, & ſeruitrix eſt peccatorum.

tutionem Filij ſui, qui maior eſt veſtrum. Sed ipſa excepto Domino maior eſt omnibus, ergo, & miniſtra. Seruit autem nobis, & miniſtrat libenter. *Lucæ 2. Ecce Ancilla Domini*, pure, & ſinceriter. *Eccleſiaſt. 24. In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Largiter *Iudic 19. Ego præbebo*, Maria, *tantum quæſo, vt in plateis non maneatis.* Vniuerſaliter; quia & in cœlo miniſtrat, & in terra, & in Purgatorio. Humiliter, quia paruo, ſicut magno, pauperi peccatori, ſicut diuiti iuſto. Ipſa etiam pluit rorem gratiæ ſuper iuſtos, & iniuſtos, fideliter, quia corpore Filij nos paſcit, & ſanguine potat. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Miniſtrat in cœlo, in terra, in Purgatorio.

Corpore Filij nos paſcit.

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 23. verſ. 12. *Qui ſe humiliauerit, exaltabitur.* Quommodo Beata Virgo fuit exaltata?

B. Virgo ſuper omnes Angelos, & Sanctos ſe humiliauit, vnde ſuper omnes exaltata.

Reſp. Sanctiſſima Mater eius naturalis, & Mater noſtra ſpiritualis, quia viuificat nos, quos prima Mater occiderat. Quia poſt Filium ſuum benedictum, ſuper omnes Angelos, & Sanctos ſe humiliauit, ideo exaltata eſt ſuper omnes Choros Angelorum, vnde & Sanctorum, quia vltra non aſcendunt. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 44.*

Dub. 116. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 7. *Exierunt obuiam Sponſo, & Sponſæ.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Si enim per illas decem Virgines intelligebatur vniuerſum corpus Eccleſiæ, & ita illæ erant Sponſæ, quæ ergo erat Sponſa, cui obuiam exire deberent? Accipe benigne lector, & vi ipſa veritatis ſuadere. Virgo illa benedicta cum Filio ſuo Sponſo, Sponſa præcipua eſt, cui exire obuiam cum accenſis lampadibus omnes debemus, id eſt, fide, & charitate, vt tandem comprehendamus, & comprehendamur ab eis. Ipſa eſt enim vera, ac primaria Sponſa, quæ venict vt iudicet mundum cum Sponſo ſuo, quam ipſe dignabitur habere ſociam ad iudicandum, quia dignatus eſt habere ſociam in innocentia perfecta. Alioquin quommodo iudicatura eſſet mundum, niſi perfecta illi ad eſſet iuſtitia. *Ambroſius Chaterinus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Compſanus.*

Chriſtus dignabitur habere B. Virginē ſociam ad iudicandum.

B. Virgo ſeruis ſuis in morte dignatur occurrere.

2. Reſp. A largitate Mariæ recipiunt peccatores beneficium, quod ſeruis ſuis in morte dignatur occurrere. Vnde *D. Hieronymus*, ſcribit ad quandam Virginem. Qualis erit illa dies cum Maria Mater Domini Choris occurret tibi committata virgineis, ideo de virginibus dicitur, quod *exierunt obuiam Sponſo, & Sponſæ*, id eſt, Chriſto, & Mariæ. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. Mariæ, quarta Stella.*

Dub. 117. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 9. *Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis.* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Si enim prudentes virgines acccperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Tu prudentiſſima Virgo Virginum non vnum tantum vas habuiſti oleo gratiæ repletum, quo lampadem tuam in extinguibiliter ardentem nutrires, ſed aliud geſtabas vas redundans, & indeficiens ex quo effuſo oleo miſericordiæ, omnium lampades illuminares, & vaſa omnium vſque ad ſummum repleres, & in illo nihil minueres. Prudens ergo fuiſti, vt tibi prouideres, nec timida vt alijs ſubuenires, nec dixiſti: *Ne forte non ſufficiat mihi, & vobis*, ſed ſciens quia ſufficeret tibi, & nobis, & ſufficienter retinuiſti, & ſufficienter tribuiſti. *Antonius Brixienſis, Ordinis Prædicat. Sabb. 3. Quadrag. ſerm. 3.*

B. Virgo gratiam ſufficiēter ſibi retinuit, & ſufficienter tribuit.

Dub. 118. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 11. *Domine, Domine, aperi nobis.* Nonne Sponſus, & Sponſa pariter expectabantur, quid ergo ſolus Sponſus moram feciſſe dicitur, de mora autem Sponſæ nihil commemoratur?

Reſp. Facilis eſt reſponſio, quia ad Chriſtum tanquam ad iudicem pertinet, etiam punire, ad Virginem tanquam ad patronam non niſi miſereri; eandem ob cauſam fatuis virginibus orantibus: *Domine, Domine, aperi nobis.* Sponſus non Sponſa reſpon-

Chriſtus aliquando iuſtitiam, B. Virgo ſemper miſericordiā exercet.

pondit, *neſcio vos*, ibi *Num.* 12. Nam Chriſtus aliquando iuſtitiam, Beata Virgo ſemper miſericordiam exercet. Vnde in hoc etiam illæ virgines ſe fatuas præbuerunt. Namſi quemmodum *Domine, Domine*, inclamauerunt; ita inclimarent *Domina, Domina*; illam fortaſſe repulſam non paterentur, quia Matris miſericordia Filij iuſtitiam temperaret. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. verſ. 11. annotatione 12. ſect. 1. num. 15.*

Miſericordia Virginis Filij iuſtitiam temperat.

Dub. 119. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 24. *Metis vbi non ſeminaſti.* Quo ſenſu hæc de Chriſto exponuntur?

Reſp. Filius Virginis in quadam Lectione Euangelij: *Meto*, inquit, *vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi.* Dicat ſolus hodie natus ex Virgine Filius Mariæ, meto vbi non ſeminaui, & colligo vbi non ſparſi. Dicat, & Maria, & ego te Filium genetaui, & virginitatem meam non violaui, Regnum teneo virginitatis, & Regem genui caſtitatis. *D. Auguſtinus ſerm. de partu Virginis, & de Natal. Domini, ſerm. 14.*

Bi Virgo Filium genera uit, & virginitatē ſuam non violauit.

Dub. 120. Ad illa verba, cap. 25. verſ. 34. *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Quommodo Beata Virgo ſex opera miſricordiæ exhibuit?

B. Virgo opera miſericordiæ exhibuit Chriſto.

Reſp. Chriſtus poteſt ſibi dicere: *Eſuriui, & dediſti mihi manducare*; me ſcilicet, infantem nutriendo, *ſitiui, & dediſti mihi bibere*, tuo lacte Virginis me potando, *nudus eram, & cooperuiſti me*, veſtimentum tui corporis tribuendo, *hoſpes eram, & collegiſti me*, nouem menſibus in tuo vtero me hoſpitando, *infirmus eram, & viſitaſti me*, infantem in neceſsitatibus ſubueniendo, in carcere eram, & veniſti ad me, in carceratum in Crucis patibulo aſſociando. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabb. 5. Quadrag.*

Opera miſericordiæ exercuit in ſummo ſuper omnes.

2. Reſp. Huiuſmodi opera miſericordiæ Beata Maria habuit in ſummo ſuper omnes. Operum autem miſericordiæ alterum eſt altero maius; vel quod fit ex maiori charitate, vel quod fit magis digno indigenti, vel quod fit ex maiori effectu impenſo, vel quod fit ex magis neceſſario. Hæc omnia fuerunt in Beata Maria in ſummo. Nam charitas ex qua fecit opera miſericordiæ exceſſit dilectionem omnium miſericordiam facientium. Mixime indigenti exhibuit, quia nemo inter viatores Chriſti pauperior fuit. Digniſsimo pauperi tribuit, quia homini Deo, magnum enim opus miſericordiæ eſt, quod datur laico bono, maius quod datur Clerico, maius Religioſo, maximum, ſi Epiſcopo egenti, & bono, maximè maximum ſi Papæ pauperi, ſed ſuper omnia pauperi Deo, quia vt ait Apoſtolus; *Cum ſit dives in gloria propter nos egenus factus eſt.* Mixmum enim effectum miſericordiæ nobis impendit, quia nobis miſeris, & captiuis, & mendicis dedit Filium ſuum Deum, captiuis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipſo dedit nobis Regnum cœlorum, & omne bonum, cum illo enim omnia nobis donauit, non de ſuperfluo, ſed de neceſſario. Opus miſericordiæ fecit Filio ſuo pauperculo, & peregrino de ſuis puriſsimis carnibus, & ſanguinibus, fecit & tunicam corporis, in gremio vteri ſui hoſpitatus eſt, & de proprio corpore cibauit, & lac dedit. *D. Ant. 4. p. tit. 15. c. 17. §. 4.*

Operum miſericordiæ alterum altero maius.

Maximaeleemoſyna, quæ datur maximo pauperi.

Dub. 121. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 31. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me.* Quommodo Apoſtoli ſcandalum paſsi ſunt in Chriſto?

Reſp. Fuit quadruplex diuerſitas reſpectu Dominicæ Paſsionis, quidam enim nec habebant fidem Chriſti, nec compaſsionem, ſicut infideles inſultantes, blaſphemantes, irridentes, & dæmones. Quidam habuerunt compaſsionem, ſed non fidem, ſcilicet, quod Deus eſſet, qui patiebatur, ſicut Apoſtoli, quibus Chriſtus dixerat omnes; *Scandalum patiemini in mē in nocte iſta, Matth. 26.* Quidam habuerunt fidem, vel cognitionem, ſed

B. Virgo ſimul habuit fidem, & compaſsionem crucifixi.

non compaſsionem, vno Angeli, & alij extra ſtatum viæ poſiti, vt qui in Limbo patrum, & latro, qui fidem quidem habuit ſuæ Deitatis, ſed non compaſsionem per ſe, & hoc quia circundatus ipſe ſua paſsione. Sola autem Beatiſsima Virgo fuit, quæ ſimul habuit fidem, & compaſsionem crucifixi Dei, & hominis, & ex compaſsione patientis pro ſe paſsionem, & ſic ſola fuit cui datum eſt per priuilegiũ communicatio paſsionis. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20.*

B. Virgo ſola cui data eſt per priuilegium communicatio paſsionis.

2. Reſp. In hoc aliquando erraũt Origenes, & quidam antiquorum pene in hunc errorem prolapſi ſunt exiſtimantes, etiam Beatam Virginem aliquid ſcandali paſſam circa fidem, vnde & ſub peccato illam concluſerant. At nunc (Deo gratiæ ſint, & illi Virgini) quod longè aliud perſuaſum eſt Eccleſiæ ſanctæ. Vnde & in paſsione verba illa Domini dicentis: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim, percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis*, ad Virginem non pertinuerunt. *Ambroſ. Chaterinus, Ordinis Prædicatorum, opuſculum de Beata Virg.*

B. Virgo paſſa nõ eſt ſcãdalum in paſsione Filij circa fidem.

Dub. 122. Ad illa verba, cap. 26. verſ. 38. *Triſtis eſt anima mea.* Quommodo triſtis fuit anima Chriſti?

Reſp. Eſt enim in nobis duplex anima, vel magis propriè loquendo duplex pars, ſeu potentia animæ; ſcilicet, intellectiua, & ſenſitiua, ſecundum potentiam intellectiuam Chriſtus in paſsione ſummè gaudebat; ſed ſecundum potentiam ſenſitiuam, dicebat quod ſentiebat, illud Pſalm. 87. verſ. 4. *Repleta eſt malis anima mea*, id eſt, doloribus, adeo quod vita mea in inferno appropinquauit. Sic & Beata Maria ſecundum voluntatem rationalem volebat Filium ſuum pati ſciens Deum ſic ordinaſſe, & ſalutem humani generis conſequendam, & hinc non dolebat, ſed quietа manebat, ſed ſecundum ſenſualitatem ſummè dolebat, quia vt dicit *D. Hieronymus.* Licet in ſpiritu eſſet tamen dum in carne vixit, carnis mouebatur ſenſibus. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 42.*

Chriſtus ſecũdum potentiam intellectiuam, in paſsione ſummè gaudebat.

B. Virgo ſecũdum voluntatem rationalem volebat.

Filium ſuum pati.

Secundum ſenſualitatẽ ſummè dolebat.

Dub. 123. Ad illa verba, cap. 27. verſ. 46. *Vt quid dereliquiſti me.* Quem dolorem habuit Beata Virgo audiens hæc verba?

B. Virgo in morte Filij habuit cor affixum quinque lanceis.

Reſp. In morte Filij mei eram, ſicut mulier habens cor affixum quinque lanceis. Prima, enim lancea erat nuditas verecunda, & vituperoſa. Secunda, erat accuſatio eius, nam accuſabant eum dicentes: Eum proditorem, & mendacem, & etiam inſidiatorem, quim ego ſciebam: iuſtum eſſe, & veracem nullumque offendiſſe. Tertia, lancea mihi erat ſpinea corona eius, quæ ſic immaniter pupugit caput eius ſanctiſsimum, vt ſanguis defluereт in os eius in barbam, & in aures eius. Quarta, lancea, vox lamentabilis in Cruce, qua clamauit ad Patrem, dicens: O Pater! quare me dereliquiſti? ac ſi vellet dicere: Pater, non eſt qui miſereatur mei, niſi tu. Quintã, lancea quæ cor meum pertranſibat, erat mors eius durisſima. *Beata Brigitta lib. 1. Reuelation. capit. 27.*

Dub. 124. Ad illa verba, cap. 27. verſ. 33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha.* Cur Dominus Ieſus crucifixus eſt in loco viliſsimo?

Dolor Virginis augebatur ex loco viliſsimo, vbi crucifixus eſt Filius.

Reſp. Oſtenditur ex loci vilitate augmentatio doloris eius, quia in loco viliſsimo crucifixus eſt. Nam vt narrant Euangeliſtę duxerunt eum *in Golgotha, quod eſt Caluariæ locus*, & ibi eum crucifixerunt, qui locus ideo dicebatur Caluariæ, quia ibi erant oſſa mortuorum, & Caluariæ, & alia cadauera, & ibi occidebantur viliſsimi homines, & magni malefactores, ibi ſtabat iuxta Crucem Mater eius, & videns locum tam vilem, ac Filium eius Regem Regum, & Dominum Dominantium, factum opprobrium hominum, & abiectio plebis, dicere poterat illud *Thren. 1. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens lachrymas, quia longè factus eſt à me conſolator. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 42.*

Dub.

Virgo plenariam potestatem habet in cœlo, & in terra.

Dub. 125. Ad illa verba, cap. 28. vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Quommodo Beatæ Virgini data est omnis potestas in cœlo, & in terra?

Resp. Plenariam habet potestatem quoscumque voluerit introducendi, quidquid voluerit impetrandi, quidquid à Filio petierit obtinendi. Ideò potest verè dicere cum Filio: *Data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Mariæ, octaua corona.*

D. MARCVS.

Christus de nulla alia re, quam de natura humana assumpta gloriatur.

DVb. 1. Ad illa verba, capit. 2. vers. 10. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis.* Quare se Filium hominis appellat Dominus Iesus?

Resp. Christus Dominus totius perfectionis Magister, cum Matrem habuerit Virginem, nunquam se Filium Virginis appellabat, quasi in suo genere de nulla re alia, quam de natura humana gloriaretur. *Pater Mendoza 1. Reg. cap. 1. num. 1. sect. 4. num. 9.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 3. vers. 31. *Et veniunt Mater eius, & fratres, & foris stantes miserunt ad eum.* Quem miserunt ad Iesum?

Accedentes ad B. Virginem, ita suauitate illius tenebantur, vt nullus ab illa disiungi pateretur.

Resp. Hic nuntius missus non erat ex fratribus, nam si talis esset, dixisset Euangelista Marcus, missus est vnus ex fratribus, alius ergo distinctus erat. Sed cur non ex fratribus? Forte id factum est ne Matrem solam relinquerent, vel quia omnes ita illius suauitate tenebantur, vt nullus ab illa disiungi pateretur. *Pater Siluetra hic, quæst. 4.*

B. Virgo iuxta Crucem vulnerabatur spiritu, & crucifigebatur affectu.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. vers. 33. *Quæ est Mater mea, & fratres mei.* Cur non dixit hæc Dominus Iesus in Cruce?

Resp. Fugientibus Apostolis in faciem Filij se opposuerat Mater, & gladio doloris anima eius infixo vulnerabatur spiritu, & crucifigebatur affectu. Stabat ante Crucem, non minor quam Matrem Christi decebat. Ecce bone Iesu coram te est Mater tua. Cur modo non dicis, quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? Modo Matrem non abijcis, neque ignoras, sed commendas Discipulo. *Arnaldus Carnotensis tractatu de laudibus Beatæ Mariæ.*

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. vers. 31. *Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus.* An Beata Virgo dicatur granum sinapis?

Resp. Virgo Maria comparatur grano sinapis, de quo dicitur, *quod minus est omnibus oleribus*; & hoc per humilitatem, & cum natum fuerit; scilicet, in mundo apparendo ascendit in arborem, *Gloss.* Qui altitudine, amplitudine, annositate, transcendit herbarum naturam. Alta est, quia ad cœlestia sustollitur, ampla, quia totum mundum occupat, annosa, quia non potest finiri. Hæc tria sunt in arbore Maria, quæ est maior, *Gloss.* Charitate, omnibus oleribus, id est, omnibus hominibus: imò omnibus Angelis, & facit ramos. *Gloss.* Misericordiæ, & compassionis. Magnos ita vt possint sub vmbra eius; scilicet, protectionis aues cœli. *Gloss.* Sancti Dei, immo, & peccatores, qui magis necesse habent habitare fiducialiter propter securitatem, gaudenter propter vmbram, vtiliter propter fructum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Charitas B. Virginis maior charitate omnium hominum, & Angelorum.

Iusti, & peccatores habitant sub protectione B. Virginis.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 4. vers. 38. *Et erat ipse in puppi, super ceruical dormiens.* An Beata Virgo dicatur ceruical, & puppis?

Deus in nullo alio quam in B. Virgine requiem inuenit.

Resp. Ipsa est ceruical omnium virtutum, in quo Filius Dei dormiuit. *Marc. 4. Erat ipse in puppi,* id est, in Maria dormiens, quia alibi requiem talem non inuenit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 6. vers. 47. *Erat nauis in medio mari.* Quare Beata Virgo dicitur nauis?

B. Virgo per humilitatem placuit Deo, per virginitatem Angelo, per fœcunditatem mundo.

Resp. Dicitur autem Beata Virgo nauis ex mercibus quibus onusta fuit, quæ quidem eius sunt virtutes, quibus decorata fuit, & ornata, quę sunt humilitas, virginitas, & fœcunditas. Nam per humilitatem placuit Deo, per virginitatem Angelo, per fœcunditatem mundo. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbat. post Cineres.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 12. vers. 10. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quare Dominus Iesus benedictus nominatur?

Per B. Virginem benedictus Filius.

Resp. Salue Mater, & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini. *Cyrillus Alexandrinus.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 12. vers. 43. *Vidua hæc pauper, plus omnibus misit.* Quommodo verificatur de Beata Virgine, quod plus omnibus misit?

B. Virgo ditat totam Ecclesiam.

Resp. Ipsa est vidua pauper, sed largissima ditatrix totius Ecclesiæ. Nullus enim hominum, vel Angelorum tantum dedit quantum ipsa. *Marc. 12. Vidua hæc pauper*; scilicet, rebus; scilicet, Maria, *plus omnibus misit*, plus in quantitate, pretiositate, vtilitate, qui miserunt. Misit enim Christum Filium suum, totum victum suum, in cibatione famelicorum. Totum gaudium suum, in lætitia desolatorum; totum lumen suum in illuminatione cæcorum; totum thesaurum suum in redemptionem captiuorum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Christus primo apparuit B. Virgini in die Resurrectionis.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 16. vers. 7. *Ite dicite Discipulis eius, & Petro.* Quare non dixit dicite Resurrectionem meam Matri?

Resp. Non dixit, & Matri, sciebat Angelus Christum iam apparuisse Virgini, priusquam hoc mulieribus esset dictum. *Pater Silueira tom. 5. lib. 9. cap. 1. quæst. 8. num. 49.* Prima vidit Dominum in forma gloriosa, & non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij, vnde & Euangelistæ eam non recensent. *D. Bernardus serm. de Resurrect.* Vidit Maria resurrectionem Domini, & primo vidit, & credidit. *D. Ambros. de Virginibus.*

B. Virgo prima vidit Dominum in forma gloriosa, ad consolationem, non ad confirmationem dubij circa fidem.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 16. vers. 14. *Exprobrauit incredulitatem eorum.* Quare Dominus Iesus exprobrauit incredulitatem Discipulorum?

B. Virgo ex charitate voluit conuertere Apostolos, qui perdiderant fidem.

Resp. Cogitate quommodo Virgo ex charitate voluit conuertere Apostolos, qui perdiderant fidem, & vocauit eos dicens eis: Quommodo Filius suus appatuerat sibi, & nihil credebant, sed nolebant sibi in faciem contradicere, quia habebant eam in magna reuerentia, sed dicebant sibi. Benè Domina, & specialiter Beatus Thomas dicens retro: Bene dicit pro Filio suo, quando Virgo videbat eos ita duros, & incredulos, tristabatur compatiendo eis, & rogabat Filium suum, vt eis appareret, ne Dominarentur. Ideò. *Marc. vltimo. Recumbentibus vndecim Discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*, vt Virgini Mariæ, & Magdalenæ. *D. Vincentius Ferrer serm. 2. in Natiuitate.*

D. LVCAS.

Mediantibus Angelis Diuina ad homines perueniunt.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Missus est Angelus Gabriel.* Quare Annuntiatio Beatæ Virginis facta fuit per Angelum?

Respondeo dicendum, quod conueniens fuit Matri Dei annuntiari per Angelum Diuinæ Incarnationis Mysterium, propter tria. Primo, quidem vt in hoc etiam seruaretur Diuina ordinatio. Secundum, quam mediantibus Angelis Diuina ad homines perueniunt.

Vnde *Dionisius* dicit 4. *cap. cœlestis Hierarch.* quod Diuinum Iesu benignitatis Mysterium Angeli primo edocti sunt, postea per ipsos ad nos, cognitionis gratia transiuit; sic ergo Diuinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, Prophetam Ioannem ex ipso nasciturum, Mariam autem, quommodo in ipta fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis Mysterium. *D. Thomas 3. part. quæst. 30. art. 2. in corp.*

Sanctus Gabriel docuit Zachariam Ioannem ex ipso nasciturum.

Docuit B. Virginem Mysterium Incarnationis.

2. Resp. Hoc fuit conueniens reparationi humanæ, quæ futura erat per Christum. Vnde *Beda* dicit: aptum humanæ restaurationis principium, vt Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam Diuino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. *D. Thomas ibi.*

Eadem via intrauit humani generis reparatio, qua intrauit ruina.

3. Resp. Quia hoc congruebat virginitati Matris Dei. Vnde *Hieronym.* dicit *in sermone Assumptionis.* Benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas, profecto in carne præter carnem viuere non terrena vita est, sed cœlestis. *D. Thomas ibidem.*

Angelis cognata virginitas.

4. Resp. Benè ad Mariam missus est Angelus, quia ipsa prima Angelicam vitam proposuit ducere in terris. Item vt sicut Eua fuit à diabolo præuenta; sic Maria ab Angelo se præuentam valeat gloriari, vt possit verè dicere, ab alio amatore præuenta sum, quæ nimio amore custodit corpus meum. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo prima Angelicã vitam proposuit ducere in terris.

5. Resp. Nota duæ personæ; scilicet, mulier, & Angelus dederunt occasionem perditionis mundo. Vnde congruum fuit, vt eedem personæ darent ei occasionem salutis, ne mundus haberet occasionem minus amandi, vel honorandi personas istas. *Hugo Cardinalis.*

Mulier, & Angelus dederunt occasionem perditionis mundo.

Eadem personæ dederunt occasionem salutis.

6. Resp. Missus est seruus in corporeus, ad Virginem Immaculatam, missus est à peccato liber, ad corruptionis, seu labis expertem. *D. Gregorius Thaumaturgus serm. 3. de annuntiat.*

B. Virgo corruptionis, & peccati expers.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Missus est Angelus.* Cur Deus non per se dixit semper Virgini ea quæ misit per Angelum annuntiare; cum ipsa Deo fuerit propinquior, & omnibus Angelis dignior?

Resp. Licet ipsa superior fuerit Angelis dignitate ad quam Diuinitus eligebatur tamen, quantum ad statum præsentis vitæ inferior erat Angelis; quia etiam ipse Christus ratione passibilis vitæ modicum ab Angelis minoratus est, licet ipse non indigeret instrui ab Angelis, quoniam erat simul viator, & comprehensor; tamen semper Virgo Maria non erat in statu comprehensorum, ideò de Diuino Mysterio erat instruenda ab Angelis; & licet vt dicit *Albertus*, in ea iam Deus habitaret per gratiam, non tamen per corporalem præsentiam ad quam necessaria erat annuntiatio. *Ioannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis, ex D. Thoma 3. part. quæst. 30. art. 1. ad 1.*

B. Virgo de Diuino Mysterio instructa ab Angelo.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Missus est Angelus.* Cur homo non fuit missus ad annuntiandum?

Resp. Sicut *Augustinus dicit in serm. de Assumptione.* Beata Virgo Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicabit, nec sub viri, id est, mariti potestate degnit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum susceptit; & ideò non debuit mediante viro instrui de Mysterio Incarnationis, sed mediante Angelo. Propter quod etiam ipsa est prius instructa, quam Ioseph, nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post eius conceptum. *D. Thomas vbi supra ad 2.*

B. Virgo à quibusdam generalibus excepta.

B. Virgo prius instructa, quam Sanctus Ioseph.

2. Resp. Decuit vt ab Angelo potius, quam ab homine Mysterium disceret, ne Mater consilijs Filij aliena videretur, & vt ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens Scriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij referaret veritatem, & quæ pene de omnibus à principio cœlitus fuerat instructa Mysteriis. *D. Bernardus homil. 4. super missus est.*

B. Virgo Scriptoribus & Prædicatoribus Euangelij referaret veritatem.

Dignitati Virginis cõgruebat, quod excellentior, & purior creatura; scilicet, Angelus ad eam mitteretur.

3. Resp. Propter mittentis, & Mysterij excellentiam, & Virginis ad quam mittebatur, puritatem, excellentior, & purior creatura, quam homo mitti debebat, & talis est Angelica.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Missus est Angelus Gabriel.* Cur potius Angelus Gabriel missus est, quam alius Angelus?

Resp. Iste Angelus non fuit de maioribus, sed fuit Archangelus, & hoc in Beatissimæ Virginis honorationem, quia si aliquis de superioribus mitteretur, ab ipso illuminari crederetur. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo non est ab Angelo illuminata.

2. Resp. Idem Angelus, qui Zachariæ prædixerat aduentum, Messiæ mittitur modo ad Beatam Virginem ad annuntiandum Conceptionem Messiæ. *Caietanus.*

Idem Angelus annuntiauit Zachariæ, & B. Virgini.

3. Resp. Benè autem missus est Gabriel, quia ista, vel sola, vel prima fortis mulier inuenta est. Ante enim dicitur *Prouerb.* 31. *Mulierem fortem, quis inueniet?* Et respondet Salomon pro se. *Eccles.* 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo sola, vel prima fortis mulier inuenta.

Angelus Gabriel apparuit B. Virgini corporea visione.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 1. vers. 26. *Missus est Angelus Gabriel.* In qua visione apparuit Angelus Beatæ Virgini?

Respondeo dicendum, quod Angelus annuntians apparuit Matri Dei corporea visione, & hoc conueniens fuit. Secundo fuit congruum dignitati Matris Dei, quæ non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura, & ideo non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refouendi, *D. Thomas 3. part. quæst. 30. art. 3. in corpore.*

B. Virgo in mente, & corpore Deum recepit.

Sensus corporei B. Virginis visione Angelica erant refouendi.

2. Resp. Congruit certitudini eius, quod annuntiabatur, ea enim quæ sunt oculis subiecta, certius aprehendimus, quam ea quæ imaginamur. Vnde *Chrisost. dicit super Matthæum*, quod Angelus non in somnis, immo visibiliter Virgini astitit, nam quia magnam valde relationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei euentum visione solemni. *D. Thomas ibidem.*

B. Virgo ante Incarnationis euentum, indigebat visione solemni Angeli.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 1. vers. 27. *Ad Virginem desponsatam.* Cur non dixit ad desponsatam Virginem?

Virginitas nuptijs præferenda.

Resp. Non dicit ad desponsatam Virginem, sed ad Virginem desponsatam. Virgo enim præmittitur, vt ostendatur virginitas nuptijs præferenda. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 1. vers. 27. *Ad Virginem desponsatam.* Cur de Virgine nasci voluit?

Primus homo de terra virgine factus, secudus; scilicet, Christus, de Virgine homo factus est.

Resp. De Virgine nasci voluit, vt sicut primus Adam, de terra virgine factus fuerat, ita secundus Adam de Virgine homo fieret. Item sicut per Euam virginem facta fuit humani generis perditio; ita per Mariam Virginem fieret eiusdem reparatio. Vnde cantat Ecclesia: *Paradisi porta per Euam cunctis clausa est, & per Mariam Virginem iterum patefacta est.* Item vt qui in cœlis habebat Patrem sine Matre, haberet in terris Matrem sine Patre, vt sic quasi duobus testibus probaretur Christi Diuinitas, id est, Matris virginitate, & Patris Diuinitate. Item vt prophetiæ veritas responderet. *Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet. Hugo Cardinalis.*

Per B. Virginem humani generis reparatio.

Diuinitas Christi duobus testibus probata Matris virginitate, & Patris Diuinitate.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 1. vers. 27. *Ad Virginem.* Cur de fœmina nasci voluit Dominus?

Resp. Cœlesti rore Dominus terram rigaturus, cum de viro produxisset fœminam in pernitie, de fœmina virum producere voluit in salutem, vt quæ principium fuerat humanę damnationis; principium esset humanæ reparationis. *Hierem.* 31. *Nouum faciet Dominus super terram fœmina circundabit virum. Hugo Cardinalis.*

Fœmina principium fuit humanæ damnationis, fœmina principium fuit humanæ reparationis.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 1. vers. 27. *Ad Virginem.* Cur potius de Virgine concipi voluit, quam per humanum semen?

Quatuor modis potest Deus hominem formare, sine viro, & sine fœmina, de viro sine fœmina, de viro, & fœmina, de fœmina sine viro.

Resp. Sic voluit, vt opera sua perficeret, & compleret. Nam quatuor modis potest Deus hominem formare; scilicet, sine viro, & sine fœmina, sicut fecit Adam, de viro sine fœmina, sicut fecit Euam,

Filius Virginis fructus honoris, & honeſtatis.

B. Virgo tulit opprobrium, à coniugatis, à viduis, à virginibus.

Ex Sponſo probatur B. Virginem vere hominem eſſe.

Maluit Chriſtus de ſuo ortu, quam de Matris pudore dubitari.

Conceptio Filij humana natura ſublimior.

Chriſtus natus de deſpõſata, vt verba Virginis Matris credibilia reddantur ſuam virginitatem aſſerentis.

Rationabile eſt B. Virginem viginti quatuor annorum fuiſſe, cum genuit Filium.

B. Virgo, & Sanctus Ioſeph de eadẽ tribu; ſcilicet, Dauid.

Euam, de viro, & fœmina ſicut nos, & reſtabat, vt de fœmina ſine viro faceret, quod, & fecit in hac conceptione, vt eius opera eſſent perfecta. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. quatuor temp. Aduentus, ex D. Anſelm.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Ad Virginem deſponſatam.* Cur de deſponſata Virgine naſci voluit?

Reſp. De deſponſata Virgine naſci voluit, vt ſicut prædixerat, *Eccleſiaſtes 24. Eſſet fructus honoris, & honeſtatis*; honoris quia Filius Virginis, honeſtatis, quia Filius deſponſatæ. Item de fœmina Virgine deſponſata naſci voluit, vt ab omni gradu mulieris opprobrium tolleretur, id eſt, à coniugatis, à viduis, à virginibus. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Ad Virginem deſponſatam viro.* Quare de deſponſata naſci voluit?

Reſp. Gabriel ad illam ipſam legatur, neque ſimpliciter ad quamuis Virginem, ſed ad Virginem deſponſatam viro, vt ex Sponſo oſtenderet Mariam vere hominem eſſe. *D. Athanaſius.*

2. Reſp. Deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſuo ortu, quam de Matris pudore dubitare; ſciebat enim teneram eſſe Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus ſui fidem Matris iniurijs aſtruendam. Seruatur itaque Sanctæ Mariæ, ſicut pudore integra, ita & inuiolabilis opinione virginitas. *D. Ambroſius.*

3. Reſp. Si enim non habuiſſet Sponſum, ſtatim cogitatio diaboli tacita ſubrepſiſſet, quommodo quæ non accubuit cum viro prægnans eſſet? Debet iſte conceptus eſſe Diuinus, debet aliquid humana natura eſſe ſublimius. *Origenes.*

4. Reſp. Vt Mariæ verbis maior fides adhiberetur, & omnis mentiendi ſuſpicio tolleretur. Videretur enim mentiri intacta prægnans, neque crederetur ei ſi diceret ſe eſſe Virginem, ſed cauſam mentiendi non habuit deſponſata, cum coniugij præmium partus ſit fœminarum. *Hugo Cardinalis. Vide ſupra Matth. 1. Cum eſſet deſponſata.*

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Deſponſatam viro.* Cuius ætatis erat Beata Virgo tempore Annuntiationis?

Reſp. Virginem deſponſatam intelligimus non ſolum integritate carnis, ſed etiam ætate nubili qua ſcilicet, ſecundum rectæ rationis ordinem, Virgines habiles ſunt ad nuptias, quæ ætas exigit ſaltem completum motum augmenti, quia naturalis ordo habet, vt prius perficiatur perſona, quam detur opera ad conſeruandam ſpeciem; & dico ſaltem, quia ratio ſuadet, quod natura exigit plus ætatis videlicet, vſque quo firmata ſint oſſa ad quod quartum ſeptennium dicitur requiri in viris. Quo circa certum eſt Beatam Virginem fuiſſe tunc ad minus annorum decem & nouem, & hoc ſi mulieris tertio ſenario annorum completur augmentum, ſicut ſecundo ſenario pubeſcit, & rationabile eſt, vt fuerit tunc annorum viginti quatuor, vt perfecta etiam ſecundum oſſa mulier, perfecta Mater perfectum gigneret Filium. *Caietanus.* Creditur etiam à quibuſdam, quod Deum concepit tali ætate, quæ perfecta fuit ſtatu, & corporis quantitate. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid.* Cur dicitur Ioſeph de domo Dauid, & non ſemper Virginem Mariam, de qua conceptus eſt Chriſtus, non per Ioſeph, quia Chriſtus dicitur eſſe de fructu ventris Dauid?

Reſp. Numerorum 36. Habetur quod mulieres in hæreditate paterna ſuccedentes non poterant contrahere matrimonium, niſi cum viris ſuæ tribus, ne fieret confuſio ſortium, vnicuique tribui expectantium; & cum ſemper Virgo Maria fuerit vnica Filia Ioachim, cui ſucceſſit in hæreditate, ſe-

ſequitur, quod ipſa, & Ioſeph fuerunt de eadem tribu, & familia; ſcilicet, Dauid. Et Euangeliſta nominando Ioſeph de domo Dauid, conſequenter dat intelligere, quod eius Sponſa erat de domo Dauid. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. Quatuor Temporum Aduentus, ex Lyrano. Beda in cathena D. Thomæ.*

B. Virgo hæres humilitatis Dauid.

2. Reſp. Vt oſtendat Mariæ nobilitatem non carnis, ſed magis animi. Maria enim hæres fuit humilitatis Dauid. Dicit enim Dauid: *Ego ſum Vermis, & non homo, Pſalm. 21.* dicit Maria: *Ecce Ancilla Domini. Hugo Cardinalis.*

Maria interpretatur Hæbraice Stella maris, Syriace Domina.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 27. *Et nomen Virginis Maria.* Quommodo interpretatur, hoc nomen Maria?

Reſp. Maria Hæbraice Stella maris, Syriace vero Domina vocatur, & merito, quia hæc totius mundi Dominum, lucem ſæculi meruit generare perennem. *Beda.*

2. Reſp. Maria, Stella, Domina, amarum mare, Stella fuit in Filij Natiuitate. Tunc enim emiſit radium totum mundum illuminantem, de quo dicit *Beatus Bernardus.* Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Item propter alia quatuor Stellæ aſſimilatur. Primo, quia cum magna eſſet admodum Stellæ modica apparebat per humilitatem. Secundo, quia ſicut Stella de nocte lucet; ſic Beata Virgo his lucet, qui ſunt in tenebris peccatorum. Tertio, in hoc quod naufragantes huius mundi ad portum ſalutis dirigit, vnde ipſa dicit *Eccleſiaſt. 24. In me omnis ſpes Vitæ, & Virtutis.* Quarto, quia in modum Stellæ radios ex ſe profert; ſcilicet, bonorum exemplorum. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo Stella in Natiuitate Filij.

B. Virgo modica per humilitatem.

B. Virgo lucet eis, qui ſunt in tenebris peccatorum.

Ad portum ſalutis dirigit.

3. Reſp. Sciendum quod hoc nomen Maria Virgini noſtræ congruentiſsimè impoſitum eſt propter perſonæ dignitatem. Dignitas perſonæ exprimitur per naturam lucis, quæ intelligitur in Stella maris. Nihil enim dignius, vel nobilius luce eſt, ſic poſt Deum nihil Maria. Deus enim lux eſt, vnde lux ad illam lucem immediatiſsimam, ſecundo loco erit nobiliſsima. Hoc autem eſt Beata Virgo, quæ non ſolum Beata Virgo ab hac luce, ſicut Luna à Sole illuminata fuit, ſed ſicut Aurora de Sole produxit, quæ omnia illuminabilia illuminauit, & ſic per naturam lucis exprimitur excellentia dignitatis Beatiſsimæ Virginis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Bona exempla protulit.

Nihil nobilius poſt Deū B. Virgine.

Per naturam lucis exprimitur excellentia, & dignitas B. Virginis.

4. Reſp. Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem, peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi, vnde & ipſa dixit: Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & ſanctæ ſpei. *D. Epiphanius.*

Maria interpretatur Domina, & ſpes.

5. Reſp. Tantæ virtutis, & excellentiæ eſt tuum Sanctiſsimum Nomen Beatiſsima Virgo, quod ad inuocationem ipſius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiſcunt, infernus conturbatur. *Idiota de contemplatione Mariæ, cap. 5.*

Ad inuocationem Nominis Mariæ cœli lætantur, dæmones cõtremiſcunt.

6. Reſp. Ante cauſam dignitas Virginis annuntiatur ex nomine, Maria Hæbreo ſermone, Latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Domina toris genitricem, trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impertiuit authoritas, *D. Petrus Chriſolog. ſerm. 142.*

Dignitas Virginis annuntiatur ex nomine.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Et ingreſſus Angelus ad eam.* Quare dicitur quod ingreſſus eſt Angelus ad eam?

Angelus Gabriel non apparuit B. Virgini ex improuiſo, ſed gradiens ad Virginis aulam introiuit.

Reſp. Hinc incipit deſcribi corporalis ſpecies Angeli, ingreſſus enim corporalem motum ſignificat: ita quod non apparuit tanquam ex improuiſo in aula, ſed gradiens ad Virginis aulam introiuit. Ex hoc itaque, quod deſcribitur ingreſſus, ambulatio, ex hoc vero quod ad eam locus propriæ manſionis ſignificatur, hoc eſt, quod non in via occurrit, non in ſinagoga moranti apparuit, ſed eam intus in propria manſione manentem ingreſſus eſt. *Caietanus.*

2. Reſp.

Angelus Gabriel ſolam in penetralibus B. Virginem reperit.

2. Reſp. Diſce Virginem moribus, ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret. *D. Ambroſius.*

Fauet Dominus ſolitarijs.

3. Reſp. Quod miſſus fuerat Angelus ad Mariam dixit Euangeliſta, nunc autem vbi ipſam inuenit demonſtrat non foris in plateis Ciuitatis vagabunda, ſed intus in domo ſolitariam, illi enim qui foris ſunt, id eſt, in publico, non merentur à Deo per Angelum ſalutari. Iudas dicit Domino: *Aue rabbi*, non in domo, ſed in agro foris. *Matth.* 26. & ſimiliter Iudæi foris dixerunt: *Aue, Rex Iudæorum.* Dominus autem non foris in publico, ſed intus in domo præcepit ſalutari, *Matth.* 10. *Neminem in via ſalutaueritis*, qui igitur foris ſunt Diuinæ ſalutationis expertes ſunt. Vnde Eſau venator dum eſſet foris, Iſaac benedictionem amiſit, *Geneſ.* 27. Iacob autem benedictionem recepit, quia domi reſidebat, ſicut dicitur *Geneſ.* 25. *Factus eſt Eſau Vir ignarus venandi, Iacob autem Vir ſimplex habitabat in Tabernaculis*, qui temporalia toto Orbe fugientia corde, vel corpore ſequitur, & talis non meretur ab Angelo ſalutari, *Amos* 5. *In omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris ſunt, dicetur Ve, Ve*, ſed Mariæ in conclaui dicitur: *Aue. Geneſ.* 34. *Egreſſa eſt Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius; quas cum vidiſſet.* Ecce foris perdidit Dina virginitatem, intus manens Virgo recepit Angelicam ſalutationem. *Oſeæ* 2. *Ducam eam in ſolitudinem. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo intus in domo manens recepit Angelicã ſalutationem

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam.* Cur Angelus ſemel ingreſſus legitur?

Reſp. Nota quod ſolus Angelus dicitur ingreſſus ad Virginem, & hoc ſemel, in quo innuitur, quod qui non fuerit Angelicæ conuerſationis, fruſtrà, vel temere præſumit ad eam ingredi ſalutandam, videndam, quomodo enim luxurioſus Virginem, vel ſuperbus humilem ſalutauit? Etſi forte ſalutauerit, non reſalutabitur, quia indignus eſt. Vnde dicit *Iſaiæ* 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Hugo Cardinalis.*

Angelicæ cõuerſationis ſit, qui ad B. Virginem ſalutandam ingreditur.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam.* Quare Beata Virgo erat ſola?

Reſp. *Bernard.* Suſpicandum non eſt, quod apertum inuenerit Angelus oſtiolum, cum nimirum in propoſito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis turbaretur ſilentium, vel continentis caſtitas turbaretur. Et *Gloſſa Bedæ.* Solam ſine comite Angelus reperit, ne quo de genere hominis deprauaretur affatu. Multum timent illi, qui habent abundantiam gratiæ colloquia mala, vnde Beatus Ioannes Baptiſta deſerta petijt, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo fugiebat frequentias, vitabat colloquia.

Virginis ſilẽtiũ, qui abundantem habent gratiam vitant colloquia mala.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam.* Cur Angelus non annuntiauit coram toto mundo Incarnationem Chriſti, vel ſaltem publice, quia incarnatus eſt pro ſalute mundi?

Myſteriũ Incarnationis ſecretum.

Reſpondetur, quod vt colligitur, ex dictis *Sancti Thomæ* 3. *part. quæſt.* 36. *art.* 1. allegando illud *Iſaiæ* 45. *Vere tu es Deus abſconditus*, & illud *Iſaiæ* 53. *Quaſi abſconditus eſt vultus eius, & deſpectus*, quia ſi coram omnibus annuntiata fuiſſet ſemper Virgo Maria, vel in publico pluribus audientibus, impedita fuiſſet humana redemptio, quæ per Crucem eius facta eſt, quia vt dicitur 1. *Corint.* 2. *Si cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, ideo ipſi ſoli Angelus apparuit, vt hoc myſterium ſecretum eſſet. *Antonius Giſtandis Ordinis Prædicatorum, Feriâ* 4. *Quatuor Temporum Aduentus, dub.* 16.

B. Virgo orabat in abſcõdito, quando Angelus ingreſſus eſt ad eam.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam.* Quid agebat ſemper Virgo cum Angelus ingreſſus eſt ad eam?

Reſpondet *D. Bernardus* ſuper miſſus eſt, quod Angelus ingreſſus eſt in ſecreto cubiculo, vbi cluſo ſuper ſe oſtio orabat Patrem in abſcondito. Sanctus vero *Vincen-*

tius

tus in ſerm. de Annuntiat. dicit, quod vt ipſa reuelauit Sanctæ Eliſabeth, quando Angelus intrauit legebat actualiter, & contemplabatur illud *Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, dicens intra ſe: Quæ, & qualis erit talis Virgo, quæ ſit digna tanto conceptu, & ſit Mater Dei, ac Regina cœli. Deum enixe rogans ne guſtaret mortem donec eam videret, & auderet, ac ſibi in quibuſcunque poſsibilibus ſeruiret flendo pro admiratione, & dignitate tantæ Virginis. Nullo modo valens cogitare, quod ipſa eſſet ſic electa ex maxima humilitate, cui ſic præmiſſa contempianti ſubito Archangelus Gabriel ingreſſus eam ſalutauit. *Antonius Giſtandis ibidem, dub. 13.*

Alij dicunt, quod legebat illud Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet.

B. Virgo præ humilitate non valebat cogitare, quod eſſet electa in Matrē Dei.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Cur primo Angelus non annuntiat Chriſtum concipiendum, quam Matris dignitatem, cum eius dignitas à Chriſto dependeat?

Angelus primo à laude Virginis incipit.

Reſp. Quod Angelus intendens attentam reddere mentem Virginis attente rei conſiderationem, incipit exprimere dignitatem ſemper Virginis, quoniam animo humili nihil eſt admirabilius, quam auditus ſuæ excellentiæ, & admiratio maximè facit attentionem animi, & ideo Angelus primo à laude Virginis incipit. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædioatorum, Feria 4. Quatuor Tempor. Aduentus, ex D. Thoma 3. part. quæſt. 30. art. 4. ad 1.*

Animo humili nihil admirabilius, quā auditus ſuæ excellentiæ.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue.* Cur dixit Aue?

Reſp. Conſiderandum, quod antiquitus erat valde magnum, quod Angeli apparerent hominibus, vel quod homines facerent eis reuerentiam habebant pro maxima laude, vnde & ad laudem Abrahæ ſcribitur, quod recepit Angelos hoſpitio, & quod exhibuit eis reuerentiam. Quod autem Angelus faceret homini reuerentiam, nunquam fuit auditum, niſi poſtquam ſalutauit Beatam Virginem dicens: Aue. *D. Thomas opuſcul. 4. ſuper Aue Maria.*

Quod Angelus faceret homini reuerentiam nunquā fuit auditū, niſi poſtquā ſalutauit B. Virginem.

2. Reſp. Aduerte, quod nuſquam alias inuenitur in Sacra Scriptura Angelum huiuſmodi ſalutationis verbo vſum fuiſſe, reſeruata ſiquidem eſt hæc Angelica veneratio Beatæ Virgini. *Caietanus.*

Angelica veneratio reſeruata Beatæ Virgini.

3. Reſp. Nuſquam enim in ſcripturis inuenitur antea, nec ab alio quam ab Angelo, nec alij quam Mariæ debebatur hæc ſalutatio, in omni enim ſalutatione fiebat prius aut vitæ imprecatio, vt *Daniel 2. Rex in æternum viue.* Aut ſalutis, vt 2. *Reg. 16. Salue Rex*, aut benedictionis, vt meſſores ad Booz: *Benedicat tibi Dominus*, qui prius ſalutando dixerat eis: *Dominus vobiſcum, Ruth 2.* Duas vero ſalutationes delatas ab Angelo viris. *Judic 6. Dominus tecum virorum fortiſsimè.* Et *Tobiæ 5. Gaudium ſit tibi ſemper.* Hæc ſalutatio Beatæ Virginis ex omnibus eſt conflata, & ideo eſt dignior. Aue ſine væ, id eſt, ſine dolore, ecce ſalutatio, Tobiæ: *Gaudium ſit tibi. Hugo Cardinalis.*

Salutatio Beatæ Virginis debebatur alij quam B. Virgini.

Salutatio Bē Virginis conflata ex omnibus ſalutationibus, quę antiquitus factę fuerunt.

4. Reſp. Sciendum quod Angelus Mariæ dixit: *Aue* ex parte ipſius Dei, quod verbum, ſeu dictio habet tres litteras innuentes Perſonas Diuinæ Maieſtatis; ſcilicet, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Nam prima littera quæ eſt *A*, ſignificat Spiritum Sanctum, ipſe enim Spiritus Sanctus ait *Gregorius*, amor eſt. Secunda littera eſt *V*, ſignificans Perſonam Filij, quæ eſt verbum Patris, & quaſi medius non ſitu, ſed numero inter Patrem, & Spiritum Sanctum: *Nam tres ſunt*, ait Ioannes in epiſt. 1. cap. 5. *qui teſtimonium dant in cœlo Pater Verbum, & Spiritus Sanctus.* Tertia littera eſt *E*, & ſignificat Patrem. Nam vt dicit *Hilarius in lib. de Trinit.* æternitas eſt in Patre, non ita tamen, quin Filius, & Spiritus Sanctus etiam ſit æternus cum eo, ſed quia ei appropriatur magis æternum importat, quod ſine principio. Filius autem, & Spiritus Sanctus, quamuis non habeant principium creationis, nec factionis, habent tamen principium emanationis, quia emanat Filius à Patre, & Spiritus San-

Salutatio Bē Virginis dignior omnibus.

Trinitas operata eſt Incarnationem.

Sanctus ab vtroque, etsi ab æterno, solus autem Pater est sine aliquo principio, quia à nullo ipse emanat. Dicit ergo Angelus: *Aue*, quasi dicat tota Trinitas me mittit ad te, quia & ipsa tota operatur istam Incarnationem in te. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 13. §. 1.*

B. Virgo maximè gaudet cum eam salutamus.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 1. vers. 28. *Aue.* Quare in Salutatione Angelica dicimus: Aue?

Resp. Quia Salutatio est, per quam nos amicos, notosque monstramus, dum Matrem Dei, auxilium eius implorantes, adimus. Vtimur vero verbis Angeli, quia scimus maximum illi gaudium adferre, quod sæpè hanc laudem suam inaudiat, & renouetur gaudium, quod vbi ab Angelo verba illa excepit, persensit. Gaudet etiã ideo, quia beneficij Diuini nos memores videt, & erga benefactorem gratos. *Adamus Brouuerus in Salutationem Angelicam.*

Salutantes B. Virginem renouamus illi gaudiũ, quod vbi ab Angelo verba illa excepit, persensit.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 1. vers. 28. *Aue.* An Aue ad gaudium referatur?

Resp. Veni Angele, & in graui Arcanoque mysterio obsequium tuum exhibe, in hoc miraculo mihi ministra. Equidem misereor Adæ, qui in peccatum lapsus misere, perijt, & Paradiso exclusus est exul, & errabundus in fauces lupi incurrit. Decreui igitur descendere, vt illum quæram, & inimicum eius comprehendam. Hoc Arcanum nulli cœlestium virtutum pando, nisi tibi; itaque vade ad Virginem Mariam, & annuntia ei secretum, vt mihi in tertis præparet habitaculum; noli autem illi terrorem inferre, sed prima Salutationis verba sint, quę gaudium sonent Aue gratia plena. *D. Petrus Chrisologus.*

Salutationis verba gaudiũ sonant.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 1. vers. 28. *Aue.* An in Salutatione Angelica idem sit, Aue, quod Salue?

Angelus salutans B. Virginem, annuntiauit salutẽ per eam futuram.

Resp. Potest Græcum, Latine verti, *Saluе*; Non quod Angelus precatus sit ei salutem, quam sciebat Matrem Saluatoris futuram, sed quod salutem per eam annuntiaret futuram. Ac si dixisset: *Salue*, ex te est salus mundi futura. Tu vitam, & salutem perditis restitues. Tu salutis Auctorem generabis. *Salue*, id est, in te est omnis salus, & vita. Ita vt aduerbium *Salue*, sit cõgratulationis. Gratulor tibi salutem, quę est in te, & ex te procedit; & sane frequentissimè etiam Ecclesia Catholica occinit Deiparam salutans: *Salue sancta parens, enixa puerpera Regem.* Non quod precetur salutem ei, quam credit æterna salute, & fœlicitate gaudere, & eam nunquam amissuram, nec posse amittere, sed quod in memoriam credentium reuocet Salutationem, qua Angelus est vsus. *Adamus Brouuerus vbi supra.*

Ecclesia in memoriam credentium reuocat Salutationẽ, qua Angelus est vsus.

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 1. vers. 28. *Aue.* An in vocula Aue delitescat Mysterium, quod non ita exprimitur per Salue?

In versis litteris Eua migrat in Aue.

Resp. Est pium credere Diuino afflatu interpretem Latinum transtulisse Græcum; non in *Salue*, vel *gaude*, sed in *Aue*, vt indicaretur Sanctissimam Virginem Mariam primæ parentis nomen, quod est Eua, ac proinde, quas in mundum inuexit calamitates, in perpetuam fœlicitatem transmutasse. Dum enim inuersis litteris Eua migrat in Aue, illi primæ fœminæ opponitur Maria, quod illa principium fuerit mortis, ac miseriæ, hæc salutis, & gaudij. De quo scribit *Fulgentius serm. de laudib. Virg.* cum dixit Angelus: *Aue* ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenæ benedictionis gratiam substitutam. *Adamus Brouuerus vbi supra.*

Eua principiũ fuit mœstitiæ, & miseriæ.

B. Virgo salutis, & gaudij.

Angelus salutans B. Virginem ostendit iram exclusam primæ sententiæ.

2. Resp. Contra vocem prius editam mulieri, dirigitur nunc sermo ad Virginem, in illa doloribus partus est causa peccati punita, in hac per gaudium mœstitia pellitur. Vnde iucunditatem non absurde prænuntiat Angelus Virgini dicens: Aue. *Græcus.*

Angelus iucunditatem prænuntiat B. Virgini.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 1. vers. 28. *Aue*, An, & quommodo per gratulatorium *Aue* multiplex væ à Virgine amoueatur?

Per peccatũ incurrit homo multiplex væ quãtum ad corpus.

Resp. Aue, quia sine væ corporis, & animæ; per peccatum enim incurrit omnis homo triplex væ, quan-

quantum ad corpus. Primum væ eſt corporis diſtemperatio, naturalium appetituum in ordinatio. Secundum eſt ipſius corporis, & animæ ad inuicem repugnatio, ſcilicet, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Tertium eſt ipſius corporis poſt mortem ineneratio, ſine iſto triplici væ fuit Beatiſſima Virgo in corpore. Quæ, & corpus habuit caſtum, & per omnia cum ſpiritu pacificatum, & nunquam per mortem in cineres reſoluendum. Ex parte animæ habuit triplex væ omnis homo, errorem in rationabili, dolorem in concupiſcibili, pudorem in iraſcibili. Ab iſto triplici væ immunis fuit Beatiſſima Virgo, quę nec in diſcretione, nec in electione, nec in executione vnquam errauit, quia ſine conſilio Spiritus Sancti ipſa nil fecit, & ſic fuit ſine væ erroris. Dolorem etiam ſuę rationi dominantem nunquam habuit, quia ratio ſemper ſuperior, & dominans, & imperans in ipſa fuit. Vnde quidquid doloris ſuſtinuit, in materiam amoris, & gaudij totum ceſſit, & ſic in ea dolor gaudio rationis, tanquam contrarius fuit ſine væ doloris. Item nunquam turpitudinis aliquid fecit, vel habuit, vel ſuſtinuit, & ſic ab omni væ pudoris immunis fuit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Caro B. Virginis cum ſpiritu pacificata.

Corpus Virginis in cineres non reſoluetur.

B. Virgo nihil ſine conſilio Spiritus Sancti fecit.

Ratio ſemper dominãs in ea fuit.

Quidquid doloris ſuſtinuit in materiam gaudij ceſſit.

2. Reſp. Triplex væ eſt in mulieribus ſpecialiter, væ ſterilitatis in virginibus, væ ſubiectionis in coniugatis, væ deſolationis in viduis. Ab iſto triplici væ etiam immunis fuit Beata Virgo; fuit enim Virgo ſine ſterilitate, coniugata ſine ſubiectione, vidua ſine deſolatione. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Maria fuit Virgo ſine ſterilitate, cõiugata ſine ſubiectione, vidua ſine deſolatione.

3. Reſp. In matribus eſt triplex væ; omnis enim mater in conceptu perdit virginitatem, poſt conceptionem, corporis venuſtatem, & ſanitatem. In partu hominum ſocietatem, ab iſto triplici væ, etiã immunis fuit Beatiſſima Virgo, in conceptu non amiſit virginitatem, immo acquiſiuit puritatem, poſt conceptum non perdidit pulchritudinem. Immo tanta pulchritudine radiauit, quod eam Ioſeph inſpicere non potuit. Item poſt partum huiuſmodi non perdidit hominum ſocietatem. Immo tunc mediatrix Dei, & hominum conſtituitur, vnde & in puerperio, à Paſtoribus, & à Regibus viſitatur. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo in conceptu nõ amiſit virginitatem, imo acquiſiuit puritatem.

B. Virgo poſt conceptum non perdidit pulchritudinem.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Cur Angelus nomen Virginis tacuit?

Reſp. Quia Angelus, vel Beatus loquitur cum alio Angelo, vel Beato; non ipſum nomine appellando, ſed conceptum ſuum audienti manifeſtando, & ad eum dirigendo, vt eſt communior ſententia Theologorum, vt ergo Angelus cum Sanctiſſima Maria haberet teſtimonem Beatorum, ac patriæ more non eam proprio nomine vocat, ſed tantum legationem ſuam, & conceptum illi exponit, ac manifeſtat, tam pure, ac ſancte viuebat Beatiſſima Virgo in terra, veluti Beatus in cœlo. *Pater Siluetra hic.*

Poſt partum non perdidit hominum ſocietatem, vnde viſitata à Paſtoribus, & Regibus.

B. Virgo tam ſancte viuebat in terra, veluti Beati in cœlo.

2. Reſp. Fortaſſe ob reuerentiam ipſius Nominis Mariæ, quod noluit Angelus proferre, niſi magna ex cauſa ad eius timorem depellendum. *Ibidem.*

Nomen Virginis non eſt proferendũ, niſi ex magna cauſa.

3. Reſp. Sicut perſonas in magna dignitate conſtitutas, non proprio dicimus nomine, ſed per titulos per antonomaſiam intelligimus: ſic Angelus Mariam, non nominauit, quam per gratia plenam intelligebat, quod nulli alteri poterat conuenire. *Ibidem.*

B. Mariam per gratia plenam intelligimus.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Quare generali conſuetudine apponitur hoc nomen Maria in Salutatione Angeli?

Reſp. Dicendum, vt eam per hoc nomen inclinet ad noſtram neceſſitatem; ipſa enim gratia plena per influentiam Diuinæ bonitatis, data eſt nobis Stella maris Maria, vt eius gratiæ plenitudo ſuppleat in nobis defectum culpæ, & ipſa Stella in Firmamento gloriæ fixa, nos naufragos de ſtatu miſeriæ traducat ad portum ſalutis æternæ, hac de cauſa apponit Eccleſia in Salutatione iſta. Hoc

Nomen Virginis inclinat eam ad noſtram neceſſitatem.

ſo-

Eius gratiæ plenitudo ſupplet in nobis defectum culpæ.

fœlix nomen Maria. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Salutationis Angelicæ miſa vtilitas.

2. Reſp. Auſcultet ſancti tui nominis amator, o Maria, cœlum gaudet omnis terra ſtupet, cum dico: *Aue Maria*, Sathan fugit, infernus contremiſcit, cum dico: *Aue Maria*, mundus vileſcit, cor in amore liqueſcit, cum dico: *Aue Maria*, terror euaneſcit, caro marceſcit, cum dico: *Aue Maria*, creſcit deuotio, oritur compunctio, cum dico: *Aue Maria*, ſpes profuit, augetur conſolatio, cum dico: *Aue Maria*, recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cum dico: *Aue Maria*, ſiquidem tanta eſt ſuauitas huius benedictæ ſalutationis, vt humanis non poſsit explicari verbis, ſed ſemper altior manet, & profundior, quam omnis creatura indigare ſufficiat. Hæc oratio parua verbis, alta myſterijs, breuis ſermone, alta virtute, ſuper mel dulcis, ſuper aurum pretioſa, ore cordis eſt iugiter ruminanda, labijſque puris frequentiſsimè legenda, ac deuote repetenda: nam verbis pauciſsimis contexitur, & in latiſsimum torrentem cœleſtis ſuauitatis diffunditur. *Beatus Alanus de Rupe, Ordinis Prædicatorum, lib. de Pſalterio Virginis, cap.* 70. Qua ratione male affectum eſſe ad Salutationem Angelicam, ſeu eius recitationem negligere, ſignum eſt hominis reprobi. Vnde *Beatus Alanus lib. de Pſalterio Virginis, cap.* 11. ait: Scias enim & ſecure intelligas, & inde late omnibus patefacias, quod videlicet ſignum probabile eſt, & propinquum æternæ damnationis, horrere, & attediari, ac negligere Salutationem Angelicam totius mundi reparatiuam. *Hæc B. Pater.* Et *cap.* 69. narrat de quadam Moniali Beatæ Virgini deuotiſsima, quod poſt obitum ſuum cuidam ſorori ſuæ apparuit, & de vtilitate Salutationis Angelicæ cum ea diſſerens hæc valde obſeruanda ei dixit: Si poſſem, inquit, redire ad corpus, & vnum dumtaxat: *Aue Maria*, orare, etſi ſine magna deuotione, ego propter

Signum hominis reprobi Salutationem Angelicam negligere.

Meritum Salutationis Angelicæ.

meritum illius vellem tantum rurſus ſuſtinere Cruciatum, quantum ante mortem perpeſſa ſum.

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Quare, & quomodo dicitur gratia plena?

Reſpondeo dicendum, quod quanto aliquid magis appropinquat principio inquolibet genere tanto magis participat effectum illius principij. Vnde *Dioniſ. dicit* 4. *cap. cæleſt. Hierarch.* Quod Angeli qui ſunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Diuinis, quam homines. Chriſtus autem eſt principium gratiæ ſecundum Diuinitatem quidem authoritatiue, ſecundum Humanitatem vero inſtrumentaliter. Vnde & *Ioannes* 1. dicitur: *Gratia, & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Beata autem Virgo Maria propinquiſsima Chriſto fuit ſecundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; & ideo præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere. *D. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 5.*

B. Virgo prò propinquiſsima Chriſto ſecundum Humanitatem.

B. Virgo præ cæteris debuit obtinere à Chriſto maiorem gratiæ plenitudinem.

2. Reſp. Bene *gratia plena*, quia cæteris per partes præſtatur. Mariæ vero ſimul ſe totam infudit gratiæ plenitudo. Vere *gratia plena*, per quam largo Spiritus Sancti imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura. *Diuus Hieronymus.*

Gratia cæteris per partes data eſt, at B. Virgini gratiæ plenitudo.

3. Reſp. Si gratia plena, nihil eius omnino erat vacuum gratia, nihil ergo eius peccato vacabat, cuius totum gratia implebat. Igitur glorioſus ſexus, glorioſus venter, glorioſa viſcera, glorioſum totum, quod totum gratia plenum. *Odonius, Epiſcopus Camarenſum, in opuſculo.*

Nihil Virginis peccato vacabat.

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Cur Virgo Maria dicitur plena gratia cum ſolum hoc competat Chriſto in quantum eſt vnigenitus à Patre?

Gratia datur vnicuique ſecundum hoc ad quod eligitur.

R. Dicendum quod vnicuique à Deo datur gratia ſecundum hoc ad quod eligitur, & quia Chriſtus in quantum eſt homo ad hoc

Propriũ Chriſto, quod haberet talem.

fuit prædeſtinatus, & electus, vt eſſet Filius Dei in virtute ſanctificandi, hoc fuit ſibi proprium, vt haberet talem plenitudinem gratiæ, quod redundaret in omnes, ſecundum quod dicitur *Ioann.* 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt eſſet propinquiſsima auctori gratiæ, ita quod eum qui eſt plenus omni gratia in ſe reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes deriuaret. *D. Thomas quæſt.* 27. *art.* 5. *ad* 1.

Plenitudinẽ gratiæ, quod redundaret in omnes.

B. Virgo tantam gratiæ plenitudinẽ obtinuit, vt eſſet propinquiſsima Auctori gratiæ.

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Quommodo plenitudo gratiæ fuit in Chriſto, in Beata Virgine, & in S. Stephano?

Reſp. Gratia plena magis quam Stephanus, de quo dicitur *Act.* 6. *verſ.* 8. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine*, & minus quam Chriſtus, de quo dicitur *Ioann.* 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Stat igitur in medio Virgo Maria. Vnde dicit *Eccleſiaſt.* 24. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Hoc cum Chriſto communicat, *in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Hoc cum Stephano. Stephanus fuit plenus plenitudine capta; Chriſtus plenitudine cumulata. Maria medium eligens fuit plena plenitudine æqua, prima ſufficit, ſecunda effluit. Vnde *Ioann.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Tertia perfecta eſt. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo dicitur gratia plena magis, quam Stephanus, & minus quam Chriſtus, ſtat ergo in medio B. Virgo.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Cum de D. Eſtephano dicatur *Act.* 6. *verſ.* 8. *Plenus gratia, & fortitudine.* Cur de Beata Virgine non dixit Angelus, plena gratia, & virtutibus?

Stephanus quommodo plenus gratia

Reſpondeo, quod virtutes in quibus Stephanus reſplendebat, verbis poterant explicari, in quibus vero Sanctiſsima Virgo, ob earum magnitudinem ſilentio tantum venerari. *Pater Silueira hic, quæſt.* 25.

Virtutes B. Virginis ob earum magnitudinem ſilentio venerantur.

2. Reſp. Angelus dixit: *Gratia plena*, & addidit, *Benedicta tu in mulieribus*, in quo ſignificauit iam eſſe in Matrem Dei electam, vt tradunt communiter Patres, & vbi eam Angelus in Matrem Dei præ electam protulit, nihil amplius dicendum iudicauit, ibi omnia magnalia tanquam in compendio recapitulantur. *Ibidẽ.*

Omnia magnalia B. Virginis recapitulatur in hoc, quod in Dei Matrem electa eſt.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* An ad prædicta verba referantur virtutes Beatæ Virginis?

Reſp. Ipſa omnium virtutum opera exercuit, alij autem Sancti ſpecialia quædam, quia alius fuit humilis, alius caſtus, alius miſericors, & ideo ipſi dantur in exemplum ſpecialium virtutum. Sicut Beatus Nicolaus in exemplum miſericordiæ. Sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperis exemplum humilitatis. *Lucæ* 1. *Ecce Ancilla*, & poſt, *reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Caſtitatis, *quoniam virum non cognoſco*, & omnium virtutum, vt latis patet, ſic ergo plena eſt gratia Beata Virgo. *D. Thomas opuſcul.* 4. *ſuper Salutationem Angelicam.*

Alij Sancti dãtur in exẽplum ſpecialium virtutũ, B. Virgo in exemplũ omnium.

2. Reſp. Iſta plenitudo gratiæ refertur ad quatuor virtutes, quibus nihil melius eſt mortalibus in hac vita, vt dicitur *Sapientiæ* 8. quæ ſunt temperantia, prudentia, iuſtitia, fortitudo, quas ſicut, ait, quidam Sanctus, ſingulas inuenimus tripliciter in Maria. Ex temperantia habuit carnis pudicitiam, ſermonis modeſtiam cordis, & corporis munditiam. Ex prudentia ſiluit turbata, intellexit audita, reſpondit ſapienter ad propoſita. Ex iuſtitia reddidit omnibus quod debebat, duris corde geſsit morem in ſua deſponſatione, in Filij Circunciſione, in legali purificatione. Afflictis exhibuit compaſsionem. *Ioann.* 2. *Filij vinum non habuit.* Sanctis reddidit communionem, quia erat cum mulieribus, & Diſcipulis in oratione perſeueras. *Act.* 1. ex fortitudine propoſitum virginitatis aſſumpſit, aſſumptã tenuit, rei tam immenſę fidem exhibuit: *Fiat*, inquit, *mihi ſecundum verbum tuum.* *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ex temperantia habuit carnis pudicitiam ſermonis modeſtiam, cordis, & corporis munditiã.

Ex prudentia ſiluit turbata, intellexit audita, reſpondit ſapienter.

Ex iuſtitia reddidit omnibus, quod debebat.

Ex fortitudine propoſitũ virginitatis aſſumpſit, aſſumptam tenuit.

3. Reſp. In hoc quod dicitur gra-

gratia plena notatur ſpecialiter Mariæ virginitas, charitas, & humilitas. Gratia enim balſamum, & ideò purum, & ſolidum, & profundum vas requirit, & quid purius Mariæ virginitate? Fuit enim Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum. Quid ſolidius Mariæ charitate? Dilexit enim continue, & perſeueranter toto corde, tota anima, tota virtute. Quid profundius Mariæ humilitate? Habuit enim illos quatuor gradus, qui tanguntur in verſibus Beati Malachiæ: *Spernere mundum, ſpernere nullum. Spernere ſe ſe. Spernere ſe ſperni.* Quatuor hæc bona ſunt. Primum, pertinet ad Beati pauperes ſpiritu. Secundum, ad Beati mites. Tertium, ad Beati qui lugent, qui enim nihil niſi lugenda conſiderat in ſe, de facili ſpernit ſe. Quartum, pertinet ad Beati, qui eſuriunt, & iuſtitiam, qui enim vere ſitit, & amat iuſtitiam, haberi contemptui ſuſtinet patienter. Propter hæc tria dicitur *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea*, interius per humilitatem, exterius per virginitatem, *& macula non eſt in te*, propter perfectam charitatem. Si vis ergo ad Virginem ingredi, & eam ſalutare oportet te eſſe Angelum; Angelum autem te faciunt potiſſimè, puritas, charitas, humilitas, puritas in carnis munditia, vnde *D. Hieronymus*, in carne præter carnem viuere Angelicum eſt, non humanum. Charitas in communione vitæ probatur, quia ſupernæ Ciuitatis participatio eſt eius in id ipſum. Humilitas Angelica probatur in obedientia, & miniſterio, & in tribus clauſtralis Religio formam Angelicam repreſentat, quia per hæc tria de mundo exitur. Puritas abiicit concupiſcentiam carnis, charitas concupiſcentiam oculorum, humilitas ſuperbiam vitæ, & qui hæc abiecit iam ingreſſus eſt ad Virginem in cellam vinariam, ſecure poteſt dicere: *Aue gratia plena. Hugo Cardinalis.*

Virgo ante partum, in partu, poſt partum.

B. Virgo dilexit perſeueranter.

B. Virgo habuit quatuor gradus humilitatis.

Oportet eſſe Angelum eũ qui vult B. Virginem ſalutare.

B. Virgo accepit excellenter donum ſapientiæ.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Aue gratia plena.* Cum quarundam gratiarum vſum non habuerit, non enim legitur, aut docuiſſe, quod eſt actus ſapientiæ, aut miracula feciſſe, quod eſt actus gratiæ gratis datæ, quomodo intelligitur habuiſſe plenitudinem gratiarum?

Reſp. Dicendum quod non eſt dubitandum, quin Beata Virgo acceperit excellenter donum ſapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetiæ, non tamen acceperit, vt haberet omnes vſus harum, & ſimilium gratiarum, ſicut habuit Chriſtus, ſed ſecundum quod conueniebat conditioni ipſius. Sapientiæ enim vſum habuit in contemplando, ſecundum illud *Lucæ 2. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, non autem habuit vſum ſapientiæ, quantum ad docendum, quia hoc non conueniebat ſexui muliebri, ſecundum illud 1. *ad Timoth. 2. Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem vſus ſibi non competebat dum viueret, quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Chriſti miraculis, & ideò ſoli Chriſto, & eius Diſcipulis, qui erant baiuli doctrinæ Chriſti, conueniebat miracula facere. Propter quod etiam de Ioanne Baptiſta dicitur *Ioann. 10. Quod ſignum fecit nullum*; vt ſcilicet, omnes Chriſto intenderet. Vſum autem prophetiæ habuit, vt patet in Cantico, quod fecit: *Magnificat anima mea Dominum. D. Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 5. ad 3.*

B. Virgo habuit vſum ſapientiæ in contemplando, nõtamen quantum ad docendum.

Miraculorũ vſus B. Virgini non competebat dum viueret.

B. Virgo habuit vſum prophetiæ.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Dominus Tecum.* Cur Angelus dixit Dominus Tecum?

Reſp. Excellit Angelos in familiaritate Diuina, & ideo hoc deſignans Angelus: *Dixit Dominus Tecum*, quaſi dicat: Ideo exhibeo tibi reuerentiam, quia tu familiarior eſt Deo, quam ego, nam Dominus eſt Tecum. Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio, quod nullus Angelus nec aliqua creatura habuit. *Luc. 1. Quod enim naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei*, Deus Filius in vtero *Iſai. 12. Exulta, & lauda habitatio*

B. Virgo excellit Angelos in familiaritate Diuina.

Deus aliter fuit cum B. Virgine, aliter cum Angelis, cum ea, vt Filius, cum Angelo, vt Dominus.

Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Aſſiter eſt ergo Dominus cum Beata Virgine, quam cum Angelo, quia cum ea, vt Filius, cum Angelo vt Dominus. Dominus Spiritus Sanctus, ſicut in Templo. Vnde dicitur: *Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti*, quia concepit ex Spiritu Sancto. *Lucæ 1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Sic ergo familiarior eſt cum Deo Beata Virgo, quam Angelus, quia cum ipſa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; ſcilicet, tota Trinitas. Vnde cantatur de ea: *Totius Trinitatis nobile triclinium.* Hoc autem verbum *Dominus Tecum*, eſt nobilius verbum, quod ſibi dici poſsit, merito ergo Angelus reuereretur Beatam Virginem, quia Mater Domini. *D. Thomas opuſcul. 4. ſuper Salutationem Angelicam.*

Hoc verbum Dominus Tecum, eſt nobilius verbum, quod B. Virgini dici poteſt.

2. Reſp. Dominus Tecum magis quam mecum, ipſe enim in tuo eſt corde, in tuo ſit vtero, adimplet mentem, adimplet ventrem. *D. Auguſtinus in ſerm. de Natiuitate.*

Dominus impleuit mentem, & ventrem B. Virginis.

3. Reſp. Potentia Filij Mater non poteſt eſſe ſeiuncta, vna eſt Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei, *Dominus Tecum*, inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum, & donum. *Arnaldus Carnotenſis de laudibus Virginis.*

Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro.

4. Reſp. O immenſam humanitatem! o benignitatem incredibilem, non fuit ſatis gaudium indicaſſe, niſi ipſum gaudij Authorem ineſſe Virgini ſignificaret! *Andræas Cretenſis orat. de Annuntiatione Virg.*

Angelus gaudium indicauit B. Virgini, & gaudij Authorem in eſſe ſignificauit.

5. Reſp. Dominus Tecum, Tecum in mente Tecum, in ventre, Tecum in thalamo, Tecum in præſidio. Cæterum hoc non habes abſte, ſed ab illo, qui fecit te, vt naſceretur ex te, paſceretur ex te, repleuit enim te, vt fieret ex te. *Laurentius Iuſtinianus, ſerm. de Annuntiat. col. 2.*

B. Virgo à Deo repleta gratia, vt naſceretur ex ea

6. Reſp. *Dominus Tecum.* Pater Tecum, qui ſuum Filium facit, & tecum, Filius Tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & tibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſeruat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus Tecum, qui cum Patre, & Filio tuum ſanctificat vterum. Dominus ergo Tecum, Dominus certe, cuius Filia es, qua nulla nobilior, Dominus cuius Mater es, qua nulla mirabilior, Dominus cuius Sponſa es, quia nulla amabilior, Dominus cuius Ancilla es, qua nulla humilior nunquam fuit, nec eſt, nec erit in æternum. *D. Bernardus homil. 3. ſupermiſſus eſt.*

Pater Filius, Spiritus Sanctus cum B. Virgine, & quo modo?

Vltimo Reſp. *Dominus Tecum*, ſcilicet, in vtero, Tecum in exilio, Tecum in ſolio, Tecum, vt frater cum ſorore, vt Filius cum Matre, vt Sponſus cum Sponſa. Item Tecum per eſſentiam. Tecum per potentiam. Tecum per præſentiam. Tecum per inhabitantem gratiam. Tecum per corporalem præſentiam. Item Tecum in propria humiliatione, quando ipſum in Templo obtuliſti. Item Tecum in ſua perſecutione, quando Crucem ſuſtinuit, quando ſtabas iuxta Crucem. Tecum in ſumma conſolatione, quando reſurrexit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dominus fuit cum Beata Virgine, quando Filiū in Templo obtulit, quando Filius Crucē ſuſtinuit, quando reſurrexit.

Si autem quæras quale gaudium haurit Beata Virgo auditis his verbis *Dominus Tecum*?

Reſp. Quod Beata Virgo quoties Salutationem Angelicam recitantem audit, toties ſingulari dulcedine perfruitur, ac nouum gaudium accidentale ſuſcipit, vt ipſa teſtata eſt. Nam vt Author eſt *Guillelmus Pipinus, Ordinis Prædicatorum, in Roſario aureo B. Virg. ſerm. 47.* Cum quadam nocte fœmina quædam conſoror Sacri Mariani Roſarij cōfraternitatis lecto ſuo quieſceret, apparuit ei B. Virgo dicens: Ne timeas, Filia, piam Matrem, cui deuotam reddis per ſingulos dies ſeruitia, ſed moneo, vt perſeueres, & ſcias me tale gaudium ex Angelica tua Salutatione percipere, quale nullus homo explicare valet. Nam cum dicis: *Dominus Tecum*, repreſentatur mihi, quod in me ſimiliter ſit Filius meus, ſicut pro peccatoribus ex

B. Virgo magnum gaudiū ſuſcipit, cum audit hæc verba: Dominus Tecum.

me

me naſci voluit, & ſicut tunc mihi ineffabile gaudium fuit, ita & nunc quoties eadem verba repetis.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Dominus Tecum.* Cum Dominus Deus ſit in omnibus per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, & in ſanctis per gratiam, nihil videtur ad maiorem dignitatem ſemper Virginis attinere ſupra alios, quando dixit: *Dominus Tecum?*

Deus ſingulariſſimo modo fuit cum B. Virgine; ſcilicet, per Incarnationem.

Reſp. Imprecatorie dicitur ſalutantis more Dominus ſit Tecum, intendens tamen ſingulariſſimo modo, hoc eſt, per Incarnationem in vtero tuo, ſed modum explicandum poſtea reſeruauit. *Caietanus.* Dominus necdum fuit in ſemper Virgine modis ſupradictis; ſcilicet, per carnis Aſſumptionem, quia corpus Deitati vnitum fuit formatum de Beatæ ſemper Virginis puriſsimo ſanguine, & intra ſemper Virginis viſcera latuit nouem menſibus. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. Quatuor Temp. Aduent. ex Liuano.*

Chriſtus ſubditus voluntati B. Virginis.

2. Reſp. De alijs Sanctis dicitur, quod ſunt cum Domino. *Geneſis 5. Ambulauit Enoch cum Deo,* quia obediuit eius voluntati, ſed Dominus dicitur eſſe cum Maria, quia eius fuit ſubditus voluntati. Vnde *Lucæ 2. Et erat ſubditus illis B. Bernard.* Quis? Quibus? Deus hominibus. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Dominus Tecum.* Cur non dixit Dominus fuit, aut eſt Tecum?

Beata Virgo gratioſa fuit apud Deum antequam Deus ad eam mitteret Angelum.

Reſp. Nota differentiam dum gratioſam aſſeruit factam, *Dominus*, autem, *Tecum*, non dixit, fuit, aut eſt, quia ſecundum rei veritatem, iam erat effecta gratioſa, apud oculos Diuinæ Maieſtatis, vſque adeo vt mitteret ad eam Angelum annuntiantem Incarnationem Filij Dei ex eainiſi enim apud Deum fuiſſet tam gratioſa, non miſiſſet Deus Angelum ad hoc, non elegiſſet eam tunc in Matrem. Sed Dominus adhuc non erat illo ſingulariſsimo modo cum Beata Virgine. *Caietanus.*

Singulariſsimo modo fuit Deus cū B. Virgine.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Dominus Tecum.* Cur Angelus non dixit Dominus Deus venit, ſed Dominus Tecum?

Reſp. Premiſsit Dominus Gabrielem, ſed peruenit ad Virginem. Vnde Sponſa *Cant. 2. Ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles.* Quod attendens Gabriel non dixit: Dominus meus venit, præpara ei hoſpitium, ſicut alij nuntij ſolent dicere, ſed hoſpitium præparatum inueniens, & Dominum præueniſſe cum dixit: Dominus Tecum in mente, Tecum in ventre, Tecum vbique. *Hugo Cardinalis.*

Deus erat cū B. Virgine quando Angelus annuntiabat.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 1. v. 28. *Dominus Tecum:* Cur Angelus hęc duo dixit: *Gratia plena, Dominus Tecum?*

B. Virgo gratia plena, propter humilitatem.

Reſp. Ecce duo quæ dicit Angelus de Maria gratia plena; & Dominus Tecum. Primum meruit humilitas Mariæ. Humilitas enim, quaſi vas vacuum eſt, & ideo impleri meruit, maximè cum eſſet mundum, quia virginitas ſocia fuit humilitatis. Sic Eliſeus impleri fecit vaſa vacua, 4. *Reg. 4.* Solitudo meruit ſe cum habere Dominum, quia væ ſoli. *Eccleſiaſtes 4.* Sic igitur gratia plena, propter humilitatem Dominus Tecum, propter ſolitudinem. *Hugo Cardinalis.*

Solitudo B. Virginis meruit ſecū habere Dominum.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Dominus Tecum.* An ante aduentum Angeli Dominus fuerit cum Beata Virgine?

Dominus fuit cum B. Virgine ante aduentū Angeli.

Reſp. Putabam, ait, Angelus, mittentis Imperio, prænuntium me venire, ſed Imperator, nuntium, mihi viſus eſt præuenire forte, quia prior ſolam Virginem voluit inuenire, ne videret ſine ipſo ipſam rudem, & timidam conuenire, *Philippus Abbas in Cant. cap. 1.* Denique Dominus tranſiliit Gabrielem, & peruenit ad Virginem eodem Angelo teſtante, cum ait: *Aue gratia plena, Dominus Tecum.* Quid? Quem modo reliquiſti in cœlo, nunc in vtero reperis? Quonam modo? Volauit, & peruolauit ſuper pennas ventorum. Victus es ò Archangele, tranſiliit te, qui præmiſit te.

D.

D. Bernard. ſerm. 54. in Cant.

Deus ab initio conceptionis B. Virginis fuit enim ea aſsiſtendo illi, gubernãdo illam, & defendendo.

2. Reſp. Per verba illa: *Dominus Tecum*, ſignificatur, Dominum Deum ab initio conceptionis Virginis aſsiſtendo illi, gubernando illam inſtruendo, & defendendo perpetuo cum ea fuiſſe. Vnde notum eſt, quod nunquam peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiſerit, quare Deus non ſolum ornauit Sanctiſsimam Virginem omnibus gratijs, ſed etiam cum ea, tanquam cuſtos theſauri magni degere voluit. *Adamus Bronuerus in Salut. Angel.*

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Benedicta tu in mulieribus.* Cur dicitur: *Benedicta in mulieribus?*

B. Virgo nec peccatũ mortale, nec veniale incurrit,

Reſp. Excedit Angelos quantum ad puritatem, quia Beata Virgo non ſolum erat pura in ſe, ſed etiam procurauit puritatem alijs, ipſa enim puriſsima fuit, & quantum ad culpam, quia ipſa Virgo, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit, item quantum ad pœnam. Tres enim maledictiones datæ ſunt hominibus, propter peccatum. Prima data eſt mulieri; ſcilicet, quod cum corruptione conciperet, cum grauamine portaret, & in dolore pareret, ſed ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia ſine corruptione concepit, in ſolatio portauit, & in gaudio peperit Saluatorem. *Iſai. 35. Germinans germinabit exultabunda, & laudans.* Secunda data eſt homini; ſcilicet, quod in ſudore vultus veſceretur pane ſuo. Ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia vt dicit Apoſtolus 1. *Corinth. 7. Virgines ſolutæ ſunt à cura huius mundi ſoli Deo vacant.* Tertia fuit communis viris, & mulieribus; ſcilicet, vt in puluerem reuerterentur, & ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore Aſſumpta eſt in cœlum, credimus enim, quod poſt mortem, reſuſcitata fuerit, & portata in cœlum. *Pſalm. 131. Surge Domine in requiem tuam, Tu, & Arca ſanctificationis eius.* Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, & ideo benedicta in mulieribus,

Mulieri data maledictio propter peccatum, quod cum corruptione conciperet, cum grauamine portaret, in dolore pareret.

B. Virgo ſine corruptione concepit, in ſolatio portauit, & in gaudio peperit.

B. Virgo cum corpore aſſumpta in cœlum.

B. Virgo immunis ab omni maledictione.

quia ipſa ſola maledictionem ſuſtulit, & benedictionem portauit, & ianuam Paradiſi aperuit. *D. Thomas opuſcul. 4. in Aue Maria.*

Maledictionem ſuſtulit,

Benedictionem portauit, cœlum aperuit,

2. Reſp. *In mulieribus*, id eſt, ſupra mulieres, quia omnes aliæ maledictæ fuerunt in Matre ſua Eua. *Geneſ. 3.* Tu ſola in mulieribus benedicta, *Iudic 5. Benedicta inter mulieres Iahel*, id eſt, ſuper mulieres, quia opera meliora fuerunt in te quam alijs. Virgo peperiſti, Patrem tuum genuiſti, portantem te portaſti, nutrientem lactaſti, vacua, & plena, humilis, & ſublimis, pauper, & diues in vnum fuiſti, quod ante in nulla muliere potuit inueniri, *Prouerb. Vltim. Multæ Filiæ congregauerunt diuitias. Hugo Cardinalis.*

Mulieres maledictæ in Eua, B. Virgo ſola in mulieribus benedicta.

B. Virgo benedicta inter mulieres, quia Virgo, & fœcunda.

3. Reſp. *In mulieribus*, id eſt, inter mulieres, ſicut dicit Eliſabeth, vt inter, dicat medium participatione. Quædam enim mulieres ſunt benedictæ, & virgines, ſed infœcundæ, quædam benedictæ, & fœcundæ, ſed non virgines, ſola Maria benedicta Virgo, & fœcunda, & ideo inter mulieres benedicta. *Eccleſ. 10. Inter benedictos benedicetur, Lucæ 14. Maria optimam partem elegit*, id eſt, virginitatem, & fœcunditatem, quæ nunquam pacem habuerunt, nunc in Virgine concordauerunt. *Hugo Cardinalis. Vide Beatum Albertum Magnum in Biblia Mariana.*

Mulieres benedictæ in B. Virgine, ſicut Matres in Filio.

4. Reſp. *Benedicta tu in mulieribus*; vna ſcilicet, præcunctis mulieribus, vel etiam benedicantur in te mulieres, ſicut Matres in Filio, ſed magis vterque in vtriſque. Velut enim per vnam fœminam, & vnum marem peccatum ſimul ac triſtitia intrauit, ſic & nunc per vnam, & vnum benedictio reuocata eſt, & lætitia, & ad ſingulos eſt perfuſa. *Græcus.*

Per B. Virginem, & Chriſtum benedictio reuocata eſt.

5. Reſp. Et hoc quoque imprecatorie dictum eſt benedicta ſis tu inter mulieres; & ſignificat, quod laudata erit ſupra omnes mulieres. Quod implendum eſſe ex conceptione Filij Dei, ipſamet Beata Virgo poſtea explicauit, dicens: *Ecce enim ex hoc Beatam medicent omnes generationes. Caietanus.*

B. Virgo laudata ſupra omnes mulieres,

6. Reſp.

B. Virgo propter partum benedicta.

6. Reſp. Propter partum enim benedicta es ante partum, propter partum benedicta es in partu, propter partum benedicta eſt poſt partum. Vere benedicta quæ ſic partum effudiſti, quod ante partum, & in partu, & poſt partum Virgo permanſiſti, & ideo præcipue benedicta dici meruiſti, quia non hominem purum, non Angelum verum, ſed hominem, & Angelorum Dominum peperiſti. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg. Lect* 14.

Benedicta præ omnibus hominibus, & mulieribus

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 28. *Benedicta tu in mulieribus.* Cur non dicitur Beata Virgo benedicta inter homines?

Reſp. Non propterea in mulieribus, id eſt, inter mulieres, non inter homines benedicta eſſe dicitur, quod non præ omnibus hominibus, ſed præſolis mulieribus benedicta ſit. Verumtamen, quod Sancta Maria ſit mulier, & non ſoleat comparatio, niſi inter ea, quæ eiuſdem generis ſunt fieri. *Adamus Brouuerus quæſt.* 27. *ſuper Salutationem Angelicam.*

Comparatio ſit inter ea, quæ eiuſdem generis ſunt.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 29. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Cur Beata Virgo dicitur turbata?

B. Virgo Salutationem Angeli verebatur.

Reſp. Trepidare virginum eſt, & ad omnes ingreſſus viri pauere, omnes viri affatus vereri. Diſce Virgo verborum vitare laſciuiam. Maria etiam Salutationem Angeli verebatur. *D. Ambroſius,* Hæc enim cum Virgo audiſſet, turbata eſt non perturbata; quod enim turbata eſt fuit pudicitiæ virginalis, quod non perturbata fortitudinis; vt dicit *D. Bernardus,* & turbata eſt non in Angeli viſione, quem ſæpè videre conſueuerat, ſed in noua Salutatione, ideo turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta Salutatio. *Petrus de Natalibus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcop. Equilinenſis, lib.* 3. *de Sanctis, cap.* 225. *vide Græcum.*

B. Virginis turbatio fuit pudicitiæ virginalis.

B. Virgo turbata non in Angeli viſione, ſed in noua Salutatione.

2. Reſp. Turbata autem deſcribitur in ſermone Angeli, aut quia complementum turbationis inchoatæ ex viſo Angelo fuit ſermo, aut quia non turbata eſt ex viſo Angelo, ſed ex ſermone eius. Primum tamen rationabilius apparet, quoniam Virginis eſt ad inſolitum viri ingreſſum non nihil mutari. *Caietanus.*

B. Virgo turbata ex ſermone Angeli.

Virginum eſt ad inſolitum viri ingreſſum non nihil mutari.

3. Reſp. Si eam Angelus ſalutaſſet modo conſueto nunquam turbata fuiſſet: & ideo turbata fuit turbatione admirationis. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, vbi ſupra ex D. Vincent. Ferrer.*

B. Virgo turbata turbatione admirationis.

4. Reſp. Turbata eſt in ſermone eius pro inſolita, & vſque tunc in audita ſalutatione. Audierat enim Angelos frequenter locutos mulieribus, & viris; audierat etiam benedictiones legis in *Deuteronom.* 28. ſed talem ſalutationem, talem benedictionem nuſquam audiuit, ideo turbata eſt. *Hugo Cardinalis.*

Turbata de inſolita, & inaudita Salutatione.

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 29. *Turbata eſt in ſermone eius.* An tunc fuerit locuta?

B. Virgo turbata in Salutatione Angeli, ſed non locuta.

Reſp. Turbata eſt, ſed non eſt locuta, vtpote Filia, & imitatrix Dauid, qui dicit *Pſalm.* 76. *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Et nota ordinem primo ſalutatur, & ſecundo audit, tertio turbatur, & tamen filet. Quod ſalutatur Diuinæ eſt dignationis. Quod audit, virtus eſt manſuetudinis, iuxta illud *Iacob* 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Quod turbatur virginei eſt pudoris, quæ non modica gratia eſt. *Eccleſ.* 26 *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata.* Quod autem tacuit ſapientiæ fuit, quia etiam *ſtultus ſi tacuerit ſapiens reputabitur. Prouerb.* 17. *Eccleſiaſt.* 32. *Audi tacens ſimul, & quærens.* Vnde & Beata Virgo poſtquam audiens tacuit, & tacens audiuit, quæſiuit, *quommodo fiet iſtud? Hugo Cardinalis.*

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 29. *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Quare Beata Virgo cogitabat qualis eſſet ſalutatio?

B. Virgo audiens lætum nuntium, ecſtatim parens ex leuitate, Euæ leuitatem cuitauit, ſimul & duritiam Zachariæ.

Reſp. Attende autem Virginis, & pudicam, & prudentem, & animam ſimul vocem, audita lætitia dictum examinauit, & neque manifeſte obſtitit per incredulitatem, nec ſtatim paret ex leuita-

tate, Euæ leuitatem euitans ſimul, & dutitiam Zachariæ. *Græcus.*

2. Reſp. Ratio inquietæ commotionis internæ aſſignatur prudentia Virginis cogitantis qualis (bonus, an malus) eſſet huiuſmodi ſermo. Suppetebat ſiquidem ratio cogitandi ad vtramque partem: nam verbum medium; ſcilicet, Dominus Tecum ſonabat bonum: extra autem verba communia erant, & bono, & malo. Poteſt enim adulatorie dici benedicta tu inter mulieres, & ſimiliter blandiendo dici: *Aue gratioſiſsima. Caietanus.*

B. Virgo cogitabat prudenter qualis, an bonus, an malus eſſet Angeli ſermo.

3. Reſp. Et merito cogitabat; ſciebat enim Virgo prudentiſsima, quod Angelus Sathanæ ſæpè transfigurat ſe in Angelum lucis, 2. *Corint.* 11. & quia nimium ſimplex, & humilis erat, nihil tale penitus ſperabat, & ideo cogitabat qualis eſſet iſta Salutatio, quam venerabilis, quam admirabilis, quam ſublimis, quam ſalutaris. Per eam enim totus ſanandus eſt mundus, in quo non erat à planta pedis, vſque ad verticem ſanitas, *Iſaiæ* 1. *Hugo Cardinalis.*

Angelus Sathanæ ſæpè transfigurat ſe in Angelū lucis.

B. Virgo quia ſimplex, & humilis non ſperabat ſe in Matrem Dei exaltandam.

4. Reſp. Si enim ſciuiſſet Maria ad alium quempiam ſimilem factum eſſe ſermonem, vtpote quæ habebat legis ſcientiam, nunquam eam quaſi peregrinam talis Salutatio exterruiſſet. *Origenes.*

Salutatio Angeli quaſi pegrina exterruit B. Virginem.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 29. *Cogitabat qualis eſſet iſta Salutatio.* Cur cogitabat qualis eſſet Salutatio, non conceptio?

Reſp. Non conceptio, nam adhuc ignorabat immenſitatem myſterij, ſed Salutatio, nunquid libidinoſa, vt à viro ad Virginem, an Diuina dum Dei faceret mentionem dicens: *Dominus Tecum. Græcus.*

B. Virgo non cogitabat qualis eſſet conceptio, ſed Salutatio

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 30. *Et ait Angelus ei, ne timeas.* Cur Angelus dixit Beatæ Virgini: Ne timeas?

Reſp. Quaſi dicat: Non acceſſi deceptorus, imo deceptionis abſolutionem depromere. Non veni prædaturus inuiolabilem tuam virginitatem, ſed conditoris puritatis, & cuſtodis contubernia reſerare. Non ſum ſerpentis miniſter, ſed perimentis ſerpentem legatus, ſponſalium tractator, non inſidiarum molitor. Sic ergo nequaquam diſtrahentibus ipſam conſiderationibus vexari permiſit, ne diiudicaretur infidus miniſter negotij. *Græcus.*

Angelus non permiſit B. Virginē conſiderationibus vexari, ne diiudicaretur infidus miniſter negotij.

2. Reſp. Videbat Angelus Virginis animum pauentem, & timentem malam eſſe Salutationem, & proptrerea confortat eam monendo ne timeat; vt etiam ex hoc ipſo, quod Virgo perciperet affectum ſuum internum cognoſci ab Angelo nuntiante, ſecura fieret. *Caietanus.*

Angelus cōfortat B. Virginem ne timeat.

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 30. *Ne timeas Maria.* Cur nunc vocat eam Mariam, non autem quando ſalutauit eam dicens: Aue gratia plena?

Nomen nouum B. Virginis, gratia plena.

Reſp. Forſitam nomen Mariæ tacet Angelus, vt oſtendat ſe ei nomen nouum imponere; ſcilicet, gratia plena. *Iſaiæ* 62. *Vocabitur tibi nomen tuum, quod os Domini nominauit per Angelum*; ſcilicet, tamen poſtea nomen Mariæ expreſsit Angelus, quando dixit: Ne timeas Maria, & recte primo gratia plena dicitur, & poſtea Maria, quia hoc habet ex gratia, vt Mariæ nomen, id eſt, illuminatrix interpretetur in nobis. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo habet ex gratia, quod ſit illuminatrix.

2. Reſp. Quia Salutatione inſolita Virginem turbatam viderat quaſi familiarius notam vocans ex nomine ne timere debeat iubet. *Beda.*

B. Virgo familiariter nota Angelo.

3. Reſp. Primo ſubticuit nomen ſemper Virginis, vt eam attentam redderet; ſed nunc in conſolatione timoris eius nomen exprimit, vt familiarius confabuletur. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. Quatuor Temporum Aduentus, dub. 23.*

Angelus familiarius cōfabulabatur cum Virgine

4. Reſp. Non in prima Salutatione Nomen Mariæ Angelus poſuit, ſed hic ſecundo hoc in ſermone ad Virginem, quia ſtatim addendum erat: *Concipies, & paries Filium, & Vocabis nomen eius Ieſum.* Tanta enim eſt excellentia nominis Mariani, vt à Ieſu ſegrari non poſsit, ita vt primum locum

Tantæ excellentiæ B. Virginis Nomē, vt primum locum nomen Ieſus, ſecundum Mariæ habeat.

cum nomen Iesus, secundum Mariæ habeat. *Pater Silueira quæst. 32. ex Idiota, lib. de contemplatione Virg. cap. 5.*

5. Resp. Ex eo quod Gabriel eam Mariam appellare scit, non hominem, sed Angelum Dei se esse ostendit. Ita enim erat abscondita Virgo, & clausa in domo, vt nullus esset homo, qui eam nomine proprio agnosceret, ac proinde tantum Diuina reuelatione hæc notitia consequi poterat; & ideo ait *Chrisolog. serm.* 145. Hoc nomen Maria prophetiæ germanum est. Sicut enim prophetia ex dono Dei tantum habetur, ita & nomen Mariæ, vel fortasse intelligit Sanctus Pater, quod sicut donum prophetiæ illuminat intellectum, ita & Nomen Mariæ. *Pater Silueira quæst.* 32.

B. Virgo Deo abscondita, & clausa in domo, vt nullus esset homo, qui eam nomine proprio agnosceret.

Nomen B. Virginis illuminat intellectum.

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 1. vers. 30. *Inuenisti enim gratiam apud Deum.* Cur dixit Angelus, quod Maria inuenit gratiam apud Deum?

B. Virgo gratiam inuenit, vnde in ea bene complacitum est Deo.

Resp. Quoniam multa millia in terra erant, & Maria sola gratiam inuenit, & in ipsa elegit sanctam carnem, & propterea est illa in qua ipsi bene complacitum est. *D. Epiphanius.*

2. Resp. Nota quod dicitur inuenisti gratiam, nunquam Maria tantam gratiam inuenisset, nisi gratia Mariam in cibo, & potu temperatissimam inueniret; non enim se compatiuntur gratia, & gula, quia impossibile est, quod homo simul sit per gratiam Deo gratus, & per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam, & fugere gulam. Dicit enim *Paulus ad Hebr.* 13. *Optimum est gratia stabilire cor non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect.* 4.

Gratiam inuenit, quia in cibo, & potu temperatissima.

3. Resp. Ex his verbis deprehenditur excellentia Beatæ Mariæ, & ex eo, quod dicit Angelus: *Inuenisti.* Inuenit, ait, non quia prima in rem gratiæ venit; cum scilicet, à principio sibi fuit gratia collata, sed inuenit, quia ipsam rem gratiæ perditam primo recuperauit humano generi. Hoc Adam non fecit, quia etsi gratiam perditam per pœnitentiam recuperauit, vt dicitur de *pœnit. dist.* 1. sicut primi hoc tamen pro se, non pro toto humano genere procurauit, sed Maria pro omnibus inuenit, quia per ipsam omnes gratiam habuerunt virtualiter per Filium ipsam nobis afferentem; meruit autem hoc de congruo. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. §. 2.

Adam gratiã perditam recuperauit pro se, sed B. Virgo pro omnibus inuenit.

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 1. vers. 30. *Inuenisti gratiam.* Quo sensu hæc exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Inuenisti, ait, non creasti gratiam, quia hoc Dei est, quia *gratiam, & gloriam dabit Dominus. Inuenisti*, non sum per habuisti, vt Filius tuus, de quo *Ioann.* 1. *Plenum gratia, & veritate. Inuenisti*, non rapuisti, vt Angelus primus dicens: *Similis ero Altissimo. Inuenisti*, non perdidisti, vt primi parentes, qui vt ait *B. Augustinus*, voluerunt Diuinitatem, & perdiderunt felicitatem gratiæ, scilicet, & gloriæ. *Inuenisti*, non emisti, vt Simon Magus, qui obtulit pecuniam, vt emeret gratiam Spiritus Sancti. *Inuenisti*, quia quæsisti, quia qui quærit inuenit, vt Virgo prudentissima, & doctrix fidelissima, sed reddisti, vt Mater misericordissima. *Inuenisti* gratiam Dei miserentis charitate, promittentis veritate hominis necessitate, qui ad hoc idoneitate, *inuenisti* gratiam indeficientem in Deum, & in illa, & cum illa omnem creaturam. *Inuenisti* gratiam specialem, & generalem quidem, quia gratia, quæ fuit, & est in omnibus electis in ipsa fuit; scilicet, gratum faciens, gratiam specialem; quæ scilicet, fuit in aliquibus Sanctis, sed non in omnibus, vt gratiæ gratis datæ Apostolis, & alijs; gratiam singularem, quæ sibi soli conuenit. *Inuenisti* gratiam corporalem, quia gratiosa in aspectu omnibus, & in sermone. *Psalm. Diffusa est gratia in labijs tuis.* Sed & hanc generalem habuit quantum ad corporis Resurrectionem cum alijs, sed ante alios, quia quam citius post mortem. Specialem quantum ad vir

Primi parentes gratiam perdiderunt, sed B. Virgo inuenit.

Gratiam inuenit, quia quæ fuit, eam reddidit, vt Mater misericors dissima.

Inuenit gratiam generalem; scilicet, gratum faciẽtem, gratiam gratis datam.

B. Virgo gratiosa in aspectu omnibus, & in sermone.

Habuit gratiam generalem, & specialem.

virginitatis integritatem, ſed perfectius cunctis, ſingularem quantum ad vteri fœcunditatem, & talis Mater facta vnigeniti, Mater Dei, & plaſmatoris omnium, Mater inuiolata, Mater intacta. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 15. §. 2.*

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 30. *Inueniſti gratiam.* Cur non dixit Angelus habes gratiam apud Deum, ſed inueniſti?

B. Virgo non ſibi ſoli retinuit gratiam, ſed omnibus qui eam amiſerat reſtituit

Reſp. Nec dicit Angelus habes gratiam apud Deum, ſed inueniſti, quia res habita, vt propria cuſtoditur, res inuenta reſtituitur illis, qui amiſſerant. Quia igitur non ſibi ſoli retentura erat gratiam, ſed omnibus, qui eam amiſſerant, reſtitutura, ideo dixit Angelus: *Inueniſti*, quaſi dicat: Non debes tibi abſcondere, quia non eſt tua; ſed in aperto, id eſt, communi ponere, vt cuiuſcunque fuerit rem ſuam poſſideat, ſicut iuſtum eſt. Ideo *plena gratia* dicta eſt ſupra, quia gratiam omnium inuenit. Currant igitur peccatores ad Virginem, qui gratiam amiſerunt peccando, & eam inuenient apud eam humiliter ſalutando, & ſecure dicant, redde nobis rem noſtram quam inueniſti, nec negare poterit ſe inueniſſe, quia hoc Angelus atteſtatur; ait enim *inueniſti*, non meruiſti, non emiſti, quia iam non eſſet gratia, ſed gratis accepiſti, & ideo gratiam inueniſti. Alij aurum, & argentum inueniunt fodientes in terram, ſicut dicit *Baruch 3.* Qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines. Sed Maria gratiam inuenit, quam quæſiuit in cœlo. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 30. *Inueniſti gratiam apud Deum.* Cur gratiam dicitur inueniſſe apud Deum?

B. Virgo pudicitia exornãs animam, gratum ſe Deo habitaculum præparauit

Reſp. Inuenit enim gratiam Virgo coram Deo, quia ſplendore pudicitiæ propriam exornans animam, gratum Deo ſe habitaculum præparauit, nec ſolum cœlibatum inuiolabilem conſeruauit, ſed etiam immaculatam conſcientiam cuſtodiuit. *Græcus.*

2. Reſp. *Inueniſti*, quia quæſiuiſti vbi erat; ſcilicet, apud qui eſt locus gratiarum, non apud mundum, cuius gratia gratia eſt fatuorum, de quo *Eccleſiaſt. 20. Gratiæ fatuorum effundentur. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo gratã inuenit, quia quæſiuit apud Deum, non apud mũdum.

3. Reſp. Sciendum quod iſta præpoſitio *apud* tripliciter ſumitur; quandoque enim dicit æqualitatem eſſentiæ, vt illud: *Verbum erat apud Deum. Ioann. 1.* Quandoque æqualitatem ſecundum ſitum, vt quando apponitur ad ſupra, & infra, ſicut dictum eſt, *3. Reg. 2. Poſitus eſt thronus Matris apud*, vel iuxta thronum Regis. Quandoque apud, & iuxta ponitur reſpectiue, ſicut dicitur de mulieribus, quod ſtabant iuxta Crucem, non quidem abſolute; ſic enim ſtabat Mater Ieſu, & Ioannes iuxta Crucem, qui valde prope; ſed aliæ mulieres dicuntur ſtare iuxta Crucem reſpectiue, id eſt, reſpectu turbæ, quæ longeus eis erat à Cruce; & omnibus his tribus modis poteſt exponi hic iſtud: *Apud Deum.* Nam primo modo, ſicut Filius dicitur eſſe apud Patrem, propter identitatem naturæ, quia eiuſdem naturæ: ſic Maria gratiam inuenit, vt ſit apud Deum; ſcilicet, Filium; quia ſcilicet, eiuſdem naturæ, cum eo ſecundum humanitatem, qua eſt vnum cum Matre, ſicut in Deitate vnum cum Patre. Secundo modo; ſcilicet, quantum ad ſitum, certum eſt quod exaltata eſt in cœlo ſuper Choros Angelorum, vnde & *apud Deum*, id eſt, excellentiori gradu gloriæ decorata ſuper omnes puras creaturas, iuxta illud *Pſalm. 44. Aſtitit Regina à dextris tuis*; ſcilicet, Beata Maria iuxta figuram illam ſupradictam de Matre Salomonis, cuius thronus poſitus eſt iuxta thronum eius, & apte quia vna eſt Maieſtas Regia, in Rege, & Regina, & coæquantur ſibi, inuenit ergo gratiam, vt ſit apud Deum, id eſt, excellentiori gloria, quam aliæ creaturę. Tertio modo dicitur apud Deum, quia propinquiſſima fuit Deo reſpectu aliorum in ſanctitate, vnde, & ei familiariſſima, vt inueniat gratiam apud Deum pro deuotis

Filius vnum cum Matre ſecũdum humanitatem, ſicut in Deitate vnum cũ Patre.

B. Virgo inuenit gratiam, vt ſit apud Deum, id eſt, excellentiori gloria, quam aliæ creaturæ

eius,

eius, & refugium habentibus ad eam in ſuis neceſsitatibus. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 15. §. 2.*

Dub. 52. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 30. *Ecce concipies in vtero.* Quare Angelus dixit concipies in vtero, cum proles concipi non poſſit extra vterum?

Reſp. Signanter autem dixit Angelus: *Ecce concipies in vtero.* Nec eſt ſuperfluum in vtero ponere, quia videtur, quod conceptus non fiat niſi in vtero. Quamuis enim vterus ſit locus conceptionis, tamen eſt differentia inter concipere in vtero, & concipere in vterum, quia omnes mulieres concipiunt in vterum recipientes à viro ſemen in vterum, ſola autem Beata Maria concepit in vtero, non homine, ſed Spiritu Sancto in ea conceptum operante. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 22. §. 1.*

Sola Beata Maria concepit in vtero, non homine, ſed Spiritu Sancto in ea conceptum operante.

2. Reſp. Vt dicit *Beatus Vincentius in ſerm. de Annuntiat.* non abſque cauſa dicitur in vtero, quia ipſa iam ante aduentum Domini conceperat Deum in mente contemplando prophetiam dictam; ſcilicet, *Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Sed Angelus declarans ſibi maternalem conceptionem, dixit: *Concipies in vtero*, non ſolum in mente in qua iam concepiſti, declarans ſibi modum conceptionis, vt auellana concipit nucleum ſine fractura; ita ipſa conciperet in vtero, ſine commixtione viri. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. Quatuor Temporum Aduentus, dub. 25.*

B. Virgo ante aduentū Domini conceperat Deum in mente.

Concepit ſine commixtione viri.

3. Reſp. Nota quod dicitur: *Ecce concipies in vtero.* Nunquam Maria Deum in vtero concepiſſet, ſi idem vterus contra Deum crapuloſus fuiſſet, etſi vterus ille mero æſtuaſſet, cum venter mero æſtuans cito deſpumat in libidinem. Vterus ergo ille qui Deo incarnato grauidatus eſt, nunquam in cibo, & potu intemperaro grauatus eſt. *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis, Lect. 4.*

B. Virgo nunquam in cibo, & potu intemperato grauata.

4. Reſp. Inuenerant enim plures gratiam ante eam, & ideo ſubdit, quod proprium eſt dicens: *Ecce concipies in vtero. Origenes.*

Proprium B. Virginis concipere in vtero Dei Filium.

5. Reſp. Quod dicitur: *Ecce*, conceleritatem, & præſentiam denotat, inſinuans cum eius verbo celebratam eſſe conceptionem. Dicit autem concipies in vtero, vt demonſtret Dominum ab ipſo vtero virginali, & de noſtra ſubſtantia carnem ſuſcipere. Venit enim Diuinum Verbum emundaturum naturam humanam, & partum, & noſtræ generationis primordia, & ideo ſine peccato humano ſemine per ſingula, ſicut nos in carne concipitur, & nouem menſium ſpatio geſtatur in vtero. *Græcus.*

Cum verbo B. Virginis celebrata eſt conceptio.

Verbum ab vtero virginali, & de noſtra ſubſtantia carnem ſuſcepit.

Dub. 53. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Ecce concipies.* Cur dixit: *Ecce?*

Reſp. Aduerbium eſt demonſtrandi, quia demonſtrat indemonſtrabilem, inuiſibilem, lucem habitantem inacceſsibilem, ſed iam factum viſibilem, & demonſtrabilem, quia *Verbum caro factum eſt*, in vtero virginali. Dicens igitur *ecce* incitat nos ad intuendum aliquid nouum, & mirabile. Quod diu ante intuitus, *Ierem. 31.* dixit: *Nouum faciet Dominus ſuper terram fœmina circundabit virum. Eccleſiaſt. 36. Innoua ſigna, immuta mirabilia*: immutata ſunt mirabilia. Homo voluit fieri Deus, & Deus factus eſt homo. De viro facta eſt mulier, nunc de muliere factus eſt vir. Nunquid non hæc mirabilia immutata, id eſt, in melius mutata. Sed & ſigna ſunt innouata, olim virga floruit, modo Virgo peperit. Olim ſerpens æneus in palo fixus aſpicientes ſanabat, nunc Chriſtus in Cruce affixus credentes ſanat. *Hugo Cardinalis.*

In Incarnatione Verbi immutata ſunt mirabilia, id eſt, mirabilia in melius mutata.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Concipies in vtero, & paries Filium.* Cur partum Virgini refert?

Aliqui concipiunt, ſpecialiter Diuinum Spiritum, & ſpiritum pariunt.

Reſp. Quoniam contingit ſpecialiter Diuinum concipi ſpi-

ritum, & ſpiritum parere ſalutarem ſecundum Prophetam, ideo addidit: *Et paries Filium. D. Gregorius Niſenus.*

Aliqui in vtero habẽt Chriſtum, ſed non formant.

2. Reſp. Non autem omnes ſunt, ſicut Maria, vt dum de Spiritu Sancto concipiunt verbum, pariant. Sunt autem, qui abortiuum excludant verbum antequam pariant. Sunt qui in vtero Chriſtum habeant, ſed nondum formauerint. *D. Ambroſius.*

Excluduntur omnes hæreſes circa verã Maternitatẽ Virginis.

3. Reſp. Tempore ſuo *paries*, inquit, non emittes per os, ſed naturali partu gignes. Filium, non Filiam. Rurſus ex hoc, quod dicit Filium excluduntur omnes hæreſes putantium Beatam Virginem non veram Matrem Ieſu, ſed in ea velut in vaſe Ieſum fuiſſe, & per eam quaſi per fiſtulam tranſiſſe. Hæc enim omnia confutat Angelus Materna Beatæ Virginis officia explicans, non ſolum conceptionis, & partus nominibus, ſed explicando Filium, vt hinc intelligamus concepturam, & parituram Filium veris Maternis officijs in generatiua parte ipſius Beatæ Virginis, alioquin non verificaretur, quod conciperet, & pareret Filium. *Caietanus.*

B. Virgo concepit Filium veris Maternis officijs in generatiua partis.

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* Quid egit Beata Virgo audito hoc nomine?

B. Virgo audiens ab Angelo nomen Ieſus inclinauit ſe.

Reſp. Ecce paſsionem, quia *Ieſus* idem eſt quod *Saluator*, ex cuius paſsione ſaluati ſumus, vnde ait *Gregorius*, nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet, & quando Virgo audiuit ab Angelo hoc nomen Ieſus, credo quod inclinauit ſe. Ratio, quia antiqui Prophetæ habebant ipſum in magna reuerentia, *Iſaiæ 26. Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ meæ, deſiderauit te in nocte*, ideo laudabilis conſuetudo eſt quando nominatur Ieſus inclinari. *D. Vincentius Ferrer.*

Audiens nomen Ieſus inclinatione veneretur nomen.

Dub. 56. Ad illa verba: cap. 1. verſ. 31. *Vocabis nomen eius Ieſum.* Cur Angelus dicit quod Beata Virgo imponet nomen Filio?

Reſp. Dicit autem: Tu vocabis, non Pater. Patre enim caret quantum ad inferiorem generationem, ſicut, & Matre reſpectu ſupernæ. *D. Gregorius.*

Chriſtus Patre caruit quãtum ad inferiorem generationem.

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Vocabis nomen eius Ieſum.* Cur Angelus mentionem facit nominis Ieſu?

Nomen Ieſus tollit timorem.

Reſp. Cum autem expectatio partus mulieribus timorem incutiat, ſedat timoris metum dulcis partus relatio, cum ſubditur, & vocabis. *Nomen eius Ieſum. D. Gregorius Niſenus.*

Nomen Ieſus impoſitum Chriſto à Deo æternaliter, ab Angelo in Incarnatione, à B. Virgine, & Sancto Ioſeph in circunſione.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Vocabis nomen eius Ieſum.* Quare dicitur quod Maria vocabit nomen eius Ieſum, cum *Matth. 1. verſ. 21.* dixerit Angelus Sancto Ioſepho: *Vocabis nomen eius Ieſum?*

Reſp. Hoc nomen Ieſus impoſuit Dominus rem nominis præſtando, Angelus prædicando, Domina imperando, Ioſeph exequendo. A Deo impoſitum fuit hoc nomen æternaliter, ab Angelo etiam in Incarnatione, à Domina, & Ioſeph in circunciſione. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo adeo puriſsima, vt erubeſceret Angelus in eius preſentia peccata nominare.

Dub. 59. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 31. *Vocabis nomen eius Ieſum.* Quare Angelus non dixit hic ſaluum faciet populum à peccatis?

Reſp. In præſentia Beati Ioſeph auſus eſt Angelus verba circa peccata proferre, ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum; at coram Beatiſsima Virgine, ita illam contemplatus eſt puriſsimam, & ab omni peccati contagione liberam, vt erubeſceret in eius præſentia peccata nominare, & ore dicere. *Pater Silueira hic, quæſt. 36. num. 96.*

B. Virgo ex Dauid deſcẽdens.

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 32. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius.* Cur Chriſtus nominatur Filius Dauid?

Dauid Pater Chriſti ſecundum carnem.

Reſp. Hinc clare apparet Beatam Virginem ex Dauide deſcendiſſe, alioquin falſum eſſet verbum Angeli, *Patris eius.* Non enim aliter Dauid eſt Pater Ieſu, quam ſecundum carnem ex Beata Virgine ſumptam. *Caietanus.*

Dub.

Dub. 61. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 34. *Dixit autem Maria ad Angelum.* Cur hic locutam Virginem dicitur?

Reſp. Satis ſeruauit verecundiam ſi quis aduertat cui? Quid? Vbi? Quantum? Quoties? Quando? Et quommodo fit locuta? *Cui*, non cuilibet, ſed Angelo. *Vbi*, in conclaui, non debet mulier in publico loqui, ſed tacere, & domi virum interrogare. 1. *Corinth.* 14. *Quoties?* Septies. *Quantum.* Breuiter. Bis loquta eſt Angelo, & vtrobique breuiter: *Quommodo fiet iſtud? & ecce Ancilla Domini.* Bis Eliſabeth primo ſalutando, poſtea in laudem Domini prorumpendo. Magnificat anima mea Dominum. Bis Filio, ſemel in Templo. Fili quid feciſti, ſemel in nuptijs vinum non habent. Septimo locuta eſt miniſtris, *facite quodcunque dixerit vobis*, in nullo verbo dicitur effluxiſſe niſi in cantico. Sic mulier raro, & brebiter domi loquatur niſi in oratione, & Diuinæ laudis confeſsione. Tempus locutionis inuenies ſi aduertis tarde, bis interrogata, diu præmeditata reſpondit, quam inuite perueniret virum loquendo, vel itet ad eum loqui, quia nec Angelo venienti ad ſe, & ſalutanti, & bona promittenti, & ideo bis allocuto eam, vix acquieuit loqui vnum verbum. In quo quies, & taciturnitas proponitur mulieribus æmulanda. *Eccleſiaſt.* 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Erubeſcat igitur mulier Salomonis, & ei ſimiles. Garrula, & vaga. *Prouerb.* 7. In modo etiam loquendi ſeruanda eſt verecundia, vt tacite non clamoſe loquatur mulier, ſiue reſpondens, ſiue conquærens. 1. *ad Timoth.* 2. *Docere autem mulieri non permitto* Tolerabile eſt autem verecundiæ detrimentum, tum propter caſtitatis periculum, tum propter deuotionis affectum, tum propter Diuini amoris augmentum. Ex quo Maria iam amplius non valens ſilere dixit ad Angelum: *Quommodo fiet iſtud? Hugo Cardinalis.*

2. Reſp. Hic locuta inuenitur Virgo Maria, ſed nunquam inuenis, & reuolue libros, ipſam locutam niſi Angelo, & Eliſabeth cognatæ ſuæ, & Filio ſuo, & miniſtris nuptiarum. *Ioann.* 2. Nec enim cum Ioſeph viro ſuo vnquam inuenies fuiſſe locutam. In quo notatur quod puella iuuenis, vel ſanctimonialis, vel quilibet clauſtralis rariſsime debet loqui, & tunc cum Deo in oratione, & lectione, aut cum Angelo, id eſt, cum Sacerdote Angelicæ conuerſationis in confeſsione, aut cum Eliſabeth vetula, id eſt, cum matura, & ſancta muliere, in mutua, ſed rara conſolatione, aut cum miniſtris in neceſſariorum poſtulatione, *Eccleſiaſt.* 32. *Adoleſcens loquere in tua cauſa*, bis cum neceſſe fuerit, ideo turbata eſt Maria, quia ſilentium diligebat. *Hugo Cardinalis ad illa verba, Turbata eſt.*

Dub. 62. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 34. *Quommodo fiet iſtud?* An Beata Virgo Maria dubitauit de verbis Angeli, ſicut Zacharias dicens: *Vnde hoc ſciam?*

Reſp. Neque non credere Angelo Maria debuit, neque tam temere vſurpare Diuina, vnde dicitur: *Dixit autem Maria ad Angelum. Quommodo fiet iſtud?* Temperatior eſt iſta reſponſio, quam verba Sacerdotis. Hæc ait: *Quommodo fiet iſtud?* Ille reſpondit: *Vnde hoc ſciam?* Negat ille ſe credere, & quaſi fidei adhuc alium quærit Authorem. Iſta ſe facere profitetur, nec dubitat eſſe faciendum, ſed quommodo fiat inquirit. Legerat Maria: *Ecce concipiet in vtero, & pariet Filium*, ideo credidit futurum, ſed quommodo fieret ante non legerat; non enim quemadmodum fieret, vel Prophetæ tanto fuerat reuelatum; tantum enim myſterium non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum. *Diuus Ambroſius. Caietanus. Hugo Cardinalis. Antonius de Giſtandis.*

2. Reſp. *Eccleſ.* 19. *Qui cito credit leuis eſt corde.* Eua leuis fuit corde, quia cito credidit, nec verbum, nec loquentem diſcutiens facile conſenſit. Quippe duplici funiculo trahebatur, quia promittebatur

Mulier non debet in publico loqui, ſed tacere.

B. Virgo ſepties locuta.

B. Virgo breuiter locuta, in nullo verbo effluxit, niſi in cantico.

Quies, & taciturnitas B. Virginis.

In modo loquendi ſeruãda verecũdia

B. Virgo nec cum Sancto Ioſeph inuenitur fuiſſe loquta.

Silẽtium mãdatum, & Religioſorũ.

Moniales, & Religioſi cũ quibus debent loqui.

B. Virgo turbata in Salutatione Angeli, quia ſilẽtium diligebat.

B. Virgo non dubitauit de verbis Angeli, ſicut Zacharias.

Eua leuis fuit corde cito credens diabolo.

ſublimitas, ſuadebatur voluptas, ad quam homines facile inclinantur. Sed Maria neutrum voluit, quia humilis, & Virgo fuit, ſed vtilitatem non ſolum propriam, ſed communem deſiderans prudenter quæſiuit quommodo fiet iſtud, quod tu dicis, vt Virgo concipiam, & pariam Filium. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo prudenter quæſiuit ab Angelo quommodo fiet iſtud.

Dub. 63. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 34. *Quoniam virum non cognoſco.* Qui ſenſus horum verborum?

Reſp. Attende etiam mundæ Virginis vocem, partum annuntiat Angelus, ipſa vero virginitati innititur, præſtantiorem incorruptibilitatem Angelica viſione diiudicans. *D. Gregorius Niſenus.*

B. Virgo præſtantiorem in corruptibilitatem Angelica viſione diiudicauit.

2. Reſp. Hæc igitur Mariæ verba indicium ſunt eorum, quæ tractabat in mentis Arcano. Namſi cauſa copulæ coniugalis Ioſeph deſponſari voluiſſet; cur admiratione ducta eſt dum ſibi narratur conceptio? Cùm nimirum ipſa præſtolaretur ad tempus Mater effici iuxta legis naturam. Verum quia oblatum corpus Deo, quaſi quoddam ex ſacris inuiolabile reſeruari decebat, & ideo dicit: *Quoniam virum non cognoſco*, quaſi dicat; etſi ſis Angelus, tamen quod virum cognoſcam ex impoſsibilibus cernitur. Qualiter igitur Mater ero carens coniuge. Ioſeph quidem in Sponſum agnoui. *Diuus Gregorius Niſenus.*

Corpus B. Virginis oblatũ Deo quaſi quoddam ex ſacris inuiolabile reſeruari decebat.

3. Reſp. Quoniam virum non cognoſco, id eſt, me non cognituram propoſui, & in propoſito perſeuero. Fœlix propoſitum iſtud, in quo firmitas conuenit puritati. Nam quamtumlibet pura fuerit deliberatio minus habet ſi defuerit fortitudo, & conſilij firmitas. Vbi non eſt puritas, non virtutis obtinet gratiam, ſed obſtinationis incurrit offenſam: ſed Beata Virgo vtrumque habuit, & propoſiti puritatem, & conſilij firmitatem. *Prouerb. Vltim. Fortitudo, & decor indumentum eius.* Decor in propoſito continentiæ, fortitudo in conſilij firmitate. *Cantic. 7. Collum tuum, ſicut turris eburnea.*

B. Virgo propoſiti tenax.

Habuit decorem in propoſito continentiæ fortitudinem in conſilij firmitate.

Collum Eccleſiæ caput iungens corpori, eſt Beata Virgo, turris propter firmitatem, eburnea propter caſtitatem. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo collum Eccleſiæ caput iungẽs corpori.

4. Reſp. Nota hic tria circa Mariam Matrem Ieſu, quæ debent eſſe in Prælato, qui & debet Ieſum primo concipere in ſe bene viuendo, & poſtea parere alijs prædicando. *Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Primum eſt magnanimitas fidei incredulitate promiſsi. Secundum, prudentia in interrogatione modi. Tertium, ſtabilitas in firmitate propoſiti. *Matth. 24. Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens. 1. Paralipom. 12. Viri fortiſsimi, & optimi pugnatores tenentes clypeum, & haſtam, facies eorum quaſi facies Leonis, & velociores quaſi capreæ in montibus*; in Leone magnanimitas, in caprea prudentia, per fortiſsimi ſtabilitas deſignatur. Igitur nec paruuli, id eſt, inſipientes, nec ſenes, id eſt, puſillanimes, nec mulieres, id eſt, inſtabiles ſunt apti ad bellum Domini, id eſt, ad Prælationem. De primo dicitur *Ezech. 1. Animalia erant plena oculis ante, & retro.* De ſecundo. *Eccleſ. 7. Noli quærere fieri Iudex*, id eſt, niſi ſis magnanimus. De tertio. 2. *Paralip. 20. Confidenter ſtate, & videbitis auxilium Dei ſuper vos.* Qui ergo paruulus, vel ſenex, vel mulier fuerit, ſi vocetur ad hoc, vt fiat Mater Ieſu, id eſt, ad Prælationem, vel miniſterium, dicat ſecure: *Quommodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, id eſt, viri proprietates non habeo; ſcilicet, magnanimitatem, prudentiam, ſtabilitatem. *Iſaiæ 3. Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite me conſtituere Principem populi. Hugo Cardinalis.*

Bonus Prælatus debet in ſe primo concipere Ieſum bene viuendo, & poſtea parere alijs prædicando.

Inſipientes puſillanimes, inſtabiles nõ ſunt apti ad Prælationem.

Magnanimitas, prudentia, ſtabilitas neceſſaria Prælato.

Dub. 64. Ad illa verba, cap. 1. v. 34. *Quommodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Cur Beata Virgo non commentata eſt dictum Angeli?

B. Virgo non commentata eſt dictũ Angeli quommodo fieret Mater Dei, ſed quæſiuit modum.

Reſp. Nota Beata Virgo non in proprio ſtudio commentata eſt quommodo fieret Mater Dei, ſed cre-

credens quod omnia possibilia sunt apud Deum, quærit modum. *Prouerb.* 12. *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* Item 28. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Sicut enim proni sunt sensus hominis in malum; ita cogitationes in errorem. *Prouerb.* 25. *Gloria Regis est inuestigare sermonem*, id est, interrogare, non commentare. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 65. Ad illa verba, cap. 1. vers. 34. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Cur Angelus dixit Spiritus Sanctus superueniet in te, cum iam in ea esset Spiritus Sanctus, quia caste viuentes Templum Dei sunt, & Spiritus Sanctus habitat in illis. 1. *Corint.* 3.

Spiritus Sanctus præparauit, & formauit materiam corporis Christi.

Resp. Spiritus Sanctus fuit semper in Virgine antequam annuntiaretur ab Angelo quoad perfectionem gratiæ inclinantis ad bonum; sed dicitur superuenisse quoad præparandam, & formandam materiam corporis Christi. *Antonius Cistandis Feria 4. Quatuor Tempor. Aduentus, dub. 32. ex D. Thom. 3. part. quæst. 32. & quæst. 27. art. 5.*

Virginitas potior coniugio.

2. Resp. Quasi dicat: Non quæras ordinem naturalem, vbi natura transcenditur, & superant quę tractantur, dicit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quin imo eo ipso continget, quia es coniugis inexperta. Namsi virum experta fuisses, non digna censereris hoc mysterio, non quia prophanum sit coniugium, sed quia virginitas potior. Decebat enim communem omnium Dominum, & in Natiuitate nobiscum participare, & ab ea discrepare. Quod enim ex vtero nasceretur, habuit commune nobiscum, quod autem absque concubitu nasceretur, plus à nobis obtinuit, quam Beatum corpus illud, quod ob exuberantem munditiam Virginis Mariæ, vt videtur donum animæ ad se ipsum allexit. In singulis enim cæteris vix vtique anima sincera sancti spiritus impetrabit præsentiam, sed nunc caro receptaculum efficitur spiritus. *D. Ioann. Chrisostom.*

Filius Dei in Natiuitate nobiscū participauit, & à nobis discrepauit.

B. Virgo concepit absque concubitu.

3. Resp. Tabulas enim quas culpa confregerat, denuo vetus legislator de terra nostra sibi dolauit, absque concubitu Diuinitatis suæ corpus susceptibile creans, quod Diuinus digitus sculpsit; scilicet, spiritus superueniens Virgini. *D. Gregorius Nisenus.*

Virginitas Marię in prole consignata, & confirmata.

4. Resp. Ex quo Maria Virgo de Spiritu Sancto Diuina est prole fœcundata, nequaquam virginitas eius tali est prole vitiata, sed mirabiliter est in tanta prole glorificata, nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, & dotata consignata, & confirmata est tua virginitas ò Maria. *D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis, Lect. 4.*

In vtero B. Virginis nuptiæ dicatæ, proquibus arrhas accepit Spiritum Sanctum.

5. Resp. Maria peruenit ad eas nuptias, quæ in vtero sunt dicatæ, pro quibus arrhas accepit Sponsa Christi in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ Spiritum Sanctum. *D. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt.*

Spiritus Sanctus in B. Virginem descēdit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigeret.

6. Resp. Spiritus Sanctus superueniet in te, vt in Apostolos. Virtus ista, ideo descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent; ideoque spiritus superueniet essentialiter, ita quoque Spiritus Sanctus in Virginem descendit. *D. Atanasius serm. de Deipara.*

B. Virgo edocta á Deo circa Mysterium Incarnationis.

7. Resp. Ac si Angelus respondeat ad Virginem, quid à me requiris, quod in te mox experieris. Sciens scies, & fœliciter scies, sed illo datore, & Auctore, ego autem missus sum nuntiare, non creare, nec potest doceri nisi à donante, nec potest addisci nisi à suscipiente. *D. Bernardus homil. 4. Supermissus est.*

B. Virgo Trinitatis notionem habuit.

8. Resp. Si de Spiritu Sancto veram Maria fidem sortita non fuisset, quod vtique Gabrielem nequaquam latuisset. Erat enim in primis de Spiritus Sancti fide erudienda ab Angelo, aut certe ipsa quæsisse debuit, quid de Spiritu Sancto sentiendum existeret. Quoniam itaque Maria de Spiritu Sancto, nec scisitata est Angelum, nec pro tunc erudita ab eo, eluceſcit quod ipsius, immo totius Trinitatis notionem habuerit. *Cartusianus lib. 2. de Dignitate Mariæ, art. 15.*

Dub. 66. Ad illa verba, cap. 1. vers. 34. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Quare dicitur Spiritus Sanctus superueniet in te, cum superius dicta sit gratia plena? Nunquid potuit impleri gratia, & nondum habere Spiritum Sanctum, qui est dator gratiarum?

Spiritus Sanctus inerat B. Virgini per gratiam, sed in Incarnatione Verbi abundantiorē gratiam effudit super illam.

Resp. An forte ideo non dixit simpliciter, & veniet, sed addit super, quia & prius quidem inerat per multam gratiam, sed nunc superuenturus nunciatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus erat super illam. Sed cum plena iam sit, quomodo illud amplius capere poterit. Sed prior gratia mentem eius tantum repleuerat, sequens etiam ventrem repleuit. *Hugo Cardinalis.*

Spiritus Sanctus superuenit in B. Virginem, vt superet vniuersos plenitudine gratiæ.

Dub. 67. Ad illa verba, cap. 1. vers. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Cur dixit superueniet in te, cum in alios Sanctos Spiritus Sanctus veniat?

Resp. In alios Sanctos venit Spiritus Sanctus, sed in te superueniet, quia præ omnibus, & super omnibus elegit te, vt superes vniuersos, qui ante fuerunt, vel postea futuri sunt plenitudine gratiæ. *D. Amadæus hom. 3. de Incarnatione.*

Dub. 68. Ad illa verba, cap. 1. vers. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Cum in cæteris scripturis legalibus, & in propheticis, nusquam Spiritus Sanctus absolutè, sed relatiue scribatur; scilicet, spiritus Dei, spiritus Domini, cur hic auditur vocabulum absolutum, & proprium; scilicet, Spiritus Sanctus?

Vocabulum proprium, & absolutū Spiritus Sancti auditum est, vbi Angelus dixit ad Virginem Spiritus Sanctus superueniet in te,

Resp. Ab hoc loco primum insonuit in auribus nostris reuerendum, insigne vocabulum proprium, & absolutum Spiritus Sanctus, vbi Angelus ad Mariam: *Spiritus Sanctus*, ait, *superueniet in te*; & ad Ioseph: *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est. Rupertus in cap. 1. Matthæi.*

2. Resp. Ecce modus, quo nunc concipies in vtero Spiritus Sanctus non spiritus humani feminis. Aptè enim Spiritum Sanctum loco humani feminis posuit, quoniam prolixum semen spirituale valde est, hoc est, spiritibus plenum, vt Philosophi tradunt. Loco ergo humani feminis superuenientis in alias mulieres, ad hoc vt concipiant, superueniet in te Spiritus Sanctus, hoc est, nullam habens immunditiam cuiuscumque generis (hoc est, neque corporis, neque animæ) sed omnino eleuatus ab omni immunditia. *Cajetanus.*

Spiritus Sanctus loco humani feminis superuenientis in alias mulieres, ad hoc vt concipiant superuenit in B. Virginem.

Dub. 69. Ad illa verba, cap. 1. vers. 35. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid expressit Angelus per hæc verba?

Resp. Virtus Altissimi eidem obumbratura prænunciatur. Hæc autem obumbratio ipsa est Diuini Verbi Incarnatio. Nam vmbra a lumine, & corpore obiecto formatur. Sicut enim Sol quodammodo est Pater vmbræ, & statuæ siue quodlibet corpus eius Mater, & statua ex Solis lumine conspiciens lumen, vmbram format in terra, quæ vmbra Patrem Solem habet in cœlis, statuam vero Matrem in terris: sic Christus Patrem Deum in cœlis. Matrem Virginem in terris, quæ Dei lumen concipiens Christi humanitatem instar vmbræ ex sui natura formauit in terris. *Petrus de Natalibus, Ordinis Prædicatorum, de Annunt. cap. 225.*

Incarnatio Verbi dicitur obumbratio.

Christus habuit Patrem Deum in cœlis, Matrem Virginem in terris.

2. Resp. Altissimi Regis virtus Christus est, qui per aduentum Spiritus Sancti formatur in Virgine. *D. Ioann. Chrisostomus.*

Christus vitæ Altissimi

3. Resp. Per obumbrationis enim vocabulum incarnandi Dei vtraque natura significatur; vmbra enim à lumine formatur, & corpore. Dominus autem per Diuinitatem lumen est, quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero corporandum, recte ei dicitur, virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Diuinitatis. Hoc enim Mariæ dicitur, propter mentis refrigerium cœlitus datum. *D. Gregorius Magnus 18. Moral.*

B. Virgini cœlitus datum mentis refrigerium in Incarnatione Verbi.

4. Resp. Sicut corporis vmbra præcedentium characterē conformatur, ita indicia Deitatis Filij

ex

ex virtute generandi patebunt. Sicut enim in nobis quædam viuifica virtus in materia corporali conſpicitur, qua homo formatur: ſic in Virgine Altiſſimi virtus per viuificantem ſpiritum pariter corpori inſitam materiam carnis ex virgineo corpore ad formandum nouum hominem aſſumpſit. *D. Gregorius Niſenus.*

Spiritus Sanctus materiã carnis ex virgineo corpore ad formandum Chriſtũ aſſumpſit.

5. Reſp. Ad hoc quod mulier concipiat, requiritur non ſolum ſemen virile, ſed actio virtutis generatiuæ mulieris; & quia ad hanc concurrunt duo; ſcilicet, applicatio digeſtorum humanorum ex corpore mulieris, ad ſubſtantiam prolis; & delectatio ſenſibilis concomitans huiuſmodi applicationem; ideo ratione vtriuſque dicitur, *obrumbrabit tibi*, tanquam præſeruando quidem velut vmbra ab æſtu, & ardore concupiſcentiæ, quoad ſecundum; tanquam vero fouendo, & trahendo velut tegens in vmbra quoad primum. Sicut enim in ſeminibus terræ mandatis videmus requiri quaſi vmbram tegmen terræ (ſub quo vires terræ colliguntur, & attrahuntur ad concipiendum, quodammodo ex ſemine, & ſic terra germinat) ita in mulieris vtero præter virile ſemen velut obumbratio quædam generatiuæ partis mulieris cum virili ſemine fit, fotiua, & attractiua naturalium humorum, & virium mulieris ad concipiendum. Ita quod intendit Angelus dicere, quod vltra Spiritum Sanctum loco ſeminis virtus Diuina dabit tibi actualem efficaciam concipiendi ſeruando te à dilectatione venerea. *Caietanus. Beda.*

Ad hoc quod mulier concipiat requiritur nõ ſolum ſemen virile, ſed actio virtutis generatiuę mulieris

Vltra Spiritũ Sanctum loco ſeminis, virtus Diuina dabit ß. Virgini actualem efficaciã concipiendi ſeruando eam à delectatione venerea.

6. Reſp. Obumbrabit contra omnem tribulationem protegendo. Vnde *Gloſſ.* abſcondet te in Ægyptum fugiendo; & non eſt adhærendum verbo quaſi eam tantum in Ægypto protexerit, quia poſitum eſt pro exemplo, & eſt metaphora, quia ſicut vmbraculo tegitur aliquis à calore Solis, ne ei noceat; ſic gratia Spiritus Sancti Virginem protexit ab omni infeſtatione. Vnde Interlin: *Dabit tibi vmbram contra omnem tribulationem.* Item obumbtabit tibi non lædendo, ſicut vmbra, nec lædit, nec grauat, ſed refrigerium præſtat. Item *obumbrabit tibi*, id eſt, de carne tua corpus quaſi vmbraculum ſibi contemperabit. Item *obumbrabit tibi*, id eſt, te vel carnem ſumptam in te in vmbraculum Eccleſiæ præparabit. Item *obumbrabit tibi*, id eſt, ſecretam hanc generationem te ſola conſcia operabitur. Vnde *Beatus Bernardus.* Illi ſoli datum eſt poſſe, cui ſoli datum eſt experiri dicatur igitur: *Et virtus Altiſſimi obumbrauit tibi*, id eſt, illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus, ſic in ſuo ſecretiſſimo conſilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus ſibi tantum notus habeatur, & tibi. Item *obumbrabit tibi*, id eſt, obiectione carnis vmbram faciet tibi, vt poſsis ſuſtinere lumen Diuinitatis. *Gloſſa*, virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, dum incorporea iux Diuinitatis corpus in ea ſuſcepit Humanitatis, vt ſic poſſet Deum pati, quaſi dicat: aliter non poſſes; Vnde nota quod vmbra corporis ſolet fieri aliquo corpore interpoſito luminoſo, veluti cum aliquod corpus obijcitur corpori luminoſo: ſic caro de Virgine aſſumpta obiecta eſt quaſi nubes luci Diuinæ, & hæc obiectio facta eſt opere Spiritus Sancti, & ita obumbrabit Virginem, quia ſine hac obumbratione non poſſet eum ſuſtinere. *Hugo Cardinalis.*

Spiritus Sanctus de carne Virginis corpus Chriſti quaſi vmbraculum, ſibi contemperabit.

Spiritus Sanctus ſecretam generationẽ B. Virgine conſcia operatus eſt.

B. Virgo ſine obumbratione Spiritus Sancti non poſſet lucem Diuinam ſuſtinere.

Gratia Spiritus Sancti Virginem protexit ab omni infeſtatione.

Dub. 70. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 35. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* An hic ſplendeat Myſterium Trinitatis?

Reſp. Vbi Chriſtus naſcitur ex ſemine Abrahæ eiuſdem Chriſti Filij Dei Incarnationem præſentia ſuæ maieſtatis tota Trinitas in hoſpitio virginei ventris operatur, & exinde nomen eiuſdem Trinitatis, nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti toto mundo publica prædicatione declaratur. Nam Pater eſt qui Virginem imprægnat, Filius qui natura induitur humana, Spiritus Sanctus cu-

Trinitas Incarnationem Verbi operata eſt.

ius

ius operatione concipit Virgo, quæ virum non nouerat. *Rupertus lib. 5. in Geneſim, cap. 37.* à nobis eſt Virgo à ſumma Trinitate Spiritus Sancti obumbratio, ab vtraque partium, tam Patris; ſcilicet, quam Virginis Filij generatio. *Petrus Cellenſis cap. 21. de Panibus.* Vide qualiter Trinitatis manifeſtetur Myſterium. Spiritum enim Sanctum dicens, non alium quam paracletum dicit, per virtutem vero Altiſsimi aperte Filium innuit, nam voce hac Altiſsimi Patris infertur perſona. *Andræas Hieroſolimitanus de laudib. Beatæ Mariæ, col. 2.*

Naturalis fuit productio Ieſu ex Virgine.

Dub. 71. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 35. *Ideoque quod naſcetur ex te.* An productio Domini Ieſu ex Virgine fuit naturalis?

Reſp. Cum hoc quod ſupernaturalis erit modus, ipſum tamen fieri erit naturale. Et vere naturalis fuit productio Ieſu ex Virgine, quoniam in naturali loco, naturali materia, naturalibus actionibus partis vegetatiuæ Beatæ Virginis productus eſt, & propterea vere dicitur Natus, propterea Angelus vere dixit: Naſcetur. *Caietanus.*

Dub. 72. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 35. *Quod naſcetur ex te Sanctum.* Quare dixit ſimpliciter *Sanctum*, abſque additamento?

Reſp. Credo quia non habuit, quod proprie digne ve nominaret, illud eximium, illud magnificum, illud reuerendum, quod de puriſsima Virginis carne cum ſua anima Vnigenito Patris erat vniendum. Si diceret ſancta caro, vel ſanctus homo, vel ſanctus infans, quidquid tale poneret parum ſibi dixiſſe videretur: poſuit ergo indefinite *Sanctum*, quia quidquid illud ſit, quod Virgo genuit ſanctum proculdubio, ac ſingulariter ſanctum fuit, & per ſpiritus ſanctificationem, & per Verbi Aſſumptionem, & per aliorum ſanctificationem. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus ſingulariter Sanctus.

Dub. 73. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 35. *Vocabitur Filius Dei.* Cur non dixit Angelus Beatæ Virgini vocabitur Filius tuus?

Reſp. Vocabitur Filius Dei, & Filius tuus, vt non ſint duo Filij, ſed vnus amborum Filius. Et hæc eſt ſingularis prærogatiua Mariæ, quod eundem Filium habere meruit cum Deo Patre communem, vt dicit *B. Bernardus. Hugo Cardinalis.*

Singularis prærogatiua Mariæ, quod eundem Filium habere meruit cum Deo Patre communem.

Dub. 74. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 36. *Et ecce Eliſabeth cognata tua.* Quommodo Eliſabeth dicitur cognata ſemper Virginis?

Reſp. Ioachim habuit vxorem nomine Annam, quæ habuit ſororem nomine Hiſmeriam, quæ Hiſmeria genuit Eliſabeth, & Anna ſemper Virginem Mariam, & ita ſemper Virgo, & Eliſabeth fuerunt conſobrinæ Filiæ duarum ſororum, & ideo vocat Eliſabeth cognatam ſemper Virginis Mariæ quoniam de veteri Lege, vt habetur in vocabulario iuris, cognati vocantur omnes, qui per virilem ſexum, vel fœmineum in cognatione ſunt coniuncti. Agnati vero qui ſolum per virilis ſexus lineam coniuncti ſunt in conſanguinitate, & ideo ipſe duæ dicuntur cognatæ. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 4. Quatuor Temporum, dub. 34. Iacobus de Voragine in legenda Sanctorum de Natiuitate Virg.*

B. Virgo, & Sancta Eliſabeth fuerunt conſobrinæ, Filiæ duarum ſororum.

2. Reſp. Certa eſt cognatio inter Mariam, & Eliſabeth, ſed incertum eſt quommodo. Genealogias enim earum ſecundum vtrumque ſexum neſcio. Hoc tamen certum in Sacra Scriptura eſt, quod domus Dauidis mixta erat cum domo Aaron. Vxor enim Ioiadæ Pontificis fuit ſoror Ochoziæ, Regis Iuda, vt patet in 4. *lib. Reg.* Vnde nihil obſtat huic cognationi, quod Eliſabeth fuerit de tribu Leui, ac filiabus Aaron, Beata autem Virgo de tribu Iuda, ac filiabus Dauidis. *Caietanus.*

Domus Dauid mixta eſt domo Aaron.

Nihil obſtat cognationi inter Eliſabeth, & B. Virginem, quod Eliſabeth fuerit de tribu Leui, B. Virgo de tribu Iuda.

Dub. 75. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 36. *Et ecce Eliſabeth.* Cur Angelus, exemplo Eliſabeth ſterilis quæ conceperat, probat quod ſemper Virgo deberet concipere; maius enim eſt Virginem parere, quam ſterilem, & maius non debet probari per minus?

Reſp.

Sterilles peperunt, vt credatur partus Virginis.

Resp. Dicendum quod sicut *Ambros. dicit in Hexameron*, ob hoc multæ steriles peperunt, vt partus credatur Virginis, & ideo conceptus Elisabeth sterilis inducitur, non quasi sufficiens argumentum, sed quasi quoddam figurale exemplum, & ideo ad confirmationem huius exempli subditur argumentum efficax ex omnipotentia Diuina. *D. Thom. 3. p. quæst. 30. art. 4. ad 3.*

Dubitatio B. Virginis de conceptu magis fuit admirationis, quã incredulitatis.

2. Resp. *Augustinus*, tamen videtur dicere quod dubitauit; dicitur enim in *lib. quæst. Veteris, & Noui Testamenti.* Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem Angelus prædicat. Sed talis dubitatio magis est admirationis, quam incredulitatis, & ideo probationem Angelus inducit, non ad auferendam incredulitatem, sed magis ad remouendam eius admirationem. *D. Thom. ib. ad 2.*

Diuinæ sapientiæ dispositio instruere hominem sensibiliter exẽplis firmare, & cõsolari.

3. Resp. Nec hæc in testimonium attulit Angelus ad tollendum à Beata Virgine aliquid ambiguitatis; sed ad etiam suauiter humano more per exemplum sensibile firmandam integram Beatæ Virginis fidem; habet enim hoc suauis Diuinæ sapientiæ depositio, vt hominem naturaliter per sensibilia cognoscentem sensibiliter quoque exemplis instruat, firmet, consoletur. *Caietanus.*

Dub. 76. Ad illa verba, cap. 1. vers. 38. *Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini.* Cur modo assentit Beata Virgo?

Ex ore B. Virginis pependit salus omnium filiorũ Adam.

Resp. Hucusque audiuit Virgo factum, audiuit, & modum; vtrumque mirum, vtrumque iocundum, propter quod dicitur ei *Sophon. 3. Lauda Filia Sion, Iubila Filia Ierusalem. B. Bernardus.* Quoniam auditui tuo datum est gaudium, & lætitia, audiamus & nos responsum tuum, quod desideramus, vt iam exultent ossa humiliata. Expectat Angelus responsum tuum; tempus enim est, vt reuertatur ad eum qui misit eum. Expectamus & nos ô Domina verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertas tibi pretium nostræ salutis, statim liberabimur si consentis in sempiterno Dei Verbo, facti sumus omnes, & ecce morimur, in tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te ô pia Virgo flebilis Adam cum misera sobole sua, exul de Paradiso. Hoc Abraham. Hoc Dauid, hoc cæteri flagitant sancti Patres tui; quia, & ipsi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Hoc Angelorum Chorus. Vnde *Cant. 8. Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Nec immerito, quoniam ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam. Da Virgo responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant, & superi. Ipseque omnium Rex, & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat, & responsionis assensum, in quo nimirum proposuit saluare mundum, & cui placuisti in silentio, iam magis placebis in verbo, cum ipse clamet è cœlo. O pulcherrima inter mulieres, fac me audire vocem tuam! Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem tuam. Nunquid non est hoc quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, ac noctibus orando suspirabas. Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Immo tu ipsa es non alia, tu inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata ex qua Pater sanctus tuus Iacob morti appropiuquans, vitam sperabat æternam cum dicebat. *Genes. 49. Expectabo salutare tuum Domine.* Quid ab alia speras, quod tibi offertur. Responde verbum, & suscipe verbum, profert tuum, & concipe Diuinum, emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundiam, fiduciam; nullatenus conuenit nunc, vt virginalis simplicitas obliuiscatur pru-

den-

dentiam, in hac ſola re ne timeas prudens Virgo præſumptionem, quia etſi grata in ſilentio verecundia fuit, magis tamen nunc in verbo pietas neceſſaria eſt. Aperi ergo Beata Virgo cor fidei, labia confeſsioni, viſcera creatori; ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium. O ſi te immorante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere, quem deſiderat anima tua, ſurge igitur, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confeſsionem: *Ecce*, inquit, *Ancilla tua, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ecce humilitas reſpondet, vt ſedes gratiæ præparetur, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Iacobi 4. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo repentina promiſsione Angeli non eſt exaltata.

2. Reſp. Vide autem humilitatem Virginis, vide deuotionem, Ancillam ſe dicit, quæ Mater eligitur, nec repentina exaltata promiſsione eſt. Mitem enim, humilemque paritura humilitatem debuit, etiam ipſa præferre. Simul etiam Ancillam ſe dicendo, nullam ſibi prærrogatiuam tantæ gratiæ vindicauit, quim faceret quod iuberetur. *D. Ambroſius.*

B. Virgo mitem, & humilem paritura humilitatem prætulit.

3. Reſp. Alius aliud quiddam in præſenti ſermone Virginis extollet apicibus. Hic quidem conſtantiam, hic obedientiæ promptitudinem, alius quod non allecta eſt tam ſplendidis, & arduis per magnum Archangelum promiſſis pollicitis, alius quod non exceſsit modum in dando inſtantias, ſed æqualiter cauit, & Euæ læuitatem, & Zachariæ in obedientiam. Mihi autem humilitatis profunditas, non minus conſpicitur admiranda. *Euſebius.*

Humilitas profunda Virginis maximè admiranda.

4. Reſp. Per ineffabile namque Sacramentum concepto ſancto partu inuiolabili ſecundum veritatem, vtriuſque naturæ eadem Virgo Ancilla Domini fuit, & Mater. *D. Gregorius Magnus 18. Moral.*

B. Virgo Ancilla Domini fuit, & Mater

5. Reſp. Quæ eſt iſta ſublimis humilitas, quæ honori cedere neſcit, inſoleſcere gloria non nouit, Dei Mater eligitur, & Ancillam ſe nominat, non magnum eſt humilem eſſe in abiectione, magna vero prorſus, rara virtus, humilitas honorata. *D. Bernardus homil. 4. ſupermiſſus eſt.*

Magna virtus humilitas honorata.

6. Reſp. Non plus interrogat, ſed promptam ſe exhibet, & quanto magis ſe audiuit eleuandam in Matrem Meſsiæ Filij Dei, tanto magis ad humilitatis gremium confugit, & ſe Ancillam recognoſcit, & offert. *Caietanus.*

B. Virgo quanto magis ſe audiuit eleuandam in Matrem Dei; tanto magis ad humilitatis gremiũ confugit.

Dub. 77. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Ecce Ancilla Domini.* Cur dicitur *ecce*, ter in hac Salutatione?

Reſp. Dicitur enim ter *ecce*, quia tria magnalia, alta, & tranſcendentia ſunt acute, & aſſute attendenda, & contemplanda, in iſta benedicta Incarnatione, primo quod Deus amore noſtri factus ſit homo, hoc eſt, pluſquam ſi aurum fieret lutum, vel cœlum plumbum, & huiuſmodi creator factus eſt creatura, Rex ſeruitor, & Dominus ſeruus, diues pauper, & omnipotens debilis, æternus temporalis, infinitus amore noſtri factus eſt finitus, & paruus, vt formica in humanitate, immenſus circunſcriptus in vtero virginali, impaſsibilis factus eſt paſsibilis, nullus intellectus poteſt cogitare, nec comprehendere iſtam benignitatem, totum hoc fecit ad adiuuandum noſtram fragilitatem. *D. Vincentius Ferrer ſerm. hodierno.*

Nullus intellectus poteſt capere benignitatem Incarnationis Dei.

Dub. 78. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Ecce Ancilla Domini.* Quare Beata Virgo ſe Ancillam vocat?

Reſp. Nota quatuor ſunt in bona Ancilla, quæ fuerunt in Beata Virgine. Prompta, humilis, obediens, prudens. Prompta fuit Virgo Beata, vnde dixit *ecce*, in quo reprehenditur tarditas noſtra, quia tota die audimus verbum Angeli, id eſt, Prædicatoris, & nunquam dicimus *ecce*. 1. *Reg.* 3. Vocauit Dominus Samuel, qui reſpondens, ait: *Ecce ego.* Item humilis fuit, vnde dixit: *Ancilla Domini*, in quo reprehenditur ſuperbia multorum, qui de gratia ſibi data ſuperbiunt, & inflantur. *Iudæ 1. Impij Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Item obediens fuit.

Quatuor ſunẽ in bona Ancilla quæ fuerunt in B. Virgine, prompta, humilis, obediens, prudens.

Tarditas hominis nõ reſpondentis Deo vocanti

Vn-

Superbiunt multi de gratia ſibi data.

Vnde dixit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, non meum, in quo multorum inobedientia reprehenditur, qui in eis quæ ſibi placent obediunt; in alijs murmurant, quibus oportet dicere. Sicut Dominus dixit cæco: *Quid tibi vis faciam?* Item prudens fuit, quod notatur per tria. Primo, quia cognouit de verbis Angeli illud, quod melius erat; ſcilicet, Dominus Tecum. Vnde dixit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, non meum. Secundo, quia ſciuit, quid inde ſequebatur; ſcilicet, ſua beatificatio. Vnde *Ecce enim ex hoc beatam me dicent.* Tertio, quia præuidit in ſe totum mundum gauiſurum: vnde dicit omnes generationes, non vna tantum. 1. *Reg.* 25. *Miſit Dauid, & locutus eſt ad Abigail, vt acciperet eam ſibi in vxorem, quæ conſurgens adorauit pronain terrâ*, ait: *Ecce famula tua ſit in Ancillam. Hugo Cardinalis.*

Obediũt multi in eis quæ ſibi placent.

B. Virgo cognouit de verbis Angeli, quod melius erat.

B. Virgo præuidit in ſe totum mũdum gauiſurum.

Dub. 79. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Ecce Ancilla Domini.* Quare Deus decreuit hoc myſterium fieri intercedente Virginis conſenſu?

Reſp. Noluit Deus carnem ſumere ex Beatiſsima Virgine ſine eius conſenſu, ſicut Eua formata eſt ex coſta Adami, ipſo dormiente, vt ſignificetur, quod aliter ſe habet Deus in creatione, aliter in reſtauratione, ac ſalute noſtra; nam in creatione vtitur potentia ſua independenter à noſtra voluntate; at in ſalute noſtra non vult ita effici, niſi cooperantibus nobis, & conſentientibus. *Pater Silueira hic.*

In creatione vtitur Deus ſua potentia.

In reſtauratione, ſeu reformatione noſtra non ita fit niſi cooperantibus nobis, & conſentientibus.

Dub. 80. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Ecce Ancilla Domini.* Cur Deum conceptura meminit ſe eſſe Ancillam?

Reſp. Grandi enim myſterio, Altiſsimoque Deitatis inſtinctu, conceptura Deum ſui meminit ancillatus, vt orientem à ſe Filium mundi obſequio manciparet. *D. Thomas de Villanueua ſerm. 1. de Annuntiat.*

B. Virgo Filiũ ſuum mũdi obſequio mancipauit.

Dub. 81. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* An prolatis his verbis facta fuerit Incarnatio Verbi?

Reſp. Scito nos credere, quod ſtatim prolatis his verbis concepit in vtero Filium Dei, & impletum eſt verbum Angeli: *Ecce concipies in vtero.* Quod etiam apparet ex eo, quod octauo Kalendas Aprilis Annuntiatio hæc fuit, & octauo Kalend. Ianuarij Ieſus eſt natus, & nihilominus in promptu eſt ratio, quia nulla erat differendi ratio, completa Angelica Annuntiatione, & virginei, atque humilis aſſenſus oblatione conſumata. *Caietanus.* Notate hic deuote, quando Virgo Maria dixit primum verbum; ſcilicet, *Ecce*, non ſtatim fuit grauida, nec Mater Dei effecta, nec in ſecundo, nec in tertio, ſed in vltimo; ſcilicet, Tuum, & tunc ſtatim Virgo adorauit Deum in vtero ſuo, quem non videbat oculis ſui corporis, ſed mentis; ſic eſt etiam in conſecratione Hoſtiæ in Miſſa, non in primo verbo, nec in ſecundo, eſt ibi corpus Chriſti, ſed in vltimo, & tunc Sacerdos adorat Hoſtiam grauidam, & tunc vos debetis adorare, non ante, ſic Virgo Maria fecit. *D. Vincentius Ferrer ſerm. hodier.* Vbi Virgo audiuit, quod Mater Filij Dei eſſet futura, nec propter hoc virginitatem quam Deo vouerat amiſſura, ſumma repleta lætitia, genu terræ poſito expanſis manibus, oculiſque ad cœlum erectis cum lachrymis dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Statimque Filius Dei in vtero virginali, de ipſius ſemine Spiritu Sancto operante conceptus eſt, perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Cuius corporis formatio, & organizatio non quadraginta, ſeu quadraginta quinque dierum numerum expectauit, ſed mox ipſo inſtanti, vt Virgo verbum protulit Diuina operante omnipotentia, perfecta, & integralis facta fuit. *Petrus de Natalibus, Ordinis Prædicatorum.*

B. Virgo prælatis his verbis: Ecce Ancilla, cõcepit Filium Dei.

B. Virgo in vltimo verbo quod protulit concepit Filium Dei.

In conſecratione Hoſtiæ nõ in primo, nec in ſecundo verbo, ſed in vltimo eſt ibi corpus Chriſti.

Formatio, & organizatio corporis Chriſti facta eſt Spiritu Sancto operante, ipſo inſtanti, vt Virgo verbum protulit.

Dub. 82. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 38. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quo die Virgo concepit?

Reſp. Virgo cum Chriſto cru-

ci-

Eodem die Virgo concepit Filium, quo Filius etiã fuit paſſus.

cifixa eſt in hora huius conceptionis, & in ſignum quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit ſumma ſapientia Dei, quod eodem die Virgo Chriſtum concepit, quo etiam fuit paſſus. *D. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 6. art. 2. cap. 1.*

Chriſtus in vere conceptus.

2. Reſp. Concipi autem in vere voluit Dominus, quia eo tempore conceptionis cauſa, id eſt, peccatum Adæ commiſſum eſt. Solent enim eo tempore potiſsimum adhiberi remedia, quo vulnera ſunt inflicta. 1. *Machab. 4. Secundum tempus, & diem in qua contaminauerunt illud gentes, in ipſa renouatum eſt.* Item in vere incipit renouatio terræ naſcentium, ideo in vere debuit concipi, qui eſt principium, & Author renouationis hominum. *Apoc. 21. Ecce noua facio omnia.* Item in martio concipi voluit, quia in martio factus eſt mundus, & ideo congruum fuit, vt recreatio mundi in eodem inciperet. Item in menſe nouorum concipi voluit, quia *nouum creauit Dominus ſuper terram fœmina circundabit virum, Ierem. 31.* Item tunc ſpicæ confricantur cum Saluator concipitur, quia incepit tempus, vt homines excuſsis palleis temporalium conſecrarentur Domino. Item ſexta die concipi voluit, quia ſexta die hominem creauit, pro cuius reparatione homo fieri voluit. *Hugo Cardinalis.*

Chriſtus principium renouationis hominum.

Chriſtus in martio concipi voluit, in quo factus eſt mundus.

Chriſtus ſexta die voluit concipi.

Dub. 83. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.* Cur Beata Virgo abiit in montana?

Reſp. Angelus cum abſcondita nunciaret, vt fides aſtrueretur, exemplo fœminæ ſterilis conceptum Virginis nuntiauit. Vbi hoc audiuit Maria, non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, Religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana perrexit. *D. Ambroſius.*

B. Virgo plena gaudio, feſtinaperrexit in montana.

B. Virgo optabat cõgaudere Sanctæ Eliſabeth, & obſequi.

2. Reſp. Quia iam plena fuit Spiritu Sancto, ſpiritualique gaudio charitatis feruore, & ſanctæ dulcedine deuotionis feſtinanter proceſsit prætertim, quia & cognatæ congaudere optauit, & obſequi. *Cartuſianus.*

B. Virgo bona ſua alijs impartitur.

3. Reſp. Vt de plenitudine gratiæ ſuæ nobis impertiret, & vt Regina totius vniuerſi, ac communis perſona effecta bona ſua ſuis communicaret. *Pater Silueira hìc.*

Oratio præuia omnibus operibus B. Virginis.

Dub. 84. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 39. *Exurgens autem Maria.* Vnde ſurrexit ſemper Virgo, quando abijt in montana?

Reſp. Quia à quiete deuotionis, & orationis, quæ erat præuia omnibus operibus eius. *Lyranus. Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 6. Quatuor Temp. Aduent.*

Dominus Ieſus in vtero Virginis feſtinabat Ioannem ſanctificare.

Dub. 85. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 39. *Cum feſtinatione.* Cur Beata Virgo abijt cum feſtinatione?

Reſp. Ieſus enim qui in vtero illius erat feſtinabat adhuc in ventre Matris Ioannem poſitum ſanctificare. *Origenes.*

Frequentias fugiebat.

2. Reſp. Neſcit tarda mollimina Spiritus Sancti gratia. Diſcite virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. *D. Ambroſius.*

Mulieres in initio cõceptionis miſerabiliter affliguntur, ſecus B. Virgo in conceptione Filij.

3. Reſp. In ipſo conceptionis initio, quando potiſsimum cæteræ mulieres, miſerabilius affliguntur Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Eliſabeth miniſtraret; ſed & aſcendit Bethelem imminente iam partu portans pretioſiſsimum illud depoſitum portans onus leue. *D. Bernardus ſerm. in ſignum magnum.*

B. Virgo non morabatur in publico.

4. Reſp. Ideo abiit cum feſtinatione, vt oſtenderet quod Virgo, non debet morari in loco publico, nec ibi contrahere colloquia. *Lyranus.*

B. Virgo ſola feſtinabat in montana.

5. Reſp. Cum feſtinatione. *Gloſſ.* propter gaudium, vel quia non gaudet diu in publico videri, vnde ſatis patet, quod non gaudet de diuturna frequentia, quia ſola feſtinabat in montana. *Hugo Cardinalis.*

Mulieres in itinere non ſe ſpectandas exhibeant.

6. Reſp. Cum feſtinatione tum ad celeriter viſitandam cognatam ſenem, tum vt in itinere non moraretur, inſtruens exemplo virgi-

nes

nes festinas esse in itinere, & non moroso gradu spectandas se exhibere. *Caietanus.*

Dub. 86. Ad illa verba, cap. 1. vers. 39. *Abiit cum festinatione.* Quare cum Beata Virgo tendit in domum Elisabeth festinatio eius exprimitur; cum vero in domum suam reuertitur non ponitur, quod reuersa est cum festinatione?

Iusti velocius volant ad laborem, & vt alijs opẽ ferant quam ad quietem, ac vt sibi consulant.

Respondeo, quod Beatissima Virgo tendit ad Elisabeth, vt Ioannem sanctificaret, ac cognatæ debita præstaret obsequia; reuertitur in domum suam, vt quieti, ac solitæ contemplationi insisteret, & iusti, ac sancti velocius volant ad laborem, ac vt alijs opem ferant, quam ad quietem, ac vt sibi consulant. *Pater Silueira tom. 1. lib. 11 cap. 7. quæst. 14.*

Deo plena ad superiora ascendebat.

Dub. 87. Ad illa verba, cap. 1. vers. 39. *Abiit in montana.* Cur dicitur, quod abiit in montana?

Resp. Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet. *D. Ambrosius.*

B. Virgo ex humilitate prius salutauit Elisabeth & quia iunior.

Dub. 88. Ad illa verba, cap. 1. vers. 40. *Intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.* Cur Beata Virgo prius salutauit Elisabeth?

Resp. Hoc fecit ex humilitate, & quia erat iunior, quæ debet deferre senioribus, & etiam causa pietatis, quia venerat, vt adiuuaret. *Antonius Gistandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 6. Quatuor Temp. Aduentus.*

Iuuenes deferant senibus.

2. Resp. Discite Virgines humilitatem Mariæ, venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem, nec solum venit, sed & prior salutauit. *D. Ambrosius.*

B. Virgo quãto castior, tãto humilior.

3. Resp. Decet enim, vt quanto castior Virgo, tanto humilior sit, noueritque deferre senioribus. Sit Magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. *Diuus Ambrosius.*

B. Virgo cõsueuerat venire ad Elisabeth, propter cognationẽ.

Dub. 89. Ad illa verba, cap. 1. vers. 40. *Et salutauit Elisabeth.* Cur ad solam refugit Elisabeth?

Resp. Ad solam autem refugit Elisabeth; sic enim consueuerat propter cognationem, & propter cetera huiusmodi coniunctionem. *Græcus.*

Dub. 90. Ad illa verba, cap. 1. vers. 41. *Et factum est, vt audiuit Salutationem Mariæ Elisabeth.* Quommodo Ioannes audiuit vocem semper Virginis, qui adhuc non habebat vsum auditus, nec aliorum sensuum?

S. Elisabeth prior audiuit vocem Virginis, sed Ioannes prior gratiam sensit.

Resp. Vide distinctionem singulorumque verborem proprietates, vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit, illa naturæ ordine audiuit, iste exultauit ratione mysterij, illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum. *D. Ambrosius.*

D. Ioannes Baptista exultauit in ventre Matris ratione mysterij.

Dub. 91. Ad illa verba, cap. 1. vers. 41. *Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Cur Elisaberh repleta Spiritu Sancto?

S. Elisabeth repleta Spiritu Sancto, propter Filium.

Resp. Non autem antea repletus fuerat spiritu donec assisteret, quæ Christum gerebat in vtero tunc autem, & spiritu erat plenus & resultabat in parente. Non autem dubium est, quin quæ tunc repleta est Spiritu Sancto, propter Filium sit repleta. *Origenes.*

Ex voce Mariæ distributus Spiritus Sanctus ordine quodam, primo in Ioannẽ, deinde in Matrẽ.

2. Resp. Postquam repletus est Ioannes Spiritu Sancto, repleta quoque est Elisabeth Spiritu Sancto: vt ordine quodam distributus intelligatur Spiritus Sanctus ex voce Mariæ. *Caietanus.*

B. Virgo salutanda frequẽter, vt in eius Salutatione gratia repleamur.

3. Resp. Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, ad vocem Salutationis Mariæ, ideo salutanda est frequenter, vt in eius Salutatione gratia repleamur. De ipsa enim specialiter dictum est, *Psalm. 14. Diffusa est gratia in labiis tuis*, vnde gratia ex labijs eius fuit. *Hugo Cardinalis.*

Summa laus B. Virginis, quod sit repleta Spiritu Sancto.

4. Resp. Dicitur repleta Spiritu Sancto, vt Virginem laudaret, cum de Simeone, vt Christum magnificaret dicat Euangelista Spiritum Sanctum esse in illo, tantum exigitur, vt Virgo laudetur, quod Spiritus Sanctus esse dicatur in illa. *Pater Silueira hic.*

Dub. 92. Ad illa verba, cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres.* An hæc verba sint imprecantis, an asserentis?

Resp. Non imprecatiue, sed assertiue dicuntur hæc verba; iam

B. Virgo benedicta merito, & aliorũ vocibus.

enim conceperat Filium Dei, & erat super omnes mulieres benedicta merito, etsi non adhuc aliorum vocibus. *Caietanus.*

Nulla vnquã creatura tanta fuit gratiæ particeps, sicut B. Virgo.

Dub. 93. Ad illa verba, cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres.* Cur inter mulieres benedicta?

Resp. Nulla enim vnquam tantæ fuit gratiæ particeps, aut esse poterat. Vnius enim Diuini germinis parens est vnica. *Origenes.*

Dub. 94. Ad illa verba, cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres.* Cur dicitur inter mulieres, & non super mulieres benedicta?

Maria super mulieres benedicta, quia Mater cum virginitate.

Resp. Inter, quia mulier sexus fragilitate. *Ioann. 2. Quid mihi, & tibi est mulier.* Et 19. *Mulier, ecce Filius tuus.* Super, quia Virgo cum fœcunditate, & Mater cum virginitate. Item non solum benedicta inter mulieres, quia hoc parum videretur; sed inter benedictas maiori benedictione insignis. *Ecclesiast. 24. In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.* Item benedicta tu singulariter, quia præ omnibus prolis nobilitate glorificata, quia Filium Dei genuit, & multitudine prolis fœcundata, quia in vnico Filio suo Mater effecta est specialiter omnium electorum, quorum primogenitus Christus, vnde *Lucæ 2. Peperit Filium suum primogenitum. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo præ omnibus prolis nobilitate glorificata.

In vnico Filio suo Mater electorum facta est.

Dub. 95. Ad illa verba, cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres,* Propter quæ Beata Virgo specialiter dicitur benedicta?

Resp. Tria fuerunt in ea, propter quæ specialiter benedicta. Primum est humilitas, qua se vacuam ostendit, & ideo impleri meruit. Vnde dictum est ei: *Aue gratia plena.* Secundum est solitudo, quia frequentias hominum fugit, propter quod Dominum committem habere meruit. Vnde dictum est: *Dominus Tecum.* Tertium est virginitas, cuius amore hominum maledicta contempsit, & ideo dicitur supra, & hic: *Benedicta.* Benedicitur ab Angelo, quia Triumphantem Ecclesiam reparauit, benedicitur ab Elisabeth, quia Ecclesiam Militantem iam fere mortuam suscitauit. Nos etiamsi volumus à Deo benedici hęc tria custodiamus humilitatem, vt gratia repleamur. *Lucæ 1. Esurientes implebit bonis.* Item solitudinem, vt Dominum committem habeamus. *Exodi 3.* Legitur quod Moyses solus erat, quando Dominus apparuit ei, & Agar. *Gen. 16.* & Elias. *3. Reg. 19.* Item castitatem, cuius amore debemus contemnere maledicta hominum, vt a Domino benedicamur. *Psalm.* Maledicent illi, & tu benedices. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo Ecclesiã Triumphantem reparauit, Militantem suscitauit.

B. Virgo propter humilitatẽ gratia impleri meruit.

B. Virgo meruit Deum habere commitem, quia frequentias hominum fugiebat.

Dub. 96. Ad illa verba, cap. 1. vers. 42. *Benedictus fructus ventris tui.* Cur Elisabeth benedicit fructum ventris Virginis Mariæ?

Eua non inuenit cuncta quæ desiderabat in fructu quem comedit.

Resp. Peccator aliquando quærit in aliquo quod non potest consequi, sed consequitur illud iustus. *Prouerb. 13. Custodituriusto substantia peccatoris.* Sic Eua quæsiuit fructum, & in illo non inuenit omnia, quæ desiderauit Beata autem Virgo in fructu suo inuenit omnia, quę desiderauit Eua. Nam Eua in fructu suo tria desiderauit. Primo id, quod falso promisit ei diabolus; scilicet, quod essent sicut Dij scientes bonum, & malum, eritis, inquit, ille mendax, *sicut Dij:* sicut dicitur *Genes. 3.* Et mentitus est, quia mendax est, & pater eius. Nam Eua propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis, quia peccando recessit à Deo salutari suo, vnde & expulsa est de Paradiso. Sed hoc inuenit Beata Virgo, & omnes Christiani in fructu ventris sui, quia per Christum coniungimur, & assimilamur Deo. *1. Ioan. 3. Cum apparuerit similes ei erimus.* Secundo in fructu suo Eua desiderauit delectationem, quia bonus ad edendum, sed non inuenit, quia statim inuenit secundam, & habuit dolorem, sed in fructu Virginis suauitatem inuenimus, & salutem, *Ioann 6. Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Tertio fructus Euæ erat pulcher aspectu, sed pulchrior fructus Virginis, in quem desiderant Angeli prospicere. *Psalm. Speciosus forma præ Filiis hominum,*

Per Christum cõiungimur, & assimilamur Deo.

In fructu Virginis suauitatem inuenimus, & salutem.

&

Quæ deſiderat homo inueniet infructu Virginis.

& hoc eſt, quia eſt ſplendor paternæ gloriæ. Non ergo potuit inuenire Eua in fructu ſuo, quod nec quiſlibet peccator in peccatis, & ideo quæ deſideramus quæramus in fructu Virginis. *D. Thom. opuſc. 4. ſuper Aue Maria.*

Dub. 97. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Cur Eliſabeth prius Matrem dicit benedictam, deinde fructum benedictum appellat?

Chriſtus, vt Filius B. Virginis peculiari modo benedictus.

Reſp. Prius Matrem dicit benedictam, deinde fructum benedictum appellat, nam quamuis Chriſtus Dominus, vtpote Dei Filius, ſit per naturam benedictus, & ſanctus; tamen cum ſit Filius Virginis Mariæ peculiari modo dicitur etiam benedictus. *Pater Silueira tom. 4. lib. 6 cap. 40. quæſt. 15. n. 91.*

B. Virgo venerata ab Angelis, & hominibus.

Dub. 98. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 42. *Benedicta tu inter mulieres.* Cur eadem voce benedicitur ab Angelo, & ab Eliſabeth?

Reſp. Eadem autem voce ab Eliſabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus, & Angelis, & hominibus veneranda monſtretur. *Beda.*

B. Virgo benedicta cum limitatione, Ieſus dicitur benedictus abſolutè.

Dub. 99. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Cur Eliſabeth Beatam Virginem benedictam appellat cum limitatione inter mulieres?

Reſp. Vide differentiam, nam Mariam benedictam cum limitatione; ſcilicet, inter mulieres dicit: Ieſum autem benedictum abſolutè, abſque vlla limitatione. *Caietanus.*

B. Virgo benedicta, propter fructum ventris.

Dub. 100. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 42. *Benedictus fructus ventris tui.* Cur Angelus non dixit benedictus fructus ventris tui, ſicut dixit Eliſabeth?

Reſp. Ideo Angelus hoc non dixit, quia tunc ſemper Virgo nondum conceperat Filium Dei, & ideo nullus adhuc fructus erat in ventre; nunc autem iam fructus erat in ventre, ideo benedictus fuit ab Eliſabeth. *Lyranus. Antonius Giſtandis.*

Dub. 101. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Cur Salutationem Angelicam pro maiori parte Angelus, pro minori vero Eliſabeth fecit?

Laus caſtorũ acceptior B. Virgini, quam coniugatorum.

Reſp. Nota Salutationem Beatæ Virginis pro maiori parte Angelus, pro minori Eliſabeth fecit, quia acceptior eſt illi laus caſtorum, quam coniugatorum, & etiam ipſi Filio. *Apocal. 14. Et nemo poterat dicere canticum iſtum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra, hi enim ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Hugo Cardinalis.*

In calce huius dubij: Quæres. Quis fuit inuentor huius formæ recitandi Angelicam Salutationem centies & quinquagies, ſicut cum recitamus Roſarium, facimus.

Roſarium Beatæ Virginis à B. P. N. Dominico inſtitutum.

Reſp. Quod Roſarium Beatæ Virginis à B. P. N. Dominico eſt inſtitutum. Vnde Breuiarium Ordinis Prædicatorum, *Lect. 4. in Feſt. Sanctiſſimi Roſarij*, ſic habet: *Eſt autem Roſarium, ſiue Pſalterium ſacra quædam formula precandi Deum in honorem Mariæ: qua centies & quinquagies recitata Angelica Salutatione inſtar Dauidici Pſalterij, & cuilibet decadi interiecta oratione Dominica, per quindecim decades, quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria pijs meditationibus percenſentur. Huius autem adeo præclari inuenti, Beatiſsima Deipara edocente, ductorem fuiſſe Sanctum Dominicum, certum eſt, quod etiam Romani Pontifices Leo Decimus, Pius Quintus, Gregorius Tertius Decimus, ac Sixtus Quintus, Apoſtolicis diplomatibus profitentur.* Et quidem *Leo Decimus* in Bulla quæ incipit: *Paſtoris æterni*, ſic ait: *Quod olim, prout in hiſtoriis legatur à Sancto Dominico, quædam confraternitas Vtriuſque ſexus fidelium, de Roſario eiuſdem Beatæ Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ Salutationis inſtituta, & cætera.* B. quoque *Pius Quintus* in Bulla quæ incipit: *Conſueuerunt*, ait: *Ductus, & Spiritu Sancto, vt pie creditur, afflatus B. Dominicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Auctor, reſpiciens modum facilem, omnibus peruium, ac mo-*

dum pium orandi, & precandi Deum; Rosarium, seu Psalterium eiusdem Beatæ Mariæ Virginis nuncupatum: quo eadem Beatissima Virgo Salutatione Angelica centies & quinquagies, ad numerum Dauidici Psalterii repetita, & oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam eiusdem Domini nostri vitam Iesu Christi demonstrantibus, interposita, veneratur, excogitauit. Similiter Gregorius Decimus Tertius in Bulla incipiente: *Monet Apostolus*, ait, *Memores Beatum Dominicum, Ordinis Prædicatorum institutorem, cum & Gallia, & Italia à pernicioſis premerentur hæresibus, ad iram Dei placandam, & Beatissimæ Virginis intercessionem implorandam, piissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium siue Psalterium Beatissimæ Virginis nuncupatur.* Et cætera. Tandem Sixtus Quintus in Bulla quæ incipit: *Dum ineffabilia*, ait; *Attendentes itaque quam Religioni nostræ fructuosum fuerit sanctissimi Psalterij, Rosarij nuncupati, gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, Almæ Dei Genitricis, institutum per Beatum Dominicum, Ordinis Fratrum Prædicatorum Auctorem, Spiritu Sancto, vt creditur afflatum, excogitatum.* Et cætera. In Theatro vitæ Humanæ, littera M. fol. 227. littera D. hæc habentur: *Pro explorato est, Rosarii formulam prout modo est in vsu, & veneratione, primordia habuisse quoad orationum distributiones, & mysteriorum significationes à S. Dominico anno M.CCXVI. qui sanctissimam huius nominis fraternitatem instituit, quo tempore Albigenses dolis, & armis Italiam Franciæ Regnum deuastabant, & Ecclesiam maximis molestiis afficiebant.* Vide pro hac re *Ioannem Antonium Flaminium. Fr. Theodoricum Appoldia. Fr. Alanum de Rupe in compendio Rosarii, cap. 2. & 8. Fr. Ioannem Lupum, Episcopum Monopolitanum, lib. 1. Rosarii, cap. 4. Fr. Hieronymum Taix lib. 3. cap. 3. Fr. Antonium Lusitanum in suo Chronico, pagina 11. & 12. Annales Ecclesiasticos anno 1213. Fr. Ferdinandum Castillum 1. part. lib. 1. cap. 11.*

Dices cum Polydoro Virgilio *de inuentione rerum, lib. 5. cap. 9. & Fratre Ioanne de Pineda lib. 20. Monarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. §. 4. & Reuerendissimo P. Fr. Ildephonso de S. Victores, Generali Ordinis S. P. N. Benedicti, in libro, cuius titulus: El Sol del Occidente, præludio 8. cap. 2. num. 22.* Hunc precandi modum fuisse inuentum à Petro Eremita Gallo Ambianensi circa annum 1073. Ergo B. Pater Dominicus non fuit inuentor huius modi precandi.

Resp. Quod de Rosario possumus loqui dupliciter. Vno modo, vt est oratium per calculorum supputationem: aliter vt est deuotio cultus Beatissimæ Virginis Mariæ, complectens potissima vitæ, & mortis Filij Dei, & ipsius Matris mysteria. Primo igitur modo Rosarium accipientes fatemur Petrum Eremitam illud ad inuenisse, & per calculos filo introductos orare docuisse, vt habetur *in theatro vitæ humanæ, littera R. fol. 73. littera H.* Secundo vero modo, vt Rosarium centum & quinquaginta Salutationum Angelicarum, & quindecim orationis Dominicæ repetitionibus, constat à B. P. Dominico Beatissima Dei Genitrice inspirante, & hortante institutum, & inuentum fuisse. *Cardinalis Baronius anno 1095.* cum loqueretur de Petro Eremita ait: Quod Vrbanus Secundus in Concilio Claramontensi, toti Orbi Christiano deuotionem Beatæ Virginis proposuit, atque egit, vt horariæ Preces, & Laudes, quæ officium eiusdem Beatæ Virginis appellari consueuerunt, quæ apud Monachos Eremitas Petri Damiani frequentari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos, quod tunc à Synodo indictum, & à Clericis pie susceptum, ad laicos fuit etiam propagatum: non tamen ibi de hac Rosarij deuotione, nec nomine orarij, vel precum Beatæ Virginis, per calculos, neque Salutationes Angelicas vlla fit mentio. Quare asserendum est,

quod

quod hic modus orandi deuotionis Beatiſsimæ Virginis nomine Pſalterij, ſeu Roſarij inuentus eſt, & inſtitutus à B. Patre Dominico, ipſa Beata Virgine Deiparente oſtendente, confirmante, & fauente. *Fr. Ildephonſus Fernandez in concertatione Prædicatoria, fol.* 12.

Spiritus Sanctus ad humilitatem induit.

Dub. 102. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 43. *Vnde hoc mihi.* Quare Eliſabeth dicit: *Vnde hoc mihi?*

Reſp. Vbique apparet Spiritus Sanctus, ſpiritus humilis corde, in Beata Virgine apparuit: *Ecce Ancilla*, & poſtea in ſubmiſsione ad viſitandam Eliſabeth, & modo apparet in ipſa Eliſabeth, recognoſcente ſe indignam, vt ad eam veniat Beata Virgo. *Caietanus.*

Iuſti indignos ſe reputant beneficiorum Dei.

2. Reſp. Vnde, id eſt, qua mea iuſtitia, vel quibus meis meritis, accidit hoc mihi ſterili, ſeni, maledictæ, vt veniat Mater Domini mei Virgo fœcunda, iuuenis, Benedicta, ad me, non ego ad ipſam, Mater Regis ad Matrem militis. *Hugo Cardinalis.*

Iuſti accepta beneficia Diuinæ gratiæ munus eſſe cognoſcunt.

Dub. 103. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 43. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* An Eliſabeth ignorauit cauſam aduentus ſemper Virginis Mariæ, quia dicit: *Vnde hoc mihi?*

Reſp. Non quaſi ignorans dicit: Scit enim eſſe Sancti Spiritus gratiam, & operationem, vt Mater Domini Matrem Prophetæ ad profectum ſui pignotis ſalutet; ſed quaſi non humani hoc meriti, ſed Diuinæ gratiæ munus eſſe cognoſcat, ita dicit: *Vnde hoc mihi*, hoc eſt, qua iuſtitia, quibus factis, pro quibus meritis. *D. Ambroſius.*

Humilis admiratur de beneficijs acceptis.

2. Reſp. Dicendum quod illud verbum, non erat dubitantis quæſtio, ſed humilitatis admiratio. *Alexander de Ales ſupermiſſus eſt.*

Dub. 104. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 43. *Vnde hoc mihi.* Quare Eliſabeth gratulatur aduentum Beatæ Virginis, & non Chriſti Domini, cum hic duæ viſitationes ſint factæ, vna Virginis, altera Chriſti Domini in vtero exiſtentis?

Idem obſequium, quod præſtatur Beatæ Virgini præſtatur, & Chriſto.

Reſpondeo, quod tanta connexio eſt inter Chriſtum, & Virginem, vt idem ſit obſequium præſtare Beatiſsimæ Virgini, ac Chriſto Domino; vni enim ſine altero nequaquam placeri poteſt. *Pater Silueira hic.*

Sancta Eliſabeth reuelante Spiritu Sancto cognouit Beatam Virginem eſſe Matrem Chriſti.

Dub. 105. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 43. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Vnde cognouit Eliſabeth, quod Beata Virgo eſſet Mater Domini?

Reſp. Reuelante Spiritu Sancto, quo erat impleta, intellexit quid exultatio infantis ſignificaret; ſcilicet, veniſſe Matrem eius, cuius præcurſor erat futurus. *Alexander de Ales vbi ſupra.*

Beata Virgo Mater Dei agnoſcitur ex beneficijs, quæ diffundebat.

2. Reſp. Virginis aduentu maximè lætatur mulier annoſa, magnamque gratiam participat Ioannes etiam in vtero Matris clauſus vſu rationis donatus, maximè exultat, ac magnis donorum gratijs cumulatur. Merito ergo Eliſabeth apud ſe, vt certiſsimum ſtatuit, eam eſſe Matrem Dei, quæ tam larga beneficia in omnes magnos, ac paruos diffundebat. *Pater Siluei-ra.*

Sancta Eliſabeth Virginem, Matrem Domini vocauit, prophetando Filium parituram.

Dub. 106. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 43. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Cur Beata Eliſabeth vocat ſemper Virginem Matrem Domini, cum adhuc non peperiſſet Filium?

Reſp. Hoc fecit præoccupans euentum ex dicto Prophetico, quia iam conceperat Dominum, & prophetando Eliſabeth, quod futurum erat; ſcilicet, quod eum pareret, eam Matrem Domini vocauit. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Feria 6. Quatuor Temp. Aduent. ex Origene.*

Cognouit S. Eliſabeth ex reuelatione Mariam eſſe Deiparam.

2. Reſp. Cognouit etiam cuius eſſet Mater, didicit à Spiritu Sancto, quod erat Mater Dei, & hominis; propter naturam enim humanam, dixit fructus ventris tui, propter Diuinam Domini mei. Hinc habetur, quod in principio, quo concepit Beata Virgo Verbum caro factum eſt. Si enim imperfecta quædam inchoatio prolis fuiſſet, tunc in vtero Virginis

Corpus Christi formatum & anima ipsi infusa in ipsa conceptione

(quemmadmodum in alijs mulieribus est informis materia) non dixisset Elisabeth , imo Spiritus sanctus per eam : *Mater Domini mei* ; quia adhuc tunc non fuisset Mater Dei. Dicta sunt enim hæc verba paucis diebus post Annuntiationem , fundatam itaque hic habent doctrinam formati corporis Iesu Christi (& consequenter infusæ animæ intellectiuæ in principio conceptionis) Theologi, quia ex tunc vere fuit Mater Domini nostri. *Caietanus.*

Maxima exultatio Beatorum, cum audire vocem Virginis, & videre facie B. Virginis meruerunt.

Dub. 107. Ad illa verba, cap. 1. vers. 44. *Ecce enim, vt facta est vox Salutationis in auribus meis.* Quid significat saltus Ioannis?

Resp. Si paruuli necdum nati tnima liquefacta est, vt Maria locuta est. Quid putamus , quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire , & videre faciem , & Beata eius frui præsentia meruerunt. *D. Bernardus serm. 1. de Assumptione.*

Saltus Ioannis in vtero sensibiliter testificabatur Matri Christi

2. Resp. Ex quibus iunctis cum prædictis ab Angelo (quod in vtero Matris replendus esset Spiritu Sancto) apparet quod exultatio hæc exultatio Spiritus Sancti fuerit , causantis saltum illum corporalem ad sensibiliter , modo quo poterat , testificandum Matri , & per ipsum mundo vniuerso , quanto repletus sit interno gaudio ob præsentiam Iesu Christi gestati in vtero à Beata Virgine. *Caietanus.*

Dub. 108. Ad illa verba, cap. 1. vers. 45. *Et Beata quæ credidisti.* Cur S. Elisabeth fidem Beatæ Virginis laudat?

Partus Virginis creditur ex miraculoso conceptu S. Elisabeth.

Resp. Venerat autem Mater Domini visura Elisabeth miraculosum conceptum , quem retulerat Angelus , vt per hoc sequatur credulitas potioris ad Virginem manaturi. Et ad hanc fidem facit sermo Elisabeth dicentis : *Beata quæ credidisti* , quoniam perficientur ea , quæ dicta sunt tibi à Domino. *Origenes.*

B. Virgo credendo fidei fructum consequuta est.

2. Resp. Vides minime dubitasse Mariam , sed credidisse , & ideo fidei fructum consecutam. *D. Ambrosius.*

Dub. 109. Ad illa verba , cap. 1. vers. 44. *Beata quæ credidisti.* Quomodo Elisabeth sciuit, quod sem per Virgo crediderat Angeli verbis?

Resp. Respondetur , quod ex Spiritu Sancto , quo erat plena. *Antonius Gistandis vbi supra.* Apparet fuisse reuelatum Elisabeth , non solum Beatam Virginem esse Matrem Dei , sed etiam dicta ab Angelo, & fidem Beatæ Virginis. *Caietanus.*

S. Elisabeth ex Spiritu Sancto sciuit, quod B. Virgo verbis Angeli credidit

Dub. 110. Ad illa verba , cap. 1. vers. 44. *Beata quæ credidisti* pro *credidit.* Quare Elisabeth mutat secundam personam in tertiam dicendo: *Et Beata quæ credidit?*

S. Elisabeth fidem B. Virginis laudauit præsentibus alijs personis.

Resp. Ex hoc , quod Elisabeth mutat personam secundam in tertiam dicendo : *Et Beata quæ credidit* , apparet quod aliæ personæ erant præsentes huic colloquio, ad quas conuersa Elisabeth dixit de Beata Virgine. *Beata quæ credidit. Caietanus.*

Dicta ab Angelo B. Virgini à Domino emanarunt.

Dub. 111. Ad illa verba , cap. 1. vers. 44. *Perficientur ea , quæ dicta sunt tibi à Domino.* Cur S. Elisabeth dixit perficientur in te , quæ dicta sunt tibi à Domino, cum Dominus non fuerit locutus Beatæ Virgini?

Quæ per alios facimus per nos ipsos facere videmur.

Resp. Explicat nuntiata per Angelum processisse à Domino , Domini nomine , & authoritate fuisse dicta , & hoc ad significandum infalibilem veritatem dictorum vtpote , quæ à Domino emanarunt. *Caietanus.* Dominus locutus fuit per Angelum , & quæ per alios facimus per nos ipsos facere videmur. *Antonius Gistandis , Ordinis Prædicatorum, Feria 6. Quat. Temp. Aduentus.*

B. Virginis excellentiæ continentur in hoc, quod sit Mater Domini.

Dub. 112. Ad illa verba, cap. 1. vers. 44. *Beata quæ credisti , quoniam perficientur ea , quæ dicta sunt tibi à Domino.* Cur Elisabeth tam breuiter loquitur de Beata Virgine?

Resp. Zacharias ad natalem Filij sui celebrandum egregium, composuit canticum magnis carminibus plenum. *Lucæ 1. à Num. 68.* Elisabeth vero paucis versiculis sanctificationem Filij decantat. Elisabeth egit de laudibus Virginis : *Benedicta tu inter mulieres, Vnde hoc mihi* , & vbi est sermo de

ex-

excellentijs Virginis, ibi pauca pro multis valent, cum in illo Mater Domini mei continean ur omnia. *Pater Silueira hic, quæſt.* 27.

B. Virgo magnũ fecit Dominum.

Dub. 113. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 46. *Et ait Maria magnificat.* Cur Beata Maria dixit: *Magnificat*, qui a magnificare eſt magnum facere, Deus non poteſt fieri maior, vnde non debuit dicere magnificat?

Reſp. Alia magnum prædicant Dominum, & dicunt, vt creaturæ rationales, alia magnum probant, & oſtendunt, ego autem magnum facio Dominum. *Petrus Bleſenſis ſerm. 1. de Aſſumptione.*

B. Virgo opere, cogitatione, & ſermone magnificauit Deum.

2. Reſp. Sed ſi conſiderem Dominum Saluatorem imaginem eſſe inuiſibilis Dei, & animam factam ad eius imaginem, vt ſit imago imaginis, tunc videbo quoniam in exemplo eorum qui ſolent imagines pingere, quando magnificauero animam meam opere, cogitatione, ſermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipſe Dominus, cuius imago eſt in anima mea magnificatur. *Origenes.*

B. Virgo Deũ magnificauit contemplatione myſterij.

3. Reſp. Virgo enim intentione ſublimi, ac ſpeculatione profunda immenſitatem contemplans myſterij, quaſi profundius gradiens magnificat Deum. *D. Baſilius.*

Chriſtus magnus effectus eſt alimentis Virginis nutritus.

4. Reſp. Dic ò Virgo benedicta factor meus factus eſt paruulus, Filius meus clauſus eſt in viſceribus meis, creſcit, & magnificatur, & magnus efficitur alimentis meis nutritus cum magnifico, magnum facio, donec per partum requieſcat in vlnis meis, tunc etiam illum paſcens. Lacte pectoris mei faciam illum magnum, donec magnus vir ſit aptus ad magnum ſacrificium verum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 28.*

Chriſtus in B. Virgine magnificatus.

5. Reſp. Sciendum nobis eſt duobus modis dici magnificare, id eſt, aut magnum facere, aut magnum admirari. Magnificatur enim Deus à nobis cum magnificari dignatur à nobis: ſed nunquid ſic à nobis, ſicut in Beata Maria eandem carnem adſumpſit pro nobis: *Aue*, inquit, ad eam Angelus *gratia plena, hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. D. Auguſtinus tom. 10. ſerm. 81. in Aſſumptione.*

Dub. 114. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat.* Cur Beata Virgo non reſpondet Eliſabeth?

B. Virgo gratias egit Deo ob beneficia ſibi, & vniuerſo populo præſtita.

Reſp. Tempus iam erat, vt prodiret etiam in ſermonem Diuinitas, qua repleta erat Maria. Vnde laudata ab Eliſabeth, cognoſcens verba illius verba eſſe à Spiritu Sancto non reſpondet Eliſabeth, ſed prorumpit ad gratiarum actiones Deo, laudando illum ob beneficia ſibi timentibus Deum, humili corde, populo Iſrael, ac vniuerſo præſtita. *Caietanus.*

Dub. 115. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat.* Quare Beata Virgo hoc canticum cantauit?

Reſp. Dicitur aliqua magnitudo extenſiua loco, vel tempore, ſicut dicitur tempus magnum, annus, menſis, vel dies, & hoc; ſcilicet, quia per magnum ſpatium temporis durat, & locus dicitur magnus, quia multum ſpatium occupat, vt in *Pſalm. 103. Hoc mare magnum, & ſpatioſum*, in hac duplici magnitudine dicere poteſt Virgo ſancta illud magnificat; nam iam venerat magnitudo temporis, & omnia temporanea, & ſub tempore, lauſque Diuina in terris ſub magno ſilentio latebat; vt enim ait *de Bernardus in quodam ſermone de Aduentu.* Angelus non loquebatur amplius homini, Patriarcha defecerat, deerat Propheta; Sacerdos auaritiæ ſtudebat, Dux non inueniebatur, quando venit Dominus, in tantum vt diabolus auderet Domino dicere: *Omnia regna mundi eſſe ſua. Matth. 4.* Et ipſe Dei Filius cum iam prædicare cœpiſſet, ait: *Se non habere vbi caput ſuum reclinaret*; erat enim Dominus non ſolum paruulus, ſed fere nullus in conſpectu, & conuentu hominum, quia defecerat laus eius, quaſi totaliter laudabantur idola non verus Deus. Hanc vero quaſi extinctam alma Virgo reſucitans primo ſub Nouo Teſtamento cantico, & vocali laude Dei, ſic magnificat Dominum,

B. Virgo laudem Dei extinctam in mundo reſuſcitauit.

num, quaſi dicat: Magnificate Dominum in æternum, vt quilibet amplius dicat: *Semper laus eius in ore meo.* Magnificat etiam localiter, nam olim notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius; ſola enim ſinagoga in terris Diuinas laudes vteumque decantabat, in alijs autem regionibus mundi idola, & dæmones colebantur, & ipſa laudibus efferebantur: at vbi per os Virginis Diuina laus inſonuit, cœpit per alia loca diuulgari, & communicari in eius figura, non in ſua Ciuitate, ſed peregrina in montanis exiſtens laudare cœpit, & peregrinari, quia magnificentia eius peregrinari debebat, & extra Iudæam effundi; laus enim eius ab extremis terræ. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 28.*

Vbi per os Virginis Diuina laus inſonuit cœpit per alia loca diuulgari.

Dub. 116. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea.* Cur anima Beatæ Virginis magnificat Dominum?

B. Virgo quãtum amplo docebatur myſterio; tantum glorificabat in ea mirabilia operantem.

Reſp. Quaſi diceret: Mirabilia quæ Deus pronuntiauit in meo corpore exercebit, ſed anima mea infructuoſa apud Deum non erit. Conuenit autem mihi, & voluntatis fructum afferre, nam quantum amplo doceor miraculo, tantum teneor glorificare in me mirabilia operantem. *Græcus.*

2. Reſp. Ipſa Beata Virgo ſe magnificare Dominum confitetur, dum ait: *Magnificat anima mea Dominum*; adeo enim magna ſanctitsima eius extitit, vt Dominum totius vniuerſi magnum faciat. Illum appellant homines magnum Dominum, qui plurima ſibi habet regna ſubiecta, corona igitur Domini Altiſsimi, honor, & decus, vnius Virginis anima eſt, quæ ſola inter puras eminet creaturas. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus, in cap. 8. Iſaiæ, num. 3.*

Anima B. Virginis corona honor, & decus Chriſti, magnum faciens eum.

3. Reſp. Vt ſignificaret ſe non ſolum exterioribus verbis, vt ſæpè faciunt homines; ſed etiam interioribus animæ cogitationibus, & meditationibus Deum extollere, ita vt ore corde, & opere Deum laudaret. *Pater Silueira hic.*

B. Virgo ore, corde, & opere Deum laudauit.

4. Reſp. Hæc phraſis eſt ſatis vſitata in ſcriptura, quod Diuinas laudes decantare animæ tribuatur. *Pſalm. 33. Num. 3. Pſalm. 34. Num. 9. Pſalm. 102. Num. 1. Pſal. 103. Num. 1.* Beatiſsima autem Virgo quamuis omnium doctrix, à communi loquendi modo noluit abſtinere. *Pater Silueira ibidem.*

B. Virgo à communi loquendi modo noluit abſtinere.

Dub. 117. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 45. *Magnificat anima mea.* Cur non dixit magnificat corpus meum?

Reſp. Hoc non dixit per excluſionem corporis, quin & corpore ipſum magnificaret; ſed dicit, quia cum labijs magnificaret, voluit oſtendere quod non ſolum labijs, ſed & anima magnificabat. *Lyranus.*

Labijs, & anima magnificabat Dominum.

2. Reſp. Bene inquit magnificat anima mea, nam corpus eius non magnum effecit Dominum, ſed paruulum, ſicut ſcriptum eſt paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. *Didacus Aluarez vbi ſupra.*

Anima Virginis, non corpus eius magnum fecit Dominum.

Dub. 118. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea.* Cur ſignanter dicit *mea*?

Reſp. Nota nullam puram creaturam æqualiter, ac Beatiſsimam Virginem, dicere potuiſſe anima mea, nam omnis alia pura creatura cum ſiue grauiter, ſiue leuiter peccato ſit infecta, ei ſubdita eſt: at Beatiſsima Virgo cum ab omni ordinario affectu, ac macula etiam leui, eſſet immunis, integram ſuæ voluntatis habebat poteſtatem, & ideo veriſsimè dicebat anima mea. *Pater Silueira vbi ſupra.*

B. Virgo integram ſuæ voluntatis habebat poteſtatem.

Dub. 116. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea.* Cur non dixit, lingua mea?

Reſp. Nota quod dicit anima, quia lingua non ſufficit *Gloſſ.* Quia tanto munere Dominus me ſublimauit, vt nullo linguæ officio explicare poſsim, ſed totum animi interioris affectum in agendis gratiarum laudibus offero. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo lingua, & anima gratias agebat Deo.

2. Reſp. Magnificat anima mea non tantum lingua, ſecundum illud *Pſalm. 145. Lauda anima mea Dominum*, non ſicut illi de quibus.

bus. *Isaiæ* 29. Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. *Alexander de Ales in Gloſſ. ſuper magnificat.*

B. Virgo non ſe ipſam, ſed Deum laudauit.

Dub. 120. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea Dominum.* Cur non dixit, ſe ipſam?

Reſp. Dominum, non ſe ipſam nominat, ſed eum qui eſt vniuerſorum Dominus. *Caietanus.*

B. Virgo propias laudes fugiebat.

Dub. 121. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea Dominum.* Cur non dixit Deum, Sponſum, Patrem, Filium, ſed Dominum?

Reſp. Et nota quod non dicit Deum, non Sponſum, non Patrem, non Filium, quamuis quodlibet horum dicere potuiſſet vere, ſed tantum dicit *Dominum*, vt omni via proprias laudes fugaret; ſi enim dixiſſet *Deum* ſuam humilitatem tacuiſſet, quod fieri non poterat, cum ea vſque ad redundantiam plena eſſet, & omni verbo, actu, geſtuque ſe humilem; id eſt, vilem prædicaret pro poſſe; qui enim dicit *Deum* ſui dicentis, nullam conditionem exprimit, cum Deus non dicatur relatiue, ſi dixiſſet *Sponſum* multum ſe laudaſſet, ſi dixiſſet *Patrem*, vel *Filium* æquæ laudis eſſet, ſed vbi dicit *Dominum*, quod eſt relatiuum ad ſeruum, & Ancillam, & hoc nomen ſeruus, & Ancilla eſt nomen vilitatis, quamuis ſit ſumma ingenuitas in qua ſeruitus Chriſti comprobatur, cui ſeruire regnare eſt, reſeruans verbum Angelo dictum: *Ecce*; ſcilicet, *Ancilla Domini*, Dominum dixit: *Magnificat anima mea Dominum. D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 28. §. 3.

B. Virgo totã ſibi hauſit Spiritus Sancti gratiam.

Dub. 122. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 47. *Et exultauit ſpiritus meus.* Quis ſpiritus Beatæ Virginis?

Reſp. Primus ſpiritus fructus eſt pax, & gaudium, quia ergo Virgo ſancta totam ſibi hauſerat ſpiritus gratiam, merito ſubiungit, & exultauit ſpiritus meus. *D. Baſilius.*

2. Reſp. Spiritus dicitur Angelus. *Pſalm. Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, hic ſpiritus ſuſtulit Ezechielem inter cœlum, & terram, & locutus eſt in Prophetis, ſiue ad Propheras, & Moyſi in montem cum legem recepit, horum habet quilibet proprium ſpiritum, id eſt, Angelum ad ſui cuſtodiam deputatum ſecundum *Magiſt. in* 2. *ſentent. poſt B. Hieronym.* Hæc ergo pſaltes glorioſa habuit, & ipſa ſpiritum ſuum ſupremum in ordine Angelorum, qui fortaſsis, nec ante, nec poſtea datus eſt alicui ad cuſtodiam, ſed ſolum Virgini huic ab initio reſeruatus. Sicut enim ſola fuit Mater vnigeniti, & in gratuitis vniuerſis mirabiliter ſingularis: ſic etiam ſane dici poteſt cuſtodiam ſibi ſingularem datam fuiſſe. Si enim habuit ſingulariſſimum Sponſum ad ſeruitium electiſſimum, Apoſtolum ad obſequium, quare non creditur habuiſſe nobiliſſimum ſpiritum ad auxilium? Hic igitur ſpiritus Angelicus datus ſibi ad cuſtodiam, prius exultauerat de obedientia, humilitate, & virtutibus alijs ineffabilibus Virginis Almæ; at vbi verbum eſt eius carne veſtitum, exultauit in Deo ſalutari ſuo, id eſt, Ieſu Mariæ Filio, quia deputabatur ad cuſtodiam, ſiue potius ad obſequium Domini Dei ſui, cum & Angelus Matris ſit, & Angelus prolis donec natus ſit, & tunc accipit Angelum proprium, ſicut fructus ab arbore Matre præciſſus. Secundum *B. Thomam* 1. *part.* Tu Lector conſidera, quia explicare non poſſum, quanto gaudio exultabat ſpiritus ille, qui primo vidit Deum Incarnatum, qui fuit primus Spiritus Sancti miniſter ad illud ineffabile opus, qui primus corpuſculum illud, aut formauit, aut formanti aſſitit, qui primus inuiſibiles cunas Deo parauit, qui primus cibum de Matre in os Diuinum expreſsit, qui ſicut aſſitit viſioni in cœlo coram Patre, ſic aſſiſtebat in terris Filio incarnato, qui primus illud vidit deſideratum comercium. Stabat totus feſtinus Angelus Gabriel extra, & ſuſpenſus expectabat Virginis aſſenſum, vt Deo mittenti referat reſponſum, & vbi eam audiuit dicentem: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecun-*

Angelus cuſtos B. Virginis, nec ante, nec poſtea datus eſt alicui ad cuſtodiam

Angelus cuſtos B. Virginis exultauit de humilitate, & obedientia B. Virginis.

Angelus cuſtos B. Virginis, fuit & cuſtos Filij donec natus fuit.

cundum Verbum tuum, tota pernicitate curiam lætificaturus cœleſtem reuolauit ad cœium de futuro iocundum; ſed iſte Mariæ ſpiritus certus de præſenti pro tota Hierarchia cœlica exultabat. Exultabat namque hic optimus ſpiritus Mariæ, quoniam videbat ipſam Chriſti Matrem effectam, & tanto Filio dignam. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 29. §. 2.*

Angelus Custos B. Virginis exultauit quoniam videbat ipſam Chriſti Matre effectam.

Dub. 123. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 47. *Exultauit ſpiritus meus.* Cur Beata Virgo poſuit magnificationem de præſenti dicens: *Magnificat*, exultationem vero de præterito, *exultauit*?

Reſp. Quia enim ſpiritus interius exultauerat, ideo anima in voce magnificabat, & ideo exultationem de præterito, & magnificationem de præſenti ponit, quia exultatio eſt natura prior. *Pſalm. 39. Num. 17. Exultent, & lætentur in te omnes quærentes te, dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. D. Bonauentura.*

Spiritus B. Virginis interius exultabat, ſed anima in voce magnificabat

Dub. 124. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 47. *Exultauit ſpiritus meus.* Cur prius poſuit magnificationem, deinde exultationem?

Reſp. Magnificationem Dei ſequitur neceſſario mentis exultatio. Non enim poteſt quis magnificare Deum, quin mente exultet. Vnde cum dixiſſet Beata Virgo: *Magnificat anima mea Dominum*, ſubiunxit, *& exultauit ſpiritus meus. Hugo Cardinalis.*

Qui Deum magnificat, mente exultet.

Dub. 125. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 47. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Cur Beata Virgo dicit ſalutari meo, cum Deus ſit ſalutare omnium?

Reſp. Hoc quod dicitur in Deo habet reſpectum ad creationem, quod vero dicitur ſalutari, habet reſpectum ad recreationem, & quod dicit meo, ad humanitatis Aſſumptionem; & ſic licet ſalutem alijs attulerit non tamen ab alijs, quam à ſemper Virgine carnem aſſumpſit, & iſto modo fuit ſalutare ſolius ſemper Virginis, & non alicuius alterius. *Lyranus, & Antonius Giſtandis.*

Chriſtus dicitur ſalutare ſolius ſemper Virginis, & non alicuius alterius.

2. Reſp. Et vere in Deo Saluatore ſpiritus Beatæ Virginis exultauit, quia exultauit in Deo Incarnato, Saluatore autem non huius, vel illius, ſed mundi *meo*, poſſeſſionem ſignificat Saluatoris, tanquam proprij. Vere enim meus, inquit, Maria, quoniam totum corpus eius, mediante quo ſaluat mundum meum eſt, nullam in eo partem habet vir aliquis. *Caietanus.*

B. Virgo exultauit in Deo Incarnato.

Totum corpus Chriſti mediãte quo ſaluat mundum, Virginis eſt.

3. Reſp. Eſt ſenſus, quia ſpiritus, id eſt, anima, quæ magnificabat Deum quoad cæteros, etiam exultat quoad ſe ipſum, itaque ſicut dilatatur Deus, id eſt, magnus oſtenditur per os Virginis in corda audientium eius magnificationem, ſic & creſcit in ipſo ſpiritu, vel anima ſua per maiorem inhærentiam, & capacitatem, & dilectionem eius. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 29. §. 2.*

Deus magnificatus in anima Virginis per maiorem capacitatem, & dilectionẽ eius.

4. Reſp. Gaudium importat delectationem in creatura rationali, & vt ait *D. Bernardus*, illud eſt verum gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, cuius comparatione omne dulce amarum, omne pulchrum fœdum, omne quod delectare poteſt moleſtum. Si autem ad partum Virginis gaudet Chorus cœleſtium, & Angeli canunt Deo myſterium cernentes, & Magi gauiſi ſunt gaudio magno valde, videntes Stellam, quæ eos ad puerum, & Matrem eius perduxit, quanto magis iubilatione ſunt repleti videntes eum, nulla autem lingua fari poſſet, nec intellectus capere gaudia perfectiſſima Virginis, quæ percepit in conceptu Filij, in partu, in lactando eum, in portando eum in gremio, in collocando, & conuerſando cum Deo. Exultauit ait in Cantico: *Spiritus meus in Deo ſalutari meo*, id eſt, extra ſaltauit, ſupra ſe ſaltauit, præ gaudio, quieſcendo in Deo ſalutari. *D. Antoninus 4. Part. tit. 15. cap. 25. §. 1.*

Nullus capere poteſt gaudia B. Virginis in cõceptu Filij, partu, & in lactãdo eum.

5. Reſp. Salutari meo, id eſt, Filio Saluatore, non in mundi honore, non in carnis voluptate, non in generis nobilitate, non in corporis pulchritudine, non in mundi proſperitate, ſed in Deo ſalutari

B. Virgo non in mũdo, ſed in Deo exultabat.

ſi

ri meo. *Pſalm.* 70. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 1. *Reg.* 2. *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cor meum in Deo Ieſu meo. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo Deū magnificauit quia propter humilitatem exaltauit eā.

Dub. 126. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Cum Deus cuncta reſpiciat, cur Beata Virgo dixit, quod Deus reſpexit humilitatem?

Reſp. Cauſam manifeſtat, cur ſe magnificare Deum deceat, ac exultare in illo, dicens: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*, quaſi diceret: ipſe præuidit, non ego expectaui, humilibus eram contenta. Nunc autem ad ineffabile conſilium eligor, & exaltor de terra ad ſydera. *Græcus.*

Humilitas Virginis ſcala cœleſtis, per quā Deus deſcendit ad terras.

2. Reſp. O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, Paradiſum aperuit, & hominum animas liberauit. Facta eſt Mariæ humilitas ſcala cœleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras. Quid enim eſt dicere *reſpexit*, niſi approbauit? Multi enim videntur in conſpectu hominum, humiles eſſe, ſed eorum humilitas à Domino non reſpicitur. Si enim veraciter humiles eſſent, deinde ab hominibus non ſe laudari vellent, non in hoc mundo, ſed in Deo ſpiritus eorum exultaret. *D. Auguſtinus in ſerm. de Aſſumpt.*

Humilitas multorum à Deo non reſpicitur.

3. Reſp. Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, id eſt, me humilem Ancillam ſuam, id eſt, quia ei placuit humilitas Ancillæ ſuæ, cui diſplicebat ſuperbia Euæ. Et ſicut per ſuperbiam Euæ mors intrauit in mundum; ſic per humilitatem Mariæ vitæ pandatur introitus. *Cant.* 1. *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo. Geneſ.* 29. dicit Lia: *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Habuit autem humilitatem Beata Virgo à patre ſuo Dauid, qui dixit 2. *Reg.* 6. *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum Ancillis, de quibus locuta eſt glorioſior apparebo.* Item à Filio. *Matth.* 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Hugo Cardinalis.*

Per Euæ ſuperbiā mors intrauit in mūdum: per humilitatem Mariæ vita introiuit.

Dub. 127. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 48. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* An in his verbis Beatæ Virginis ſignificetur humilitas voce, vel opere?

Actus intimæ humilitatis eſt æſtimare ſe infimū.

Reſp. Aduerte, quod in his Beatæ Virginis verbis virtus humilitatis, non ſignificatur voce, ſed exercetur opere; Nam hic eſt intimæ humilitatis actus æſtimare ſe infimam, exiguam, paruam, & hoc magis quadrat humilitate maximè Beatæ Virginis, quam cantare virtutem humilitatis ſuæ eſſe aſpectam à Deo; hoc enim ſonat ad meritum propriæ virtutis reſpexiſſe Deum, quod dicere procul eſt ab humilibus: illud autem, cordis humilitas eſt in actu exercito. Magnitudinem igitur beneficij Diuini erga ſe explicat dicendo, quia aſpexit ad exiguitatem Ancillæ ſuæ; ita quod non ſat fuit dicere, quia aſpexit Ancillam ſuam, ſed appoſuit ad exiguitatem Ancillæ ſuæ, & intellige exiguitatem quoad merita, æſtimabat ſiquidem ſe nullius meriti, nulliuſque virtutis. Nec nete, aut falſo, quoniam conſiderabat ſe ipſam ex parte ſui, non ex parte donorum Dei in ipſa; hæc enim conſideratio mater eſt humilis cordis, cum in anima radicata eſt. *Caietanus.*

B. Virgo æſtimabat ſe nullius meriti.

Dub. 128. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 48. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Cur Beata Virgo ſignanter loquitur de humilitate ſua?

Reſp. Pretioſa iocalia ſolent cooperiri criſtallo communiter, propter duo. Primo, quia ſic honeſte, & ſecure ſaluantur à puluere, & ab extrinſeco tactu læſiuo. Secundo, quia ſic bene manifeſtantur; criſtallus enim cum ſit tranſparens permittit ſpeciem rei tranſire ad oculum, imo auget ſpeciem, & facit rem apparere maioris quantitatis, quam eſt iſto modo moraliter, qui vult virtutes aliquas ſaluas cuſtodire occultet, & operiat eas ſub humilitate: eſt enim humilitas, ſicut criſtallus, quia ſeruabit virtutes à puluere vanæ gloriæ, & à tactu, ſiue palpatione laudis humanæ, & in conſ-

Virtus occultanda ſub humilitate.

Quælibet virtus cum humilitate maioris virtutis apparet coram Deo, quam ſi per ſe ſtaret, ſine humilitate.

conſpectu Dei faciet eas apparere maioris valoris, quam ſi per ſe ſtarent, ſine humilitate. Per iſtum medium præſentauit Beata Virgo Deo ſuam virginitatem, ſuam pietatem, & ſuam charitatem, ita quod omnia fuerunt cooperta ſub criſtallo humilitatis ideo ſignanter dicit in ſuo Cantico: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum.*

Dub. 129. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Cur Beata Virgo non dixit, quod reſpexit charitatem, cum charitas ſit præcipua virtutum?

Reſp. Licet charitas ſit radix meriti, humilitas tamen inter alias virtutes fuit diſpoſitiua ad conceptionem Filij Dei, & ad exaltationem ſpiritualem, quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur, non quia ipſa ſola mereatur, ſed quia eius eſt proprium contemnere fœlicitatem terrenam. Nam Virgo audierat ab Angelo: *Quod ex te naſcetur Sanctũ vocabitur Filius Dei*, & tamen nihil reſpondit ſe eſſe, niſi Ancillam. Item cum Eliſabeth miraretur perſonam ſemper Virginis venientis ad ſe commendaret vocem ipſius ſalutantis beatificaret eius fidem. Ex deuotiſsima humilitate, nihil ſemper Virgo reputabat ſibi, ſed omnia beneficia, quæ in ea laudabantur in Deum referebat. Tunc, inquit, Eliſabeth magnificans Matrem Domini; ſcilicet, *magnificat anima mea Dominum*; voce mea perſibes exultaſſe infantem in gaudio in vtero tuo. Sed *exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Et ex hoc bene ſapienter, & conuenienter ſemper Virgo dixit: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Ioannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis. Antonius Giſtandis.*

Humilitas fuit diſpoſitiua ad conceptionem Filij Dei.

N. Virgo omnia beneficia, quæ in ea laudabantur in Deum referebat.

Dub. 130. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Cur Beata Virgo Beata ab omnibus generationibus prædicatur?

B. Virgo propter ſuam humilitatẽ Beata ab omnibus cognominatur

Reſp. Cuius autem humilitas reſpicitur, recte Beata ab omnibus cognominatur. *Beda.*

2. Reſp. Si enim ſecundum Prophetam Beati ſunt, *qui habent ſemen in Sion, & proximos in Ieruſalem*, quantum debet eſſe præconium Diuinæ, ac ſacroſanctæ Virginis Mariæ, quæ ſecundum carnem Verbi genitrix eſt effecta. *D. Athanaſius.*

Magnũ præconiũ B. Virginis, quod ſecundũ carnem Verbi genitrix eſt effecta.

3. Reſp. Non autem ſe Beatam appellat inani vexata gloria; vnde enim focus in ipſa ſuperbiæ, quæ ſe Ancillam Domini nuncupauit? Sed ſacro tracta ſpiritu, quæ futura ſunt, præſciuit. *Græcus.*

B. Virgo tacta Spiritu Sancto, quæ futura erant præſciuit.

4. Reſp. Beatam medicent; id eſt, nominabunt, & ideo ſicut ſecundum Poetas: Tonans nominatur Iupiter, & Paulus ſecundum Sanctos intelligitur cum dicitur Apoſtolus: ita cum dicitur Beata Virgo intelligitur Mater Dei, nec aliter eſt nominanda, quam Beata Virgo, ex quo ipſa ſibi hoc nomen ab omnibus deberi ait. *Beatus Albertus Magnus.*

Cũ dicitur B. Virgo, intelligitur Mater Dei.

5. Reſp. Magnum eſt in vno Regno excelſum eſſe, & ab omnibus cognoſci, & prædicari; in omnibus Regnis maius; ſed in omnibus generationibus ab omnibus collaudari maximum eſt, atque perfectum. Videbis multos celebres haberi in Hiſpania, quorum virtutes Italiæ ſunt ignotæ, alios apud Indos haberi in magno pretio, qui apud Perſas æterna obliuione ſunt ſepulti: at Virginem ſacram Beatam prædicabunt omnes generationes, nati natorum, & qui naſcentur ab eis. *Didacus Aluarez, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus.*

Omnes geneationes beatã prædicant Virginem.

Dub. 131. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Beatam medicent omnes generationes.* Quommodo hoc verum, cum Iudei, nec Machometiſtæ Beatam dicant ſemper Virginem?

Ex omnibus generationibus multi Beatã dicunt ſemper Virginem.

Reſp. Hic eſt figura Sinedoche, & eſt ſenſus omnes generationes, id eſt, ex omnibus generationibus aliqui; quoniam vt dicit *Lyranus*, ex omnibus generationibus conuerſi ſunt aliqui ad fidem Chriſti, qui ſemper Virginem Beatam dixerunt: Et etiam vt ipſe dicit in Alchorano Machometi plures lau-

In Alchorano plures laudes ponuntur Virginis Mariæ.

laudes ponuntur ſemper Virginis Mariæ. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, Fer. 6. Quatuor Temp. Aduent.*

2. Reſp. Omnes generationes; ſcilicet, Iudæorum, & Gentium, vel virorum, & mulierum, vel diuitum, & pauperum, Angelorum, & hominum, quia omnes per ipſam ſalutare beneficium acceperunt. Homines reconciliationem, Angeli reparationem. Chriſtus enim Dei Filius operatus eſt ſalutem in medio terræ, id eſt, in vtero Mariæ, quæ quadam mirabili terræ proprietate medium appellatur; ad illam enim reſpiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui habitant in inferno, id eſt, in Limbo, & qui habitant in mundo. Primi, vt reſarciantur. Secundi, vt expientur. Tertij, vt reconcilientur; ex hoc ergo Beatam medicent omnes generationes. O Beata Virgo! quia omnibus generationibus vitam, gratiam, & gloriam genuiſti, mortuis vitam, peccatoribus gratiam, miſeris gloriam. *Iudith 15. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter.* Primum eſt, vox Angelorum, quorum ruina per eam reparata eſt. Secundum eſt, vox hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt. Tertium eſt, vox mulierum, quarum infamia per eam deleta eſt. Quartum eſt, vox mortuorum exiſtentium in Limbo, quorum captiuitas, per eam redempta eſt, & reducta. *Hugo Cardinalis.*

Omnes per Beatam Virginem ſalutare beneficiũ acceperunt.

Angelorum ruina per B. Virginem reparata.

Hominũ triſtitia per eã lætificata.

Mulierum infamia per eã delecta eſt.

Captiuitas exiſtentiũ in Limbo per Virginem redempta.

Dub. 132. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Beatam me dicent omnes generationes.* Qui in hoc ſæculo dicuntur Beati?

Reſp. Mundus illos dicit Beatos, qui diuites ſunt, vnde *Pſal. Beatum dixernut populum cui hæc ſunt*, ſed Propheta dicit: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Multo Beatiorem Virginem, cuius Dominus Filius eius. Omnes dicunt Beatum, illum à quo beneficia recipiunt, ideo nos omnes debemus dicere Beatam Virginem, quia ab ea multa recipimus beneficia, maximè quatuor; ſcilicet, pretium noſtræ redemptionis, 1. *Corint.* 5. Medicamentum noſtræ ægrotationis. *Eccleſiaſt.* 38. Viaticum noſtræ peregrinationis. *Ioann.* 6. Præmium noſtræ retributionis. *Geneſ.* 15. *Iſaiæ* 62. *Hugo Cardinalis.*

Beata ob multa beneficia, quæ confert.

Quatuor beneficia accepimus à B. Virgine pretiũ redemptionis, medicinam, Viaticum, retributionem.

Dub. 133. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 48. *Beatam me dicent omnes generationes.* Cur Beatiſsima Virgo dum de ſua agit humilitate, de ſe per tertiam perſonam loquitur: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; dum vero de ſua beatitudine tractat, in propria perſona loquitur *Beatam me dicent?*

Modus agendi, & loquendi ſtatui accomodandus.

Reſpondeo, quod modus agendi & loquendi debet eſſe ſtatui accomodatus, & proportionatus. Dum ergo de ſua humilitate eſt ſermo Ancillam ſe vocat; at vero dum de ſua beatitudine agit, in propria perſona tanquam vera Domina, ac Mater Dei fatur; ſicut enim eſt proprium humilium ſe inter ſeruos computare, propter maximam humilitatem: ita eſt proprium Dominorum ſuæ excellentiam dignitatis pro viribus tueri, ac cuſtodire. *P. Silueira hic, q. 6.*

Humiliũ eſt ſe inter ſeruos computare.

Dominorum eſt excellentiam dignitatis ſuæ tueri.

Dub. 134. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 49. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* Cur Beata Virgo dicit, quod ei Deus fecit magna, & quæ?

Reſp. Explicat quare Beatam illam dicent omnes generationes. Mihi magna pro *magnalia*, hoc eſt, ingentia, admiratione digna. Tanquam in explicabilia ſigillatim, hoc nomine cuncta comprehendit. *Caietanus.*

B. Virgo in explicabilia magnalia accepit à Domino.

2. Reſp. Oſtendit Virgo non per ſuam virtutem ſe Beatam prædicandam, ſed cauſam aſsignat dicens: *Quia fecit mihi magna.* Quæ tibi magna fecit? Credo vt creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, vt per te mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reuocaret. *Theophilus.*

Per B. Virginem peccatores ad vitam reuocatus.

3. Reſp. Quommodo vero magna, niſi quod manens illibata conceptio ſuperans nutu Dei naturam? Digna reputata ſum viro, non quommodocunque genitrix effici, ſed vnigeniti Saluatoris. *Titus.*

B. Virgo genitrix non cuiuſcũque, ſed Saluatoris.

4. Reſp. Reſpicit autem hoc ad initium carminis vbi dictum eſt

Ee mag-

Anima, quã Dominus magnificare dignatur, dignis eum præconijs magnificare poteſt.

magnificat anima mea Dominum. Sola enim anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconijs magnificare poteſt. *Beda.*

B. Virgini data poteſtas in cœlo, & in terra.

5. Reſp. Fecit tibi magna, qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas, in cœlo, & in terra, vt nihil tibi impoſsibile, cui poſsibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis releuare. *Petrus Damianus ſerm. 1. de Natiuitat. Mariæ.*

Ad ſingularẽ gloriam Virginis ordinatum, quod in ea pro omniũ ſalute factũ eſt.

6. Reſp. Quod enim ad omnium ſalutem in ea factum eſt, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriam ſingulariter eſt ordinatum. *D. Auguſt. in expoſit. Cant. Magnif.*

Dub. 135. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 49. *Qui potens eſt.* Cur dicit, qui potens eſt?

Reſp. Dicit autem qui potens eſt, vt ſi quis diffidat in conceptionis negotio, dum Virgo manens concepit, retorqueat miraculum ad potentiam operantis. Nec quia vnigenitus acceſsit ad fœminam ex hoc inquinatur, quia ſanctum eſt nomen eius. *Titus.*

Cõceptionis Filij myſteriũ retorquẽdum ad potẽtiam operantis.

Dub. 136. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 50. *Et miſericordia eius à progenie in progenies.* Cur Beata Virgo laudat Dei miſericordiam, quam exhibet omni generationi?

B. Virgo laudat miſericordiã Dei ſibi, & omni populo facta.

Reſp. In ſpecialibus ſe donis ad generalia Dei iudicia conuertens totius humani generis ſtatum deſcribit ſubdens: *Et miſericordia eius a progenie in progenies*; quaſi dicat non ſolum mihi fecit magna, qui potens eſt, ſed in omni gente, qui timet Deum, acceptus eſt illi. *D. Baſil. &c.*

Incarnatio opus pietatis

2. Reſp. Miſericordia eius, quam habet in generatione generationum ego concipio, ac ipſe corpori animato coniungitur, noſtram tractans ſalutem ſolius intuitu pietatis. *Græcus.*

Charitas bona communia propriis anteponit.

3. Reſp. Beata Virgo poſt ſingulare beneficium Dei ſibi ſingulariter impenſum, commemorat generale beneficium Dei, toti generi humano communiter impenſum, & procedit aſcendendo ſecundum ordinem charitatis, quæ ſemper bona communia propriis anteponit, dicit ergo & miſericordia eius in me inchoata dilatatur, & continuatur, & multiplicatur. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 137. Ad eadem verba, cap. 1. verſ. 50. *In progenie, & progenies.* Cur Beata Virgo dicit à progenie in ſingulari, & in progenies in plurali?

Incarnationis beneficiũ ſe extẽdit ad omnes gẽtes

Reſp. Primo dicitur à progenie; ſcilicet, Iudæorum quoniam, vt dicitur *Ioann. 4. Salus ex Iudæis eſt*, quia incarnatio facta eſt in ſem per Virgine Iudæa. Poſtea dicitur in plurali in progenies; ſcilicet, omnium gentium, quia beneficium Incarnationis ſe extendit ad omnes gentes. *Lyranus. Antonius Giſtandis.*

Dub. 138. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 56. *Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus.* Quare Beata Virgo manſit apud S. Eliſabeth menſibus tribus?

Præſentia B. Virginis cauſa ſpiritualis profectus.

Reſp. Non autem ſola familiaritas eſt cauſa quod diu manſit, ſed etiam tanti nati perfectio, nam ſi primo ingreſſu tantus progreſſus extitit, vt ad Salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis, quantum putamus vſum tanti temporis Sanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam. Benè ergo inducitur exhibuiſſe officium, & myſticum numerum cuſtodiſſe. *D. Ambroſius.*

Dub. 139. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 56. *Manſit autem Maria cum illa.* An Beata Virgo manſit cum S. Eliſabeth, vſque ad Natiuitatem Ioannis?

B. Virgo mãſit cum S. Eliſabeth, vſque ad Natiuitatem Ioannis.

Reſp. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, id eſt, vſque ad Natiuitatem Ioannis. Sexto enim menſe conceptionis eius aſcendit, & nono menſe natus eſt Ioannes, quo nato regreſſa eſt in domum ſuam, vnde ſequitur: *Et reuerſa eſt in domum ſuam.* Poſt partum eius; ad hoc enim fuerat, vt miniſtraret Eliſabeth in partu eius. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo miniſtrauit in partu Eliſabeth.

Oppoſitum tenent alij. Quando vero Eliſabeth paritura erat Virgo receſsit, & reuerſa eſt in domũ ſuam; ſcilicet, propter multitudinẽ, quæ ad partum congregari debebat, inconueniens autẽ erat in talibus Virginẽ eſſe præſentẽ. *Theophilus.* Mos enim eſt virginibus cedere quoties

Oppoſitum tenẽt alij; ſcilicet, quodnõ interfuit partui Eliſabeth.

tes prægnans parit. *Græcus.* Vnde apparet, quod non interfuit Beata Virgo Natiuitati Ioannis Baptiſtæ, nam cum octauo Kalendas Aprilis audierit ab Angelo: *Ecce Eliſabeth cognata tua*, & in illis diebus ſurrexerit, & venerit ad Eliſabeth; ſi fuiſſet cum Eliſabeth in Natiuitate Ioannis, proculdubio perſtitiſſet per aliquot dies ſaltem donec Eliſabeth plene conualuiſſet ex partu, & ſic fuiſſet cum ea tribus menſibus, & amplius, cuius oppoſitum Euangeliſta dicit, qui videtur ex induſtria hoc dixiſſe, vt ſignificaret Mariam non interfuiſſe partui Eliſabeth. *Caietanus.*

Decretum, quod mulieres deſcriberentur.

Dub. 140. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Vt profiteretur cum Maria.* An mulieres deſcribebantur?

Reſp. Hinc habetur alia conditio decreti, quod etiam mulieres deſcribebantur, alioquin non ducta fuiſſet Beata Virgo tam vicina partui in Bethlehem. *Caietanus.*

Sanctus Ioſeph duxit B. ſemper Virginem ad profitendum in Ieruſalem, pro hæreditate paterna.

Dub. 141. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Vt profiteretur cum Maria.* Cur Sanctus Ioſeph duxit ſemper Virginem ſecum ad profitendum?

Reſp. Semper Virgo erat de eadem tribu de qua erat Ioſeph, & ipſa ſucceſſerat in hæreditate paterna, quoniam Ioachim non habuit, niſi illam filiam, & ideo illam duxit, vt ſimul profiterentur, pro hæreditate paterna. *Lyranus. Antonius Giſtandis hic, dub.* 14.

Edictum Auguſti B. Virginem attraxit in patriã, ſcilicet, Bethlehem Iudæ.

2. Reſp. Domino autem dirigente Auguſtus hoc edictum cenſuit, vt vnigeniti præſentia famuletur, nam hoc edictum Matrem atrahebat in patriam, quam Prophetæ prædixerant; ſcilicet, in Bethlehem Iudæ. *D. Chriſoſtom.*

B. Virgo vxor incognita viro.

Dub. 142. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Deſponſata ſibi vxore.* Cur Euangeliſta poſuit, quod Beata Virgo erat vxor deſponſata?

Reſp. Non ideo, quod traducta adhuc non fuiſſet in viri domum (Ioſeph enim monitus ab Angelo acceperat iam eam in coniugem) ſed ideo vt ſecundum rem non vxor, ſed vxore deſponſata, hoc eſt, incognita ſignificetur. *Caietanus.*

2. Reſp. Dicit autem eam fuiſſe deſponſatam, innuens quod ſolis ſponſalibus præcedentibus eſt conceptio ſubſecuta; neque enim ex virili ſemine ſancta Virgo concepit. *D. Cyrillus.*

B. Virgo non ex virili ſemine concepit.

Dub. 143. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* An B. Virgo in partu pertulerit aliquos dolores?

B. Virgo nullum dolorem in partu pertulit.

Reſpondeo dicendum, quod dolor parientis cauſatur ex apertione meatuum per quos proles egreditur; Chriſtus egreſſus eſt ex clauſo vtero Matris, & ſic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit, & propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, ſicut nec aliqua corruptio, ſed fuit ibi maxima iucunditas ex hoc quod homo Deus eſt natus in mundum, ſecundum illud *Iſaiæ* 35. *Germinans germinauit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans. D. Thom. 3. p. q. 35. art. 6.*

Sed contra eſt primo. Sicut enim mors hominum ſubſecuta eſt ex peccato primorum parentum, ſecundum illud *Geneſ.* 2. Quacunque die comederis ex eo morte morieris, ita etiam dolor partus, ſecundum illud *Geneſ.* 3. *In dolore paries filios*; ſed Chriſtus mortem ſubire voluit, ergo videtur quod pari ratione eius partus eſſe debuerit cum dolore.

B. Virgo ſine peccato, ſine virilis ſeminis admixtione concepit, & ſine dolore peperit.

Ad primum dicendum, quod dolor partus conſequitur in muliere commixtionem virilem. Vnde *Gen.* 3. poſtquam dictum eſt, *in dolore paries* ſubditur, *& ſub viri poteſtate eris.* Sed ſicut dicit *D. Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione B. Virg.* Ab hac ſententia excipitur Virgo Mater Dei, quæ quia ſine peccati colluuione, & ſine virilis ad mixtionis detrimento Chriſtum ſuſcepit, ſine dolore genuit, & ſine integritatis violatione, pudore virginitatis integro permanſit. Chriſtus autem mortem ſuſcepit ſpontanea voluntate, vt pro nobis ſatisfaceret, non quaſi ex neceſſitate illius ſententiæ, quia ipſe mortis debitor non erat. *D. Thomas ibi.*

Chriſtus mortis debitor non erat mortem voluntarie ſuſcepit.

Contra ſecundo. Finis proportionatur principio, ſed finis vitæ Chriſti fuit cum dolore, ſecundum illud *Iſai* 53. *Vere dolores noſtros ipſe tulit.* Ergo videtur, quod etiã in ſua Natiuitate fuerit dolor partus.

Christus moriendo mortem nostram destruxit, dolore suo nos à doloribus liberauit.

Ad secundum dicendum, quod sicut Christus moriendo destruxit mortem nostram; ita suo dolore nos à doloribus liberauit, & ideo mori voluit cum dolore. Sed dolor parientis Matris non pertinebat ad Christum, qui pro peccatis nostris satisfacere veniebat, & ideo non oportuit, quod Mater eius pareret cum dolore. *D. Thomas ibi.*

In partu Virginis nulla interfuit obstetrix.

Dub. 144. Ad illa verba, cap. 2. vers. 5. *Peperit Filium suum.* An in partu Beatæ Virginis fuerit aliqua obstetrix ad leuandum puerum, quia in lib. de ortu Saluatoris narratur, quod ad Christi Natiuitatem obstetrices occurrerunt?

Resp. Ad tertium dicendum, quod *Lucæ* 2. dicitur, quod Beata Virgo ipsum puerum, quem pepererat pannis inuoluit, & posuit in præsepio, & ex hoc ostenditur narratio illius libri (qui est apocriphus) esse falsa. Vnde *Hieronymus dicit contra Heluidium.* Nulla ibi obstetrix, nulla mulierc ularum sedulitas interceſsit, & Mater, & obstetrix fuit pannis, inquit, inuoluit infantem, & posuit in præsepio. Quæ sententia apocriphorum deliramenta conuincit. *D. Thomas 3. part. quæst. 35. art. 6. ad 3.*

Dub. 145. Ac illa verba, cap. 2. vers. 5. *Peperit Filium suum primogenitum.* Cur Christus vocatur primogenitus Beatæ Virginis; videtur enim quod post Christum habuerit alios Filios, & ita non semper fuc Virgo?

Primogenitus dicitur, qui primus natus est.

Resp. Ad quartum dicendum, quod mos Diuinarum Scripturarum, vt primogenitum vocent non solum eum, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. Alioquin si non esset primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tandiu secundum legem Sacerdotibus primogenita non debentur, quandiu, & alia non fuerint procreata. Quod patet esse falsum, cum intra annum post mensem primogenita redimi mandentur secundum legem. *D. Thomas 3. p. quæst. 28. art. 3. ad 4.*

2. Resp. Primogenitus dicitur dupliciter, scilicet, ante alios genitus, & sic habet respectum ad sequentes. Alio modo antequam nullus genitus, & sic quis potest esse primogenitus, & vnigenitus, & isto modo semper Virgo peperit primogenitum, & vnigenitum. *Antonius Gistandis, Ordinis Prædicatorum, in media nocte Natiuit. Domini, dub. 28.*

Christus dicitur primogenitus, & vnigenitus Virginis.

3. Resp. Licet Virgo vnum tantum pepererit Filium; scilicet, Christum Dominum, tamen dicitur primogenitus eius, quia ipsa Sanctissima Virgo omnes homines adoptauit in filios, in quibus primogenitus, & naturalis est tantum Christus Dominus, & hoc modo Deum Patrem, & Matrem ipsam Deigenitricem, & fratrem Iesum retinemus, qui comparticipes nos fecit suæ hæreditatis. *Pater Silueira hic.*

B. Virgo omnes homines adoptauit in filios.

Dub. 146. Ad illa verba, cap. 2. v. 5. *Peperit Filium suum.* Cur signanter addidit Euangelista *suum*?

Nulla Mater dicere potest Filium, quē parturit esse ex toto suum excepta B. Virgine, de cuius sanguine erat totum corpus Iesu.

Resp. Nulla Mater dicere potest cum veritate Filium, quem parturit esse ex toto suum, nam cum quælibet alia concipiat ex viro vtrique ibi partem habet. Mater enim est principium passiuum in Filio materiam administrans. Pater vero est principium actiuum, & quasi formam materiæ mulieris tribuens, vnde & principalius operatur, & ideo magis est Patris quā Matris, & magis quis tenetur Patri, quam Matri cęteris paribus: sed sola Beata Maria peperit *Filium* ex toto suum, quia nō fuit principium actiuum ex parte viri, cum nullus ibi Pater, nec Ioseph, nec alius, sed totum illud corpus Iesu erat de purissima carne sua, seu sanguinibus Beatæ Mariæ. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. §. 2.* Excellentiori modo Christus inter omnes homines dicitur Filius Virginis; ipsa enim sine opc viri præstitit totū cōcursum ex parte humanę naturę. *P. Silueira hic.*

Christus excellentiori modo inter omnes homines dicitur Filius Virginis.

Dub. 147. Ad illa verba, cap. 2. v. 5. *Peperit Filium suum.* Quomodo B. Virgo peperit Filium suum?

Resp. Tunc Virgo genuflexa est cum magna reuerentia ponens se ad Orientem, tenebat vero faciem ad cœlum eleuatam, erectis igitur manibus, & oculis in cœlum intentis stabat, quasi in extasi contemplationis suspensa inebriata Diuina dul-

B. Virgo in extasi contẽplationis ſuſpenſa, in momento, & in ictu oculi peperit Filium.

dulcedine, & ea ſic in oratione ſtante, vidit tunc moueri iacentem in vtero eius, & illico in momento, & ictu oculi peperit Filium. *B. Brigitt. lib. 7. cap. 21.*

Partus Virginis nihil habuit immundum.

2. Reſp. Non Mater eius tanti partus pondere exhauſta totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non Filius Matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus; neque enim reuera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, maculas mundaturus. *Zenon ſerm. 2. de Natiuitate.*

Peperit naturali via.

3. Reſp. Peperit naturali via, per genitalia membra genuit, alioquin non peperiſſet. *Caietanus.*

Dub. 148. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 5. *Peperit Filium ſuum.* An ſecundum temporalem Chriſti Natiuitatem Beata Virgo poſsit dici Mater eius. Chriſtus enim ex Beata Virgine miraculoſe natus eſt, miraculoſa autem generatio non ſufficit ad rationem maternitatis, vel filiationis; non enim dicimus Euam filiam Adam, ergo videtur, quod nec Chriſtus debeat dici Filius Beatæ Virginis?

Natiuitas Chriſti partim fuit miraculoſa, partim fuit naturalis.

Reſp. Natiuitas Chriſti partim fuit miraculoſa in quantum conceptus fuit, ſine virili ſemine, ſed per operationem Spiritus Sancti, & partim fuit naturalis ex parte Matris, in quantum eius caro ex puriſsimis ſanguinibus ſemper Virginis formata fuit, & ipſe in vtero nutritus per nouem menſes, & quia ipſum peperit. Euæ autem productio fuit totaliter ſuper naturalis, ideo ſemper Virgo dicitur vere Mater Chriſti. Non autem Adam poteſt dici pater Euæ. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, in Nocte Natiuitatis, ex D. Thom. 3. part. quæſt. 35. art. 3. ad 2.*

Maria Virgo vere dicitur Mater Chriſti, Adam vero nõ poteſt dici Pater Euæ.

Dub. 149. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 5. *Peperit Filium ſuum.* An Beata Virgo debeat dici Mater Dei, cum nunquam in Sacra Scriptura legatur, quod ſit Mater, aut Genitrix Dei, ſed quod ſit Mater Chriſti, vel Mater pueri, vt patet *Matth.* 1. vnde non eſt dicendum, quod Beata Virgo ſit Mater Dei?

B. Virgo dicitur nõ ſolum Mater Chriſti, ſed Mater Dei.

Reſp. Ad primum dicendum, quod hæc fuit obiectio Neſtorij. Quæ quidem ſoluitur ex hoc, quod licet non inueniatur expreſſe in Scriptura dictum, quod Beata Virgo ſit Mater Dei, inuenitur tamen expreſſe in Scriptura, quod Ieſus Chriſtus eſt verus Deus, vt patet 1. *Ioann. vlt.* Et quod Beata Virgo Mater Ieſu Chriſti, vt patet *Matth.* 1. vnde ſequitur ex neceſsitate ex verbis Scripturæ, quod ſit Mater Dei. Dicitur etiam *Rom. 9. Quod ex Iudæis eſt ſecundum carnem Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Non autem eſt ex Iudæis, niſi mediante Virgine. Vnde ille qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, eſt vere natus ex Beata Virgine, ſicut ex ſua Matre. *D. Thomas 3. part. quæſt. 35. art. 4. ad 1. Ioannes de Turrecremata ſuper Euang. Antonius Giſtandis vbi ſupra.*

Dub. 150. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Pannis eum inuoluit.* Vnde Beata Virgo pannos habuit?

B. Virgo ſecum portabat pannos lineos, & laneos quibus inuolueret infantem.

Reſp. Semper Virgo antequam recederet præparauit panniculos laneos, & lineos, quos ſemper portauit, quibus inuoluit infantem. *Antonius Giſtandis, ex D. Vincent. Ferrer ſerm. hodierno.*

Dub. 151. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Pannis eum inuoluit.* Cur Beata Virgo pannis Dominum Ieſum inuoluit?

In poteſtate Virginis eſt Iudicis manus cohibere.

Reſp. Beatiſsima Virgo Chriſtum natum pannis inuoluit, ſeu vt alij legunt: *pannis inſaſciauit*, vt nobis inſinuatum eſſet, quod in poteſtate Virginis eſſet, Diuinæ iuſtitiæ manus cohibere, ne debitum ſupplicium peccatoribus inferant. *Pater Silueira hic, quæſt. 6.*

Dub. 152. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Pannis eum inuoluit.* An Beata Virgo tunc aliquem dolorem habuerit?

Magnus dolor Virginis Filium pannis inuoluentis, quia cogitabat quommodo crucifigeretur.

Reſp. Fuit dolor in cognitione mea, nam quoties aſpiciebam Filium meum, quoties inuoluebam eum pannis, quoties videbam eius manus, & pedes, toties animus meus, quaſi nouo dolore abſortus eſt, quia cogitabam quommodo crucifigeretur. *B. Brigitta*

lib. 6. Reuelationum, cap. 57. Scias etiam, quod quandocunque ego inducbam ipſum illa tunica, propter vtilitatem ſui ſanctiſſimi corporis, tum oculi mei ſtatim replebantur lachrymis, & totum cor meum torquebatur tribulatione, & dolore, & affligebatur intenſa amaritudine eo videlicet, quod ego bene noueram modum, quo in futurum illa tunica ab eodem Filio meo eſſet ſeparanda; ſcilicet, tempore paſſionis eius, quando ipſe nudus, & innocens à Iudæis crucifigendus eſſet. *B. Brigitta lib. 7. Reuelat. cap. 7.*

B. Virgo per ſe ipſam Filium pannis inuolnit, nec paſſa eſt quẽ quam impuris manibus corpus Filij contingere.

Dub. 153. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Pannis eum inuoluit.* Cur Beata Virgo per ſe ipſam pannis Filium inuoluit?

Reſp. Conſidera myſticam Virginis parturitionem ipſa peperit, ipſa eadem pannis inuoluit, inter mundanos alia parit, & alij pannis inuoluunt in Virgine non ſic, ipſa peperit, ipſa eadem pannis inuoluit, ipſa ſine vllo dolore Mater, & ſine vlla doctrina obſtetrix. Neque enim paſſa eſt quemquam impuris manibus puriſsimum, ſanctiſsimumque corpus Domini contingere, ipſa per ſe ipſam, & eum, qui ex ipſa natus fuerat, & ſe ipſam curauit, & pannis eum inuoluit. *S. Athanaſius Alexandrinus in Euang. de Sanctiſsima Deipara.*

Sanctus Ioſeph vẽdidit aſinũ, & bouem in Bethlehem, vt ſolueret expenſas, vel cẽſum Cæſari.

Dub. 154. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Et reclinauit eum in præſepio.* In quo præſepio Beata Virgo poſuit Filium?

Reſpondet *Lyra*, quod Ioſeph ex Nazareth duxit ſecum aſinum ad portandum vxorem prægnantem, & bouem ad vendendum in Bethlehem, vt ex eo ſolueret expenſas, vel etiam cenſum Cæſari, & illis duobus animalibus fecit Ioſeph præſepium iuxta ſe. Vel vt dicit *Sanctus Vincentius*, cum non inueniſſent aliquam domum, quæ eos reciperet, & inueniſſet vnam porticum in via publica, in qua erat præſepe, & in qua forenſes quandoque ponebant animalia ſua. Ibi in illa porticu requieuerunt, & aſinum, & bouem ligauerunt ad illud præſepium, & in illo reclinauit puerum. *Antonius Giſtandis hic, dub. 33.*

Sanctus Ioſeph aſinum, & bouem vẽdidit, vt faceret præſepiũ.

In via publica erat præſepe in quo B. Virgo reclinauit Filium

Dub. 155. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Reclinauit eum in præſepio.* Cur Beata Virgo non tenebat eum in brachijs, ſed iacuit in præſepio?

Reſp. Chriſtus Dominus quamuis Filius naturalis Virginis, ac putatiuus Ioſeph; tamen cum naſceretur, vt verus Dominus, & Rex, non ſolum ſuis conſanguineis, ſed omnibus, ideo communi omnium loco exponitur. *Pater Siluera hic, quæſt. 11.*

Chriſtus in præſepio tanquã in communi omniũ loco expoſitus.

2. Reſp. Puer natus non amplexu tenetur inter brachia Virginis, & Ioſeph, ſed reclinatur in præſepio. Sanctitatis montes ingenium infantis agnouerunt, quod in omnium ſalutem naſcebatur, & ideo fugerunt puerum peculiariter inter brachia retinere, valde alienum eſt à ſanctitate communia bona ad ſe ſuoſque coarctare. *Pater Siluera ibi.*

Iuſti communia bona ad ſe ſuoſque non coarctãt

3. Reſp. Antequam Deus noſtram ſibi vniret naturam maximè abſcondebatur, de eoque dicebatur: *Vere tu es Deus abſconditus, Iſaiæ 45. Num. 15.* & tunc per vmbras, & figuras loquebatur; at vbi noſtri ſimilis factus eſt, ita gloriatur de noſtra aſſumpta natura, vt maximè affectet apparere, ac ab omnibus intueri, ita vt ne inter vlnas, dulciſsimoſque Sanctiſſimæ Matris amplexus ſinat occultari, & ideo in præſepio reclinatur, vt omnium oculis ſit præſtitius, ac ſine vllo impedimento totus poſsit ab omnibus inſpici, ac conſiderari. *Pater Siluera ibi.*

Deus ita gloriatur de noſtra aſſumpta natura; vt maximè affectet apparere;

Dub. 156. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Cur Beata Virgo, & Sanctus Ioſeph non potuerunt reperire hoſpitium in aliqua domo?

B. Virgo, & Sanctus Ioſeph non inuenerunt in Bethlehem hoſpitium, vel quia ab alijs occupatum, vel quia pauperes erant;

Reſp. Propter tres rationes. Primo, quia fuerunt de vltimis aduenientibus, quia à longe venerant, & iam hoſpitia erant capta Secundo, quia licet Bethlehem eſſet parua Ciuitas, abundabat tamen in militibus, ciuibus, & nobilibus, qui erant de genere Dauid, qui fuit natus in illa Ciuitate, qui & præmiſerant nuntios

pro

pro habendis hoſpitijs. Tertio, propter auaritiam hoſpitum, qui videntes Ioſeph pauperem cum muliere grauida cogitabant, quod occuparent vnam cameram, & quod modicum lucrarentur cum eis, ideo non inuenerunt hoſpitium. *Antonius Giſtandis hic, dub. 34. ex D. Vincentio Ferrer.*

Dominus Ieſus feſtinanter, non pedetentim quærendus, vt inueniatur.

Dub. 157. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 16. *Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Cur paſtores inuenerunt Beatam Virginem, Sanctum Ioſeph, & infantem?

Reſp. Quia vero feſtinantes venerunt, & non pedetentim, ideo ſequitur, & inuenerunt Mariam; quæ ſcilicet, fudit Ieſum in partu, & Ioſeph; ſcilicet, diſpenſatorem ortus Dominici, & infantem poſitum in præſepio; ſcilicet, ipſum Saluatorem. *Origenes.*

Sanctus Lucas notarius B. Virginis.

Pœnitentia, & virtute inuenitur Ieſus.

2. Reſp. Maria pœnitentia, Ioſeph augmentum, id eſt, profectus virtutum; cum his, & per hæc inuenitur Ieſus infans in præſepio, Deus in carne, quem inuenire eſt vitam inuenire. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo omnia verba cõſeruabat, relatura Apoſtolis poſt glorificationem Ieſu.

Dub. 158. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 19. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc.* Cur Beata Virgo conſeruabat omnia verba?

Reſp. Relatura poſt glorificationem Ieſu Apoſtolis. *Caietanus.*

B. Virgo cuncta hæreſes ſola interemiſit in vniuerſo mundo.

2. Reſp. In hoc verbo magna notatur diſcretio Beatæ Virginis, *Gloſſ. Ambroſ.* Maria non minus ore, quam corpore pudica, ſecreta quæ nouerat nulli diuulgat, ſed tacito corde ſcrutans congruum tempus, quo Deus hæc velit diuulgare reuerenter expectabat, iuxta illud *Eccleſiaſtes* 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccleſiaſt.* 20. *Homo ſapiens tacebit, vſque ad tempus, laſciuus autem imprudens non ſeruabit tempus. Iacobi* 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo habuit dignitatem Apoſtolatus.

3. Reſp. Voluit Filius, vt poſt Aſcenſionem remaneret ad tempus in mundo doctrix, & illuminatrix Apoſtolorum. Vnde quandoque determinabat quæſtiones de factis Dei, & morum, ſi quæ oriebantur in Eccleſia primitiua, & propterea dicitur *Lucæ* 2. *Quod Maria conſeruabat omnia verba hæc*; quę ſcilicet, dicebantur, & fiebant circa paruulum Ieſum, *conferens in corde ſuo*, cum his; ſcilicet, quę ſciebat prænuntiata de eo à Prophetis meditando, contemplando myſteria ſcripturarum, & menti commendando, vt poſtea tempore ſuo, vt dicit *Beda*, poſſet Apoſtolos inſtruere, & Euangeliſtas de his ad quę præſentes non fuerunt circa Natiuitatem Chriſti, & alia quę ipſi ſcripſerunt præcipue Lucas, qui magis particulariter de Natiuitate, Annuntiatione, & alijs ſcripſit, vnde & à quibuſdam notarius Virginis dicitur, & de ea cantatur: *Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo*; dum ſcilicet, Apoſtolos docuit, qui ſua doctrina errores confutarunt. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 43. §. 2. Habuit dignitatem Apoſtolatus, nam etſi non fuit de numero duodecim Apoſtolorum à Chriſto deputatorum ad prædicandum, inſtruendum, & regendum Eccleſiam Dei, fuit tamen Magiſtra eorum, & ideo dicitur *Lucæ* 2. *Quod Maria conſeruabat omnia verba hæc*; vt ſcilicet, tempore ſuo inſtrueret Apoſtolos, & Euangeliſtas de multis, vt de geſtis in ſuo conceptu, & partu, & infantia Saluatoris, quę illi non viderant. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 19. §. 9.

B. Virgo docuit Apoſtolos, & Euangeliſtas de multis, quæ non viderũt.

B. Virgo, ſecreta quæ nouerat non diuulgabat, ſed tẽpus loquendi expectabat.

B. Virgo conferebat ea, quæ faciẽda legerat circa Filium cum his, quæ iam facta cognouit.

Dub. 159. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 19. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Quę conferebat Beata Virgo in corde ſuo?

Reſp. Virginalis enim pudicitię iura cuſtodiens, ſecreta Chriſti quæ nouerat, nemini diuulgare volebat, conferebat ea, quę facienda legerat, cum his quę iam facta cognouit, non ore promens, ſed clauſo in corde cuſtodiens. *Beda.*

Virgo Maria in omnibus quæ audierat, & videbat vnam cernebat concordiam.

2. Reſp. Quidquid etiam ei tulerat Angelus, quidquid à paſtoribus audierat cuncta, congerebat in mente, & ad inuicem comparans,

B. Virgo remanſit ad tẽpus in mundo, vt doctrix & illuminatrix Apoſtolorum.

rans, vnam in omnibus Mater ſapientiæ cernebat concordiam, vere Deus erat, qui natus erat ex ea. *Græcus.*

B. Virgo paſſionem Filij in præſepio poſiti cogitabat.

3. Reſp. Quando vidit puerum Ieſum natum, & nudum, cogitauit in corde ſuo, dicens: O væ Filius meus erit nudus in Cruce, deinde pannis eum inuoluit cogitans, quod ſic eius corpus inuolueretur ſindone in eius ſepultura, deinde poſuit eum in præſepio in medio duorum animalium, cogitans quod ſic ſuſpenderetur in medio duorum latronum. *D. Vincentius Ferrer ſerm. Purificat.*

Virgo Maria officium cõtemplationis exercebat, conferendo dicta ſibi cũ dictis à paſtoribus.

4. Reſp. Officium contemplationis exercebat, conferendo dicta ſibi cum dictis à paſtoribus, & rurſus conferendo vilitatem præſepij cum celſitudine Angelorum annuntiantium Chriſti Natiuitatem. *Caietanus.*

B. Virgo cõferebat in corde ſuo, quæ circa ſe viderat impleta, cũ his quæ in Prophetis legerat implenda.

5. Reſp. Conferens in corde ſuo non ſolum verba, ſed & facta illa, quæ circa ſe viderat impleta cum his, quæ in Prophetis legerat implenda. Sicut enim ſibi dictum erat ab Angelo: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, ſupra* 1. *capit.* prædixerat. *Iſaias cap.* 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Videbat ſe de ſtirpe David ortam, & hoc concordat cum Prophetis, *Iſaiæ* 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe. Pſalm.* 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam* Item in Nazareth de Spiritu Sancto concepiſſe, & hoc concordat cum illo *Nazareus vocabitur. Iſaiæ* 11. Secundum aliam litteram. Item in Bethlehem peperiſſe. *Micheæ* 5. *Et tu Bethlehem paruula es in millibus Iuda.* Vnde hæc teſtimonia in diuerſis Prophetis legerat. Comparat ergo verba Prophetarum factis, & in omnibus habet argumenta fidei. Sed ſi Maria à paſtoribus diſcit, debemus à Sacerdotibus diſcere, *Eccleſiaſt.* 6. *In multitudine Præſbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ eorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſsis audire.* Item ſi Maria ante Apoſtoli præceptum tacet, debemus poſt præceptum Apoſtoli magis doceri, quam docere. 1. *Timoth.* 2. 1. *Corint.* 14. *Hugo Cardinalis, Ioannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Cardinalis, apud Antonium Giſtandis hic, dub.* 8.

Dub. 160. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius.* An Mater Dei conuenienter ad Templum purganda acceſſerit?

B. Virgo humilitati Filij conformata.

Reſpondeo dicendum, quod ſicut plenitudo gratiæ à Chriſto deriuatur in Matrem; ita decuit, vt Mater humilitati Filij conformaretur; humilibus enim Deus dat gratiam, vt dicitur *Iacobi* 4. & ideo ſicut Chriſtus licet non eſſet legi obnoxius voluit tamen circumciſionem, & alia legis onera ſubire, ad demonſtrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum, & vt approbaret legem, & vt calumniæ occaſionem Iudæis tolleret: propter eaſdem rationes voluit Matrem ſuam implere leges obſeruantias, quibus tamen non erat obnoxia. *D. Thomas* 3. *part. quæſt.* 37. *art.* 4. *in corp.*

Virgo Maria impleuit legis obſeruantias quibus non erat obnoxia, ſicut Filius.

2. Reſp. Licet Beata Virgo neceſſe non habuit, voluit tamen purificari, ſicut lex præcepit multiplici ratione. Primo, in exemplum veræ humilitatis. Hæc enim eſt vera humilitas, quæ non vult humilis prædicari, ſed vilis reputari, vt dicit *Beatus Bernardus.* Secundo, in cumulum obedientiæ, quæ plus facit, quam teneatur facere. *Matth.* 5. *Quid petit à te, da ei, & volenti mutuari, & non auertaris. B. Bernard.* Vere Beata Virgo non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione, ſed nunquid Filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquam vna illarum, nam & Filius tuus ſic eſt in numero puerorum. Tertio, in exemplum ſocietatis, quia voluit alijs morem gerere in licitis, & honeſtis. Quarto, in ſignum futuri, & faciendi. Conceptus enim Mariæ ſignificat conceptum fidelis animæ, cuius Sponſus eſt Chriſtus. *Ioann.* 3. *Qui habet Sponſam Sponſus eſt. Oſeæ* 2. *Sponſabo te mihi in fide.* Semen Sponſi eſt gratia, qua in impregnabitur anima, *Iſaiæ* 7. *Semen Sanctum erit id, quod ſteterit in ea,*

Humilis vult vilis reputari.

Obediẽs plũs facit, quam teneatur facere.

B. Virgo alijs morem geſſit in licitis, & honeſtis exẽplum ſocietatis præbens.

ex

ex hoc ſemine naſcuntur Filij, id eſt, ſancta deſideria, propoſita bona opera, *Pſalm.* 127. *Et videas filios filiorum tuorum.* Et ſicut Maria voluit purificari licet non indigeret, ita poſt partum bonorum operum debet ſe anima reputare immundam, *Iob* 19. *Verebar omnia opera mea ſciens, quia non parceres delinquenti. Hugo Cardinalis.*

Iuſtus poſt bona opera reputat ſe immundum.

Dub. 161. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Secundum legem Moyſi.* Cur Euangeliſta dicit ſecundum legem Moyſi?

B. Virgo purgationis obſeruantiam impleuit, propter legis præceptum.

Reſp. Ad primum dicendum, quod licet Beata Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obſeruantiam implere, non propter indigentiam, ſed propter legis præceptum; & ideo ſignanter Euangeliſta dicit: *Quod impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem*; ipſa enim ſecundum ſe purgatione non indigebat. *D. Thomas 3. part. quæſt. 37. art. 3.*

2. Reſp. Si legis ipſius verba diligentius inſpexeris profecto reperies, quod ipſa Deigenitrix, ſicut à commixtione virili, ſic & legali, ſit iure immunis. Non enim omnis mulier pariens, ſed ea quæ ſuſcepto ſemine peperit deſignatur immunda, rituque legis docetur eſſe mundanda, ad diſtinctionem; ſcilicet, illius quæ Virgo concepit, & peperit. Sed vt nos à legis vinculo ſolueremur, ſicut Chriſtus: ita & Beata Maria legi eſt ſponte ſubiecta. *Beda.*

Virgo Maria legi ſponte ſubiecta eſt.

3. Reſp. Eleganter Euangeliſta protulit, quod completi ſunt dies purgationis eius ſecundum legem. Nam reuera non incumbebat neceſsitas Virginiſ ſacræ, vt dies purgationis expectaretur, quæ cum ex Spiritu Sancto concepiſſet caruit coniugio. *Titus.*

Dub. 162. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Tullerunt illum in Ieruſalem.* An Beata Virgo in Templo poſuit ſe cum mulieribus diuitibus, vel pauperibus?

B. Virgo in Templo poſuit ſe non cũ mulieribus diuitibus, nec cum virginibus, ſed cum pauperibus.

Reſp. Dicatur practice, & probabiliter quommodo fuit ab ea lex iſta ſeruata, quia in quadraginta die à Natiuitate Filij ſui, vt eſt dies hodierna, venit ad Templum Domini in quo ſeorſum ſtabant mulieres generoſæ, & diuites, & ſeorſum ſimplices, & pauperes, & ſeorſum virgines, & iſte mos hodie à Iudæis ſeruatur. Virgo autem Maria in ingreſſu Templi reſpexit cogitans quibus ſe aſſociaret, quia licet eſſet generoſa, & nobilis de genere Dauid, tamen erat pauper, & ſimpliciter induta, quia totum patrimonium dedit amore Dei, & totum aurum, quod ſibi obtulerunt Reges Orientis, & volebat viuere manibus proprijs, ideo ſi iunxiſſet ſe mulieribus diuitibus, potuiſſent ſibi dicere, vadatis ad locum veſtrum. Benedictus Deus vxor vnius pauperis carpentarij, vult ſe nobis ſociare. Si cum virginibus licet fuiſſet Virgo dixiſſent ſibi, & vos quæ habetis virum, & Filium ventris nobiſcum? Et vnde hoc? Ideo poſuit ſecum ſimplicibus, & pauperibus mulieribus, & fuit completa quædam prophetia, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Salomonis dicens: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea*, ſupple eſt inter filias. *D Vincentius Ferrer ſerm. hodierno.*

Dub. 163. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 22. *Vt ſiſterent eum Domino.* Quare Beata Virgo Filium ſuum præſentauit in Templo?

B. Virgo Patri obtulit Filium, quem ab ipſo acceperat.

Reſp. Chriſtus vult præſentari à Matre in Templo, vt ipſa gratiſsima erga Deum Patrem ſe oſtendat, dum illi offert dilectiſsimum Filium, quem ab ipſo acceperat. *Pater Siluetra hic, quæſt. 8. num. 34.*

2. Reſp. Chriſtus præſentatur ob Matris purificationem, & Mater ob Filij præſentationem purificatur. Per antiqua erat populi conſuetudo, vt Mater purificaretur dum Filius in Templo præſentabatur, & vt Mater dum Filius Deo in hoſtiam offerebatur, onus purgationis exolueret. Quamuis ergo Chriſtus, & Virgo eſſent à communi lege exempti, Chriſtus tamen ob amorem Matris commune mandatum obſeruat, & Mater ob dilectionem Filij, & ita ſibi mutuo officia charitatis perſoluunt. *Pater Siluetra ibi.*

Mater, & Filius ſibi mutuo officia charitatis perſoluuntur.

Dub.

Dub. 164. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 23. *Quia omne maſculinum adaperiens vuluam.* Cur dicitur adaperiens vuluam, cum Chriſtus non aperuerit vuluam, quia exiuit ſaluis clauſtris pudoris?

Reſp. Ad primum dicendum, quod ſicut *Greg. Niſenus* dicit, illud legis præceptum in ſolo incarnato Deo ſingulariter, & ab aliis differenter impleri videtur. Ipſe namque ſolus ineffabiliter conceptus, ac incomprehenſibiliter editus virginalem vterum aperuit, non antea connubio reſeratum, ſeruans, & poſt partum inuiolabiliter ſignaculum caſtitatis. Vnde quod dicit *adaperiens vuluam*, deſignat quod nihil antea, inde intrauerat, vel exiuerat. *D. Thomas 3. part. quæſt. 37. art. 3. ad 1.* Non enim virilis coitus vuluæ virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Qui enim vuluam ſanctificauit alienam, vt naſceretur Propheta, hic eſt, qui aperuit Matri ſuæ vuluam, vt immaculatus exiret. *D. Ambroſius*, quod ergo ait: *Adaperiens vuluam.* Conſuetæ Natiuitatis more loquitur non quod Dominus ſacri ventris hoſpitium, quod ingreſſus ſanctificaret, egreſſus de virginaſſe credendus ſit. *Beda.*

Chriſtus natus ex Virgine ſeruans in Matre ſignaculum caſtitatis.

Dub. 165. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 24. *Vt darent hoſtiam ſecundum, quod dictum eſt in lege Domini.* An Beata Virgo tenebatur ad oblationem huius ſacrificii?

B. Virgo non tenebatur ſecũdum legẽ ad oblationẽ ſacrificij.

Reſp. Scito quod etiam ſecundum verba legis non tenebatur Beata Virgo ad oblationem huius ſacrificii, quia expreſſe lex dicit: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine.* Conſtat enim exemptam eſſe Beatam Virginem, quæ concepit abſque ſuſcepto ſemine. Nec eſt dubium à Spiritu Sancto fuiſſe appoſita illa verba in lege, ad excipiendum Beatam Virginem, alioquin ſuperflua eſſent. Manifeſtum enim erat non aliter poſſe parere, quam ſuſcepto ſemine. *Caietanus.*

Maxima humilitas Mariæ petentis à Sacerdote, vt oraret pro ea.

2. Reſp. Nota magnam humilitatem in Virgine Maria, quia dicit Euangelium hodiernum, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo. Conſuetudo enim legis erat, vt patet *Leuit. 12.* quod quando poſt partum in quadrageſima die mulier veniebat ad Templum flexis genibus coram Sacerdote dicebat, ecce oblationem offeratis pro me ſacrificium, vt Deus remittat mihi peccata, quæ commiſi concipiendo, portando, pariendo, & nutriendo, Sacerdos autem recepta oblatione, & facto ſacrificio dabat mulieri benedictionem, & recedebat mulier. Iſtam conſuetudinem voluit Virgo Maria hodie ſeruare veniens in Templo, dicens Sacerdoti, non Simeoni, quia non legitur ipſum fuiſſe Sacerdotem, ſed hominem ſanctum. Hodie eſt quadrageſima dies, qua peperi iſtum Filium, & octaua die fuit circumciſus, & vocatus fuit Ieſus, & dedit ſibi oblationem par turturum, aut duos pullos columbarum dicens, vt oraret pro ea. O maxima humilitas! ſanctiſſima dicebat peccatori orate pro me, & Sacerdos non cognoſcebat eam. *D. Vincentius Ferrer.*

3. Reſp. O bone Ieſu iam noſter es, & duplici iure es, Te nobis Pater dedit, Te nobis Mater emit, noſter es, quia datus, noſter es, quia emptus, duplici te iure poſſidemus. *D. Thomas à Villanuena.*

Chriſtus duplici iure noſter, quia Pater eũ nobis dedit, quia Mater emit.

Dub. 166. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 27. *Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius.* Cur Euangeliſta dicit parentes eius, cum Chriſtus in terris non habuerit Patrem?

Reſp. Ad primum dicendum, quod ſicut *Beda dicit ſuper Lucam*: Pater Saluatoris appellatur Ioſeph, non quod vere iuxta Photinianos Pater fuerit ei, ſed quod ad famam Mariæ conſeruandam Pater ſit ab omnibus æſtimatus, vnde & *Lucæ 3.* dicitur: *Vt putabatur Filius Ioſeph.* Vel ſicut *D. Auguſt. dicit in lib. de bono coniugali.* Eo modo Pater Chriſti dicitur Ioſeph, quo & vir Mariæ intelligitur ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij, multo videlicet coniunctius, quamſi eſſet alium de adoptatus. Neque enim propterea non erat appellandus Ioſeph Pa-

Sanctus Ioſeph dictus Pater Chriſti ad famã Virginis conſeruandam.

Sanctus Ioſeph vir Mariæ, & Pater Ieſu, ſine commixtione carnis.

Pater Chriſti, quia non eum genuerat concumbendo, quando quidem Pater eſſet etiam ei, quę non ex ſua coniuge procreandum aliunde adoptaſſet. *D. Thomas 3. part. quæſt. 28. art. 1. ad 1.*

Dub. 167. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 28. *Accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum.* Quis ſenſus Anagogicus huius hiſtoriæ?

Reſp. Eleuamur ad contemplandum ſemper Virginem Mariam purgato corpore, & immortalitate recepta, quæ poſt dies Deo Altiſſimo placitos venit ad Templum cœleſtis patriæ, quam Chriſtus ſecundum legem Moyſi parentem honorando ſuper omnes Choros Angelorum ad cœleſtia Regna exaltauit offerens ipſa turturem ſuæ præclariſſimæ caſtitatis, & columbam ſuæ ineffabilis humilitatis, vbi & adeſt Simeon iuſtus amplectens Regem Regum, qui ſimul cum omnibus Sanctis ſemper Virginis Mariæ Filium benedicunt, & laudant in ſæcula ſæculorum. *Antonius Giſtandis, Ordinis Prædicatorum, hic.*

Dub. 168. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 29. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Quare canticum Zachariæ cantatur in matutinis, canticum Beatæ Virginis in veſperis, canticum Simeonis in completorio?

Reſp. Si quæris rationem ordinis in decantando conſidera, quid in ſingulis canticis contineatur. Vnde nota, quod in cantico Zachariæ dicitur: *Erexit cornu ſalutis*, erectio autem Chriſti facta eſt in Reſurrectione; ante enim iacuerat in infirmitate carnis, ſed in Reſurrectione erectus eſt, & ideo in matutinis laudibus, quas in memoriam matutinæ Reſurrectionis mane celebramus, canticum Zachariæ decantamus. In cantico autem Beatæ Virginis mentio habetur de reſpectu Ancillæ, quæ ſexta ætate factus eſt, ideo ſexta hora canticum illud decantatur, id eſt, in veſperis, ſexta namque ætate reſpectus Diuinæ miſericordiæ factus eſt ſuper Ancillam, id eſt, Eccleſiam, vnde iſta exponitur: *Ancillæ ſuæ*, id eſt, Mariæ, & Eccleſiæ. In cantico autem Simeonis fit mentio de pace, & petebat dimitti, vt requieſceret in pace, quæ pax, & requies habetur in ſeptima ætate, qua ſpiritus Sanctorum requieſcunt, de quorum corporibus etiam dicitur, quia in pace ſepulta ſunt, in ſpe; ſcilicet, futuræ pacis; nondum enim habent illam pacem, quoniam ergo in cantico illo mentio fit de pace, quæ dabitur in ſeptima ætate, ideo cantatur in ſeptima hora; ſcilicet, in completorio. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 169. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 32. *Lumen ad reuelationem.* Quare in feſto Purificationis facimus Proceſſionem geſtamus, & offerimus cereos?

Reſp. Chriſtus illa die oblatus eſt qui eſt lumen, quod repreſentat cereus illa die geſtatus, & oblatus, & quia de Bethlehem venerunt Maria, & Ioſeph cum parentibus, & cognatis hoc repreſentantes facimus Proceſſionem illa die. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 170. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Illud ipſum corpus Filij quale aliquando fuerit, recordamini, ad extremum non ſine paſſione mea ludibria, & ſupplicia paſſionis, & Crucis aſpexi per ſingula, dicens quam vere de eo noſter Iſaias dixerat: *Vere langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Cur ego doleam, non eum meo dediſſe corpori, quod ſuo non dedit. Non ſum ita delicata aut ſuperba, vt quod ille dignatus eſt pati, ego quantulacunque ex parte pati non poſsim, aut nolim. *Guarricus ſerm. 2. de Aſſumptione.*

2. Reſp. Si enim omnipotens Deus huius mundi proſpera magni penderet, nullatenus ipſam ſingularem, ac perpetuam Virginem, ex qua incarnari dignatus eſt affici doloribus permiſiſſet. *Petrus Damianus lib. 8. cap. 14.*

3. Reſp. Non attigit animam crudelis lancea, quæ aperuit eius latus, ſed tuam vtique animam per-

Chriſtus Matrem honorauit ſuper Choros Angelorum eã exaltando.

Canticũ Zachariæ cantatur in matutinis, canticũ B. Virginis in veperis, canticum Simeonis in completorio, & quare?

Chriſtus ante Reſurrectionem iacuerat in infirmitate carnis, ſed in Reſurrectione erectus.

Verbum ſexta mundi ętate incarnatũ.

ma ętate requies & pax dabitur iuſtis.

In die Purificationis Proceſsionẽ facimus cum luminaribus.

Quis gladius animam Virginis pertrãſijt?

Quæ Chriſtus dignatus eſt pati B. Virgo paſſa eſt.

Chriſtus paſſus eſt Virginem Matrem doloribus afficij.

Anima Virginis nequibat euelli à Chriſto patiente.

pertranſiuit. Ipſius nimirum anima iam non erat ibi, ſed tua plane inde nequibat aueſli. *D. Bernard. ſerm. in cap. 12. Apocalip.*

Apoſtoli, Magdalena amiſerunt fidem de Diuinitate Chriſti.

4. Reſp. Gladius Verbi Dei, id eſt, fides fixa in corde de crucifixo Filio, quod Deus erat, omnes alij, & aliæ amiſerunt tunc fidem de ſua Diuinitate, quoniam omnes Diſcipuli tunc fugerunt eo relicto non ſolum corpore, ſed & fide, & ipſa Maria Magdalena, quę plus vſa eſt diligere, etiam non credidit Deum, & propterea Chriſtus reſurgens cum ei apparuit ait: Noli me tangere, quia nondum aſcendi ad Patrem meum. *Ioann. 21.* ſcilicet, in corde tuo, id eſt, non credis me eſſe æqualem Patri. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 14.*

Magnus dolor Virginis, cum Ioannes ei traditus fuit pro Ieſu.

5. Reſp. At non tibi pluſquam gladius fuit ſermo ille reuera pertranſiens, vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: Mulier, ecce Filius tuus. O commutationem Ioannes tibi pro Ieſu traditur. *D. Bernard. vbi ſupra.*

Cor Virginis imago paſſionis, & mortis Filij.

6. Reſp. Clariſſimum paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor Virginis, necnon & perfectæ mortis imago, in illo agnoſcebantur ſputa, conuitia, verbera, & Redemptoris vulnera. Iam iuxta Simeonis vaticinium paſſionis gladius, ipſius pertranſierat animam, iamque cum extincto Filij corpore ſpiritualiter expirauerat. *Laurentius Iuſtinianus de Chriſti agone, cap. 21.*

Quanto quis plus amat ali quam perſonā tanto dolet de eius leſione.

7. Reſp. Ratio immenſitatis huius doloris hinc trahitur. Dolor fundatur in amore; quanto enim quis plus amat aliquam rem, vel perſonam, tanto magis dolet de eius amiſſione, vel læſione, quod patet per experientiam rerum magiſtram; magis enim quis dolet de amiſſione mille florinorum, quam de centum, vtpote quia magis diligit, plus dolet de morte Filij, quam de amiſſione ſubſtantiæ, & præcipue cum eſt bonus, & vtilis ſibi: ſed Beata Virgo Maria naturaliter valde diligebat Chriſtum Filium ſuum, tum quia vnicum. Certum eſt enim, quod Pater, vel Mater plus dolet de morte Filij cum vnum tantum habet, quam ſi multos haberet. Tum quia totum aſſumptum corpus erat ex ſe, Patrem ibi non habebat, vt quia Patrem non habuit terrenum, & ideo ſtrictius amabat, & de amiſſione magis dolebat. Tum quia innocens, & optimus Filius erat, & tamen morte acerbiſſima, & ignominioſiſſima inter latrones condemnatus erat, & ideo pertranſiuit gladius doloris animam eius. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 30. §. 1.*

Magnus dolor Virginis de paſſione Filij, tū quia vnicus erat, tum quia totum corpus aſſumptum erat ex ſe.

Vltimo Reſp. Ad ſecundum dicendū, quod illud verbum Simeonis *Origenes, & quidam alij Doctores*, exponunt de dolore, quē paſſa eſt in Chriſti paſſione. *Ambroſius*, autem per gladium dicit, ſignificari prudentiam Mariæ, non ignaram myſterij cœleſtis; viuum eſt enim Verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo. Quidam vero per gladium, dubitationem intelligunt, quæ tamen non eſt intelligenda dubitatio infidelitatis, ſed admirationis, & diſcuſſionis. Dicit enim *Baſilius in epiſt. ad optimum.* Quod Beata Virgo aſsiſtens Cruci, & aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem Diuinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat ex vna; ſcilicet, parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte conſiderans eius mirifica. *D. Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 4. ad 1.*

B. Virgo iuxta Crucē animo fluctuabat, ex vna parte videns eū pati abiecta, & ex alia parte cōſiderans eius mirifica.

Dub. 171. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* An Beata Virgo maiorem dolorem ſenſerit in paſſione Filij, quam alij martyres in ſuis tormentis?

B. Virgini in paſſione Filij reſeruati ſunt dolores partus.

Reſp. Tuam animam, quæ eſt quaſi ipſius propter intenſum amorem pertranſiuit gladius doloris. Tunc enim; ſcilicet, in paſſione Filij reſeruati ſunt dolores partus, vt dicit *Ioannes Damaſcenus*, id eſt, quos aliæ mulieres ſuſtinent in partu, ſed nec aliqua mulier habuit vnquam tantum dolorem in partu, nec aliquis martyr tantum dolorem ſenſit in ſuis tormentis, quantum experta eſt Beata Maria in

Nullus martyr tantū dolorem ſenſit in ſuis tormētis, quantum B. Virgo experta eſt in paſſione Filij.

in paſsione dilectiſsimi Filij, non Petrus in crucifixione ſui, non Laurentius in craticula combuſtus, non Blaſius pectinibus ferreis dilaceratus, non Iacobus per ſingula membra interciſſus, nec alius, vnde dicit *Beatus Hieronymus*. Pluſquam martyr fuit, & aureolam martyrij ſuper omnes clariorem recepit. *D. Antoninus Vbi ſupra.*

Dub. 172. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quommodo Beata Virgo honorata pro gladio dolorum?

Reſp. Vidi innumerabilem multitudinem Angelorum, & diuerſorum ordinum Sanctorum Dei, & Sanctarum Virginum, & Dominarum Beatam Virginem Matrem Dei præcedentium, & eam cum omni lætitia, & deuotione circundantium antequam portabatur à quodam Angelo, vnus gladius longus, & valde latus, & ſanguinolentus, qui ſignificabat illos maximos dolores, quos Maria paſſa eſt in morte Filij ſui, qui figurabantur in gladio, quem iuſtus Simeon prophetabat ipſius animam pertranſiturum eſſe. Vnde tota exultante curia cœleſti, dictum fuit Sponſæ; ſcilicet, B. Brigittæ, ecce quantus honor, & gloria reprehenditur in hoc feſto Reginæ cœli pro gladio dolorum, quos ſuſtinuit in ſui dilecti Filij paſsione. *B. Brigit. lib. 7. Reuel. c. 2.*

Magnus honor, & gloria datus B. Virgini pro gladio dolorum

Dub. 173. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 35. *Tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* An Beata Virgo in hoc martyrio ſpirituali aliquam impacientiam habuerit?

Rſ. Hic gladius acutiſsimam Filij ſui paſsionem, ſiue mortem ſignat, gladius cõporalis animam, nec occidere poteſt, nec vulnerare: ſic acutiſsima Chriſti paſsio licet animam Mariæ per compaſsionem pertranſiuit, ipſam tamen, nec per odium occidit, nec per impacientiam vulnerauit. Maria enim interfectores Filij ſui nunquam odiuit, nunquam contra eos impatiens fuit, nam ſi alij martyres patientiſsimi fuerunt in martyrio ſuo corporali, quanto magis Mater noſtra Maria in martyrio ſuo ſpirituali. *D. Bonauentura in ſpecul. B. Virg Lect. 4.*

B. Virgo patientiſsima in martyrio ſuo ſpirituali

Dub. 174. Ad eadem verba, cap. 2. verſ. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Quot tribulationes habuit B. Virgo in hac vita?

Reſp. Secundum *D. Auguſtinum*. Luna tripliciter obſcuratur, aut quando eſt vacua, aut quando eſt nube tecta, aut quando eſt eclipſata. Beata Virgo in hac vita, habuit tres tribulationes; vna fuit, quando Herodes puerum interficere voluit, & ipſa in Ægyptum fugit; tunc enim iſta Luna omnino conſolatione fuit vacua; quommodo enim conſolatio ſibi eſſe poterat, quando ipſa puella dilicata de partu paulo ante ſurrexerat, & in terram longinquam per vias aſperas cogebatur fugere, & quando inter idolatras compellebatur manere, & quando puerum ſic tenerum cogebatur circumferre? Secundam triſtitiam habuit, quando Filium ſuum amiſiſſe credidit timens ne in manus hoſtium deueniſſet, vel ad longinquas partes gentes conuertendas acceſſiſſet, vel ad Patrem cœleſtem, ſine redemptione humani generis rediuiſſet, & tunc fuit nube tecta, quia nubes obſcura doloris, & triſtitiæ eius animam occupauit, vnde ipſa dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Tertiam tribulationem habuit in Filij paſsione, & tunc Luna fuit eclipſata, Luna autem quando eclipſatur tota ſanguinea videtur, & ipſa in Filij paſsione gladio doloris vulnerata, iuxta illud *Luc. 2. Et tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Item *Ioelis 2. Sol*, id eſt, Chriſtus, *conuertetur in tenebras*, ſcilicet, per mortem, *& Luna*, id eſt, Beata Maria, *in ſanguinem*, per dolorem. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, ſerm. 2. Sabbath. 4. Quadrag.*

Luna tripliciter obſcuratur.

Tribulatio B. Virginis quando Herodes puerũ interficere voluit.

Triſtitia B. Virginis de amiſsione Filij.

B. Virgo in paſsione Filij gladio doloris vulnerata.

Dub. 175. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 44. *Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu.* Quommodo potuit Ieſus à parentibus obliuiſcendo relinqui, qui tanta parentum prouidentia nutriebatur?

Reſpondendum eſt, quod Filij Iſrael ad feſta confluentibus, vel

Mos erat Filij Iſrael ad feſta confluentibus ſeorſum viros, ſeorſum fœminas Choros ducentes incedere;

ad propria redeuntibus, mos erat ſeorſum viros ſeorſum fœminas Choros ducentes incidere. *Zachariæ* 12. Familiæ, & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, pueri cum quolibet parente indifferenter ire poterant, ideo Mariam, & Ioſeph viciſsim putaſſe puerum Ieſum, quem ſecum non cernebant, cum altero parentum reuerſum. *Hugo Cardinalis, ex Beda. Caietanus.*

B. Virgo neſciebat quæ, vel quot miracula Filius erat facturus

Dub. 176. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 48. *Et videntes admirati ſunt, Gloſſa.* Maria, & Ioſeph. Cur admirati ſunt, cum vterque; ſcilicet, Maria, & Ioſeph ſcirent ipſum eſſe Deum?

Reſp. De eius potentia, & prudentia minime dubitabant, neſciebant tamen, quæ, vel quot miracula eſſet facturus, quia nondum inſtructa erat Beata Virgo de miraculis. *Hugo Cardinalis.*

Virgo Maria, & Sanctus Ioſeph admirati ſunt, quod puer Ieſus in pueritia ſapientiã ſuã, ſic demõſtrabat

2. Reſp. Admirati ſunt pro attoniti facti ſunt, hoc eſt, ad ſimilitudinem attonitorum valde obſtupuerunt, præter opinionem videntes in illa ætate Ieſum in medio Doctorum incipere monſtrare ſapientiam ſuam. Sciebat enim Ioſeph, & Mater eius ipſum eſſe Filium Dei, ſed non putabant in ætate illa ipſum ſic ſe demonſtraturum. *Caietanus.*

B. Virgo fidu ciaiiter, humiliter, & affectuoſe doloroſam inquiſitionẽ Filio oſtendit.

Dub. 177. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 48. *Et dixit Mater eius ad illum. Fili quid feciſti nobis ſic?* Videtur quod ſemper Virgo malefecerit cum redarguendo?

Reſp. Miranda vero Dei Genitrix maternis affecta viſceribus, quaſi cum lamentis inquiſitionem doloroſam oſtendit, & omnia ſicut Mater, & fiduciaiiter, & humiliter, & affectuoſe exprimit. *Græc.*

B. Virgo non arguit Filiũ, ſed quærulã neſciẽtię propriæ vocem depromit.

2. Reſp. Non arguit, ſed quęrulam neſcientię proprię vocem depromit; nec quęrit cauſam cur fecerit, cur intulerit eis dolorem, ſed affectum manifeſtat. *Caietanus.*

B. Virgo frequenti meditatione contemplabatur verba Ieſu.

Dub. 178. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 51. *Et Mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Quommodo ſemper Virgo conſeruabat illa verba?

Reſp. Hinc apparet quod intellexerat verba Ieſu, & frequenti meditatione contemplabatur, & conſeruabat illa. *Caietanus.*

2. Reſp. Virgo autem, ſiue quę intellexit, ſiue quę nondum intelligere potuit, omnia ſua pariter in corde quaſi ruminanda, & diligentius ſcrutanda recondebat. *Beda.*

Virgo Maria in præſenti cõtemplabatur verba Ieſu.

3. Reſp. Conſidera prudentiſſimam mulierem Mariam verę ſapientię Matrem, qualiter ſcholaris ſit pueri. Non enim vt puero, neque vt viro, ſed vt Deo vacabat, vlterius, & illius voces Diuinas, & opera reputabat, idcirco nil ex dictis, aut actis ab eo in caſſum illi patebat; ſed ſicut ipſum verbum prius in viſceribus, ita nunc eiuſdem modos, & dicta concipiebat, & in corde ſuo quodammodo fouebat; & hoc quidem iam ſecum in præſenti contemplabatur. Hoc autem expectabat in futurum clarius reuelandum, & hac quidem regula, & lege per totam vitam vtebatur. *Græcus.*

Hoc autẽ expectabat in futurum clarius reuelandum.

Dub. 179. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 15. *Et dedit illum Matri ſuæ.* Cur non ſinit Dominus Ieſus rogari à Matre pro Filio de mortuo?

Qui petit nullam moram beneficio cõferẽdo interponi patitur.

Reſp. Mater vidua tanta efficacitate vitam Filij poſtulabat, vt ne minimam quidem moram beneficio conferendo interponi pateretur, vnde Chriſtus Dominus miraculum maturauit, ne ſi pauliſper differret, antequam Filio daret vitam, auferret Matri. Si igitur ille Mater pro Filio de mortuo, nec illius opem requirenti precabatur, quid mirum ſi Beata Virgo pro peccatoribus ſpiritualiter de mortuis, nec eius patrocinium implorantibus intercedat, etſi illius Matris amor moras non ferebat, quas tandem moras ò miſericordiæ Mater, tua miſericordia patietur! *Pater Mendoza 1. Reg. 14. annotat. 17 ſect. 2. num. 8.*

B. Virgo pro peccatoribus ſpiritualiter de mortuis deprecatur.

Dub. 180. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 37. *Ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix.* Cur D. Lucas nomen huius mulieris tacet, Ioannes vero cap. 12. nominat Mariam?

Nomen Magdalenę D. Lucas tacet, D. Ioannes nominat.

Reſp. Nomen ſacratiſsimæ fœminę Maria Magdalena erat, cum autem Euangeliſta ad narrationem hiſtoriæ ſcriberet, quod ipſa peccatrix erat Spiritu Sancto di-

Nomen Virginis ſumma puritate nominandum.

dictante, illud nomen subticuit; decebat enim vt purum, ac præclarum Mariæ nomen de muliere tantis delictis coinquinata minime diceretur, ac scriberetur, & quamuis esset iam charitatis cuspide vulnerata, tamen necesse fuit, vt per pœnitentiam prius, ac lachrymas mundaretur, vt postea magno Mariæ nomine condecoraretur. *Pater Silueira 3. tom. lib. 5. quæst. 3. num. 23.*

B. Virgo castellū in quo Christus intrauit ad expugnandum diabolum.

Dub. 181. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Intrauit in quodam castellum.* Quare Beata Virgo Maria dicitur castellum?

Resp. In quodam castellum, id est, in Beatam Virginem in quam venit Dominus ad pugnandum, vel potius ad expugnandum diabolum. Circa hoc castellum quatuor attenduntur, scilicet, situs, & munimenta, fluuius, & alimenta. Situs castelli in alto debet esse, & Beata Virgo in alto fuit fundata, ita vt omnino diabolus accedere non valeret, vnde ipsa dicit *Eccles. 24. Ego in Altissimis habito, Matth. 5.* Non potest abscondi Ciuitas supra montem posita. Munitio castelli in quatuor consistit, in muris, & turribus, & fossatis, & armaturis. Hęc omnia fuerunt in Beata Virgine. Murus est virginitas, turris humilitas, fossatum paupertas, armatura pietas. *Cant. 4. Sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Fluuius gratiarum, quę abundanter fluit in castello isto, de quo *Psalm. Fluminis impetus. Genes. 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.* Alimenta sunt panis vitæ, de quo dicitur *Prouerb. 31. Facta est quasi nauis institoris.* Sed dicet aliquis, *non in solo pane viuit homo*, multo fortius, nec Beata Virgo, quæ est delicata puella, & ipsa habet fructus spiritus. Ascendit enim in palmam Filius eius, & aprehendit fructus eius, de quibus vtique dedit Matri suæ. Fructus autem spiritus sunt gaudium, pax, pacientia. Fœlix castrum vbi tales fructus abundant. *Psalm. 59. Quis deducet me in Ciuitatem munitam*, id est, ad Beatam Virginem Spiritus Sanctus, cuius operatione facta est Incarnatio Verbi. *Psalm. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, id est, in Beatam Virginem. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo in alto fundata ita, vt a i eam diabolus accedere nō auderet.

B. Virgo habuit munitionem castelli, quæ in quatuor consistit in muris, turribus, fossatis & armaturis.

Dub. 182. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Intrauit Iesus in quodam castellum.* Quare hoc Euangelium cantatur in Assumptione Beatæ Virginis?

B. Virgo perfecta fuit in vtraque vita actiua, scilicet, & contemplatiua.

Resp. Quia Beata Virgo perfecta fuit in vtraque vita, ideo hoc Euangelium legitur in Assumptione eius, quando recepta fuit in castro Domini, quia cum prius recuperat in castello suo. Licet enim nihil pertineat ad eam quantum ad historiam, specialiter tamen pertinet ad eam quantum ad mysterium, ipsa est enim castellum, quod Iesus intrauit, id est, in quo Tabernaculum posuit contra diabolum pugnaturus; in ea enim carnem assumpsit, in qua diabolum expugnauit, ipsa est etiam, quæ vtriusque vitæ officia specialiter exercuit, quæ etiam opera misericordiæ misericordius exhibuit, tanquamque mundi Redemptorem lactauit, & multam ei diligentiam in educando impendit quę etiam magis contemplationi vacauit, de qua dictum est: *Maria conseruabat omnia Verba hæc, Luc. 2.* Omnia enim verba Domini, & facta diligenter in secreto cordis reposuit, & postea Scriptores Euangelicos docuit. Nam Matthæus, qui primus scripsit Euangelium multa ab ea didicit. In hoc autem Euangelio multipliciter commendatur Virgo Beatissima, & quia omnis laus in fine canitur, ideo hoc Euangelium in eius fine legitur. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo castellū in quo Dominus Iesus Tabernaculum posuit contra diabolum pugnaturus.

D. Matthęus, qui primus scripsit Euangelium multa à B. Virgine didicit.

2. Q. Ad quid enim ea hodie in Ecclesijs Christi Euangelica Lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse legitur Saluatorem. Credo vt hæc, quam celebramus ex illa susceptione aliquatenus æstimetur: imo vt iuxta illius inæstimabilem gloriam, inæstimabilis cognoscatur; & ista. *D. Bern. serm. 1. de Assump.*

Laus in fine cantanda.

Euangelium Mariæ, & Marthæ in Assumptione Virginis cur legitur.

Dub. 183. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Intrauit Iesus in quodam castellum.* Cur referuntur duæ mulieres cum Ecclesia celebrat Virginis Assumptionem?

Nata B. Virgo sublimata est coronis, & sceptris.

Resp. Cum Ecclesia celebrat Virginis Assumptionem in cœlum in Euangelica Lectione referuntur, duæ mulieres militantes, vna in vita activa, altera in contemplativa: at verò cum eiusdem Virginis Natiuitas solemnizatur in Euangelio commemorantur Principes, Duces, ac Reges: *Liber generationis Iesu Christi, Filij Dauid, Filij Abraham, Matth. 1. Num. 1.* Quid habet Assumptio cum militaribus, Natiuitas cum Regibus, nata est Virgo vt multis meritis ditata, tanta autem merita voluit Deus statim ab exortu sublimare coronis, ac sceptris, tot Regum, ac Principum: at eius Assumptio duabus militaribus decantatur, vt cunctis fiat euidens, ac notum, quod tanta gloria, ac beatitudo ei conferatur iuxta illius præclara merita, & facta. *Pater Silueira hic.*

Gloria, & beatitudo collata B. Virgini ob eius merita.

Dub. 184. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Mulier quædam Martha nomine.* Cur in hoc Euangelio nulla Lazari fit mentio?

B. Virgo nullum inquinamentum aliquādo habuit

Resp. Arbitror sanè, ne id quidem à propositæ similitudine deridere. Virginalem etenim domum intelligi volens spiritus siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. *D. Bernardus.*

Dub. 185. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Mulier quædam Martha nomine.* Cur Martha vocatur mulier, non vero Maria?

B. Virgo quid humanum, & nō Diuinum extitit.

Resp. Recte in præsenti Martha dicitur mulier, non vero Maria, nam cum Martha repræsentaret corpus Dei Genitricis, quæ Deum vtero suo excepit, dicatur mulier, vt ita omnibus sit apertum, quod hæc suprema Regina in sua persona, ac corpore, quid humanum, & non Diuinum extitit, sicque præcinderetur error aliquorum hæreticorum, qui perfide autumarunt Beatam Virginem esse Personam Diuinam. At Maria quę præexcelsas Dei Genitricis virtutes figurabat, non scribatur mulier, vt cunctis sit notum, quod hæc Angelorum Regina in suis virtutibus, & dotibus quid cœleste super totam humanam naturam extitit. *Pater Silueira 3. tom. lib. 5. cap. 16. quæst. 3. num. 20.*

Virgo Maria in suis virtutibus, quid cœlestæ super totam humanam naturā extitit.

Dub. 186. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Martha nomine.* Quod Etymon huius nominis Martha?

Resp. Martha interpretatur Domina, nulla est Domina cœli, & terræ, nisi Regina Angelorum Virgo Maria, quæ recepit illum in domum suam; scilicet, in vterum virginalem, de ista domo cantat Ecclesia: *Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei, intacta nescions virum verbo concepit Filium;* quando scilicet, dixit: *Ecce Ancilla Domini. Lucæ 1.* Tunc recepit illum in domum suam. *D. Vincentius Ferrer serm. 1. in Assumptione.*

B. Virgo Domina cœli, & terræ.

Dub. 187. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Excepit illum in domum suam.* Quare Euangelista non explicat salutationes, gaudia, ac verba, quibus Christus exceptus est ab his sororibus?

Exultatio, qua B. Virgo excepta est ab Angelis in cœlum, non potest explicari.

Resp. Ingressus Christi Domini in hoc castellum Sanctissimam Virginem Mariam introcunten in gloriam adumbrat: Quanta autem fuerit hodie exultatio, ac festiuitas Sanctis Angelis, quot veneraciones, salutationes, ac cantica præstiterint Matri Domini potius mente consideranda, quam verbis explicanda. *Pater Silueira hic.*

Dub. 188. Ad illa verba, cap. 10. vers. 38. *Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.* Quommodo Martha Beatam Virginem representat?

Humilitas B. Virginis Filium Dei traxit in vterum

Re. Martha autem interpretatur Domina, seu prouocans. Hæc est enim Beata Maria, quæ per suā maximam humilitatē prouocauit Dei Filium venire in domum vteri virginalis, & ipsa Domina aptissime dicitur, quæ super omnes alias Dominata est suę sensualitati, & corpori, nec aliqua creatura alia digna fuit

B. Virgo super omnes alias Dominata est suæ sensualitati, & corpori.

fuit recipere Deum in vteri sui domum, nisi Beata Maria. Vnde canit Ecclesia: *Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei, intacta nesciens virum verbo concepit Filium.* Nunquam fuit factum tam excellens opus actiuæ, sicut fecit Virgo in ipsa conceptione Filij sui de corpore suo. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 43. §. 1.*

B. Virgo prouocauit Deũ ad incarnandum de ea.

2. Resp. Quamuis hoc ad litteram dicatur de Martha; tamen perfectius illud impletum est in Beata Maria, quia etsi Martha non sit nomine, & persona, est tamen Martha interpretatione. Nam interpretatur ex Hæbreo in Latinum *prouocans*, & Syro sermone *Dominarrix*, ex deriuatione à Marte, qui secundum Gentiles est Deus Belli propter fortitudinem, sed certe ipsa sua perfectione virtutum prouocauit Deum ad incarnandum de ea, ipsa est Domina cœlorum, & omnium, ipsa est potentissima ad bellandum pro nobis contra malitiam dæmonum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 45. §. 1.*

B. Virgo pugnarpro nobis contra malitiam dæmonum.

Dub. 189. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 39. *Et huic erat soror nomine Maria.* Quommodo hęc duę sorores Martha, & Maria Beatam Virginem exprimunt?

Virgo Maria Martha fuit, propter studium bonæ actionis; Maria, propter ociũ sanctæ cõtemplationis.

Resp. Beata Virgo, Martha, est & Maria. Martha, propter studium bonæ actionis. Maria, propter ocium sanctæ contemplationis. Martha fuit cum cognata prægnanti prægnans, & ipsa tribus mensibus ministrauit, Martha fuit, quia omnia pietatis opera, quæ solent alijs pauperibus exhiberi, ipsa Filio suo pauperi exhibuit. Ipsa enim recepit eum in vtero suo quasi hospitem in domo, nudum vestiuit carne, & postea pannis inuoluit, esurientem, & sitientem lacte suo potauit, & pauit, infirmum ex infantia non solum visitauit, sed etiam fouendo, arridendo gestando frequentauit, crucifixo quasi in carcere posito affuit, ita vt vere conueniat ei, quod sequitur Martha autem satagebat. Item Maria fuit audiendo ipsum, conferendo in corde suo, quæ videbat, & audiebat eis, quæ prædixerant Prophetę. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 190. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 39. *Quæ etiam sedens secus pedes Domini.* Cur quando Magdalena sedet secus pedes Saluatoris, tunc ab Euangelista non nuncupatur Christus, vel Iesus, sed Dominus?

Gloria collãta B. Virgini ob coronam iustitiæ ei debitam.

Resp. Maria sedens secus pedes Domini erat cum magna quiete infruitione, & contemplatione suprem̃ę Christi Diuinitatis, adumbrabatur ibi altera Maria, nempè Sanctissima Dei Genitrix in die suę gloriosę Assumptionis ęternam Diuinitatis fruitionem in prę̃mium suorum meritorum à Christo recipiens, merito ergo hic non dicitur Christus, sed Dominus, vt denotetur, quod illa fœlicissimę beatitudinis merces ei conferebatur, non tanquam à Filio ob fauorem, sed tanquam à Domino ob coronam iustitiæ ei repositam, & debitam. *Pater Silueira hic, quæst. 6. num. 60.*

Dub. 191. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 39. *Audiebat verbum illius.* Quommodo hæc verificantur de Beata Virgine?

B. Virgo in priuato audiuit à Filio secreta alterius vitæ ad eius consolationẽ.

Resp. Hoc opus fecit Beata Virgo plusquam omnis creatura, nam Magdalena audiebat verbum Domini in paucis sermonibus respectiue, sed Beata Maria non solum in publico, quando cœpit prædicare, sed etiam in priuato quando puer erat, audiebat ab eo secreta alterius vitæ ad sui consolationem. Sciens enim Beata Mater, quia tantam scientiam tunc puer habebat, quantum nunc habet in cœlis verisimile est, quod interrogabat eum aliquando de secretis cœlestibus. Vnde & pie imaginari potest, quod ponebat Beata Mater dulcissimum Filium suum ad sedendum, & ipsa se ponebat ad pedes eius dicens: O dilecte Filij, rogo vos dicite mihi ordinationem Angelorum quomodo stant in cœlis, quoniam Moyses, & alij Prophetæ de his nihil dicunt, & de Sanctis animabus vbi collocabuntur, & quis bonus Filius, qui interrogatus à Matre de re bona, non responderet ei

B. Virgo interrogabat puerum de secretis cœlestibus.

ad conſolandum eam. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 43. §. 1.*

Dub. 192. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 40. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.* Quommodo Martha ſatagebat circa frequens miniſterium?

Reſp. Opus vitæ actiuæ Beatæ Marthæ oſtenditur cum dicit Euangelium Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Nam quando Chriſtus fuit in domo Marthæ, tunc in continenti Martha currendo per domum, ait, Ancillis, & ſeruitoribus date panem, & vinum, & cætera neceſſaria pro refectione, & tantum nolebat Domino ſeruire: ſed diceret aliquis hoc nihil facit ad propoſitum pro Virgine Maria? Reſpondeo verum eſt non litteraliter, ſed imo multum proprie allegorice, quia ſicut primum opus Marthæ facit pro Virgine quantum ad Incarnationem, ita ſecundum opus facit pro Virgine Maria reſpectu ſuæ conuerſationis ad Filium Dei poſtquam ipſum peperit. Dicatur quommodo Virgo Maria in ætate quindecim annorum ipſum peperit, & non habebat lac. Dicunt enim medici, & bene quod de eadem radice procedunt proles, & lac, & mulier quæ non cognouit hominem non habet lac. O! dicit Ioſeph ad Mariam: Ego vadam ad aliquam mulierem, vt det lac puero, ſed Virgo Maria noluit, ſed flexis genibus, vt dicunt Doctores deuoti orando dicebat: Pater, & Domine omnipotens, qui hunc Filium mihi dediſtis, vos qui omnibus rebus miniſtratis prouiſionem animalibus in terra, piſcibus in mari, date mihi lac pro Filio veſtro, & incontinenti Deus Pater de cœlo miſsit ſibi lac, de hoc eſt Eccleſiæ authoritas, quæ cantat: *Neſciens Mater Virgo virum peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum, ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno.* Ecce quommodo ipſa ſatagebat, vt ſeruiret Chriſto. Item ſeruiuit ſibi etiam in aliis multis, nam ſcitis quanta ſeruitia fecerint matres filijs inueſtiendo, & ſimilibus, & quia non poterat bene calefieri, propter frigus poſuit in præſepio, vt ab animalibus calefieret, item pectinando, & lauando, quando fuit exul in Ægypto filando, & ſuendo prouidebat ſibi, Filio, & Ioſeph ſeniori. Item, quando Chriſtus ibat ad prædicandum, Virgo Maria ſequebatur ſermones ſuos, & cum erant in aliquo loco, ipſa portabat Filio refectionem. Ecce ergo Martha, id eſt, Domina ſatagebat circa frequens miniſterium. *D. Vincentius Ferrer ſerm. 1. in feſt. Aſſumptionis.*

B. Virgo lactabat vbere de cœlo pleno.

Multiplex miniſterium B. Virginis erga Filium.

2. Reſp. Satagebat circa frequens miniſterium. Hoc opus fecit Beata Maria in Chriſti conuerſatione, & primo in eius Natiuitate, non credatis quod ibi fuerunt obſtetrices. Dicit enim *D. Hieronymus.* Nulla ibi obſtetrix nullius mulierculæ ſedulitas interceſsit, ipſa Beata Virgo de terra eum leuauit, ipſa nudum natum pannis inuoluit, ipſa fameſcentem lacte cibauit, & potauit, ipſa veſtiebat, & denudabat, & infirmum ætate brachijs ſuis portabat, O quam frequenter, vt Filium ſuum oſculabatur, vt Deum amplexando venerabatur, ecce quommodo Martha, id eſt, Domina mundi ſatagebat circa frequens miniſterium: *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 43. §. 1.*

B. Virgo ſatagebat circa frequens miniſterium Chriſti.

Dub. 193. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 40. *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare.* Quid eſt hoc, quod Martha conqueritur de Maria ſorore ſua?

Reſp. Quæ eſt iſta Maria, quę ſororem ſuam relinquit in miniſterio laborare? Martha eſt voluntas Marię, quæ attendens, & videns Filium ſuum comprehendi, ligari, conſpui, flagellari, irrideri, ſpinis coronari, crucifigi, ſepeliri, inter hęc ſolicita, quia naturali compaſsione quaſi ſatagebat eum liberare, ſed ratio ſoror eius contemplans Diuinam voluntatem, quam ſedendo iuxta pedes audierat, conformans ſe illi, conſentiebat, vt ita fieret. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ęon formauit ſe voluntati Diuinę erga paſſionem Filij cõſentiebat, vt ita fieret.

Dub. 194. Ad illa verba, cap. 10.

10. vers. 41. *Solicita es, & turbaris erga plurima.* Quommodo Beata Virgo solicita fuit, & turbata circa plurima?

B. Virgo valde solicita de salutione generis humani

Resp. Allegorice illud est proprie proprium Virginis Mariæ, quia sicut primum opus Beatę Marthæ facit Virgini Marię pro procuratione, & secundum pro conseruatione, ita istud tertium in Christi passione in qua Martha, id est, Domina fuit solicita. O quis posset exprimere solicitudinem eius, & turbationem, quam habuit in Filij passione! Primo Virgo Maria fuit solicita de saluatione humani generis, sed quia sciebat non alio modo futuram, nisi per mortem ignominiosam Filij sui turbabatur ex maternali compassione, & erat quasi inter duas molas, quando videlicet ipsa cogitabat, quod nullus hominum poterat solui à vinculo peccatorum, nec à cathenis diaboli, nisi Filius suus ligaretur à Iudęis ecce turbatio. Item sciebat nullum hominem posse euadere illam duram sententiam damnationis æternæ, quæ dabitur in iudicio: *Discedite maledicti*, nisi Filius suus Christus fuisset morti sententiatus; ideo turbatur. Item erat solicita ne aliquis suspenderetur in furca inferni; sed quia non poterat fieri, nisi prius Filius suus suspenderetur in furca ligni ideo turbabatur. Item erat solicita, quia nullus poterat separari à societate diaboli, sed non poterat fieri, nisi prius Filius suus associaretur latronibus, & ecce turbatio; item erat solicita, vt homines exules à Paradiso cœlesti possent intrare, sed ecce turbatio, quia non poterat fieri, nisi prius Filius suus exularet de Ierusalem. Item erat solicita, quod homines haberent coronam gloriæ, sed ecce turbatio, quia Filius suus prius erat de spinis coronandus. Item erat solicita, quia homines non poterant habere vitam æternam, sed ecce turbatio, vt eam haberent oportuit Filium suum mori, patet ergo quare dicitur Martha, Martha solicita est, & turbaris erga plurima. *D. Vincentius Ferrer serm 1. in Assumpt.*

B. Virgo in passione Filij habuit solicitudinem, & turbationem

2. Resp. Reuera solicita, & turbata fuit erga plurima Beata Virgo, quando Herode persequente fugit in Ægyptum, quando Iudæos machinare in mortem Filij sui cognouit. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo turbata Herode persequente Filiũ, & Iudæis machinantibus in mortẽ Filij.

Dub. 195. Ad illa verba, cap. 10. vers. 42. *Maria optimam partem elegit.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Optimum est supra quod nihil est melius, & in pura creatura supra Beatam Virginem non est factibilis status, & quia talis status Beatæ Virgini honorabiliter datus est, ideo fuit ante collatum, sibi copiosissimum donum, vnde hunc sublimen statum mereri possit, ac sibi eligere, sicut velit. Proinde volens Dominus exprimere dignitatem etiam ex merito suo, potius inquit, elegit sibi, quam data est sibi. *D. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 3.*

B. Virgini collatum copiosissimum donũ, vt sublimem statum mereri posset

2. Resp. Optimam partem elegit ab ea, optimam plane, quia bona est fœcunditas coniugalis, melior est castitas virginalis, optima virginea fœcunditas, seu fœcunda virginitas. Mariæ priuilegium non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. *D. Bernardus serm. 2. in Assumptione.*

Maria optimam partem elegit, quia Virgo, & fœcunda.

3. Resp. Maria optimam partem elegit, consentire; scilicet, per omnia Diuinæ voluntati. *Gregor.* Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & cuius vteri corpus sibi aptabat. *Hugo Cardinalis.*

Cõsensit per omnia Diuinæ voluntati

4. Resp. Sciendum quod vita humana, hominis, siue mulieris habet tres partes ascendendo gradatim. Prima est bona, secunda est melior, tertia est optima. Prima est vita naturæ, & ista est temporaliter bona. Secunda est vita gratiæ, & ista est spiritualis melior. Tertia est vita gloriæ, & ista est cœlestialis, & optima. Ecce tres partes vitæ humanæ, Virgo autem Maria habuit vitam naturæ corporalem, quia secundum aliquos Doctores quadraginta annis vixit, *Epiphanius* dixit, quod vixit septuaginta duos, habuit etiam vitam gratiæ spiritualis super omnes creaturas, sed non fuit conten-

Vita humana habet tres partes, vita naturæ, vita gratiæ, vita gloriæ.

Quot annis vixit B. Virgo

ten-

B. Virgo bonam vitã reuit, meliorẽ cuſtodiuit, optimam elegit.

renta de his, ſed quotidie petebat vitam gloriæ, & deſiderabat eſſe cum Filio in vita gloriæ, ad quam hodie aſſumpta eſt. Bonam vitam tenuit, meliorem cuſtodiuit, ſed optimam elegit. *D. Vincentius Ferrer ſerm. 1. in Aſſumptione.*

5. Reſp. Iſtud verbum proprie nulli comperit, niſi Virgini Mariæ, nec Deo, nec Angelo, nec homini. Homo enim, vel Angelus qui optimam partem habet, nullus eſt. Deus autem non tenet partem, ſed totum, ſola namque ipſa optimam partem habet, quia eſt media inter Creatorem, qui totum tenet, & omnem aliam creaturam, quæ bonam, vel meliorem partem poſsidet. Iſta autem pars optima, quam elegit intelligitur in vita præſenti. Nam in vita præſenti multitudinem partem optimam habuit. Quarum prima conſideratur, quantum ad caſtitatis conſeruationem. Caſtitas autem tres partes habet, vna namque eſt caſtitas coniugalis, & iſta vtique eſt pars bona, quæ habet fructum triceſimum. Secunda eſt, caſtitas vidualis, & iſta eſt pars melior, quæ habet fructum ſexageſimum. Tertia eſt, excellentia virginalis, & iſta eſt pars optima, quia habet fructum centeſimum, & iſtam partem optimam elegit, vt tamen oſtenderet, quod fuit perſona communis voluit eſſe coniugata cum coniugatis, vidua cum viduis, & immaculata cum immaculatis. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, ſerm. 9. in Aſſumpt.*

Caſtitas habet tres partes; ſcilicet, coniugalem, vidualem, virginalem.

B. Virgo perſona communis, cõiugata cum cõiugatis, vidua cũ viduis, immaculata cũ immaculatis.

6. Reſp. Conſideratur quantum ad perfectam humiliationem. Eſt autem triplex gradus humiliatis. Primus; ſcilicet, ſubijci ſuo ſuperiori, & hęc eſt bona. Secundus vero eſt, ſubijci ſuo ęquali, & hęc eſt pars melior. Tertius eſt, ſubijci ſuo inferiori, & hęc eſt pars optima. Virgo enim Beata non ſolum ſubiecta fuit ſuperiori, id eſt, Deo, & non ſolum ſubiecta fuit ęquali, id eſt, ſuo Sponſo, ſed etiam ſubiecta fuit ſuo inferiori, id eſt, Eliſabeth apud quam tribus menſibus ibidem manſit, atque ſibi deuote ſeruiuit. Ipſa namque Virgo de Deo ſentiebat digna, de ſe ipſa parua, & de proximo magna. *Iacobus de Voragine ibidem.*

Tres gradus humiliatis.

7. Reſp. Pars accipitur quantum ad ſtudium, & operationem; quidam enim intendunt proximo per eruditionem, & hęc eſt pars bona, alij intendunt ſibi per diſcuſſionem, & hęc eſt pars melior, alij intendunt Deo per vacationem, & hęc eſt pars optima. Virgo Maria, & proximo intendebat per doctrinam, & ſibi per cuſtodiam, & ipſi Deo per meditationem internam. Vnde poterat dicere cum Propheta: *Meditatus ſum nocte cum corde meo*, Deo; ſcilicet, vacando, & *exercitabar*, proximum; ſcilicet, erudiendo, & *ſcopebam ſpiritum meum*, me; ſcilicet, diſcutiendo. *Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo proximo intẽdebat per doctrinam, ſibi per cuſtodiam, Deo per meditationem.

8. Reſp. Iſta pars conſiderari poteſt quantum ad ſubiectum, quod glorificatum eſt; quia ſcilicet, in corpore, & in anima glorificata eſt. Gloria namque, quam Deus dat ſuis Sanctis tres partes habet. Vna eſt, qua glorificat eorum corpora in terris, ſicut corpus Beati Petri, & Sancti Iacobi Apoſtolorum, & hæc eſt pars bona, corpora eorum in pace ſepulta ſunt. Alia eſt, qua glorificat eorum animas in cœlo, & hæc eſt pars melior, datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ. Tertia eſt, qua glorificat, vtrumque & hæc eſt pars optima, & iſtam partem Maria elegit. Petrus autem, & Paulus habent partem bonam, quia eorum corpora honorantur in terris, & partem meliorem, quia eorum animæ glorificantur in cœlis, ſed non habent partem optimam, quia ipſorum corpora iacent in ſepulchris. Alij Sancti volauerunt in cœlum cum vna ala, id eſt, cum dote animæ. Iſta autem eſt mulier, quæ volauit cum duabus alis, id eſt, cum glorificatione corporis, & animæ, alijs Sanctis datur vna ſtola, hæc eſt, autem illa, de qua dicitur *Prouerb. Vltim. Biſſus, & purpura indumentum eius. Iacobus de Voragine ibidem.*

Gloriã quam Deus dat ſuis Sanctis habet tres partes.

B. Virgo glorificata corpore, & anima.

9. Reſp. Iſta pars conſideratur quan-

Christus personaliter obuiauit B. Virgini ascendenti in cœlum.

quantum admodum, quo assumpta est. Quidam enim Sancti assumuntur, & in cœlum deducuntur per Angelum vnum, & hæc est pars bona. Alij deducuntur per plures Angelos, & hæc est pars melior, sed pars optima esset, si omnes Angeli, & Sancti obuiarent, & omnes vna cum Christo aduenirent, & ipse Christus personaliter aduenire, & istam partem habuit Virgo Maria. *Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo exaltata super altitudinē Sanctorū, & Angelorum.

10. Resp. Ista pars consideratur quantum ad locum, quem sortita est; quidam enim associantur Angelis infimæ Hierarchiæ, & hæc est pars bona, alij Angelis mediæ Hierachię, & hęc est pars melior. Alij vero Angelis supremę Hierarchię, & hęc est pars optima Maria autem super omnes Angelos, est exaltata, & super altitudinem Sanctorum elcuata, & ad dexteram Filij collocata, ideo habet partem optimam. *Iacobus de Voragine ibidem.*

B. Virgo in anima consummatam gloriam recepit

11. Resp. Ista pars consideratur quantum ad premium, quo beatificata est. Beatitudo enim tres habet partes. Vna est, beatitudo animarum, quæ adhuc est imperfecta, & hæc est pars bona. Alia est, beatitudo ipsorum Angelorum, quæ est completa, & hæc est pars melior. Alia est Filij, quæ est consumata, & hæc est pars optima, & istam partem optimam elegit Maria, quæ in anima consummatam gloriam recepit. *Iacobus de Voragine ibidem.*

Dub. 196. Ad illa verba, cap. 10. vers. 42. *Maria optimam partem elegit.* Quam partem optimam elegit?

B. Virgo adiuuat hominem in vita, in morte, & post mortem

Resp. Consideratur quantum ad officium, quod sibi commissum est. Est namque Mariæ commissum officium adiuuandi, aduocandi, & miserendi. Adiuuat quidem hominem in vita, in morte, & post mortem. Vnde cantatur: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege.* Nam & ipsa in vita bonos in gratia conseruat, & malis misericordiam impetrat, idcirco dicitur: *Mater gratiæ, & Mater misericordiæ*, & hæc est pars bona in morte à diabolo defendit, idcirco subditur, *tu nos ab hoste protege*, & hæc est pars melior, post mortem animas nostras suscipit, & in cœlum deducit, ideo subditur, *in hora mortis suscipe*, & hęc est pars optima. *Iacobus de Voragine vbi supra.*

B. Virgo perita aduocatrix.

2. Resp. Virgo gloriosa Maria habet officium aduocandi, in qua aduocatione more periti aduocati primo captat beneuolentiam Dei nostram insinuans miseriam, deinde Deum inclinat ad misericordiam. Scire autem beneuolentiam Dei captare, est bona pars. Scire miserias, & necessitates ostendere, est pars melior. Scire Deum ad misericordiam inducere, est pars optima. *Iacobus de Voragine ibidem.*

3. Resp. Habet officium miserendi; in iudicando enim quidam sequuntur veritatem conscientiæ, & hæc est pars bona. Quidam vero sequuntur rectitudinem ipsius iustitię, & hęc pars melior, quia in conscientia posset, quis errare. Quidam vero in iudicando sequuntur temperamentum misericordię, & hęc est pars optima. Sunt namque quidam Sancti, qui suam sequentes conscientiam aliquibus sua subtrahunt suffragia, quia dignos eos non reputant gratia; Deus enim iustitiam suam sequitur, à qua declinare non potest. Teneant ergo, qui sequi volunt cum conscientia, vel cum iustitia. Maria autem semper tenebit secum misericordiam. *Iacobus de Voragine ibidem.*

Alij Sancti tenent iustitiam, Maria vero misericordiam.

Dub. 197. Ad illa verba, cap. 10. vers. 42. *Maria optimam partem elegit.* Cur non astruitur, quod elegerit totum, sed partem?

Dignitas maternitatis adeo excellens, quod quæcunque merces illi collata pars quædam appareat exhis, quæ ipsa sibi multum promeruit.

Resp. Bona venia aliqualiter dici potest ad explicandas Virginis excellentias, quod adeo illustris, & prœexcellens extitit eius dignitas maternitatis Dei, vt merita inde prouenientia, ita creuerint, vt quęcunque merces illi collata, quodammodo pars quędam appareat ex his, quę ipsa sibi multum pro meruisse videtur. *Pater Siluera tom. 3. lib. 5. cap. 10. quæst. 20. num. 138.*

Dub.

Dub. 198. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Extollens vocem quædam mulier.* Quare nomen huius mulieris non exprimitur ab Euangelista?

Resp. Secundo respondeo ad quæstionem. Hæc sacra fœmina communiter asseritur, quod nuncupabatur Marcella famula Sanctæ Marthæ, cum ergo ipsa Sanctissimæ Dei Genitricis prœconia esset pro clamatura, merito nomen, famulæ notam importans subticetur, nam huiusmodi Laudes decantare non inferiorum, sed magnorum Principum, ac Regum) res est. *Pater Silueira hic.*

Laudes B. Virginis decantare, non inferiorum, sed magnorum est

Dub. 199. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Mulier de turba, dixit illi.* Cur hæc mulier non Pharisæis, sed Christo tantum loquitur?

Resp. Non Pharisæis, sed Christo loquitur mulier, *dixit illi.* Sacratissimæ Virginis commendationes proferebat, & Deo interius illuminante firmissime apud se statuit, quod Virginis decantationes solus Christus intelligere, ac capere valebat. *Pater Silueira hic, quæst.* 12.

Laudes B. Virginis solus Christus intelligere, & capere valet.

Dub. 200. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Cur hæc mulier beatificat Christum?

Resp. Si beatificat eam mulier, quæ adhuc carni, & sanguini eius communicare non meruit, longe magis à nobis commendanda est, qui de eius carne, & sanguine reficimur in Altari; caro enim quæ ibi sumitur caro Virginis est, de cuius carne sumpta est particula, de qua artificio Spiritus Sancti formatum est corpus Christi. *Beatus Albertus Magnus lib. 1. de laudibus Beatæ Virginis, cap. 2.*

B. Virgo laudanda à nobis, qui de eius carne, & sanguine reficimur in Altari.

Dub. 201. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit,* Cur Sancta Marcella ventrem Beatæ Virginis beatificat?

Resp. Si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis à carne Virginis Matris pronunciatur extranea, sine causa venter, qui eum portasset, & vbera, quæ lactasient beatificantur. *Beda.*

Caro Christi non est extranea à carne Virginis.

2. Resp. Dicitur autem Beatus venter Virginis specialiter, propter tria mirabilia, quæ in eo facta sunt. Primo, quia ibi Deus factus est homo, Verbum infans, æternus temporalis, immortalitatis mortalis, immensus paruulus, Creator creatura. *Ioann. 1. Verbum caro factum est. Ierem. 31. Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum;* perfectum scientia, & virtute *Hugo Cardinalis.*

Vterus Virginis Beatus, propter tria mirabilia, quæ in eo facta sunt.

3. Resp. Quia qui fecit ventrem factus est in eodem ventre, hoc est, mirabile, sicut si quis faceret prius domum, & postea nasceretur in eadem domo. *Psalm. Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Isaiæ 66. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Hugo Cardinalis.*

4. Resp. Quia venter ille maius se continuit, id est, Deum, quem totus non capit Orbis. *Isai. 40. Vere tu es Deus absconditus. Hugo Cardinalis.*

Vterus Virginis continuit maius se.

Dub. 202. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Cur hęc mulier non pronuntiauit nomen Iesu, vel Virginis?

Resp. Extitit mulier humilis; non enim lingua sua pronuntiauit nomen Iesu, vel Mariæ, non dixit Beatus venter Mariæ, qui te Iesum portauit; sed se indignam iudicans talia nomina proprio ore proferre non audet, sed valde modeste, vteri Laudes proclamat. *Pater Silueira hic, quæst. 6. num. 36.*

Iustus indignum se iudicat nomen Iesu, & Virginis proferre.

Dub. 203. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Quare Sancta Marcella Christum laudat in Beata Virgine?

Resp. Christi magnalia Marcella contemplata, statim in Laudes Virginis exurgit, vt mirifico modo Christi prœconia decantaret. *Pater Silueira hic, quæst. 9. num. 62.*

Magnalia Christi ex B. Virgine decantanda.

Dub. 204. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Cur Sancta Marcella Christi Diuinitatem, & potestatem coram calumniantibus Pharisæis non laudat, sed ventrem Vir-

Virginis, & vbera commendat?

Resp. Maximè ponderanda est consequentia, qua Sancta Marcella in hoc negotio habebat. Calumniantur Pharisæi Christi Domini Diuinitatem, ac potestatem in Belzebu, Principe dæmoniorum eijci dæmonia, quare ergo sancta mulier, vt tot confutaret blasphemias, non in medium producit multa argumenta pro Christi Diuinitate, ac potestate, sed his omissis in commendationes Virginis prorumpit. Pro certo apud se statuit, quod nullum ad probandam Christi potentiam, ac maiestatem videbatur in præsenti efficacius medium, quamsi Purissimæ Virginis Mariæ Filius diceretur, ac agnosceretur. *Pater Silueira hic, quæst. 10. num. 66.*

Christi potentia, & maiestas probatur ex hoc, quod ex Filius Virginis.

Dub. 205. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Cur solum ventrem, & vbera laudat?

Resp. Cum mulier in Virginis laudes prodiret, non commendat excellentiam illius meritorum, quibus dignum Dei habitaculum effici promeruit, non modum concipiendi ex Spiritu Sancto, illæsa virginitate, non modum portandi in vtero eum, qui à totius mundi vastitate non capitur, sed valde stricte, ac summatim se habet in hoc negotio dicens: *Beatus venter, qui te portauit*, sciebat enim, quod Virginis magnalia dicere explanare, ac perfecte intelligere, non hominis, imo nec Angeli, sed solius Dei erat, cum quo ipsa loquebatur, & ideo in hac commendatione breui est vsa periodo, totam rem Christo committens, qui solus vt oportebat eam aperire valebat. *Pater Silueira hic, quæst. 12.*

Magnalia Virginis intelligere non hominis, nec Angeli, sed solius Dei est.

Dub. 206. Ad eadem verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Quare non dixit mulier illa Beata Mater, quæ te portauit, potius quam Beatus venter?

B. Virgo omnibus cõpassionẽ, & charitatem exhibet.

Resp. Ad innuendum compassionem, & charitatem Virginis, quæ omnes miseros in ventre suo portauit per compassionem, & sua omnibus communicat per charitatem, vnde dicitur de ea *Cant. 7. Venter tuus, sicut acerrus tritici vallatus lilijs. Hugo Cardinalis.*

Dub. 207. Ad eadem verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit.* Cur potius meminit de Matre, quam de Patre?

Pronocatur ad pietatem Christus ex hoc, quod Filius est Virginis.

Resp. Intendebat sancta mulier Christum mouere, ac inducere in misericordiam, & pietatem, erga illos impios Pharisæos, Matrem ergo ei obijcit, eamque illi proponit; sciebat enim optimè Marcella, quod nihil magis eum ad pietatem, ac benignitatem allicit, quam esse genitum ex Maria, illiusque Filium vocari. *Pater Silueira tom. 3. lib. 5. quæst. 18. num. 104.*

Dub. 208. Ad eadem verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Cur hæc mulier beatificat vbera?

Christus de sanguine B. Virginis cõceptus, & eius lacte nutritus.

Resp. Quia ex vnius, & eiusdem fontis origenem secundum physicos vterque vigor seminis; scilicet, & lactis manare perhibetur. Quæ vero consequentia, vt eius lacte credatur nutritus ex cuius semine negatur conceptus, ergo vt dicit *Gloss. Interlinealis*, de semine semper Virginis potuit concipi, qui eius potuit lacte nutriri. *Antonius Giffandis, Ordinis Prædicatorum, Dominic. 3. Quadrages. dub. 86. ex Beda.*

Dub. 209. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti* Quare beatificauit Matrem, & non Filium?

Ex Matre beatificatus Filius.

Resp. Et Matrem, & Filium beatificauit commendans eius conceptum, & partum corporalem, quasi dicat; Beatus venter, qui te Beatum portauit, per quem omnes beatificamur. *Landulphus de vita Christi.*

Dub. 210. Ad illa verba, cap. 11. vers. 27. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Cur Virgo Maria in Euangelio dicitur bis Beata?

B. Virgo bis beatificata à S. Elisabeth, & à se ipsa.

Resp. Nota vero, quod bis dicitur Beata primo ab Elisabeth, *Lucæ 1. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Secundo à se ipsa *Lucæ 1. Beatam me dicent omnes ge-*

Priuilegium Virginis, quod fuit sine corruptione fœcunda, sine grauedine grauida, sine dolore puerpera.

generationes. Tertio dicitur hic venter eius Beatus, propter tria priuilegia quæ habuit, vt dicit *B. Bernardus.* Fuit enim ſine corruptione fœcunda, ſine grauedine grauida, ſine dolore puerpera. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 211. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 28. *At ille dixit: Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Cur Dominus non confirmauit verba mulieris, ſed dixit, quinimo Beati?

B. Virgini nihil profuiſſet partus, niſi valde bona, & fidelis fuiſſet,

Reſp. Ideo quia nihil Beatæ ſem per Virgini profuiſſet partus, niſi valde bona, & fidelis fuiſſet. *Antonius Giſtandis vbi ſupra, dub. 89. ex D. Chriſoſtomo.*

Dub. 212. Ad eadem verba, cap. 11. verſ. 28. *Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* An ſemper Virgo Maria deſignetur Beata ex verbis Chriſti?

Virgo Maria Beata, quia miniſtra Incarnationis, Beatior quia Deum ſemper amauit.

Reſp. Eadem autem Dei Genitrix, & inde quidem Beata, quia Verbi incarnandi miniſtra eſt facta temporalis, ſed inde multo beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. *Beda.*

2. Reſp. Beati in ſpe, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, hoc eſt, curam habent Verbi Dei, ne in vanum audierint, ſed in corde, in ore, in opere ſeruetur; in hoc enim conſiſtit forma beatitudinis in ſpe, & hæc eſt beatitudinis ratio communis omnibus electis, & maximè conueniens Beatæ Virgini. Ita quod magis commendata eſt Beata Virgo (in genere tamen) per hæc Filij verba, quam fuerit in ſpecie commendata per verba mulieris, quoniam verbis Ieſu laudata eſt ex parte animæ, in verbis vero mulieris laudata eſt ex parte corporis. Illa ſiquidem laudauit naturalia corporis officia, Ieſus autem liberi arbitrij (Diuina affecti gratia) officia commendauit. *Caietanus.*

B. Virgo laudata à muliere ex parte corporis, à Ieſu ex parte animæ.

3. Reſp. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud: Quaſi diceret non ſolum illa, quæ me portauit Beata eſt, ſed omnes qui audiunt verbum Dei, & obſeruant, & implent opere illud, & quia ipſa perfectius audiuit, & obſeruauit omnia mandata Dei, & conſilia, ideo Beatiſsima, & benedicta præcunctis, benedicta ergo Tu in mulieribus. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 1.*

B. Virgo benedicta præ cunctis, quia perfectius obſeruauit omnia mandata Dei.

Dub. 213. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 31. *Fili tu ſemper mecum es.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. Notandum quod Beata Virgo fuit vera Mater Chriſti, & non tantum vera Mater, ſed etiam fuit ſtudioſa. Fuit ſolicita, & ſtudioſa Mater, adeo quidem ſtudioſa fuit, quod ſicut dicit *Bernardus*, omnia opera miſericordiæ circa perſonam Filij exhibuit; ipſum enim indumento carnis induit, ipſum in hoſpitio vteri ſui nouem menſibus tenuit, ipſum lacte virgineo nutriuit, & potauit, ipſum per infantilem ætatem infirmum fouit, ipſum in carcere Crucis poſitum viſitauit, eius ſepulturæ interfuit. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. poſt Domin. 2. Quadrag.*

B. Virgo omnia opera miſericordiæ circa perſonam Filij exhibuit,

2. Reſp. Quæ verba dicuntur Filio ſuo: *Fili mecum es.* Cum Maria eſt Pater per potentiam, cum Maria eſt Filius per ſapientiam, cum Maria eſt Spiritus Sanctus per clementiam, vnde dicitur Sancta Sanctorum, & Sanctarum. *D. Antoninus Sabbath. 3. Quadrag.*

Dub. 214. Ad illa verba, cap. 15. verſ. 31. *Omnia mea tua ſunt.* Quommodo hæc exponuntur de Beata Virgine?

Matris, & Filij bonorum omnium communicatio, quæ fuerunt Filij, fuerunt & Matris;

Reſp. Ponitur ex parte Matris & Filij bonorum omnium communicatio, ideo dicitur omnia mea tua ſunt; omnia enim quæ fuerunt Filij fuerunt, & Matris, & è conuerſo, Filius tria habuit; ſcilicet, carnem, animam, & Diuinitatem, & iſta fuerunt Virginis; ſcilicet, caro per generationem, anima per amorem, Diuinitas per fruitionem. *Iacobus de Voragine vbi ſupra.*

Dub. 215. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 38. *Ieſu Fili Dauid miſerere mei.* Cur nomen Ieſus non ingeminat?

Infirmus per Beatam Virginem ſalutem, & ſanitatem obtinet.

Reſp. Non ingeminat nomen Ieſus, ſed nomen Filij Dauid per Vir-

Virginem nempè Mariam, cuius Filium sub illa stirpe nuncupat, de cuius patrocinio, ac subsidio multum confidebat, vt salutem, ac sanitatem haberet. *Pater Silueira hic.*

Dub. 216. Ad illa verba, cap. 23. vers. 42. *Memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Quare hic latro resipuit?

B. Virgo inter Crucem Filij, & Crucem latronis posita, Filiũ pro latrone deprecabatur

Resp. Refert enim *D. Petrus Damianus*, idcirco bonum latronem resipuisse, quia Beata Virgo inter Crucem Filij, & Crucem latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur, hoc suo beneficio, antiquum latronis recompensans, nam vt refert *Dionisius Cartusianus de vita Christi, part. 1. cap. 13. ex D. Anselmo.* Beatam Virginem cum Filio, & Sponso fugientem in Ægyptum; & in latrones incidentem bonus hic latro ab eorum manibus liberauit, Sanctitatem Matris, & Diuinitatem Filij admiratus, quæ igitur hunc latronem, ab inferni faucibus eripuit, quem non eripiat? *Pater Mendoza 1. Reg. 4. annot. 12. sect. 2. num. 13.*

Gratitudo Virginis erga bonum latronem.

Dub. 217. Ad illa verba, cap. 24. vers. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* An Spiritus Sanctus Beatæ Virgini scripturas aperuit?

Spiritus Sanctus B. Virginem illuminauit, & docuit.

Resp. Cum in Virginem superuenit, eamque obumbrauit in ipso Incarnationis actu menti eius, & intelligendi facultati velut facem quandam ardentem prætulit, eamque illuminauit, docuit, & omnes ignorationis tenebras longè lateque discussit, imo vi luminis illius Diuini effecit, vt deinceps Virgo apta, & capax esset intelligendi Mysterij sublimissimi Incarnationis Filij Dei, aliorumque multorum cœlestium secretorum, ac sensum illi aperuit, vt plenissimè intelligeret scripturas sanctas omnes, communicato etiam spiritu prophetico longè vberiore, & oculatiore, quam cæteris Prophetis omnibus vnquam infundi contigerit. Scriptorum plerorumque, multorum Sanctorum, & grauium, vt *Sancti Antonini, Sancti Bernardi, Sancti Cypriani, & Vbertini Cassallensis, Franciscani, & aliorum plusculorum opinio est.* Beatam Virginem, ipso Incarnationis Iesu Christi articulo pluries raptam in tertium cœlum fuisse, ibique ad ipsum Diuinæ Essentiæ clarum conspectum, vsque diguanter admissam, visumque ipsi Deum facie ad faciem, & quidem clarius, ac plenius, quam vidisset olim antea vel Moyses ipse, vel postea Diuus Paulus. *Robertus Abbas ad illa verba, Cant. 1. Oculi tui columbarum*, planissimè dicit: Virginem raptam in tertium cœlum, ibique quædam vidisse Arcana, quæ non licet homini loqui, valuis, velisque latius illi diductis, & apertis, quam ipsi Diuo Paulo postea. *Alexius a Salo, Franciscanus, Capucinus, in arte pie amandi, & colendi Deiparam, Stellæ quintæ declaratio.*

B. Virgo post Verbi Incarnationẽ rapta in tertium cœlũ, visumque ipsi Deũ facie ad faciem plenius quam Paulus.

D. IOANNES.

Dub. 1. Ad illa verba cap. 1. vers. 3. *Sine ipso factum est nihil.* Quo modo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Sine verbo nihil factum, sine B. Virgine nihil refectũ.

Resp. Per ipsam, & in ipsa, & de ipsa totum hoc faciendum decernitur, vt sicut sine illo nihil factum, it a sine illa nihil refectum sit. *Petrus Damianus serm. 1. de Natiuit.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. vers. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Quo sensu Beata Virgo dicitur lux?

B. Virgo post Deum lux vera, quę illuminat omnem hominem.

Resp. Ipsa est lux vera, quæ post Deum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Genuit enim lumen, quod omnes illuminatos illuminauit. *B. Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. vers. 14. *Verbum caro factum est.* Quare non homo factus, sed caro dicitur?

Resp. Homo inuoluit creatam à Deo animam, & corpus, seu carnem à parentibus formatam, si

Christus vult innotescere per id quod habet à Matre.

ueceretur Verbum homo factus, tam id quod à Patre, quàm id quod à Matre, Christus habebat significaretur. Dicatur ergo Verbum caro factum vt importetur id, quod habet à Sanctissima Dei Genitrice; de illo enim maximè gloriatur Christus Dominus, & per id maximè vult innotescere. *Pater Silueira hic, quæst.* 55.

Quanto aliquot receptiuum est magis vecinum principio influenti, tanto magis recipit de influentia eius.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. vers. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quommodo Beata Virgo de plenitudine Filij accepit?

Resp. Quanto enim aliquod receptiuum est magis vecinum principio influenti, tanto magis recipit de influentia eius, sicut patet de igne, & aqua; quanto enim quis magis appropinquat igni, qui est principium caloris tanto magis calefit, quanto fluuius magis appropinquat mari, quod est principium aquarum, tanto profundior, & copiosior est aqua, & quia Virgo maximè appropinquat Christo principio effluxiuo gratiæ, nam Mater eius est, ideo plena gratia præ cæteris, nam vt dicitur *Ioan.* 1. *De plenitudine eius*; scilicet, Christi, *omnes accepimus*, gratiam ab eo collatam causatiue in quantum Deus, meritorie, & exemplariter in quantum homo. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 15. §. 1.

B. Virgo præ cæteris creaturis plenior gratia, quia maximè appropinquauit Filio, qui est principiũ efluxiuũ gratiæ.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 1. vers. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quommodo de plenitudine Beatæ Mariæ omnes accipimus?

Resp. Ipsa est Ecclesiæ promptuarium plenissimum, vnde omnes cœli, & terrigenę stipendiantur. *Ioannes* 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*; scilicet, post Deum, gratiam pro gratia, & *Psalm.* 143. promptuaria eorum plena, id est, Maria eructans ex hoc in illud, id est, de Triumphante, in Militantem, de gratia in gloriam. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo Ecclesiæ promptuarium, vnde omnes stipendiantur.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 1. vers. 19. *Tu quis es?* Quo sensu hęc verba aptantur Beatæ Virgini?

Resp. Formam enim Baptismi spiritualis in nobis seruat baptizando, id est, mundando peccatores in nomine Patris per potentiam, in nomine Filij per sapientiam, in nomine Spiritus Sancti per bonitatem. Vnde si Ioannes, propter officium Baptismi interrogatus fuit à Iudæis. *Tu quis es?* Sic & nos si interrogauerimus eam. *Tu quis es?* Respondebit nobis, quia non sum Christus, sed Christi Mater, Baptista peccatorum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo Baptista peccatorum.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 1. vers. 23. *Ego vox clamantis in deserto.* Cur se dicit vocem Sanctus Ioannes?

Omnis vita Sancti Ioannis Baptistæ prædicabat pœnitẽtiam.

Resp. Si Ioannes Baptista dicit: *Ego sum vox clamantis in deserto*, quasi dicat, non tantum prædico voce, sed totus sum vox exultationis, ita quod omnis mea vita victus, vestitus, & locus prædicant pœnitentiam: ita Beatissimæ Virginis omnia prædicant innocentiam, si ergo Ioannes habet Donum, & gratiam prædicationis, quia est vox clamantis in deserto, multo magis Beata Maria habet hoc Donum Apostolatus, quia est vox clamantis in cœlo. *Diuus Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 19. §. 9.

Omnia Beatissimæ Virginis prędicant innocentiam.

B. Virgo vox clamantis in cœlo.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* Quare vocatur Beata Virgo ad nuptias?

Mater, & Filius vocati ad nuptias.

Resp. Sicut vocauerunt Matrem ita & Filium. *D. Thomas.*

2. Resp. Hinc apparet consanguinitas Matris Iesu ad Sponsum, seu Sponsam, creditur tamen consanguinitas ad Sponsum Ioannem; scilicet, Euangelistam nepotem eius. *Caietanus.*

Consanguinitas B. Virginis cum Sancto Ioanne Euangelistæ.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* An prius inuitata fuit Mater?

Resp. Forte prius inuitatur Mater, quia ambigebant de Iesu, an inuitatus venturus esset ad nuptias, propter summam Religiositatem, quam videbant in eo, & quia non viderunt eum se immiscuisse cõuiuiis, & ideo puto quod primo cõsuluerunt Matrẽ, an Iesus esset vocandus, & ideo signanter dixit Euangelista primo Matrẽ adesse iam in nuptijs,

Virgo Maria in dubijs cõsulenda.

B. Virgo prius vocata, quam Filius ad nuptias.

tijs, & Iesum posmodum fuisse vocatum. *D. Thomas.*

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* Quomodo vocati sunt Iesus, & Mater eius ad nuptias, cum essent pauperes, quales non solent ad conuiuia vocari?

Sponsus, & Sponsa pauperes, pauperes inuitabant.

Respondeo credo, quod Sponsus, & Sponsa pauperes erant, & ideo pauperes inuitabant, & forte alter coniugum erat de consanguinitate Mariæ. *Hugo Cardinalis.*

Dub. 11. Ad eadem verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* An ad has nuptias fuerit vocatus Ioseph vir Mariæ?

B. Virgo custos Filij sui loco Sancti Ioseph.

Respondet Magister Historiæ Scholasticæ, quod Ioseph non fuit vocatus, sed vxor eius, vnde quidam dicunt Ioseph mortuum, & semper Virginem transisse in custodiam Filij sui, quia nec etiam deinceps de eo legitur in Euangelio. Semper Virgo autem erat tunc quadraginta quinque annorum, vt dicit *Sanctus Vincentius. Antonius Gistandis, Ordinis Prædicatorum, Domin. 1. post Oct. Epiph. dub. 4.*

Dub. 12. Ad eadem verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* Cur Euangelista non ponit proprium nomen semper Virginis, sed dicit: *Et erat Mater Iesu ibi?*

Multi hæretici negabant B. Virginem Matrem esse Iesu.

Resp. Ioannes Euangelista post omnes alios scripsit, & cum iam vbique esset diuulgatum nomen semper Virginis, ideo non nominauit eam nomine proprio, sed asseruit eam esse Matrem Iesu, quia multi hæretici dicebant contrarium. *Antonius Gistandis vbi supra, dub. 6.*

Mos antiquorum vocare honestissimas matronas ad nuptias.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 2. vers. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* Quare Beata Virgo nuptijs interfuit?

Resp. Erat mos antiquorum Patrum vocare honestissimas matronas, vt in earum aspectu, ac doctrina, Sponsi ad vitæ honestatem informarentur, omnis autem honestatis speculum fuit Mater Christi, *Eccles. 15. Obuiauit illi quasi Mater honorificata,* & ex hoc honeste fuerunt nuptiæ. *Beatus Albertus Magnus.*

B. Virgo speculum honestatis.

2. Resp. Magnum, & cunctis Sanctæ Ecclesiæ spectandum ordinibus humilitatis exemplum, quod Mater Iesu, virgineum Domini Templum illibatum Sancti Spiritus Sacrarium, non aspernata est carnalium interesse celebritati nuptiarum. *Rupertus.*

B. Virgo non aspernata est carnalium interesse, celebritati nuptiarum.

3. Resp. Optabat enim Dei Genitrix conuiuantibus fieri ianua cœlestis beneficij, ne vel illorum deuotio, qui se inuitauerant fructu suo careret, nec vel hilaritatem præsentis rei competentem importuna penuriæ contristaret. *Rupertus.*

Per B. Virginem cœleste beneficium.

4. Resp. Quam libenter Maria ad has nuptias venit, in quibus Dei mirabilia comprobat, vinum Diuina suggestione suggeritur defecisse. *Diuus Augustinus serm. 41.*

Mirabilia Dei in nuptijs, vbi vinum defuit comprobata.

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 2. vers. 2. *Vocatus est autem, & Iesus.* Cur Iesus vocatus ad nuptias?

Resp. Quid autem mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit. Habet enim hic Sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritum Sanctum, quam sibi coniunxerat in vtero Virginis; Verbum enim est, Sponsa caro humana, & vtrumque vnus Filius Dei, & idem Filius hominis. Ille vterus Virginis Mariæ thalamus eius est, vnde processit tanquam Sponsus de thalamo suo. *Beda.*

Vterus Virginis thalamus, Verbi vnde processit tanquam Sponsus.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Deficiente vino. Dixit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Cur semper Virgo solum nunc, & nunquam antea rogat Filium saltem implicite, vt miraculum faciat?

Resp. Dignum autem est quærere, vnde venit in mentem Matri magnum, quid imaginari de Filio? Neque enim ante miraculum fecerat; sequitur enim, hoc fecit initium signorum Iesus, sed reuelari incipiebat, & a Ioanne, & ab his, quæ ad Discipulos dixerat; sed ante hæc omnia, ipsa conceptio, & ea quæ post Natiuitatem facta sunt, maximam ei de puero imposuerunt æstimationem, vnde Lucas dicit: *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde*

Iuo. Cuius igitur gratia non ante miraculum eum incitauit? Nam vt vnus multorum ita conseruabatur, vnde non præsumebat ei Mater tale quid dicere, quia vero audiuit, quod Ioannes ei testificatus est, & quod Discipulos iam haberet de reliquo confidenter rogat. *D. Ioannes Chrisostomus.*

B. Virgo confidenter rogat Filium pro nobis.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Vinum non habent.* Cur Beata Virgo defectum vini tantum nuntiat?

Resp. Non precatur Dominum, non imperat Filio, defectum vini tantum nuntiasse contenta, cum beneficis, & ad liberalitatem propensis, ita est agendum; non enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio. *D. Bernardus serm. 4. in Cant.*

Necessitas Deo proponenda.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Vinum non habent.* Cur non dixit Beata Virgo da eis vinum?

Resp. Non dicit Virgo da eis vinum, vt reuerentiam seruet Filio, & in liberalitate Filij, & misericordia spem ponens, tantum defectum ponit. *Beatus Albertus Magnus.*

In misericordia Filij spem posuit B. Virgo.

2. Resp. Perpende modestiam simul, & securitatem, non dicit: Rogo te consule honori consanguinei tui, & similia, sed tantummodo defectum vini proponit, necessitatem solam vini proponit, non vt Filius sciat ipsa proponente, sed vt ordinem Diuinæ dispositionis seruet, quo statuit recurrere nos debere in necessitatibus ad ipsum Deum; hac enim ratione necessitatem proponit. *Caietanus.*

In necessitatibus debemus recurrere ad Deum.

Dub. 18. Ad eadem verba, cap. 2. vers. 3. *Vinum non habent.* Cur Beata Virgo interpellat?

Resp. In Matre interpellante nota, primo quidem pietatem, & misericordiam; ad misericordiam enim pertinet, vt quis defectum alterius reputet quasi suum; misericors enim dicitur quasi miserum habens cor. 2. *Corinth.* 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quia ergo Virgo Beata misericordia plena erat, defectus aliorum subleuare volebat, & ideo dicit: *Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum. D. Thomas.*

Mater Christi misericors erat, quia alio rum defectus subleuare volebat.

2. Resp. Hoc est, signum, quod Maria erat de parentela alterius coniugum, vel amborum, quia aliter non curaret de defectu vini, & hoc mouit Beatam Virginem, vt diceret Filio: *Vinum non habent*, non quod ipsa crederet ipsum nescire, sed vt ostenderet suam compassionem, & Filij potestatem. Paupertas enim coniugum, & breuitas temporis, quo non potuit congrue mitti tunc ad vinum, mouit Virginem, vt defectum vini indicaret Filio suo, quem sciebat posse supplere omnem defectum. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo suã compassionẽ ostendit erga pauperes.

B. Virgo pãtentiam Filij vult inotescere.

3. Resp. Beata Maria prophetissa erat; sciebat enim quod Dominus ad hoc venerat ad conuiuium illud nuptiarum, vt miraculum faceret ibi, conuertendo aquam in vinum, & ideo ait: *Vinum non habent*, ac si diceret; ad hoc venisti ad nuptias, vt miraculum ibi facias, quid moraris, fac citius, quod facturus est, vt manifestetur gloria tua. *Haymo.*

B. Virgo prophetissa.

4. Resp. Maria deprecata est Filium, pro deficientis vini miraculo his, qui vocauerant gratiam volens rependere. *Euthimius.*

B. Virgo beneficis gratiã rependit.

5. Resp. Quoties mihi necesse est exorare Matrem misericordiæ, vt suggerat suo benignissimo Filio, quoniam vinum non habent, & ipsa si pie à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est, & Mater misericordiæ; nam si compassa est verecundiæ illorum à quibus fuerat inuitata, multo magis compatietur nobis, si pie fuerit inuocata. *D. Bernardus serm. 2. Dominic. 2. Epiph.*

B. Virgo compatitur nobis si pie fuerit inuocata.

6. Resp. Verbum compassionis ad Deum habuit Maria, quando in nuptiis Filio dixit: *Vinum non habent*, hoc est, contra in misericordes, quos aliorum defectus ad pietatem non mouent, nec apud Deum, neque apud homines proximos suos promouent. Ea nunc aduocata nostra Maria, ecce adhuc necesse est nobis, vt Filio tuo suggeras pro nobis, quoniam vinum

In misericordes aliorum defectibus ad pietatem nõ mouetur.

num non habent, multi ex nobis vinum vtique gratiæ Spiritus Sancti, vinum compunctionis, vinum deuotionis, vinum ſpiritualis conſolationis. *D. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. Lect. 6.*

B. Virgo rogat Filium quaſi præcipiendo.

7. Reſp. Vino deficiente, dixit Mater Ieſu ad Ieſum: *Vinum non habent*, ac ſi præciperet, vt ipſe faceret, quod qui non habebant vinum haberent. *Goffridus Abbas ſerm. 8. de Beata Virgine.*

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Vinum non habent.* Cur Beata Virgo pauciſsima verba locuta eſt?

B. Virgo nec defectum vini proponens Filio, in voluntate Filij reliquit, quid agere vellet.

Reſp. Porro cum prudentiſsima eſſet Virgo pauciſsimis vſa eſt verbis, & in voluntate Filij, ac Domini ſui relinquens quid agere vellet, quo docemur cauſam, & indigentiam noſtram ſuperioribus noſtris ſimpliciter, atque modeſte inſinuare, & in eorum pietate, quid faciendum ſit relinquere. *Cartuſianus.*

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Vinum non habent.* Cur Beata Virgo non inuitata ſe ingerit?

B. Virgo ſua ſponte currit ad benefaciẽdum.

Reſp. Nuſquam tamen dicitur vocata, ſeu inuitata adfuiſſe, fortaſſe quod ipſa ſua ſe ſponte ad locum præſtandæ beneficientiæ opportunum, nemine vocante, vel inuitante conferre non dubitaret. Quod ſi reuera vocata fuit, quemmadmodum, & Filius, vt Patres, & Interpretes probabilius affirmant, ſaltem videtur citius accurriſſe, cum prius eius præſentia, quam Filij referatur, imo adfuiſſe Filium, quia Mater iam aderat aliqui arbitrantur. *Pater Mendoza 1. Reg. 4. verſ. 11. annotat. 12. ſect. 1. num. 3.*

Filius adfuit nuptijs, quia Mater iã aderat.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *Et deficiente vino dixit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.* Cur cum vinum eſſet indeficiendo rogat?

B. Virgo opportune rogat Filium.

Reſp. Nota Virginis ſolicitudinem, & diligentiam, quia vſque ad extremam neceſsitatem non diſtulit, ſed deficiente vino, id eſt, dum eſſet in deficiendo, iuxta illud quod dicitur in *Pſalm. 9.* de eo: *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. D. Thomas.*

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 4. *Et dicit ei Ieſus, quid mihi, & tibi eſt mulier?* Cur Saluator non vocat ſemper Virginem Matrem, vel ſaltem proprio nomine, ſed communi dicens: Mulier?

Miracula facere competit Chriſto ſecundum naturam, quam accepit à Patre.

Reſp. Secundum *D. Auguſt.* in ipſo ſunt duæ naturæ, Diuina, ſcilicet, & humana, & quamuis idem Chriſtus ſit in vtraque natura, ea tamen quæ conueniunt ei ſecundum humanam naturam diſtincta ſunt ab his, quæ conueniunt ei ſecundum Diuinam; miracula autem facere competit ei ſecundum Diuinam naturam, quam accepit à Patre, pati vero ſecundum humanam, quam accepit à Matre, & ideo Matri exigenti miraculum, reſpondit dicens: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Ac ſi dicat, illud quod in me facit miracula non accepi à te, ſed illud vnde patior, id eſt, ſecundum quod competit mihi pati, id eſt, humanam naturam à te accepi, & ideo tunc te cognoſcam cum ipſa infirmitas pendebit in Cruce, ideo ſubdit: *Nondum venit hora mea*, quaſi dicat cum venerit hora paſſionis, ibi te Matrem recognoſcam, vnde, & in Cruce pendens Matrem Diſcipulo commendauit. *D. Thomas. Lyranus. Giſtandis.*

Pati conuenit Chriſto ſecundum naturã, quam accepit à Matre.

2. Reſp. Secundum *Chriſoſt.* vero aliter exponitur. Dicitur enim, quod Beata Virgo feruens zelo honoris Filij voluit, quod ſtatim antequam opportunum eſſet tempus miracula faceret, & ideo Chriſtus hoc dubium ſapientiori cauſa repreſsit; noluit enim prius facere miraculum, quam ſciret defectus, quia ex hoc fuiſſet minus notum, & minus credibile, & ideo dicit: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Quaſi dicat: Quid memoleſtas, nondum venit hora mea, id eſt, nondum cognitus ſum his qui adſunt, ſed neque defectum vini ſentiunt ſine ergo primo, hoc ſentire, quia cum neceſsitatem cognouerint, maius reputabunt beneficium, quod recipient. *Eccleſ. 8. Omni negotio tempus eſt. D. Thomas.*

B. Virgo feruebat zelo honoris Filij.

Chriſtus ſubaccuit cũ homo neceſsitatem cognoſcit.

B. Virgo mulier vocata à Filio, ne in hæresim aliqui labantur putantes B. Virginē Deū esse.

3. Resp. Reuera Sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus, reuera Virgo erat, & honorata, non tamen ad adorationem nobis data, propterea Euangelium munit nos dicens, quod Dominus dixerit: *Quid mihi, & tibi curæ est mulier?* Quo non putarent aliqui magis eximium esse Sanctam Virginem mulierem eam appellauit, velut prophetans, quæ futura essent in terra, vt ne aliqui nimium admirati sanctam in hanc hæresim eius deliramenta labantur. *D. Epiphanius Hæresi 79.*

4. Resp. Humillimus custos noluit detegere virginitatem Matris, ne per hoc glorioſus in conſpectu hominum appareret, antequam per miracula manifestaretur, sed mulierem vocat, quoniam misericordia è molli ad molia tensit de nuptias celebrantibus. *Beatus Albertus Magnus.*

Christus noluit glorioſus in conſpectu hominum apparere, antequam per miracula manifestaretur.

5. Resp. Feruore quodam ducebatur Deipara bibendi sanguinis Christi poculum, properante Matia admirabile vini signum, Dominus repellens festinationem, dixit: *Quid mihi, & tibi est mulier? D. Irineus lib. 3. cap. 18.*

B. Virgo institutionē Sacramenti Eucharistiæ desiderabat.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Quid mihi, & tibi est mulier?* An hæc verba fuerint increpantis?

Resp. Manifestum video, quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam dixeris: *Quid mihi, & tibi?* Vt quid ergo fratres? Vt quid sic respondebat? Vtique propter nos, vt conuersus ad Deum iam non solicitet cura carnalium parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale; quandiu enim in mundo sumus debitores constat nos parentibus, at postquam relinquimus nos metipsos multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus. *D. Bernardus serm. Dominic. 2. Epiphan.*

Conuersus ad Deū non curet de parentibus carnalibus.

2. Resp. Increpata Maria non est, quia omnis expers culpæ, quod Filius manifestauit faciens quod fecit, sed propter nos responsio illa data est, instruendos, ne spiritualibus agendis parentum curam

B. Virgo expers culpæ.

Ad parentes ne nimium afficiamur.

geramus, ne ad eos nimium afficiamur, sed solum Dei spectemus gloriam. *Richardus de Sancto Victore lib. 3. de laudibus Virg. cap. 19.*

3. Resp. Non sunt verba obiurgantis, seu arguentis, aut repellentis Matrem, sed instruentis, quod neutris intererat pro nunc. Est enim tensus, quid mea, & tua interest defectus vini? Tu enim est mulier, ac per hoc non tibi imputabitur defectus vini interest siquidem Sponsi prouidere, & non pertinet ad te, quæ es mulier. Vnde Architriclinus Sponsum vocauit (tanquam cum ad quem spectabat de vino) & non mulierem aliquam. *Caietanus.*

Vnusquisque curam gerat rei, quæ ad ipsum pertinet.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Cur Dominus Iesus interrogatiuo modo loquendi vtitur, dicendo: *Quid mihi, & tibi est mulier?*

Resp. Quare autem non aperta negatione instruxerit Matrem (dicendo, neque tua interest, mulier neque mea, quia nondum venit hora mea, sed interrogatiuo modo loquendi vtens dicendo: *Quid mihi, & tibi est?* In promptu est ratio filialis reuerentiæ; modestius enim negationem damus interrogando, tanquam relinquendo iudicium illi, quem alloquimur) quam formali negatione. Vnde etiam in Templo inuentus simili loquendi modo vsus est: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis. Caietanus.*

Filialis reuerentia Christi ad Matrem.

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 2. vers. 3. *Nondum venit hora mea.* Cur dicit nondum venit hora mea, cum tamen postea fecerit miraculum?

Resp. Nondum adest tempus meum ad edendum, quod quæris miraculum, tunc autem aderit, cum hi quibus opus est miraculo, cognouerint, quod talia possint operari, & ipsi me fuerint deprecati, nunc autem Matre adhortante, non solum intempestiuum esset, verum etiam suspectum, & quæruloſis facillime pateret calumniæ. *Euthimius.*

Vitanda aliorum offa, calumniæ, & iudicia.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 2. vers. 4. *Dicit Mater eius ministris, quod-*

B. Virgo nouerat Filium pium, & miſericordem.

quodcunque dixerit vobis facite. Quommodo poterat ſcire ſemper Virgo Chriſtum debere facere miraculum, quia dixit miniſtris, quodcunque dixerit vobis facite?

Reſp. Quaſi diceret, licet abnegare videatur tamen faciet; nouerat enim Mater cum pium, & miſericordem. *Beda.*

2. Reſp. Nonne prophetiſſam ſe oſtendit, cum ait in *Cantic. Beatam me dicent omnes generationes*, quæ tunc erat omnibus ignota, ſed futurum erat poſt tempora, quod dixit; ſed & cum miniſtris nuptiarum, deficiente vino inquit: *Quodcunque vobis dixerit*; ſcilicet, Filius meus, *facite*, ideo hoc dixit, quia præſcia futuri miraculi ſciebat aquam in vinum conuertendam. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19. §. 3.* Cæterum nunquam mandaret miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis facite*, niſi Spiritu Sancto poſt partum Diuinum plena, non ſolum reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verum etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præciuiſſet. Quid enim lateret ſapientiæ Matrem capacem Dei, ædemque tantæ virtutis. *D. Gaudentius tract. 2. Hugo Cardinalis.*

B. Virginis fides, ſpes, charitas, modeſtia, reuerentia, promptitudo, prudentia.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 4. *Quodcunque dixerit vobis facite.* Quæ virtutes micant in hoc mandato Beatæ Virginis?

Reſp. Prædicauit, & docuit Virgo eximiam fidem; nam quamuis audiret à Filio dure, *quid mihi, & tibi*, tamen non hæſitauit, perfecta enim fides non deficit qualibet aduerſitate. Docuit ſpem, nam quamuis audiret à Filio verba, quæ videbantur repulſam ſonare, imo vt ait *Beda*, poterat Virgo putare Chriſtum recuſaſſe eius preces, tamen ſperauit in ſpe contra ſpem, multum confidens de miſericordia Filij. Docuit charitatem in Deum, dum procurauit, vt eius gloria miraculo manifeſtaretur. Docuit obedientiam, dum ſuadet miniſtris obedire Deo, non in hoc vel illo, ſed in omnibus diſcriminatim, *quodcunque dixerit*. Docuit modeſtiam, dum non ſe gloriatur Matrem eſſe tanti Filij; non enim ait, quodcunque dixerit Filius meus, ſed per tertiam perſonam loquitur. Docuit reuerentiam in Deum, non ait, quodcunque dixerit Ieſus, nunquam lego Virginem hoc ſanctiſsimum nomen pronuntiaſſe, ob illius magnam reuerentiam. Docuit promptitudinem in Deum; non enim exhortatur eos, vt audiant quæcunque dixerit, ſed vt faciant. Docuit prudentiam cum miſericordia, dixit miniſtris vt facerent, quodcunque dixerit, ne cum audirent iuſſionem Chriſti de implendis hydris inſaniam putarent, magna, & prudens miſericordia eſt præuenire, ne alius homo in malum incidat. *Pater Silueira tom. 2. lib. 4. quæſt. 21.*

Perfecta fides non hęſitat qualibet aduerſitate.

B. Virgo confidit de miſericordia Filij.

Virgo Maria procurabat, vt Filij gloria miraculo manifeſtaretur.

Modeſtia Virginis talis, vt non gloriatur Matrem eſſe tanti Filij.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 4. *Quodcunque dixerit vobis facite.* Quare Virgo hic loquitur, & non legitur amplius in Euangelio eructaſſe verbum?

Nomen Ieſus magna reuerentia venerandum, nec legitur Virginem hoc nomen pronuntiaſſe.

Reſp. Sanctiſsima Virgo pro hominibus hic ad Filium verba miſericordiæ protulit, nec amplius in ſacro Euangelio aliquid aliud locuta legitur, vt denotetur perpetuum eius munus eſſe pro nobis ad Filium intercedere, omneque humano generi bonum ſolicitare. *Pater Silueira vbi ſupra.*

Prudentia cum miſericordia præuenit, ne alius homo in malum incidat.

Perpetuum Virginis munus eſt pro nobis ad Filium intercedere.

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 13. *Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Cur Chriſtus dicitur Filius hominis?

Reſp. Filius autem hominis propter Adamum, ac Virginem ex quibus extitit, illum nimirum, vt generis Auctore, hæc autem vt Matre, & iuxta legem, & ſupra legem. *D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theolog.*

Chriſtus ex Adamo, & B. Virgine extitit.

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 6. *Erat autem ibi fons Iacob.* Quid fons Iacob ſignificat?

B. Virgo venientes ad ſe ditat.

Reſp. Ipſa eſt fons Iacob, de quo nobis profluxerunt quatuor flumina, fons igitur iſte Beatiſsima Virgo eſt propter multa. Primo, quia venientes ad ſe ditat; inuenitur enim ibi totus theſaurus Dei Patris; ſcilicet, Ieſus, vnde Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper puteum, erat autem hora quaſi ſexta, vbi, & mulier inuenit eum.

Sitientes aqua gratiæ refocillat.

Se-

Peccata vidē da illuminat.

ſecundo, quia ſitientes aqua gratiæ reſocillat. Vnde dixit Ieſus mulieri: *Si ſcires quis eſt qui dicit tibi da mihi bibere forſitam tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam bibere viuam*, id eſt, gratiam, & gloriam. Tertio, quia peccata videnda illuminat, vnde dixit Ieſus: *Quinque viros habuiſti*, & mulier ſtatim ſubtulit: *Domine, vt video Prophetа es tu.* Quaſi diceret, prius cæca fuit, ſed modo video. Quarto, quia à peccato liberat, vnde reliquit hydriam ſuam mulier, hydriam cupiditatis voluptatis, & vanitatis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo à peccatis liberat.

B. Virgo piſcina gratiæ.

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 2. *Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina.* Quid ſignificat hæc piſcina?

Reſp. Hæc eſt piſcina gratiæ, Maria, in quam ſecundum tempus miſericordiæ deſcendit Angelus Domini, id eſt, Filius Dei mouens in ea aquas gratiarum ad ſanandum, vnde & ibi ſanus fiebat à quacunque tenebatur infirmitate. *Beatus Albertus Magnus ibi.*

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 4. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam.* Quid ſignificat deſcenſus Angeli in piſcinam?

Chriſtus in Beatam Virginem deſcēdēs naturam morbo laborantem in ſanitatem reſtituit.

Reſp. Olim quidem ſemel quotannis Angelum Dei excipiens (ſcilicet, probatica piſcina) aquam turbatam, atque vnum duntaxat valetudini reſtituentem, & ab vrgente morbo vendicantem. Nunc autem cœleſtium virtutum copioſiſsimum agmen habens Dei Genitricem nobiſcum laudantium, illam inquam miraculorum abyſſum, illum vniuerſo Orbi medicinam afferentem fontem, quæ omnem naturam morbo laborantem in ſanitatem reſtituit. *D. Damaſcenus orat. 1. de Natiuitate Mariæ.*

B. Virgo iudiciſſa viuorum, & mortuorum.

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere.* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Ipſa eſt iudiciſſa viuorum, & mortuorum, & Mater iudicis ſempiterni, de quo *Ioannis 5. Poteſtatem dedit ei*, id eſt, Pater Filio, ſecundum humanitatem, *iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Si poteſtatem habet Filius eius iudicium facere iuſtitiæ, ipſa etiam ex conceſsione ſua poteſtatem habet iudicium miſericordiæ facere, quia Mater Dei eſt, vnde & de confidentia Filij illud *Matth.* dicere poteſt, *cap. 20. An non licet mihi facere, quod volo. Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo poteſtatem habet iudicium miſericordiæ facere.

Dub. 34. Ad illa verba, cap: 6. verſ. 42. *Nonne hic eſt Filius Ioſeph, cuius nos nouimus Patrem, & Matrem.* Cur hic fit mentio de Chriſti Matre?

Reſp. Inter Iudæorum altercationes circa Euchariſtiæ Sacramentum fit mentio de Chriſti Matre, non erit abs re inquirere an ob ipſam peculiarius Euchariſtia fuerit inſtituta? Sacram Euchariſtiam ait *Salazar in cap. 9. Proverb. Verſ.* 4. propter Mariam inſtitutam fuiſſe; vt ſcilicet, poſt Chriſti paſsionem moras ſuæ beatitudinis hac eſca confirmata facilius ferre poſſet. *Pater Silueira hic, quæſt. 19.*

Euchariſtia peculiarius ob B. Virginem inſtituta.

Dub. 35. Ad illa verba; cap. 6. verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

B. Virgo peccatores attrahit ad Deum.

Reſp. Ipſa eſt etiam attractrix peccatorum ad Deum, *Ioann. 6.* dixit Ieſus turbis: *Nolite murmurare inuicem, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus qui miſit me traxerit eum.* Sed nunquid non veniunt ad te, quos Mater tua ad te trahit? Vtique, immo omnis quem Mater ad eum trahit, impoſsibile eſt, vt intereat, vt dicit Anſelmus. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo opus ſingulare Dei quod admirātur tam Angeli, quā homines.

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 7. verſ. 21. *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Quod nam opus, quod omnes mirabantur?

Reſp. Ipſa eſt opus admirationis tam Angelorum, quam hominum de quo Dominus, *Ioann. 7. Vnum opus feci*, id eſt, Mariam, quæ eſt vna, & ſingularis, & pretioſa præ omnibus, & omnes tam Angeli, quam homines admiramini eius naturam, eius gratiam,

eius

eius gloriam, eius humiliratem, eius misericordiam, eius largitatem, eius solemnitatem. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 8. vers. 6. *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Quid significat inclinatio Christi?

B. Virgo sedes misericordiæ.

Resp. Ipsa est sedes misericordiæ, in quam sedens Filius Dominus noster, & Iudex pro condemnatis filijs Adæ protulit sententiam absolutionis, *Ioann. 8. Iesus inclinans se deorsum, Gloss.* De sede Patris in mundum. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Christus in tantum se inclinauit, quod in vterum Virginis descendit.

2. Resp. Inclinatio Christi significat eius humilitatem, qua in tantum se inclinauit, quod in vterum Virginis descendit. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabbath. 3. Dom. Quadrag.*

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 8. vers. 6. *Digito scribebat in terra.* Quid significat scriptura Christi in terra?

Christus B. Virgine omnibus Donis, & virtutibus dotauit.

Resp. Inclinando se in terram scripsit. Per terram significatur Virgo Maria, quia sic fructifera fuit, quod illum fructum protulit, de quo dicitur *Isaiæ 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; in ista terra Christus scripsit, quando Matrem suam, omnibus Donis, & virtutibus dotauit, & adornauit. *Iacobus de Voragine ibi.*

2. Resp. Per terram significatur Virgo Maria, ostenditur de Matre quantæ fuerit excellentiæ, & dignitatis, in eo quod scripta fuit; tota enim Trinitas in ea scripsit, *& infra.* Spiritus Sanctus suam bonitatem, & misericordiam, Spiritus Sanctus fecit eam clementem ad miserandum. Sunt enim quidam Sancti in cœlo, qui quando rogantur sequuntur informationem suæ conscientiæ, & ideo quandoque Deum rogare nolunt, quia habent conscientiam, quia illi non sunt digni exaudiri; alij Sancti sunt, qui quando rogantur sequuntur rectitudinem Diuinæ Iustitiæ, & ideo si rogantur, & sciunt, quod Diuinæ Iustitiæ hoc non competit, rogare non audent. Beata autem Virgo non respicit ad conscientiam, neque ad iustitiam, sed ad misericordiam, ac si dicat teneant se ad suas conscientias, qui volunt respiciant ad Dei iustitiam, ego me semper tenebo ad misericordiam. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, ibidem.*

B. Virgo non respicit ad Dei iustitiã, sed se tenet ex parte misericordiæ.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 8. v. 12. *Ego sum lux mundi* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Resp. Secundum *Beatum Augustinum*, tanta est vnitas capitis ad membra, & membrorum ad caput, quod aliquando caput assumit personam membrorum, iuxta illud *Actuum 9. Saule, Saule, quid me persequeris?* Aliquando membra nominantur ex parte capitis, iuxta illud *Psalmi Nolite tangere Christos meos*, multo fortius tanta est vnitas inter Matrem; scilicet, Beatam Virginem, & eius Filium Iesum Christum, quod illud, quod dicitur de Filio potest Matri conuenire, vnde verbum propositum: *Ego sum lux mundi*, licet dictum sit de Filio tamen Matri conuenire potest; est enim Christus lux mundi, qui illuminat, & non illuminatur, est etiam Mater lux mundi, quia est lux per quam mundus illuminatur. *Iacobus de Voragine serm. 2. Sabath. 4. Quadrag.*

Quod dicitur de Filio potest Matri cõuenire.

B. Virgo lux per quam mundus illuminatur.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 12. vers. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Per Incarnationẽ, & passionem spiritualis seges, fructificante Deo, multiplicata est.

Resp. Nisi granum istud in vterum virginalem, velut in terram fertilem, & bene excultam exercitio Spiritus Sancti prius cecidisset per Incarnationem, & post hoc mortuum in Cruce fuisset, ipsum solum mansisset, sed per ista duo granum vnicum factus est aceruus magnus. Granum illud tritici potentialiter erat aceruus tritici; de quo scilicet, grano tanta spiritualis seges fructificante Deo, multiplicata est. *Beatus Albertus Magnus lib. 4. de laudibus Beatæ Virginis.*

Christus primo apparuit B. Virgini in die Resurrectionis.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 14. vers. 21. *Ego diligam eum, & mani-*

nifestabo ei me ipsum. Quare Christus diligentibus eum promittit manifestare se ipsum?

Resp. Virgo Maria supra omnes creaturas diligebat Christum, ergo iure optimo omnibus fuit præferenda, vt ei Christus primo appareret. *Pater Siluetra tom. 5. lib. 9. cap. 1. quæst. 8. num. 49.*

Deus perfectius fuit in B. Virgine, quam in alijs

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 15. vers. 5. *Sine me nihil potestis facere.* An Deus perfectius fuerit in Beata Virgine, quam in alijs?

Resp. Per potentiam dicitur esse in rebus, quia omnibus dat virtutem operandi, vnde *Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere,* & quia virtutem dedit operandi Beatæ Mariæ perfectius, quam alteri creaturæ puræ, ideo perfectius, quam in alijs. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21.*

B. Virginis plenissimum gaudium in patria

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 16. vers. 24. *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Quale gaudium Beatæ Virginis in patria?

Resp. Si ergo omnium Apostolorum immo omnium cum Deo regnantium gaudium plenum est, quanto Matris Dei gaudium plenissimè est plenum. *D. Bonauentura in speculo B. Virg. Lect. 7.*

Possidet plenitudinem gloriæ.

2. Resp. Plena siquidem gratia plena Deo, plena virtutibus, non potest, non possidere pleniter gloriam claritatis æternæ. *D. Hieronymus serm. de Assumpt.*

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 16. vers. 21. *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit præsuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Quale fuit gaudium Beatæ Virginis in partu?

Verum gaudium non de creatura, sed de Creatore concipitur.

Resp. Vnde tibi gaudium, & delectatio in tanta paupertate, & austeritate? Credo responderet si præsens existeret, gaudium experior, & suauitatem, quæ declarari non potest. Illud est enim verum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cuius comparatione, omne pulchrum fœdum omne dulce amarum, omne quod delectare potest molestum, vt ait *B. Bernardus.* Quomodo enim non gaudebo summè in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo ex meo vtero nato? Abraham à longè vidit hoc mysterium in figura cum tres vidit, & vnum adorauit, vidit, & gauisus est, *Ioann. 8.* Et ego in quo ista tria vnita sunt, Deus animus, & corpus in vna persona in vtero meo, sine lætitia permanebo? Certe cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum ex me genitum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 31. §. 1.*

Exultabat B. Virgo in Deum viuum ex se genitum.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 19. vers. 23. *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum.* Quis illam tunicam confecit?

B. Virgo tunicam inconsutilem, qua Christus vtebatur, suis manibus confecit.

Resp. Beatissima Virgo tunicam illam inconsutilem, qua Christus Dominus vtebatur, nec vnquam exuit, nisi pro nobis flagellandus, & crucifigendus suis manibus confecit, vt *Euthymius* ex Patrum traditione commemorat, quamuis aliquis ex illis verbis desuper contexta per totum è cœlo, seu ab Angelis confectam magis pie, quam solide contempletur. *Pater Mendoza 1. Reg. cap. 2. num. 19.*

B. Virgo iuxta Crucem expectabat non di salutem.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 19. vers. 25. *Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

Resp. Maria ante Crucem stabat, & pijs spectabat oculis Filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. *D. Ambrosius.*

B. Virgo stabat iuxta Crucem, mente ad Deum erecta.

2. Resp. Stabat cum maximo dolore cernens Filium derisum, consputum flagellatum, spinis coronatum, à cunctis maledictum, & reprobatum, in medio latronum collocatum, clauis affixum, aceto, & felle potatum in siti sua, lancea vulneratum, stabat poena mortis consternata, sed mente ad Deum erecta; stabat non inclinata ad sensualitatem ex amore Filij; stabat non curuata ad appetendum vindictam crucifigentium, non eos maledicens, non odiens, non murmurans, non vociferans, non capillos euellens, vel faciem dilacerans, vt multæ faciunt in morte cha-

chriſsimorum, ſtabat fortiter, & vſque ad finem perſeueranter omnia ſuſtinens propter dilectionem Dei hoc volentis, & proximi dilectionem inde redimendi, quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. *D. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 4.*

Chriſtus in Matre amplius, quam in ſe pati videbatur.

3. Reſp. Chriſtus quidem expenſis contumelijs, & tormentis, iam hora propinquante, in Matre amplius, quam in ſe pati videbatur. *Arnaldus Carnotenſis tract. de laudibus B. Mariæ.*

Paſsio Chriſti adeo magna, vt Matrē eius commouerit.

4. Reſp. Cur autem hęc memorat Euangelista? Reſp. Docere, vt ego arbitror voluit tantam paſsionis Chriſti fuiſſe dignitatem, ac magnitudinem, vt Matrem etiam eius mors Crucis, & Iudæorum illuſiones commouerint. *Cyrillus Alexandrinus.*

B. Virgo comes in diuidua veſtigijs Ieſu adhærēs

5. Reſp. Maria comes indiuidua veſtigijs Ieſu adhærebat, pendebatque ex ore docentis, adeo vt nec procella perſecutionis, nec horrore ſupplicis, à conſpectu Filij potuerit abſterreri.

B. Virgo impedit diabolum, ne obſtet venire volentibus per fidem ad Chriſtum.

6. Reſp. Ad hoc autem ſe interpoſuit Cruci, & Aquiloni, ne diabolus ſignatus per Aquilonem poſſet eos impedire, qui venire vellent per fidem ad brachia Saluatoris extenſa, ſicut fecit latro dexter, & ſicut feciſſe videtur Centurio ille, & qui cum eo erant, qui videntes ea quæ fiebant dixerunt, vere Filius Dei erat iſte. *Matth. 27. B. Albert. Magn. lib. 4. de laud. B. Mariæ.*

B. Virgo excellenter promeruit, vt per ipſam, virtus paſsionis Chriſti communicaretur hominibus.

7. Reſp. Amantiſsima Dei Virgo dici poteſt mundi Saluatrix propter eminentiam virtuoſitatem, & meritum ſuæ compaſſionis, qua patienti Filio fideliſsimè, ac acerbiſsimè condolendo excellenter promeruit, vt per ipſum, hoc eſt, per preces eius, ac merita virtus, ac meritū paſsionis Chriſti communicetur hominibus, ipſa quoque eis, qui à gratia Chriſti prolapſi ſunt rurſus procurat eandem, & Regnum miſericordiæ ei commiſſum eſt. *Dionyſius Carthuſianus lib. 2. de laudib. B. Mariæ, cap. 23.*

B. Virgo ſtetit iuxta Crucem tanquā aduocata peccatorum.

8. Reſp. Libet exclamare mulierem de iſta ſtatione. Clamo igitur, & dico, quod iſta ſtatio nobiliſsima eſt, fidelis enim aduocatus libenter ſtat ad tribunal iudicis, in quo pro ſuo clientelo datur ſententia abſolutionis, & pro aduerſario ſententia condemnationis: ſicut Maria aduocata apud Crucem Ieſu, in qua pendens Filius Dei iudex omnium, dedit ſententiam de diaboli condemnatione, & ſententiam de peccatorum abſolutione: *Pater, dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt, Luc. 23.* & ſententiam de Regni apertione, vnde: *Hodie mecum eris in Paradiſo, B. Albert. Magn. in Biblia Mariana.*

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 25. *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius.* Quæ virtutes Virginis Mariæ in hac ſtatione?

B. Virgo ſtabat iuxta Crucem fide eleuata, & fixa de Diuinitate Chriſti.

Reſp. Petrus ſequebatur eum à longè, ne agnoſceretur vt Diſcipulus, quinimo, & ipſum cum iuramento negauit, ſe non eſſe. Ioannes etſi vſque ad Crucem ſecutus, iuxta Crucem ſtabat corpore, à longè tamen mente, nec ipſe agnoſcens Diuinitatem. Sola Beata Virgo ſtabat fide eleuata, & fixa de eius Diuinitate, ſpectans in dubie ſuam tertia die reſurrectionē, vt merito dicatur matris ſtella ſtando, & lumen fidei mundo naufrago retinendo. In huius ſignum triduano officio Dominicæ Paſsionis, cum quindecim candelæ accenſæ firmentur ante Altare paulatim, & ſucceſsiuè omnes extinguntur, ſola vna accenſa abſconditur, quæ poſt officium omnibus profertur, ad illuminandum: quindecim candelæ accenſæ deſignant duodecim Apoſtolos, & tres Marias, Magdalenæ, Salome, & Alphei, quæ præ cæteris cum Apoſtolis videbantur fide illuſtratæ, & formatæ: ſed in illo triduo omnes extincti ſunt lumine fidei Deitatis Chriſti, ſolum in Virgine remanſit lumen fidei occultum, quod poſtea omnibus patefactum eſt ad omnes ſuo exemplo illuminandum. Et hinc eſt, quod non acceſsit mane Dominicæ ſuæ Reſurrectionis ad monumentum cum præfatis Marijs, non quia minus arderet amore ad Filium, ſed quia

Quindecim candelæ triduano officio Dominicæ Paſsionis accenſæ, quid ſignificant?

B. Virgo non acceſsit mane Dominicæ Reſurrectionis ad monumentum cum Marijs, & quare?

expe-

expectabat eum reſuscitatum ſe eſſe viſuram ante omnes, & ideo non quærebat viuentem cum mortuis, vt illæ. *D. Antoninus 4 part. tit. 15. cap. 23. §. 15.*

Iuxta Crucē ſpectabat mūdi ſalutem.

2. Reſp. Piis oculis ſpectabat, non Filij mortem, ſed mundi ſalutem. *D. Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſumptione.*

B. Virginis amor erga Filium Iudæorum vincebat timorem.

3. Reſp. Tunc Dei Mater propinquius Cruci aſtitit, quam cæteræ mulieres, idque viſcerum inflammatione, Iudęorum vincente timorem. *Euthymius.*

B. Virgo verius cæteris, quæ in ſe facta fuerant agnouit.

4. Reſp. Stabat iuxta Crucem quę ſemper fletit, quia verius cęteris, quę in ſe facta fuerant agnouit. *Hugo Cardinalis.*

Præſens dolor deijciebat animum, bonorum expectatio futurorum erigebat.

5. Reſp. Beatiſsima Virgo, & aliæ ſanctiſsimę ſodales ſtabant iuxta Crucem Ieſu, nam etſi proprie ſtarent, ne verbum ſine neceſſitate à ſua propria ſignificatione extrahatur, dici tamen poteſt, mystice ſtetiſſe, vt ſtatu corporis conſtantiam animi ſignificarent; quamuis enim præſens dolor deijciebat animos, bonorum tamen expectatio futurorum erigebat. *Pater Mendoza 1. Reg. cap. 1. num. 10.*

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 25. *Stabat iuxta Crucem Mater Ieſu.* Quare Sanctus Ioannes hic Matrem nominat?

Iuxta Crucē probata eſt Matris ad Filium charitas.

Reſp. Plene Mater, quæ nec in terrore mortis Filium deſerebat. Merito igitur iuxta Crucem Mater agnita eſt, vbi maximè probata eſt Matris ad Filium ſincera charitas. *Guarricus Abbas ſerm. 4. in Aſſumptione.*

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 26. *Cum vidiſſet Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat Ieſus, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce Filius tuus.* Cur in morte Dominus Ieſus Matris meminit?

Chriſtus in Cruce pendēs honorauit Matrem.

Reſp. Solus me docet Ioannes, quod alij non docuerunt, pluris æſtimans, quod victor ſupplicio rum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quam quod Regnum cœleſte donabat, namſi Religioſum eſt, quod latroni venia donatur, multo Religioſius, quod Mater honoretur à Filio. *D. Ambroſius.*

2. Reſp. Attende, quod *Ioann. 2.* quando Mater dixit: *Vinum non habent*, dicit: *Nondum venit hora mea*, ſcilicet, paſsionis, qua patiar ſecundum illud quod à te ſuſcepi; cum autem venerit hora illa, tunc recognoſcam, vnde, & modo eam recognoſcit Matrem, facere autem miracula non conuenit mihi ſecundum quod à te ſuſcepi, ſed ſecundum quod habeo à Patre paternam generationem ſcilicet, ſecundum quod ſum Deus. *D. Thomas.*

Pati cōuenit Chriſto ſecūdum quod accepit à Matre.

Facere miracula cōuenit Chriſto, ſecūdū quod habet à Patre.

3. Reſp. Nota ſecundum *Auguſtinum*, quod Chriſtus in Cruce pendens ſe habuit, ſicut Magiſter in Cathedra, vnde & docet nos parentibus exiſtentibus in neceſsitate ſubuenire, & de eis curam habere, vt dicitur *Exodi 20. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Et 1. Theſalo 5. Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, non habet fidem, & eſt infideli deterior. D. Thomas.*

Chriſtus in Cruce pendēs ſe habuit ſicut Magiſter in Cathedra.

Parentibus exiſtentibus in neceſsitate ſubuenīendū.

4. Reſp. Cæterum cum dilexiſſet eam Ieſus, in finem dilexit eam, vt non ſolum propter ipſam finem viuendi, verum & in ipſam finem pœnæ faceret loquendi, dum velut inter vltima verba teſtamenti curam Matris, cuius debitorem ſe agnoſcebat chariſsimo tranſcribit hæredi. *Guarricus ſerm. 4. de Aſſumptione.*

Chriſtus Matri ſe debitorem agnoſcebat.

S. Ioannes Euangeliſta hæres Chriſti.

5. Reſp. Cum igitur per legem ita præceperit, cumque omnis virtutis ipſe fons ſit, quodammodo non oportebat ab ipſo, & per ipſum nos diſcere, ne quando intolerabiles imminent erumnæ, negligendos eſſe parentes prouidit Matri, quaſi parum de magnitudine doloris curaret, etſi acriter patiebatur. *Cyrillus Alexandrinus.*

Chriſtus prouidit Matri, parū de magnitudine dolorum curāti.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 26. *Dicit Matri ſuæ: Mulier.* Cur non dixit Mater?

Chriſtus non dixit Mater, ſed mulier, ne dolorem exaggararet.

Reſp. Non dixit Mater, ne dolorem exaggararet, ſed communi proprio ſexus nomine ipſam appellauit, indigentiam adminiculi ſignificans, & propterea ſubrogauit illi Ioannem in Filium. *Caietanus.*

2. Reſp. Chriſtus nomen Matris, vel Mariæ tacet, & vocabulum mu-

mulieris profert. Forſitan in materni nominis commendationem, ardebat namque Chriſtus hominum redemptionem ſua morte conſumare capite inclinato morti, vt accederet annuebat, ne ergo Mariæ nomine mors territa defugeret, mulierem dicit: Mariam tacuit. *Pater Silueira tom. 5. lib. 8. quæſt. 12. num. 71.*

Chriſtus inclinato capite morti, vt accederet, annuebat.

Dub. 51. Ad eadem verba, cap. 19. verſ. 26. *Dicit Matri ſuæ.* Cur Sanctus Ioannes ter repetit nomen Virginis Mariæ?

Nomine Virginis inuocato mors fugit.

Reſp. Sublimis Ioannes Aquila optimè agnouit, quod Chriſtus Dominus in Sacratiſsima Virgine diſſimulans nomen Matris eam mulierem dicit, vt eam ipſi Ioanni daret in Matrem: *Mulier, ecce Filius tuus*, inde Euangeliſta, vt tanto Chriſti beneficio maximè gratum ſe exhiberet, eam tripliciter Matrem Chriſti vocat, optimè deprehenſum habebat, nihil eſſe magis gratum, ac præiocundum Chriſto, quam eum Filium Virginis Mariæ dici, ac publicari, inde ter nomine Matris Chriſti repetito tam in genti beneficio correſpondere intendit. *Pater Silueira ibidem.*

Chriſto nihil magis gratũ, quam Filium Virginis vocari.

Dub. 52. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 26. *Dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce Filius tuus.* Quommodo Sanctus Ioannes factus eſt Filius Beatæ Virginis?

Reſp. Sicut enim dixit Matri: *Hic eſt Filius tuus.* Ita dixit Diſcipulis: *Hoc eſt corpus meum*; & tantus ſit in illis verbis effectus, vt illico panis ille, quem dabat Dominicum fieret corpus; dixit enim, omnia facta ſunt, ex quadam itaque ſimilitudine, ſi dicere audeamus, & Beatus Ioannes, non ſolum Filij potitus eſt nomine, ſed propter illa verba Dominica, quoddam maius neceſsitudinis Sacramentum apud Beatam Virginem meruit obtinere. *D. Petrus Damianus.*

Sanctus Ioannes Euangeliſta potitus eſt nomine Filij Virginis.

Dub. 53. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 26. *Ecce Filius tuus.* Quare Dominus Ieſus Matrem ſuam Diſcipulo commendauit?

B. Virgo Sancto Ioanni commẽdata, ne Iudaica rabies in B. Virginem mitteret manum.

Reſp. Præſens erat Ioannes, cui dicit: *Ecce Mater tua*, non eſt paſſus Chriſtus, vt Iudaica rabies in ſanctuarium ſuum mitteret prophanam manum, vel aliqua infeſtatione violaretur illud Templum Spiritus Sancti. *Arnaldus Carnotenſis tract. de ſeptem Verbis Domini.*

2. Reſp. Quaſi dicat confide in eo vt in Filio, ipſum tibi pro me procuratorem, & tutorem dimitto, in quo conſolatur Matrem, & honorat ipſum Ioannem, quia dilecto dilectam, Virgini Virginem commendauit. *Hugo Cardinalis.*

Sanctus Ioannes Euangeliſta pro Chriſto tutor Virginis.

3. Reſp. In tantum autem curam honoris habebat Matri deferendi, vt etiam in articulo mortis inter verbera, vulnera, & iniurias reuerentiam debitam ei exhibuit, & de eius neceſsitate futura ſolicitudinem piam geſsit: *Mulier, ecce Filius tuus*, ſed non ſolum tunc, ſed etiam nunc honorem continuum defert Matri, cum eius precibus ſemper fauet, & ipſa rogante, quibuſcunque delinquentibus vitam præbet. *Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum.*

Chriſtus cõtinuum honorem defert Matri ſuis præcibus faueus.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 27. *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Cur Ioanni datur Beata Virgo in Matrem?

Reſp. Commendauit Chriſtus Matrem Diſcipulo, vt officium Filij in ea ſeruaret, Matrem ſimiliter admonuit, vt parentis in Diſcipulum auctoritatem haberet, amore videlicet, atque charitate non minus illos coniungi voluit, quam ſi naturæ maxima propinquitate coniuncti eſſent. *Cyrillus Alexandrinus.*

Sanctus Ioannes Euangeliſta officium Filij in B. Virgine ſeruauit.

B. Virgo auctoritatẽ parentis in Diſcipulum habuit.

2. Reſp. Fuit frater Chriſti per ſingularem filiationem Virginis Mariæ; quando enim Chriſtus Rex in die veneris ſancta fuit in prælio equitans ſuper equum Crucis dixit Virgini Matri ſuæ de Ioanne: *Mulier, ecce Filius tuus*, non ſolum nepos, ſed Filius ſpiritualis, & Ioannes, dixit: *Ecce Mater tua*, non ſolum cognata, ſiue auuncula: *Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam*; ſcilicet, Matrem modo iſta ſingularitas de nullo alio legitur, ideo ac ſi de eodem capite parmi

Sanctus Ioannes Euangeliſta frater Chriſti per ſingularem filiationem Virginis Mariæ.

ciet indutus; Virgo Maria vocauit eum Filium, item Ioannes vocabat eam Matrem. *D. Vincentius Ferrer in feſt. Sancti Ioann. Euang.*

B. Virgo datur in Matrē cuilibet habenti gratiā.

3. Reſp. Nec Virgo Mater, etſi longè inferiorem ab eo, indignata eſt talem in Filium ſuſcipere, & Ioannes ipſe, etſi tali, & tam dignisſima Matre ſe indignum agnoſceret intelligens ſui profectum cum omni reuerentia ex illa hora accepit eam in ſuam; ſcilicet, Matrem, quia vero Ioannes interpretatur in quo eſt gratia, cuilibet etiam, qui Ioannes dicitur, & exiſtit, non nomine, ſed eius interpretatione; in quo ſcilicet, eſt gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in Matrem, vt dici poſsit: *Ecce Mater tua. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 2.*

Sanctus Ioannes Euangeliſta Filius Virginis adoptiuus, accipiēs vices Filij naturalis.

4. Reſp. Diſcipulus, qui in cœnâ Dominica ceruical ſibi in pectore Magiſtri aptauit, ecce iterum alio priuilegio honoratur, & poſt illud reclinatorium in quo viderat in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, officina illa, in qua Verbum caro factum eſt, diligenter à Filio ei commendatur, vices Filij naturalis, Filius accepit adoptiuus *Arnaldus Carnotenſis tract. de ſeptem Verbis Domini.*

B. Virgo data omnibus in Matrem.

Dub. 55. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 27. *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Cur non dixit dicit Ioanni, ſed Diſcipulo?

Reſp. Non, ait, dicit Ioanni, ſed Diſcipulo, inter vtrumque nomen hæc eſt differentia, quod Ioannes nomen eſt particulare, vnius particularis perſonæ; at vero Diſcipulus nomen eſt commune, nam omnes qui eo tempore Chriſto adhærebant Diſcipuli vocabantur, vtitur ergo hic nomine communi omnibus, vt denotetur, quod ipſa Virgo Maria dabatur omnibus in Matrem. *Pater Siluei-ra tom. 5. lib. 8. cap. 17. quæſt. 14. num. 91.*

Dub. 56. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 27. *Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam.* Quid eſt hoc, quod Diſcipulus accepit Beatam Virginem in ſuam?

Reſp. Ponitur Diſcipuli obedientia, & ſecundum *Beda* oportet dici *in ſuam*, & ſic eſt ſenſus, accepit eam; ſcilicet, Matrem Ieſu, Diſcipulus; ſcilicet, Ioannes in ſuam Matrem videlicet. Sed ſecundum *D. Auguſtinum*, vt habetur in Græco, debet dici in ſua, non quidem prædia, quia de illis erat, qui dixerant: *Ecce nos reliquimus omnia.* Nam *Matth 4.* dicitur, quod Iacobus, & Ioannes relictis omnibus ſecuti ſunt Ieſum, ſed in ſua, id eſt, officia, quibus ei diligenter, & reuerenter obſequebatur. *D. Thomas. Caietanus. Hugo Cardinalis.*

Sanctus Ioannes Euangeliſta diligēter, & reuerenter obſequebatur Virgini.

2. Reſp. Vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ virginitas accepit, & vnius moris in domo, vnum integritatis propoſitum, vnam habitationem meretur, communemque conuictum. *Arnaldus Carnotenſis tract. de ſeptem Verbis Domini.*

Morum ſimilitudo parit eundem morum affectū.

3. Reſp. Accepit Ioannes ex illa hora, qua Magiſtri, & Domini ſui voluntatem intellexit, non ſic autem Virgo Mater Domini, quoniam erat gratia plena, plenaque ſcientia Filij ſecretum ad paſsionem præſertim accomodatum eam latere non decuit, quoniam conſentaneum eſt Ieſum antequam pateretur Matri aperuiſſe, quidquid in Cruce ſuſpenſus eſſet acturus. Magna igitur ratione de ſe ipſo dicit Euangeliſta: *Ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam.* Non de Virgine, vt nobis certum relinqueret Virginem ſapientiſsimam, non inopinate, vt ille pro temporis ratione ſe Filium adoptaſſe, neque ex illa hora Dominum Ieſum adoptionem inſtituiſſe, ſed tantum indicaſſe ſcienti. *Viguerius chord. 7. cap. 146.*

B. Virgo cōſcia ſecretorū Chriſti.

Dub. 57. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 30. *Conſummatum eſt.* Quomodo hæc verba exponuntur?

Reſp. Hoc ergo teſtamentum Filij eſt de Matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas. Hic totius finis conſummationis. Denique hoc dixit, & emiſsit ſpiritum conſummans omne myſterium bono fine pietatis. *D. Ambroſius.*

Chriſtus conſummauit omne myſterium dum prius exiuit ex Matre.

Dub.

Christus ad vlnas Matris inclinatus tradidit spiritum.

Dub. 58. Ad illa verba, cap. 19. vers. 30. *Inclinato capite tradidit spiritum.* An Dominus Iesus inclinauit caput ad Beatam Virginem?

Resp. Vidit Iesus stantes iuxta Crucem Matrem, & Discipulum, quem dilexit, & super istos quos Spiritus Sanctus obumbrabat, eo gratius, quo suauius requieuit, & inclinato capite ad illam, tradens spiritum obdormiuit. *Philippus Abbas lib. 1. in Cant. cap. 25.*

Pet B. Virginē venia petenda.

2. Resp. Inclinato capite ex parte Matris suę, quasi dicat per ipsam veniam petite, ipsa est oraculum misericordiæ. *D. Bernard.* Nihil boni nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo ordinabiliter ascendit in cœlum de humilitate ad sublimitatem.

Dub. 59. Ad illa verba, cap. 20. ver. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Quo sensu Beata Virgo potest hæc dicere?

Resp. His verbis post Deum nullus Sanctorum ita conuenienter vti poterit, sicut Beatissima Virgo in sua gloriosa Assumptione. Ascendit ordinabiliter de paupertate ad Regnum, de humilitate ad sublimitatem, de tristitia ad gaudium, & huiusmodi; taliter enim ascendere est ordinabiliter ascendere. Item ascendit hilariter, quoniam conculcauerat mundum, diabolum, & peccatum, vnde congratulando ei occurrere debemus, & in laudem eius canere. O Regina gloriæ! quæ triumphatrix hodie super omnes cœlos ascendis, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum paracletum in nos spiritum veritatis. Item ascendit regaliter cum Choro Sanctorum, & Choris Angelorum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo assumpta in cœlum pro omnium vtilitate.

Dub. 60. Ad illa verba, cap. 20. ver. 17. *Ascendo ad Patrem meum.* Quare Beata Virgo ascendit in cœlum?

Resp. Vt infernum obstruet, vt cœlum aperiret, vt Deum Patrem placaret, vt peccatores exaltaret, vt omnem cœli militiam lætificaret, & vt nos ad se traheret. *Cant. 1. Trahe me post te. Beatus Albertus Magnus ibidem.*

Dub. 61. Ad eadem verba, cap. 19. vers. 17. *Ascendo ad Patrem meum.* Quo Beata Virgo ascendit?

B. Virgo præter Christum ad locum Altissimum, & nobilissimā exaltata.

Resp. Sciendum quod præter Christum ad locum Altissimum, & nobilissimum, & hoc triplex ratio exigebat. Prima fuit summa post Deum nobilitas, vnde Aristoteles: *Nobilis res debet esse in nobili loco.* Sic & ipsa. Secunda fuit meritorum qualitas: Maria enim summum meritum habuit post Christum, & summum locum debuit habere post Christum. Tertia est Dei promittentis veritas. Dei enim constitutio est: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, Lucæ 14.* Et qui se maximè humiliat, maximè exaltabitur, hoc autem ipsa post Christum fecit, ergo post Christum maximè debuit exaltari. Rogamus te Virgo, vt nos ad te totaliter, & finaliter ad cœlum Empyreum trahas, vbi viuis, & regnas cum Deo, Amen. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

ACTA APOSTOLORUM.

B. Virgo in orando pro nobis indefessa.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 24. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, & Maria Matre Iesu.* Cur Beata Virgo perseuerabat in oratione?

Resp. Maria indefessè perseuerando in oratione exemplum dedit, quam oportet sequi, & non deficere, etsi Maria tam sedule orauit in terris, quommodo non sedule orauit pro nobis in cœlis. *D. Bonauentura in specul. Lect. 4.*

Dub. 2. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 24. *Et Maria Matre Iesu.* Cur cum Apostolis erat Beata Virgo?

B. Virgo forma discipulinæ Christi, & exemplū perfectionis.

Resp. Hæc dicuntur de his, scilicet, Apostolis post Ascensionem Christi, cum congregati in vnum expectabant Spiritum Sanctum promissum à Christo, cum ait *Ioann. 16. Mittam vobis à Patre spiritum veritatis.* Vnde *B. Hieron. in serm.* Ecce Iesu ascendente

cum quibus Virgo vacat in Schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis. Conuersatur cum testistus Resurrectionis, & ipsa testis, conuersatur cum Senatoribus cœli intra curiam Paradisi sub Spiritu Sancti disciplina, & Magisterio totius Diuinę Maiestatis. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 42.*

B. Virgo in memoria habenda, propter eius eminentiam.

Dub 3. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 24. *Et Maria Matre Iesu.* Cur Euangelista specialiter meminit Beatæ Virginis?

Resp. Cuius specialiter meminit, vel quia non vxor, vel quod magis crediderim, propter ipsius eminentiam ratione Filij. *Caietanus.*

Bi Virgo dignior cæteris, quia Virgo, & Mater.

Dub. 4. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 24. *Et Maria Matre Iesu.* Cur Sanctus Lucas Beatam Virginem proprio nomine vocat?

Resp. Proprio nomine cæteris dignior significat, quia Virgo, & Mater. *Hugo Cardinalis.*

2. Resp. Principium nascentis Ecclesiæ adornatur flore virginitatis. *Glossa.*

B. Virgo prima, & præcipue participes laborū Christi.

Dub. 5. Ad eadem verba, cap. 1. vers. 24. *Et Maria Matre Iesu.* Quare Beata Virgo Maria prima nominatur. *Ioan. 19. Vers. 20 Stabant iuxta Crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene,* cum hic post posita mulieribus legatur?

Resp. Ex magno mysterio variatur casus vbi sermo est de Crucis ignominia, quæ à Filio in Matrem detiuatur prima Maria scribitur, quia præcipue, & prima opprobiorum eius erat particeps, extra vero hanc occasionem eximia eius humilitas postremum sibi elegit locum. *Pater Silueira tom. 3. lib. 8. cap. 17. quæst. 6. num. 37.*

B. Virgo humilitate, omnū minima.

2. Resp. Merito facta est omnium Domina, quę se omnium exhibebat Ancillam, merito super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes infra eam, de qua fuerant eiecta septem dæmonia ineffabili se mansuetudine inclinabat. *D. Bernardus serm. in signum magnum.*

B. Virgo accepit Donum linguarum.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. ver. 9. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* An Beata Virgo acceperit Donum linguarum?

Resp. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, ad innuendum quod acceperant Donum linguarum, id est, loqui ad placitum suum in varijs idiomatibus, Hæbraico, Græco, Latino, Gallico, Theutonico, Italico, & huiusmodi; & quia Beata Maria fuit cum Apostolis orans quando receperunt Spiritum Sanctum, credendum est, quod & hoc Donum recepit cum eis, quamuis non esset deputata à Deo ad discurrendum per mundum ad prædicandum sicut Apostoli, tamen vt nil boni spiritualis, & gratiæ ei subtrahatur decebat eam hac non priuari, sic nec Filius eius quamuis non egeret habere Donum linguarum, quia non prædicauit nisi Iudæis, dicens: *Non sum missus, nisi ad oues Israel,* non tamen hoc caruit secundum *B. Thomam in summa,* nec frustra ipsum habuit, quamuis eo non sit vsus, sed ad excellentiam eius. Prætera ipsa Beata Maria etsi non prædicaret, verisimiliter tamen credendum est quamuis non scriptum sit, quod multi ex conuersis ad fidem de diuersis Nationibus, & linguis audientes Matrem Iesu Deum, & hominem post aduentum Spiritus Sancti accedebant ad eam visitandam, venerandam, & audiendam, quibus cum plena esset charitate, nec in loquela posset errare, loquebatur, consolabatur, respondebat, instruebat varijs idiomatibus in quibus illi nutriti, & edocti erant. *D Antoninus 4 part. tit. 15. cap. 19. §. 8. Beatus Albertus Magn. supermissus est, cap. 155.*

B. Virgo habuit gratiam sanitatum.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 5. vers. 15. *Veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* An Beata Virgo habuit gratiam sanitatum?

Resp. Ex hac Dei gratia Apostoli curabant infirmos ita copiose, quod adumbram Petri transeuntis per viam infirmi tacti eius vmbra sanabantur. Hac gratia copiose fuit repleta Beata Maria, & licet

non

non legatur de aliquo ſanato in vita eius, tamen poſt mortem, quod innumerabiles varijs languoribus, & incurabilibus detentos ipſa curauit, & curet, Eccleſię ad eius honorem conſtructæ ſatis docent plenę imaginibus ipſas ſanitates prędicantibus, & quod copioſius eſt, quia ipſa ſanauit totum hominem in anima; ſcilicet, & corpore per fructum ventris ſui. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 19. §. 5.*

Innumerabiles varijs languoribus detentos curat.

Totum hominem ſanauit in corpore, & anima per fructum ventris ſui.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 27. verſ. 10. *Neque autem Sole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, iam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.* Quommodo hęc verba de Beata Virgine exponuntur?

Reſp. Indigemus confidentia, ſpe, & animoſitate, quia ſumus nauigantes in periculoſo mari huius mundi, vnde nautæ ſi nocte Stellam maris viderint, ſciunt dirigere iter ſuum; ſed quando eſt iſta, quod nec Lunam, neque Stellas videre poſſunt de ſalute deſperant. *Act. 27. Neque Sole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies ablata erat ſpes ſalutis.* Moraliter, ſi vitam noſtram dirigere velimus ad portum ſalutis ętęrnę Stellam maris, id eſt, Mariam attendamus continue oculis ſpei noſtrę. *Vnde Bernardus ſuper miſſus eſt, homil. 2.* Maria eſt prędara, & eximia maris Stella ſuper hoc mare magnum, & ſpacioſum neceſſario ſublcuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in huius ſęculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius ſyderis, ſi non vis obrui procellis, ſi inſurgunt venti tentationum, ſi incurris ſcopulos tribulationum reſpice Stellam inuoca Mariam. Si iactaris ſuperbię vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi ęmulationis reſpice Stellam, inuoca Mariam, ſi iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice Stellam reſpice ad Mariam. *Robertus Holcoz, Ordinis Prædicatorum, ad illa verba, Sapient. 3. Qui confidunt.*

Qui vitam ſuam vult dirigere ad vitam ęternam B. Virginem reſpiciat.

EX EPIST. AD Romanos.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 14. *Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum.* Quommodo Beata Virgo omnibus ſe debitricem fecit?

B. Virgo omnibus debitricem ſe fecit omnibus miſericordiæ ſinum aperit.

Reſp. Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordię ſinum aperit, vt de plenitudine eius acciąpiant vniuerſi, captiuus redemptionem, ęger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lętitiam. Denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanę ſubſtantiam, & non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. *D. Bernardus de Verbis Apocal.*

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 6. *Reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Quod pręmium reddet Chriſtus Beatę Virgini?

B. Virgo incomprehenſibile præmiũ, & gloriã inter omnes Sanctos promeruit.

Reſp. Impertit prędia iuſtus Iudex Chriſtus Dominus ſecundum Apoſtolum vnicuique iuxta opera ſua, huic tamen Sacratiſsimę Virgini Genitrici ſuę, ſicut incomprehenſibile eſt quod geſſit, & ineffabile Donum, quod percepit ita inæſtimabile, ac incomprehenſibile prædium, & gloria, non dico inter ęteras Sacras Virgines, verum etiam inter omnes Sanctos, quam promeruit. *D. Ildephonſus ſerm. 2. de Aſſumptione.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 3. verſ. 23. *Omnes enim peccauerunt.* An hæc vniuerſalis comprehendat Beatam Virginem?

Reſp. Perſpeciale enim priuilegium conceſſum Beatæ Mariæ, quo ad ipſam derogatur illi regulæ generali, quod omnes peccauerunt ad *Roman. 3.* Quod declarat *B. Auguſtinus lib. de natura, & gratia*, dicens, ſi omnes Sancti, & Sanctæ dum hic viuerent interrogati

Priuilegium ſoli B. Virgini collatum, vt ex omni parte peccatum vinceret.

fuissent vtrum peccatum haberent, omnes vna voce responderent, id quod Ioannes de se, & socijs dicit: *Si dixerimus quod peccatum non habemus*; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, excepta Sancta Virgine Maria, inde scimus ei plus gratiæ fuisse collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quia concipere, & parere eum meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Est igitur huiusmodi priuilegium soli ei collatum respectu omnium viatorum, nam etsi Angeli boni nunquam peccauerunt non computantur ipsi in numero viatorum. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 4.*

Abrahã credidit in spem contra spem.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 4. vers. 18. *Contra spem in spem credidit.* An fides Beatæ Virginis fuerit maior fide Abrahæ?

Resp. Credidit quidem in spem repromissionis sibi factæ ab Angelo de Filio nascituro contra spem, quam naturaliter habebat; scilicet, quod non esset à modo ei nasciturus, cum esset antiquus dierum, & vxor sterilis, sed maior fuit fides Beatæ Mariæ, quæ credidit Angelo, quod ex se Virgine nasceretur, non homo tantum, sed Filius Dei Altissimi; magis enim est contra, vel potius supra naturam, Virginem concipere permanens Virgo, & verum Deum, & hominem, quam concipere vetulam ex vetustissimo, & purum hominem. *D. Antoninus 4 part. tit. 15. cap. 19. §. 3.*

Fides B. Virginis maior fide Abrahæ, quia credidit quod ex se Virgine nasceretur Filius Dei.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 9. vers. 3. *Optabam enim anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

B. Virgo quãto magis charitate ardebat, tanto cõpassionis tenebatur amaritudine.

Resp. Fuit amarior compassione aliena, amarior fuit post Filij sui Ascensionem, propter excæcationem populi sui; vnde cunctorum, qui excæcati erant salutis auida poterat dicere illud *Apost. ad Roman. 9. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quod tam verius, & rationabilius potest intelligi de benedicta Virgine, quam de Apostolo Paulo intelligatur, quanto magis ipsa charitate ardebat, & compassionis tenebatur amaritudine. *Ægidius Romanus, Ordinis Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini, super Aue Maria.*

B. Virgo super omnes mulieres benedicta.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 9. vers. 5. *Super omnia Deus benedictus.* An Beata Virgo debeat dici super omnes benedicta?

Resp. Sicut enim nemo bonus nisi solus Deus, sic nulla anima Mariæ comparata inuenietur perfecta, nam sicut ipse super omnia Deus benedictus, ad *Roman. 9.* Sic Maria inter mulieres, id est, super omnes mulieres benedicta. *Daniel Agricola, Franciscanus, Vndecima corona, Beatæ Virginis.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 9. vers. 28. *Verbum breuiatum faci, & Dominus super terram.* In qua papyro fuit scriptum hoc verbum?

Resp. Nota cum Deus vellet scribere hoc verbum quæsiuit papyrum, & non fuit in operatorio Angelorum damnatorum inuentum, quia illi perdiderunt in mari tentationis superbię merces humilitatis, & hoc verbum cum esset abreuiatum debebat scribi in papyro humilitatis. Iterum nec in operatorium Angelorum Beatorum, quia illud erat nimis clarum, & subtile, & non potuisset homo legere, quia sicut se habet oculus nicticoracis ad lumen Solis, ita intellectus noster ad manifesta in natura, vt dicit *Philosophus in 2. Metaph.* Ideo ventum est ad operatorium hominum cumque quæsita fuissent multa operatoria, non inueniebatur conueniens papyrus, quia erat quædam nimis grossa per superbiam, quędam nimis pinguis, vbi male recipitur incaustum, per auaritiam; quædam nimis madefacta, & nigra per luxuriam, & finaliter non inuentum fuit aliquod operatorium vbi inueniretur aliquid de bono pergameno, vel papyro, nisi in operatorio Virginis, vbi nihil inuentum est de papyro grossa, sed delicata per humilitatem, nec de papyro pingui, sed solum macilenta per paupertatem, nihil de madefacta, vel nigra, sed bene sicca, & alba per virginitatem, vnde cum ad omnia sibi dictum

Humilitas, & virginitas B. Mariæ Deum atraxit.

dum fuiſſet, quod ipſa conciperet Filium, qui eſſet Filius Altiſſimi, & hoc verbum in ipſa ſcriberet Spiritus Sanctus, *Quia Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, ipſa reſpondit: Ecce ſatis de papyro in operatorio meo, quæ eſt humilitatis, quia *ecce Ancilla Domini*, ſatis de papyro munda, & virginea quia prima virginitatem voui. *Armandus de Vellouiſu, Ordinis Prædicat. collat. 90. de Annunt. Dominica.*

B. Virgo totũ pro nobis impendit virtutis meritum.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 16. verſ. 6. *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.* Quommodo Beata Virgo laborauit in nobis?

Reſp. Secundum præceptum Apoſtoli ad Romanos 16. *Salutate Mariã, quæ multum laborauit in vobis*, ſicut enim in ſententia dicit Apoſtolus 2. Corint. 4. Siue in contemplatione mente excedit Deo, ſiue in actione ſobria eſt, totum pro nobis eſt virginitatis præferens lilium, & fœcunditatis offerens Filium, & totum pro nobis impendens virtutis meritum. *B. Albertus Magnus ſupermiſſus eſt.*

B. Virgo ſalutantem reſalutat.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 16. *Salutate Mariam.* Quare Beata Virgo eſt ſalutanda?

Reſp. In quibus verbis videbimus hanc concluſionem, quod Maria eſt ſalutanda à nobis ratione reſalutationis. Naturale hoc requirit quod vna perſona ſalutata reſalutet. Bona vita, ſaluus ſis hodie, ſaluus ſis hodie, & per annum. *Ad Rom. 16. Salutate inuicẽ in oſculo pacis. Ad Rom. 12. Honore inuicem præuenientes*, ad propoſitũ, ſi nos Mariam ſalutamus, ipſa reſalutat nos, ſaluete filij. *D. Anton. Sabbatho ante Ramos Palmarum de ſalutatione Mariæ.*

B. Virgo ſalutanda ſapienter, & frequẽter.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 16. verſ. 28. *Salutate Mariam.* Quommodo Beata Virgo eſt ſalutanda?

Reſp. Salutemus eam frequenter, & ſapienter; frequenter, vt nec à corde, nec ab ore recedat, ſicut ſuadet Iſaias cap. 23. *Bene cane, frequenta canticum*, vt memoria tui ſit, frequenter etiam vt in deuotione ſalutemus, ne ſorte dicat nobis illud Iſaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, ſine cauſa colunt me.* Sapienter autem vt ſalutans ſalutationi congruat, & ſalutatio concordet intentioni. Qualiter enim aut luxurioſus virginem, aut ſuperbus humilem, aut maledictus benedictam ſalutare præſumitur. *B. Albertus Magnus ſupermiſſus eſt ad illa verba benedicta tu in mulieribus.*

PRIMÆ AD Corinthios.

Dub. 1. Ad illa verba, 1. Corinth. 2. verſ. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Quæ mens capere, quæ lingua non dico eloqui, ſed vel nude narrare queat Virginis huius glorioſæ? Si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus illis, qui diligunt illum; quis mortalium iuſte æſtiment pondus, numerum, ac menſuram bonorum, quibus cumulatiſſime idem ille condecorauit eam, quæ ſe genuit, lactauit, aluit, & illi pluſquam ancilla riter, tanto affectu, ac ſtudio ſeruiens neceſſaria omnia procurauit: fruitur omni ea gloria, & Beatitate, quæcumque animo fingi, aut merito optari ſub Deo poſſit. Sanctis omnibus ſanctior eſt, & Beatior etiam Beatiſſimis, eius gratiæ gratiam parem reperire non eſt, nec eius gloriæ gloriam cuiuſquam æqualem. *Alexius à Salo, Capuccinus in arte pie amandi Deiparam, ſtella nona.*

B. Virgo Beatior Beatiſſimis.

Dub. 2. Ad illa verba, 1. Corint. 9. verſ. 22. *Omnibus omnia factus ſum.* An Beata Virgo omnibus omnia facta fuerit?

Reſp. Fuit omnia omnibus ſecundum aſsimilationem, 1. *Coriut.* 9. Beatiſſima autem Virgo ſecundum veritatem. Paulus diuerſis hominibus

B. Virgo ſecũdum rem ſe conformauit matribus, & virginibus, hominibus, & Angelis.

minibus,& ſtatibus ſe pro loco, & tempore conformauit ſecundum ſimilitudinem, & condeſcenſionem. Beatiſsima autem Virgo ſimiliter diuerſis temporibus, & etiam oppoſitis ſe conformauit ſecundum rem, & veritatem rei; ſimul enim ſecundum rem,& matribus, & virginibus ſe conformauit,& viduis,hominibus,& Angelis. *Beatus Albertus Magnus ſupermiſſus eſt,cap.*126.

Vir perfectus omnes actus ſuos in Deum refert;

Dub.3.Ad illa verba,1. Corint. 10.verſ.31. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* An Beata Virgo omnia in gloriam Dei faciebat?

Reſp. Omnes actiones humanæ ſunt referibiles ad Deum;ille ergo perfectus in ſummo erit, qui omnes actus ſuos in Deum refert, & huiuſmodi ſic referre eſt vti, vnde Magiſter ſententiarum in 1.*diſt.*1. dicit,quod vti eſt id, quod in vſum venerit, referre ad id quo fruendum eſt; ſcilicet, Deo, qui ſolus fruendus eſt,ſicut autem contingit referre differenter; ita contingit vti differenter, nam viatores contigit referre in Deum omnia, eos dico qui ſunt boni habitualiter;ſed Beata Maria omnia ſemper actualiter referebat in Deum. *Odilius Cluniacenſis.* Vnum pro certo ſcimus,quod omnis Marię actio ſemper intenta fuit in Domino, quod autem nullus viator omnia ſemper retulerit in Deum patet, quia nullus potuit ſe abſtinere ab omni veniali,& pro tunc non actualiter illud referebat in Deum, in quo peccabat etiam venialiter, ipſa ergo ſola ſemper vſa eſt licitis, ideo caſtiſsima fuit. *D. Antoninus* 4.*p. tit.*15.*cap.*26.§.1.

B. Virgo omnia actualiter referebat in Deum.

Benignus qui beneficia exhibet non ſolũ amicis, ſed etiam inimicis.

Dub.4.Ad illa verba,1. Corint. 13. verſ. 4. *Charitas benigna eſt.* Quommodo benignitas fuit in Beata Virgine?

Reſp. Benignitas ſecundum *Gloſſ.* eſt largitas rerum, vnde & dicitur benignitas, quaſi bona igneitas;bonus ignis eſt,qui calefacit etiam à longè; qui ergo beneficia exhibet non ſolum amicis, ſed etiam inimicis, ille eſt benignus, vnde *Apoſt. ad Roman.* 12. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, hoc enim faciens congeres carbones ignis ſuper caput eius*, id eſt, ſuper mentem ad inflammandum eum, ad amorem tuum ex talibus operibus ignitis. Apparuit enim idem ait *Apoſt. ad Titum* 2. *Benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei*; adeo enim nobis benignus apparuit, vt omnia ſua largiretur, & pro crucifixeribus exoraret, ſed eius Mater ipſum imitata aurum, ſibi oblatum à Magis citò pauperibus largiter erogauit. 1. *Corinth.* 13. *Apoſt.* ait: *Charitas benigna eſt*; & quanto maior charitas, tanto maior benignitas, ſed charitas Beatæ Mariæ omnes exceſsit, ergo & benignitas. *D. Antoninus* 4.*part. tit.*15.*cap.*26.§.4.

B. Virgo aurum oblatum á Magis pauperibus largiter erogauit.

Dub.5.Ad illa verba,1. Corint. 15. verſ. 28. *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* Cur Dominus Ieſus in humana per carnem verſans natura, in puerili ipſe progreſſus ætate ad Matris poteſtatem non amplius aſpicit?

Reſp. Illa enim ipſum hortante in Cana Galileæ, vt ſuam oſtenderet potentiam in nuptiali epulo, & vſum vini largiretur conuiuio, egentibus quidem recuſauit gratificari. Maternum autem conſilium, vt quod minime in tempore adhiberetur reiecit dicens: *Quid mihi, & tibi mulier?* Vis ne me ante ætatem præeſſe, ac imperare; nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, vt imperet, & ſit ſui iuris. *D. Gregorius Niſenus.*

Imperium perfectã ætatem requirit;

Dub.6. Ad illa verba,1. Corint. 15.num.47. *Primus homo de terrâ terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Vita B. Virginis, & Sancti Ioſeph tota cœleſtis;

Reſp. O coniugium cœleſte, non terrenum, veriſsimè dixit Apoſtolus, quia primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cęleſtis, non quod iſte Ieſus Chriſtus, qui ex Maria natus eſt, de cęlo cum carne venerit, & per Mariam quaſi per fiſtulam tranſierit, ſicut quidam dixerunt hæretici; ſed quod coniugum, vita, tota fuerit cœleſtis, quorum vtique conuerſatio erat in cœlis. *Rupertus lib.*1.*in cap.*

1.

1. *Matthæi. Loquitur de coniugio Mariæ, & Ioseph.*

EX 2. CORINthiorum.

Priuilegium singulare B. Virginis, vt semper meruerit in operibus suis.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 6. vers. 1. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid est in vacuum gratiam Dei recipere?

Resp. Dat Deus gratiam, vt operando secundum eam acquirat sibi merita vitæ æternæ, qui igitur non operatur cum potest, in vacuum, & frustra gratiam recipit, quamuis autem Sancti in multis, & per multa bona opera se exercuerint in gratia, nullus tamen fuit, qui semper in omni opere suo secutus fuerit instinctum gratiæ, vt sic semper meruerit in operibus suis, sed hoc fuit priuilegium singularis gratiæ in Beata Virgine Maria. *Diuus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 6.*

Beata Virgo quolibet motu liberi arbitrij ad agendum, vel patiendum merebatur.

2. Resp. Notandum secundum *Albertum*, quod Beata Maria quolibet motu liberi arbitrij ad agendum, vel patiendum merebatur, vnde non merebatur motibus naturalibus in quantum naturalibus, vt oscitando, digerendo, & huiusmodi, quia ibi non concurrit liberum arbitrium; sed merebatur motibus rationalibus gratia informatis, vnde, & motibus liberi arbitrij gratuitis, vbi liberum arbitrium, & gratia operabatur, sed liberum arbitrium, vt iumentum, gratia vt sessor, secundum *Anselmum*, vnde & Apostolus 1. *Corinth.* 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*; scilicet, operatur, & sic merebatur quolibet motu, quo contingit mereri in agendo; In passionibus autem in quantum ipsæ passiones ab extrinseco inferuntur, vt iniuriæ, vel necessario contrahuntur ex natura, vt tristitia, timor, & huiusmodi, homo non meretur; sed in quantum voluntas rationalis informata gratia ab illa insufferentiam propria libertate inclinatur, sic meretur eis iuxta illud 2. *ad Timoth. 2. Si sustinebimus, & conregnabimus*, & sic Beata Maria in actionibus, & passionibus ex libero arbitrio procedentibus, vel eo concurrente in eis semper merebatur. *D. Antoninus vbi supra.*

Longanimitas est in expectatione boni non deficere.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. vers. 6. *In omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei Ministros in longanimitate.* Quid est longanimitas?

Resp. Longanimitas est secundum *Glossam* in expectatione boni non deficere, sed refici, quando quis habet tolerare aliquem dolorem, vel laborem ad breue tempus, vel expectare debet aliquod magnum bonum, sed cito recipiendum æquo animo conatur sufferre, propter breuitatem temporis eius; sed quando in huiusmodi videt se diu permansurum in labore, vel dolore, vel consequendo bono, multum solet attediari, vel fatigari, & aliquando deficere ex diuturnitate eius, sed longanimitas, retinet hominem, ne attediet, sed perseuerans maneat, etsi non ita cito, sed diu labor maneat, & bonum illud expectatum perueniat, & reficit mentem quadam certitudine præmij, vnde *Apost. 2. Corinth. 6. Exhibeamus nos metipsos sicut Dei Ministros in longanimitate.* Per multos annos fuit Beata Maria in laboribus mundi, & expectatione gloriæ, videlicet circa sexaginta annos secundum communiorem opinionem semper magis feruens, & auida ad omne bonum opus. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 26 §. 1.*

B. Virgo per multos annos fuit in laboribus mundi, & expectatione gloriæ.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 9. vers. 6. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* Quommodo Beata Virgo seminauit in benedictionibus, de benedictionibusque messuit?

Virgo Maria de benedictionibus messuit, quia Beata dicta ab omnibus generationibus.

Resp. Nullus tam profusa seminauit, sicut illa benedicta in mulieribus, quæ benedictum semen de ventre profudit. De benedictionibus suis ita Maria metet, & quæ benedictionem omnium gentium singulariter accipiat: *Beatam me dicent*, inquit, *omnes generationes.* Parum est hoc Beatam te dicent om-

omnes Beatorum ſpirituum ordines. *Guarricus ſerm. 4. de Aſſumptione.*

Verbum, granum fuit ex vtero virginali exiens incluſum palea noſtræ humanitatis.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 10. *Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Cur dicit augebit incrementa frugum?

Reſp. Nota granum purum, ſine palea ſeminatur in terra, ſed exijt cum ſpica veſtitum paleæ; ita granum frumenti Diuinitatis ſeminatum in vtero virginali exiuit non ſolum, ſed incluſum ſpica, & palea noſtræ humanitatis, ideo dicitur *Augebit incrementa frugum. Armandus de Vellouiſu, Ordinis Prædicatorum, collat. 23. de Annuntiatione.*

AD GALATAS.

Error Photini dicentis Chriſtum purum hominẽ eſſe, & ex Virgine principium eſſendi ſumpſiſſe.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 4. *Miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Quare Chriſtus dicitur factus ex muliere?

Reſp. In hoc quod dicit factum ex muliere cauendi ſunt duo errores, ſcilicet, Photini, qui dixit Chriſtum purum hominem eſſe, & ex Virgine principium eſſendi ſumpſiſſe, & ideo ita dicit ipſum factum ex muliere, quaſi totaliter initium ex ea ſumpſerit. Sed hoc eſt falſum, quia eſt contra illud, quod dicitur *Roman. 1. Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, non dicit ſecundum perſonam, quæ eſt ab æterno; ſcilicet, ipſa Hipoſtaſis Filij Dei. Vnde ſicut cum ſcutum ſit album de nouo non oportet dicere, quod ipſa ſubſtantia ſcuti, de nouo fiat, ſed quod ei de nouo albedo acceſſerit, ita ex hoc quod Filius Dei de nouo carnem aſſumpſit, non oportet dicere, quod perſona Chriſti de nouo ſit facta; ſed quod natura humana ei de nouo aduenit, ſicut corpori cum abſque ſui mutatione quædam accidunt. Aliqua enim adueniunt alicui, & immutant ipſum ſicut formæ, & qualitates abſolutæ, quædam vero abſque mutatione adueniunt, & huiuſmodi eſt Aſſumptio carnis ſecundum quod dicit relationem, vnde per hoc perſona Verbi in nullo mutatur. Et hinc eſt, quod in Diuinis vtimur his, quæ relationem ſignificant etiam ex tempore, vnde dicimus: *Domine refugium factus eſt nobis*, & quod Deus factus eſt homo. Non autem vtimur formis, & qualitatibus abſolutis, vt Deus factus eſt bonus ſapiens, & huiuſmodi. Item vitandus eſt error Hebeonis, qui dicit Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum, motus ad hoc ponendum per hoc quod dicit, *ex muliere.* Nam ſecundum eum mulier tantum importat corruptionem. Sed hoc eſt falſum, quia hoc nomen mulier in Sacra Scriptura deſignat etiam ſexum naturalem, ſecundum illud *Geneſ. 3. Mulier, quam dediſti mihi?* Vocat enim eam mulierem, quæ tamen adhuc erat Virgo. Per hoc autem, quod dicitur ex muliere factus, deſtruuntur duo errores; ſcilicet, *Valentini* dicentis Chriſtum non ſumpſiſſe corpus de Virgine, ſed attuliſſe illud de cœlo, & per Beatam Virginem, ſicut per fiſtulam, ſeu cannale tranſiuiſſe. Sed hoc eſt falſum, quia ſi verum eſſet, quod dicit, non fuiſſet factus ex muliere, vt Apoſtolus dicit. Hæc enim prepoſitio, *ex*, cauſam materialem deſignat. Item error *Neſtorij* dicentis Beatam Virginem non eſſe Matrem Filij Dei, ſed Filij hominis, quod falſum eſſe oſtenditur, per hoc quod dicit Apoſtolus hic, quod *Miſsit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Qui enim fit ex muliere, eſt Filius eius. Si ergo Filius Dei eſt factus ex muliere; ſcilicet, ex Beata Virgine, manifeſtum eſt, quod Beata Virgo eſt Mater Filij Dei. *D. Thomas.*

Aſſumptio carnis, abſq; mutatione ipſius Verbi aduenit.

Error Hebeonis dicentis Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natũ.

Mulier in Sacra Scriptura deſignat ſexum naturalem.

Error Valentini dicentis Chriſtum non ſumpſiſſe corpus de Virgine.

Error Neſtorij dicẽtis B. Virginẽ non eſſe Matrem Filij Dei.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 6. *Factum ex muliere.* Cur non dicitur natus ex muliere, ſed factus?

Reſp. Licet poſſet dici natus ex muliere, ſignanter tamen dicit factum, & non natum. Naſci enim aliquid eſt ipſum produci ſolum ex principio coniuncto, ſed fieri eſt produci ex principio ſeparato. Arca enim fit ab artifice, ſed fructus naſcitur ex arbore. Principium autem

Naſci aliquid eſt ipſum produci ſolũ ex principio cõiuncto. Fieri eſt produci ex principio ſeparato.

tem humanæ generationis eſt duplex: ſcilicet, materiale, & quantum ad hoc Chriſtus proceſsit ex principio coniuncto, quia materiam ſui corporis ſumpſit ex Virgine, vnde ſecundum hoc dicitur naſci de ea, *Matth. 1. De qua natus eſt Ieſus.* Aliud eſt principium actiuum, quod quidem in Chriſto quantum ad id quod principium habuit, id eſt, quantum ad formationem corporis, non fuit coniunctum, ſed ſeparatum, quia virtus Spiritus Sancti formauit illud, & quantum ad hoc non dicitur natus ex muliere, ſed factus quaſi ex principio exteriori, ex quo patet, quod hoc quod dicit ex muliere, non dicit corruptionem, quia dixiſſet natum, & non factum. *D. Thomas.*

Christus materiã ſui corperis ſumpſit ex Virgine.

Virtus Spiritus Sancti formauit corpus Christi.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. ver. 6. *Factum ex muliere.* Cur non dixit factum in carne, ſed factum ex muliere?

Reſp. Plus explicauit dicendo factum ex muliere, quoniam non ſolum carneam naturam ex muliere ſumptam, ſed etiam ſine virili ſemine ſignificat dicendo: *Factum ex muliere.* Quod enim ex muliere, virili ſemine formatur, non proprie factum, ſed natum dicitur, Filius autem Dei factus ex muliere dicitur, ad ſignificandum, quod ex muliere Virgine, ex muliere ſola factus eſt, & ad ſignificandum, quod non eſt factus in carne quemmadmodum Adam, ſed ex muliere. *Caietanus.*

Christus ex muliere Virgine factus.

Dub. 4. Ad eadem verba, cap. 4. verſ. 6. *Factum ex muliere.* Cur non dixit factum per mulierem, ſed ex muliere?

Christus ex Virgine natus eſt Filius Dei, & Deus.

Reſp. Non enim dixit natum per mulierem, ſed ex muliere. Significauit igitur Diuus Apoſtolus, quod ipſe vnigenitus Filius Dei, & Deus, qui ex Virgine natus eſt homo, & ipſe eſt, qui ex Virgine natus eſt Filius Dei, & Deus, *Ambroſius Spiera, Ordinis Seruorum Beatæ Mariæ, in ſermonibus Sabbath. concluſione 2.*

AD EPHESIOS.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quod eſt Sacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia?

Conſenſus mutuus voluntatis cõiugum ſignificat cõiunctionem Chriſti cum Eccleſia.

Reſp. Tertium bonum in coniugatis eſt Sacramentum, vnde *Apoſt. ad Epheſ. 5. Hoc autem dico magnum Sacramentum, in Chriſto, & Eccleſia.* Significat enim coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, quoad conſenſum mutuum voluntatis expreſſum per verba, coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, id eſt, bonis fidelibus per dilectionem. Quo autem ad coniunctionem corporum per copulam ſignificat coniunctionem Dei cum noſtra humanitate, in vna perſona, & ſic indiſſolubilis eſt talis coniunctio. Nunquam enim ſeparata eſt Deitas ab humanitate, poſtquam eam ſibi vniuit. Hinc eſt, quod matrimonium conſummatum per copulam, nunquam diſſolui poteſt, vt correſpondeat ſignum ſignato. Hoc autem Sacramentum impletum eſt in vtero virginali, in quo facta eſt talis vnio, & per maximè bonum iſtud coniugatorum reperitur in Virgine. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 3.*

Coniunctiõ corporũ per copulam ſignificat coniũctionem Dei cum noſtra humanitate.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 6. ver. 17. *Aſſumite gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei.* Quommodo Verbum Dei dicitur gladius?

Reſp. De hoc gladio videtur exponere *B. Ambroſius*, hoc dictum: *Tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Oſtendit, inquit, Simeon in hoc prudentiam Mariæ non ignatam eſſe myſterij. Pertranſiuit ergo gladius Verbum Dei animam Mariæ intellectiuam, quia intellexit Verbum, quod dixerat Simeon; ſcilicet, quommodo Filius eius poſitus erat in ruinam populi Iudæorum, & Reſurrectionem Gentilium conuertendorum ad

Gladius Verbi Dei pertranſibat animam intellectiuam B. Virginis acutiſsimè, & perfectiſsimè intelligendo ſcripturas.

ad fidem, & in ſignum cui contradicetur à multis quoad veritatem Myſterij Incarnationis; ſcilicet, Gentilibus, Iudæis, & Hæreticis, quoad imitationem à multis, ſcilicet, omnibus malis Chriſtianis omnia autem Chriſti myſteria, Natiuitatis Chriſti, conuerſationis, Paſſionis, & Reſurrectionis fuerunt prænuntiata à Prophetis, & figurata, & cum Beata Maria legiſſet, & audiſſet ſcripturas, & ſucceſſiue videret ſingula impleri; ſic gladius Verbi Dei pertranſibat animam eius intellectiuam acutiſſimè, & perfectiſſimè intelligendo. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 30. §. 2.*

AD PHILIPPENSES.

B. Virgo non dedignatur peccatores.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 8. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quommodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. Dicit quidam de hac Marre, ad quem refugient filij miſeriæ, ſi eos repellat Mater miſericordiæ. Mater enim iſta omnia bona nobis vult, ſicut Mater filijs. Vnde & dicere videtur Chriſtianis omnibus, illud *Philipp. 1. Teſtis eſt mihi Deus, quommodo vos cupiam in viſceribus Chriſti Filij mei.* Non enim Mater hęc dedignatur peccatores, ſicut nec bona Mater Filium ſcabioſum, quia propter peccatores factam ſe recolit miſericordiæ genitricem. Vbi enim non eſt miſeria, miſericordia non habet locum. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum, decima Stella.*

In corde B. Virginis pugnabant duo amores, & duo dolores.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 21. *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Quommodo mors Chriſti lucrum fuit?

Reſp. Notandum quod in corde Virginis pugnabant duo amores, & duo dolores, duo amores erant amor Filij, & hic amor humani generis, amor Filij nolebat Chriſtum pati, amor humani generis volebat ipſum pati; ſed amor generis humani ſuperauit amorem Filij. Similiter pugnabant duo dolores; ſcilicet, dolor, quem habitura erat de noſtra perditione ſuperauit dolorem, quem habitura erat de morte Filij, vnde poterat dicere cum Apoſtolo illud quod dicitur *Philippenſes 1. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, ac ſi dicat vita Filij mei vita cordis mei eſt, mors vero ſua eſt lucrum generis humani. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbatho Sancto.*

Quædam fecit Deus immediate, quędã mediate.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quommodo facta eſt Incarnatio Verbi?

Reſp. Nota quod quędam fecit Deus immediatè vt mundum, & primum hominem, & hæc fecit ſine alterius adiutorio, quędam mediate, vt iſtos effectus, & alios quotidianos; & iſta cum aliorum agentium adiutorio: ſicut ergo in prima formatione humani generis primum hominem ratione ſuæ primitatis fecit, ſine quocunque adiutorio cuiuslibet agentis; ita debuit facere in reformatione ſecundum hominem Chriſtum ratione ſuæ dignitatis immediate, ſine auxilio cuiuſcunque hominis generantis, & ſicut de terra inculta humano vomere primum, ita de terra intacta humano ſemine fecit ſecundum. Hoc ipſe confitetur in *Pſalm. 87. Factus ſum, ſicut homo ſine adiutorio. Armandus de Vellouiſu, Ordinis Prædicatorum, collat. 25. de Annunt. Dominica.*

Deus fecit Adam, ſine adiutorio cuiuslibet agentis, & Chriſtum, ſine auxilio hominis generantis.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 7. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum.* Quando Chriſtus hanc humiliationem inchoauit.

Superbia per humilitatem contrariam ſuperbiæ, curatur.

Reſp. Ad ſapientiam Medici pertinet non ſolum tempus congruum ſeruare, ſed & modum, id eſt, per conuenientia remedia: contraria enim contrarijs curantur. Infirmitates ex frigiditate prouenientes per calida, infirmitas in ho-

homine contracta erat ex tumore ſuperbiæ, & ideo ſapientia Dei Patris curare eam voluit per humilia contraria ſuperbiæ. Vnde *Apoſt. ad Philipp. 2. Cum in forma Dei eſſet*, id eſt, verus Deus, *ſemetipſum exinaniuit*; ſcilicet, *formam ſerui accipiens*, humiliauit ſemetipſum; & iſtam humiliationem inchoauit in vtero Matris, quia in prima ſui ſubita formatione inuentus eſt minor omnibus paruulis. *D. Auguſt.* Erubeſcat homo fieri ſuperbus, poſtquam humiliatus eſt Dominus. Talem & Matrem elegit Beatam Mariam, quam ex omnibus humilimam cognouit, & eius humilitas traxit eum de cœlo. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21.*

Dominus humiliatem inchoauit in vtero Matris.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. ver. 8. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

B. Virgo exinaniuit ſe formam Ancillæ accipiens, vnde Deus exaltauit illam.

Reſp. Quia humiliter ſe quod erat, Ancillam cognouit; ideo quod non erat, ſublimiter eſſe promeruit. Exinaniuit enim ſe exemplo Filij ſui, formam Ancillæ accipiens, propter quod, & Deus exaltauit illam, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, prius nomen Filij ſui, vt in nomine ipſius omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, quia ad nomen ipſius dæmones contremiſcunt. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum, ſeptima Stella.*

Nomen Virginis poſt nomen Filij, nomẽ ſuper omne nomen.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. ver. 10. *Omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Quommodo hæc verba exponuntur de Beata Virgine?

In Nomine B. Virginis omne genuflectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Reſp. Idem ſpiritus contulit tibi, vt in nomine tuo omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia tu Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, es in gloria Dei Patris, ſedens à dextris amantiſsimi Sponſi, & vnici Filij tui, immarceſcibili corona ſeptem ſtellarum fulgore radianti inſigniter coronata, turmis virginalibus conſtipata, ſuper omnes Sanctos mirificentius exaltata, alternantibus hymni dicis Angelorum Choris, in lilijs perpetuæ viriditatis infra curiam Paradiſi. *D. Ildephonſus.*

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 1. *Sic ſtate in Domino chariſſimè*; ſcilicet, conformando vos voluntati Dei, vt notat *D. Anton.* Quommodo Beata Virgo ſtetit iuxta Crucem conformans ſe Diuinæ voluntati?

B. Virgo ſtabat iuxta Crucem conformans ſe Diuinæ voluntati.

Reſp. Sciebat Beata Virgo, quod Dei voluntas erat Filium ſuum pati, & propter hoc in mundum venerat, & ſcripturæ, quę ſibi ſatis notæ erant hoc prænuntiabant, quæ falli non poterant, & cum in omnibus requiem quæreret, vt de ipſa canitur, quia non aliter vere quęrit, & poſsidetur, niſi conformando ſe Diuinæ voluntati ſecundum rationem; ideo ſtabat, non murmurabat, quia Filius innocentiſsimus patetetur, non blaſphemabat Iudæos, quod ab eis quibus tot fecerat beneficia tam crudeliter tractaretur non vindictam ab eo petebat, quod illi à terra viui abſorberentur, vt merebantur, non capillos, vel vultum ſcindebat, quia vidua, & ſine Filio conſolatore remanebat, ſed ſtabat verecunda, modeſta, lachrymis plena, doloribus immerſa. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 41. §. 1.*

B. Virgo ſalutis humani generis auidiſſima fuit iuxta Crucem.

2. Reſp. O Domina, quos fontes lachrymarum dicam eripuiſſe de pudiciſsimis oculis tuis, cum attenderes vnicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem de carne tua ab impijs crudeliter diſſecari, & tamen ita Diuinæ voluntati conformis fuiſti, vt ſaluti humani generis auidiſsima eſſes, vt dicere audeam, quod ſi nullus fuiſſet repertus, qui Filium crucifigeret, ad hoc vt ſequeretur ſalus hominum, & ad impleretur voluntas Dei ſecundum rationem, ſi oportuiſſet ipſa poſuiſſet in Crucem. Neque enim

credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quam Abraham, qui proprium Filium obtulit Deo in ſacrificium propriis manibus occidendum, & comburendum. *D. Anſelmus.*

AD COLOSSENSES.

Omnes theſaurio ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt in Maria.

DVb. Vnicum Ad illa verba, cap. 2. verſ. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.* Quommodo hæc verba aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: Chriſtus eſt in Maria, ergo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt in Maria. *D. Anſelmus in cap. 10. Lucæ.*

Plenitudo gratiæ in B. Virgine.

2. Reſp. Sunt qui gratiæ plenitudinem interpretantur in Virgine habitationem Chriſti, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, & in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, vt dicitur ad *Coloſſen. 2. Verſ. 3. & 9.* ita *S. Hieron. epiſt. ad Principiam. Sophronius ſerm. de Aſſumpt. B. Virg. Auguſtinus in Enchiridion. cap. 36. Emiſſenus in Miſſus eſt. Petrus Damianus ſerm. 3. de Nutiuit. B. Virg. Bernardus hom. de laudibus B. Virg. Adamus Bronuerus in Salutatione Angelica coronata.*

PRIMÆ AD Theſſalonicenſes.

B. Virgo dedit Filio ſuo corpus animam ſuam, ſpiritū ſuum.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 23. *Integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine quærela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Quommodo hæc exponuntur de Beata Virgine?

Reſp. In Matre tria fuerunt ſpiritus, anima, & corpus. Iſta tria Beata Virgo dedit Filio ſuo, nam corpus, & vterum ſuum ſibi dedit ad habitandum, animam ſuam animæ Chriſti per amorem vniuit, & quodammodo vnam fecit, ſpiritum ſuum Diuinitati Chriſti indiſſolubiliter coniunxit. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 5. hebdomadæ Quadrag.*

Chriſtus requieuit in ſpiritu, anima, & corpore B. Virginis.

2. Reſp. In Virgine namque tria reclinatoria fuerunt ſpiritus, anima, & corpus, de quibus dicitur 1. *Theſſalonic. 5. Integer ſpiritus veſter, anima, & corpus ſine quærela ſeruetur.* In iſtis reclinatoriis Chriſtus requieuit, in eius ſpiritu in quantum ſedulæ contemplationi vacabat, in anima, ſcilicet, in quantum ratio eius à Chriſto non recedebat, in eius corpore in quantum ſenſualitas nunquam rationi contradixit. *Iacobus de Voragine, Ordinis Prædicatorum, ſerm. 2. in Natiuitat. Virg.*

B. Virgo ſedulæ contemplationi vacabat.

Anima à Chriſto non recedebat.

Caro nunquã rationi cõtrà dixit.

3. Reſp. Habuit quidem integritatem in corpore, quia ipſum ſemper illibatum ſeruauit, in anima quia omnem motum, & ſenſum prauum reſecauit, in ſpiritu, quia nunquam per aliquod peccatum à Deo diuiſa fuit. *Iacobus de Voragine ſerm. 5. de Natiuit. B. Virg.*

B. Virgo nunquam per aliquod peccatum à Deo diuiſa fuit.

PRIMÆ AD Timotheum.

B. Virgo pauca loquebatur.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 11. *Mulier, in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione.* An taciturnitas fuerit in Beata Virgine?

Reſp. Nota de ſignis taciturnitatis Beatæ Virginis, quia depingitur cum maiori oculo, quam ore, ſic proprie depingitur ad innuendum, quod habebat oculum cordis magnum ad cogitandum, & contemplandum, ſed os ad pauca loquendum. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo, *Lucæ 2.* Ioſeph autem conſiderabat in ſe ſi Sponſa ſua erat loquax, ſiue garrula, & videbat, quod non imo nolebat loqui, in ſignum huius, vt dixi Virgo habebat magnum oculum, & paruum os, vt patet in imagine

Imago B. Virginis quam pinxit Sãctus Lucas cum magnis oculis, & paruo ore.

ſua

sua, quam depinxit Beatus Lucas, quæ est Romæ. *D. Vincentius Ferrer serm. in Vigilia Natalis Domini.*

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 2. ver. 6. *Nam quæ in deliciis est viuens mortua est.* Quommodo bonum viduarum in Beata Virgine fuit?

Viduæ contemplationi, mortificationi, pietati, vacent.

Resp. In viduis reperitur triplex bonum; scilicet, libertas contemplationis, vnde de Anna prophetissa vidua dicitur *Lucæ 2. Quod Templum frequentabat Deo seruiens in orationibus die, ac nocte.* Secundum bonum est cámis materatio, nam vt ait *Apost. 1. ad Timoth. 4. Vidua in deliciis viuens mortua est.* Vnde & sancta Iudith vidua ieiuniis insistebat continuis. Tertium est, exercitium in operibus pietatis, & misericordiæ, vt ostendit Apost. in dicto cap. & vidua illa sereptana etiam de cibo necessario paruit. Hęc omnia sine comparatione fuerunt in Beata Maria, nam ieiunia non solum in lege mandata seruabat, sed & secundum *Beatum Ambrosium*, alia addebat, tota dedita erat orationi, & contemplationi, Christum mendicum, & pauperem de sua paupertate nutriuit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 3.*

B. Virgo ieiunia nõ solum in lege mandata seruabat, sed & alia addebat.

Christum de sua paupertate nutriuit.

AD HÆBREOS.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. vers. 6. *Cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli.* An Beata Virgo ab Angelis fuerit adorata?

B. Virgo adorata ab Angelis, quando Filium peperit.

Resp. *D. Bonauentura* cum aliis quibusdam Doctoribus nostris docent, quam primum natus fuit in stabulo Æterni Patris Filius, Angelos turmatim è cœlis in terram delapsos, vt velut metallitim alij post alios eum per quam reuerenter adorarent, ac forte specie humana adspectabili, vt essent humanitati eius conformiores, & deinde ad Beatam eius Matrem ordine reuersos singillatim, ac personatim, eam quoque iustæ adorationis cultu persequutus; additis in vtriusque gloriam Hymnis Diuinis, & suauissimis cantilenis. Ergo si Beati illi spiritus adeo reuerenter etiam tum adorabant, cum adhuc dum in terra versaretur; & quantus est putatis honos ille, quo nunc illam prosequuntur, iam primas post Deum in cœlo tenentem, inmque ea gloria splendentem, vti par fingi non possit, necnon charissimo Filio suo à dextris assidentem? Ego certe in ea sum sententia, vt credam eorum iucundissimum ordinarium que exercitium positum esse, in Matris, ac Filij adoratione. *Alexius à Salo, Capuccinus, arte amandi Deiparam, cap. 1.*

Angelorum exercitium ordinarium positum in Matris, & Filij adoratione.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 4. vers. 13. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Resp. Per præsentiam dicitur Deus esse in omnibus, quia nouit omnia intima creaturæ: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Hebr. 4.* Sed in Beata Virgine fuit per præsentiam non solum, quia ipse vidit omnia secreta eius, affectus, & cogitatus oculo cogitationis, sed & oculo approbationis, omnes actus eius interiores, & exteriores, vt sanctissimos approbauit. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21.*

Deus omnes actus interiores, & exteriores Beatissimæ Virginis approbauit.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. ver. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Quis thronus gratiæ Dei?

In B. Virgine reperiuntur Dei perfectiones, & omnia quę in Sacra Scriptura ad nostrã doctrinam scripta sunt.

Resp. Ad thronum igitur eius; scilicet, Virginem Mariam, in qua quieuit, accedamus cum fiducia. In ea non solum reperiuntur Dei perfectiones ex ibi narratis, vt omnipotentiam in Genesi mundi creatione, Dei clementiam in Exodo, in liberatione in exitu Israel de Ægypto. Reuerentiam, & Maiestatem in Leuitico ex sacrificijs, & ceremonijs eius patientiam in libro Numeri, fortitudinem in libris Iosue, longanimitatem, & misericordiã

in libris Iudicum, prouidentiam in libris Regum, & huiusmodi, & sic de aliis; sed etiam quęcunque ibi scripta ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per exempla, & dicta eorum, qui ibi laudantur curramus per viam virtutum ad brauium supernę vocationis. Respice ibi, & inuenies Abel deuotionem, Enoch contemplationem, Noe credulitatem, Abrahæ fidelitatem, Isaac patientiam, Iacob prudentiam, Ioseph castitatem, Moysi charitatem, Phinees sanctam æmulationem, Aaron deuotam oblationem, Iudæ audaciam, Iosue confidentiam, Othoniel rectitudinem, Sansonis fortitudinem, Booz æquanimitatem, Samuelis integritatem, Iob redargutiones, Tobiæ correptiones, & monitiones, Dauid misericordiam, Salomonis pœnitentiam: in Ecclesiaste Heliæ zelum pietatis, Elisei zelum æquitatis, Isaiæ stabilitatem, Ieremię magnanimitatem, Ezechielis rigorem, Danielis feruorem, Mathathiæ singultus, Iudæ Machabei cultum, Eleazari amorem patriæ, Raziæ virorem latrię: in Nouo Testamento Christi Domini obedientiam, Angelorum exultationem, Baptistæ confessionem, Petri longanimitatem, Pauli sublimitatem, Andreæ magisterium in Cruce, Iacobi desiderium in luce, Ioannis sapientiam, Thomæ scientiam, Alpheidis iustitiam, Philippi refulgentiam, Bartholomæi nobilitatem, Matthæi veram sanctitatem, Simonis constantiam, Thadei reuerentiam, Mathiæ humilitatem, Marci sinceritatem, Lucę vigilantiam, Barnabæ eminentiam, cum innumeris virtutibus legendis, & tangendis in sola Philosophia, quam Deus pro salute nostra dignatus est mundo misericorditer reuelare. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 7.*

B. Virgo aut iubet Filium, aut orat Patrē pro peccatoribus.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 5. ver. 7. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Quommodo Beata Virgo pro sua reuerentia exauditur?

Resp. Eius meritis, & intercessione propitiatur Dominus omnibus iniquitatibus nostris; cum enim pro peccatoribus se Filio semper opponat, nihil ei potest negare Filius eius; aut enim iubet natum, aut orat Patrem, & semper exauditur pro sua reuerentia. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 1. num. 13.*

B. Virgo semper exauditur pro sua reuerentia.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 9. vers. 4. *Vrna aurea habens Mannà.* Quid significat Mannà in vrna aurea; scilicet, Beata Virgine?

B. Virgo dulcedinem consolationis infundit amatoribus suis.

Resp. Mannà, vel manu admirabilis dulcedo consolationis, quam infundit amatoribus, & specialibus suis, & his quos visitare dignatur, quam qui gustat potest dicere Mahu, id est, quid est hoc, præ admiratione ideo dicit ipsa spiritus meus super mel dulcis. *Ecclesiast. 24. Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 1. num. 9.*

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 9. vers. 4. *Vrna aurea habens Mannà, & virga Aaron, quæ fronduerat.* Quid significant Mannà, & virga in vrna aurea?

Resp. In Maria velut in Arca erant Mannà, id est, dulcedo Diuinæ contemplationis, virga, id est, rectitudo perfectę operationis. Virga enim Aaron fronduit, & fructum fecit, quia actiua se multiplicat; sed contemplatiua solitaria est, fuerunt ergo in hac Arca, Mannà, & virga, quia Maria fuit actiua, & contemplatiua. *Beatus Albertus Magnus vbi supra.*

B. Virgo fuit actiua, & cōtemplatiua.

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 9. vers. 4. *Et tabulæ Testamenti.* Quid significatur per tabulas Testamenti in Arca?

Resp. Tertium, quod continebatur in hac Arca fuerunt tabulæ Testamenti, quibus designatur perfecta vtriusque legis cognitio, quæ plene erat in ea, quia Author scripturarum habitabat in ea. Vnde *Diuus Hieronymus* dicit, quod optimè scripturas nouerat, sicut patet in illo versu, *sicut locutus est ad Patres nostros*, item *Lucæ 2.* di-

B. Virgo plenam habuit vtriusque legis cognitionem, optimè scripturas nouit.

dicitur: *Quia conſeruabat omnia Verba hæc conferens*, vnde poſtea docuit Apoſtolos, & Magiſtra fuit Noui Teſtamenti; cum enim rota eſſet per præfigurationem, vere poteſt dici vtriuſque legis plenam habuiſſe cognitionem, quod ſignificatur per hoc, quod in Arca coniuncta erant Deuteronomium, & tabulæ Teſtamenti. *Beatus Albertus Magnus vbi ſupra. B. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 4.*

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 9. ver. 11. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum. Neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Chriſtus introiuit in Sancta Sanctorũ; ſcilicet, in vterum, Virginis pro noſtrorũ expiatione peccatorum.

Reſp. Summus enim Sacerdos; ſcilicet, Chriſtus ſemel introiuit in Sancta Sanctorum, id eſt, vterum virginalem cum ſanguine ipſum aſſumens pro noſtrorum expiatione peccatorum. Vnde ibi dicitur: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex.* Non per ſanguinem hyrcorum, aut vitulorum, quia tunc non fuiſſet de genere noſtro, ſed per proprium ſanguinem noſtrum, humanum; ſcilicet, aſſumendo introiuit ſemel in Sancta Sanctorum; ſcilicet, Virginem. *Armandus de Vellouiſu collat. 6. de Annunciatione Dominica, ex Pſalm 5.*

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 9. ver. 26. *In ipſum cœlum introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quommodo Beata Virgo appareat vultui Dei pro nobis?

B. Virgo in cœlũ aſſumpta miſericordiam Dei pro nobis inuocare non ceſſat

Reſp. Quemmadmodum enim Chriſtus Dominus teſte Apoſtolo, in ipſum cœlum introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sic Deipara in cœlum aſſumpta: vultui Filij apparet, veluti arcus in nubibus, qui eſt Diuinæ clementiæ ſignum, eique pectus oſtendit, & vbera, quibus pro nobis peccatoribus eius miſericordiam inuocare non ceſſat; quo circa in oratione, quam ſecretam vocant, Miſſæ vigiliæ Aſſumptionis eiuſdem Virginis, Eccleſia, per Deiparæ preces exaudiri ſuppliciter orans, de eadem verba illa pronunciat: *Quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter interceda at. Adamus Brouuerus in Salutatione Angelica coronata.*

EPISTOLA B. Iacobi.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 4. *Patientia autem opus perfectum habet.* Quommodo intelligitur, quod patientia opus perfectum habet?

B. Virgo aduerſa æquo animo tulit.

Reſp. Patientia opus perfectum habet; cum ſcilicet, quis propter aduerſa contingentia, non conſiſtitur, ſed æquo animo fert, ad hoc valent exempla Sanctorum, qui erſi iuſti multa paſsi, ſed patientiſſimè. Virgo autem Beatiſsima non caruit aduerſis, ſicut nec Filius eius, ſed nato paruulo inde ad paucos dies quæſito ad occiſionem, oportuit fugere in Ægyptum, & ibi manere per ſeptenium inter idolatras, & alienigenas, & duodenis cum remanſiſſet in Templo, ipſa non percipiente per triduum quæſiuit non ſine dolore, ſed ſine ira, & triſtitia rationem abſorbente, vel ofuſcante. Similiter in perſecutionibus Filij patientiſſima fuit, vnde dicitur de ea: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Filias*, lilium, vel roſa non amittit ſuam pulchritudinem, vel odorem inter ſpinas, ſic nec ipſa odorem patientiæ inter tribulationes. *D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 26. §. 1.*

B. Virgo patientiam inter tribulationes non amiſit.

EPISTOLA 1. B. Petri Apoſtoli.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 2. verſ. 12. *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam.* Quommodo Beata Virgo conuerſabatur inter gentes?

B. Virgo exemplum probitatis.

Resp. In medio nationis praue dono scientiæ, ita conuersata est Beata Maria super omnes innocenter, & ædificatorie, quod eius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias; nullum enim faciendorum omisit, nihil cauendorum comisit, nulli in suo malo communicauit, nulli bonum suum incommunicandum communicauit, nemini malum exemplum in aliquo dedit, nullius opere iniquo scandalizata fuit. Vnde *B. Ambros.* Habetis in ea exempla probitatis expressa vt sciatis, quid vitare, quid eligere debeatis. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 18. §. 5.

B. Virgo per gratiã, & protectionẽ Dei ab omni peccato custodita.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. ver. 20. *Quæ enim est gloria si peccantes, & colaphizati sustinetis? Sed si bene patientes sustinetis; hæc est gratia apud Deum?* Quæ patienter sustinuit Beata Virgo?

Resp. Beata Virgo per gratiam, & protectionem Altissimi ab omni peccato fuerat custodita, & tamen per multas tribulationes, & angustias colaphizata fuit in hoc mundo, quas omnes tribulationes tanquam columna immobilis in multa patientia sustinuit lenitate. Nonne per hoc multum tribulata fuit, quod cum paruulo Iesu, vix adhuc anniculo fugit in Ægyptum, ibi septena passa fuit exilium? Nonne etiam, vt multa alia transeamus per hoc supra modum passa fuit, & angustiata, quod intellexit Filium suum innocentissimum, capi, ligari, conspui, alapari, colaphizari, denudari, flagellari, spinis coronari, arundine verberari, patibulo Crucis onerari, & demum eundem in Crucem leuari, & pedes eius, ac manus clauis lacerari, vbi etiam vidit cum aceto potari; & à transeuntibus blasphemari, & postremo latus lancea perforari. Hæc omnia tormenta cordis sui mira patientia roleranit. *Beatus Albertus Magnus in Annunt. serm.* 16.

B. Virgo multas tribulationes in multa patientia sustinuit.

EPISTOLA I. Sancti Ioannis.

B. Virginis gratia collata ad vincendũ ex omni parte peccatum.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. ver. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* An Beata Virgo habuerit peccatum?

Resp. Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccato agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & portare meruit cum quem constat, nullum habuisse peccatum; Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas cum hic viuerent congregare possimus, & interrogare vtrum essent sine peccato, omnes vna voce clamassent: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & Veritas in nobis non est. D. Augustinus lib. de natura, & gratia, cap.* 36.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 2. ver. 1. *Si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem.* Quommodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Deus prouidit nobis de aduocata mi ti, & suaui.

Resp. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. 1. *Ioann.* 2. qui etiam interpellat pro nobis, ait *Apost. ad Romanos* 8. Sed quia non solum aduocatus, sed & Iudex est constitutus viuorum, & mortuorum cuncta itaque discussurus; ita quod nullum multum remanebit, poterat forte humana fragilitas, & præcipue peccator, cum vix iustus ante eum sit securus, ad eum accedere tanquam aduocatum, & ideo pijssimus Deus prouidit nobis de aduocata, quæ tota mitis, & suauis est, nihil in ea inuenitur asperum, nunquam ex ea processit verbum durum. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 14. §. 4.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 4. ver. 1.

1. *Nolite omni ſpiritui credere.* An Beata Virgo habuit diſcretionem ſpirituum?

Reſp. Ipſe Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis, vt adoretur, & ſæpè vitia ſe ingerunt, & virtutes eſſe ſimulantur, ſiue per inſtigationem diaboli, ſiue ſenſualitatis, ſiue mali hominis, vt decipiat, ſed per hanc gratiam diſcernuntur iſta vera à falſis, nam vt dicit *Apoſt.* 1. *Corinth.* 2. *Spiritualis omnia iudicat*, id eſt, diſcernit agenda à non agendis, & ſimulata à veris, & quia Beata Maria fuit ſpiritualis ſuper omnes, ideo ſuper omnes habuit diſcretionem ſpirituum; ſed & cum Beatus Antonius in ſpiritu videns totum mundum plenum laqueis ſe inuicem connexis exclamaſſet, O quis euadet iſtos laqueos, reſponſum eſt ei: *Sola humilitas.* Beata Virgo Maria ſuper omnes viatores fuit, ſine comparatione humilis, ideo ipſa per gratiam iſtam diſcretionis ſpirituum, omnes deceptiones euaſit. Proprium eſt ſpiritus ne quam tentari de ſuperbia ſpirituali, ſed nunquam Beata Maria habuit ſtimulum ſuperbiæ, ſicut Paulus Apoſtol. dicit 2. *Corint.* 2. *Non ignoramus aſtutias eius*; ſcilicet, diaboli, cum ipſa ſit pluſquam Paulus, multo magis ipſa non ignorauit, ſed diſcreuit, & nunquam ab eo decepta fuit. *D. Antoninus* 4. *part. tit.* 15. *cap.* 19. §. 7.

B. Virgo ſuper omnes habuit diſcretionem ſpiritus.

B. Virgo per diſcretionem ſpiritus omnes deceptiones diaboli euaſit.

EPISTOLA Beati Iudæ.

DVb. Vnicum. *Væ illis, quia in Via Cain abierunt. Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Cur dixit, quod ſeruata eſt eis procella tenebrarum in æternum?

Reſp. Nota quod dicit in æternum, & penſa quanta ſit illa pœnarum, & tenebrarum longitudo, quæ finem non accipit in æternum. O quam longiſsimè ab illo longiſsimo gehennæ ve fuit longitudo gloriæ Mariæ, cui contra æternas tenebras in inferno iam Dominus præparauerat æternam lucem in cœlo, vt ſicut anima peccatrix ſedes diaboli eſt mirabiliter tenebroſa in æternum, ita Maria mediatrix ſedes Chriſti mirabiliter luminoſa eſt in æternum, iuxta illud *Pſalmi* 88. *Thronus eius, ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum. D. Bonauentura Lect.* 2. *in ſpecul. B. Virg.*

Deus præparauit B. Virgini æternam lucem in cœlo.

APOCALYPSIS.

DVb. 1. Ad illa verba, cap. 1. verſ. 14. *Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Quare capilli Chriſti dicuntur candidi non ſolum tanquam lana alba, ſed etiam ſicut nix?

Reſp. O caput candidum puriſſimum Saluatoris ex intemerata Virgine conceptum! O capillos æque candentes, ſine vllo culpæ contagio, dignatiſsimas eius neceſsitates, hinc nobis lanam albam, quis alba candida virginitas protulit, imo etiam hanc nobis cœleſtis regio niuem miſit; propterea ſiquidem candor iſte lanæ comparatus, & niui, quod ineffabili quodam Sacramento conueniunt, materia carnis, & forma cœleſtis; ſolus enim qui in carne humana, ſed non lege venit humana, vtrumque candorem ſingulariter in ſe ipſo carnalis, videlicet pudicitiæ, & cœleſtis gloriæ ſociauit. *Gaſfridus Abbas concion.* 34.

Puritas, & ſanctitas Chriſti ex virginea carne Mariæ noſcitur.

Dub. 2. Ad illa verba, cap. 1. ver. 14. *Oculi eius tanquam flamma ignis.* An oculi Beatæ Virginis comparentur flammæ ignis?

Reſp. Flamma ignis quatuor habet proprietates; illuminat enim & calefacit, terret, & exurit. Mariæ enim reſpectus illuſtrat electos luce ſapientiæ, & calefacit amore iuſtitiæ, reprobos autem, & dæmones terret ferocitate commina-

B. Virgo iuſtos calefacit amore iuſtitiæ, reprobos & dæmones terret.

tio-

tionis, & incorrepros exuit incendio damnationis, ſicut patet in Iuliano apoſtata. *Beatus Albertus Magnus lib. 5. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 2. num. 10.*

Eximij affectus Virginis erga ſuos deuotos.

Dub. 3. Ad illa verba, cap. 1. ver. 15. *Pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Quid ſignificant pedes ſimiles aurichalco in camino ardenti?

Reſp. Commendatur affectus Virginis, à tribus, à ſapientia, quæ in auro, à perſeuerentia, quæ in ære, à vehementi charitate, qui ſignatur in camino ardenti. *Beatus Albertus Magnus lib. 2. de laudibus Beatæ Mariæ, §. Partic. 2.*

Dolores Virginis tempore Paſſionis Filij ſui.

2. Reſp. Denotari poſſunt affectus Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, quibus tendebat in dilectiſſimum Filium Ieſum præcipue tempore paſſionis, ſed quommodo huiuſmodi affectus dicuntur ſimiles aurichalco, quod cum ſit æs ſpeciem auri refert? Reſp. Aurum deſignat illius eximiam ſapientiam, qua omnes illius affectus dirigebantur: æs cum ſit fortiſſimum illius perſeuerantiam, ac conſtantiam; caminus vero ardens illius vehementiſſimam charitatem denotat; vel per reſpectum ad Filium, ſicut Filius eius Ieſus in fine vitæ tempore paſſionis, erat in fornace ardenti tormentorum, ac pœnarum: ſic Sanctiſſima eius Mater erat in camino ardenti dolorum, ac angustiarum. *Pater Silueira hic, quæſt. 59.*

Chriſtus per B. Virginem multo plures adduxit ad ſe, quam antea.

Dub. 4. Ad illa verba, cap. 1. ver. 16. *Habebat in dextera ſua Stellas ſeptem.* Cur hic dicitur, quod Chriſtus habuerit in manu Stellas ſeptem, cum de Beata Virgine dicatur *Apocalyp. 12. Num. 1. In capite eius corona Stellarum duodecim, & in vtero habens*; ſcilicet, Filium ſuum?

Reſp. Hic Ioannes vidit Filium hominis, ſed non vidit virgineum pectus inhabitantem: illic pectus mundiſſimum Virginis conſpicatus eſt incolentem; ideo hic pauciores Stellæ, illic myſteriis, & innumeris auctæ; per Matrem namque plures cœlo acquiſiuit verbum, quos non acquireret ſine Matre. *Pater Silueira hic, quæſt. 62. num. 534.*

2. Reſp. Septem Stellæ hic in manu Chriſti ſignificabant omnia dona gratiæ, virtuteſque omnes, tum Theologicas, quam Cardinales, ad quas cæteræ reducuntur, quæ ſunt in omnibus Angelis, & Sanctis, & ideo Chriſtus habebat Stellas in manu, vt tali diademate omnes ſuos electos coronaret, vt innuunt *Richardus. D. Bernardinus Senenſis.* At in capite Sanctiſſimæ Mariæ eſt corona Stellarum duodecim, quæ duodecim Stellæ, eius dona gratiæ, gloriæ virtutis, ac ſanctitatis denotabant, ex quibus eius admirabilis corona componitur plures Stellæ in vna ſola corona Mariæ, quam in corona omnium Sanctorum, ac Angelorum! Merito ſane, quia in vna ſola Sacratiſſima Maria plures ſunt ſplendores, ac radij gratiæ, gloriæ iuſtitiæ, ac ſanctitatis, quam in vniuerſa collectione omnium Sanctorum, ac Angelorum. Corona Stellarum, quæ eſt in manu Chriſti, vt omnes eius electi ſublimentur ex ſeptem Stellis conflatur: at corona Mariæ ex duodecim, quia illa ſola plus habet gratiæ, & virtutum, quam omnes alij electi ſimul ſumpti. *Pater Silueira ibidem, num. 535.*

In Virgine Maria plus gratiæ, & ſanctitatis, quã in omnibus Sanctis, & Angelis collectiue.

Dub. 5. Ad illa verba, cap. 2. ver. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Cur Beata Virgo dicitur Paradiſus habens lignum vitæ?

Beata Maria Virgo Paradiſus cœleſtis, multis excellentior terreſtri.

Reſp. Ille eſt Paradiſus antiquus, Paradiſus terrenus, iſte eſt Paradiſus nouus, Paradiſus cœleſtis, in illo poſuit Dominus Deus hominem quem formauerat, in iſto formauit hominem, qui apud ipſum, in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. *Rupertus.*

2. Reſp. Aue florentiſſime virginitatis Paradiſe in quo lignum vitæ latum producit fructus omnibus ſalutares. *D. Baſilius orat. 30.*

3. Reſp. Maria hic hortus, hic Paradiſus eſt voluptatis, cuius principalis arbor lignum vitæ, ſcilicet, Chriſtus Dominus, qui benedicitur lignum vitæ, quia mortis defectum fugat immortalitate fructus ſui, ſcilicet, Euchariſtiæ; ſed non competit hic fructus, niſi victoribus vitiorum, vnde *Apocal. 2. Vin-*

cen-

centi dabo edere de ligno Vitæ, quod eſt in medio Paradiſi Dei mei. Paradiſus Maria eſt. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus Beatæ Mariæ.*

Beata Maria, ac eius adiuamẽ promittitur, vt præmiũ omniũ bonorum.

Dub. 6. Ad illa verba, cap. 2. ver. 28. *Dabo illi Stellam matutinam.* An Beata Virgo recte comparetur Stellę matutinę?

Reſp. Bene Maria comparatur Lucifero, quia ſicut Lucifer prę-eminet cęteris Stellis in claritate; ſic Maria Sanctorum ordinibus vniuerſis in dignitate. Vnde ipſa Stella matutina dicitur: Lucens antequam dieſcat, quia ortus Marię præcelsit ortum diei, id eſt, non ſolum cæterorum Sanctorum, ſed etiam Chriſti, qui lux eſt, & dies. Hęc eſt Stella, quę vincenti promittitur in pręmium. Vnde *Apoc. 2. Vincenti dabo Stellam matutinam.* Et nota quod in ortu huius Stellę; ſcilicet, quando gratia, & dilectio Marię oritur in corde iuſti, fugiunt fures, id eſt, dęmones quibus ipſa terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata. Vigiles fiunt alacriores, id eſt, Prelati, vel quicunque de ſua ſalute ſoliciti, ęgri animi ęquiores, operarij vigilantiores; & bene Maria Stella matutina, quia ſemper fuit in mane oriendi, nunquam tendebat ad occaſum peccati. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. tertia Stella, nonæ coronæ.*

Lucifer præeminet omnibus Stellis.

B. Virgo prę-eminet omnibus Sanctis in dignitate.

B. Virgo nunquam tendit ad peccatum

Dub. 7. Ad illa verba, cap. 3. ver. 20. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Quomodo hęc verba exponuntur de Beata Virgine?

B. Virgo pertinimũ obſequiũ, quod ei impendimus, refundit nobis lumen gratiæ, & miſericordiæ.

Reſp. Per anguſtiſsimam rimam, vel foramen ingreditur gratiam infundendo. Vnde dicit cum Filio illud *Apoc. 3. Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Vnde per minimum obſequium, quod ei impendimus, refundit nobis lumen gratiarum, & miſericordię ſuę. *Daniel Agricola vbi ſupra, ſexta Stella.*

B. Virgo clauſa per virginitatem.

Dub. 8. Ad illa verba, cap. 4. ver. 1. *Ecce oſtium apertum in cœlo.* Quomodo Beata Virgo dicitur oſtium apertum, cum *Ezechielis* 44. dicatur: *Porta hæc clauſa erit?* Reſp. Aperta fuit ad intromittendum omnes per charitatem, clauſa fuit per virginitatem. *Hugo Cardinalis in locum Ezechielis.*

Qui magnalia B. Virginis intelligere vult debet eſſe non carnalis, ſed ſpiritualis.

Dub. 9. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 2. *Et fui in ſpiritu.* Cur dicit D. Ioannes, quod fuit in ſpiritu?

Reſp. Bene dicit fui in ſpiritu, quia qui videre vult, hoc eſt, intelligere magnalia Marię, de carnali neceſſe habet prius fieri ſpiritualis. & ideo prępmittit fui in ſpiritu. Vel vt reſurgat prius à culpa, qui vult inſtrui de dignitate Marię. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus Beatæ Mariæ, cap. 7.*

Studendo, & vacando cognitioni B. Virginis gratia augmentatur.

Dub. 10. Ad illa verba, cap. 4 verſ. 2. *Fui in ſpiritu.* Cum ſupra *cap. 1. verſ. 10.* dicat D. Ioannes. *Fui in ſpiritu in Dominica die*, quare iterum dicit hic: *Fui in ſpiritu?*

Reſp. Nota quod prius dixerat fui in ſpiritu, & hic dicit fui in ſpiritu; plus ſcilicet, quam ante, & in hoc notatur vtilitas viſionis, quia ſtudendo, & vacando cognitioni Virginis, gratia augmentatur. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo miniſterio Angelorum in corpore, & anima poſita in cœlo.

Dub. 11. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 2. *Sedes poſita erat in cœlo.* An Beata Maria dicatur ſedes poſita in cœlo?

Reſp. Maria in qua reſedit maieſtas Deitatis poſita erat in cœlo in Aſſumptione miniſterio Angelorum in corpore, & anima, vt pie creditur. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo ſedes Chriſti ad iudicandũ

Dub. 12. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 2. *Et ſupra ſedem ſedens.* Qui ſedens ſupra ſedem?

Reſp. Hæc ſedes vocatur ſedes totius nobilitatis, quia ſolus Deus ſedet in ea, vnde & ſuper ſedem ſedens, id eſt, Deus, & homo, vt ſedens ad iudicandum. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo ſedes totius propitiationis.

Dub. 13. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 2. *Et iris erat in circuitu ſedis.* Cur iris in circuitu ſedis?

Reſp. Hæc ſedes vocatur, ſedes totius propitiationis, vnde & iris in circuitu ſedis. *Gloſſ.* id eſt, pax, & propitiatio, vt protegens. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Dub. 14. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 5. *Et de throno procedebant ful-*

Filius Dei veniens ex sinu Patris thronū sibi parauit in vtero Matris.

fulgura. Cur Virgo Maria dicitur thronus?

Resp. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, vt æterno Regi Filio Regis materna quoque nobilitas Regium honorem defenderet, & venientem à Regali sede Patris, Regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe, & ex ipsa sapientia ædificauit sibi domum, & in ipsa parauit sibi thronum, cum in ea, & ex ea corpus aprauit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum. *Guarricus Abbas serm. 1. de Annuntiatione.*

Clarificato Christo in cœlo conuenientissimum erat, vt eius Mater in cœlo assumeretur.

Dub. 15. Ad illa verba, cap. 4. vers. 5. *Et de throno procedebant fulgura.* Cur hic thronus erat in cœlo?

Resp. Possidens in Christo corpus suum, quod genuit clarificatur in dextera Patris. Et quare non suum per quod genuit? Resp. Vere credo, & per quod genuit, quia tanta sanctificatio dignior cœlo est, quam terra. Thronum Dei, thalamum Domini, domum atque Tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est. *D. Augustinus serm. de Assumptione.*

Vterus Virginis Dei thronus.

Dub. 16. Ad illa verba, cap. 4. vers. 5. *Et de throno procedebant fulgura.* Cur Beata Virgo super omnes creaturas dicitur thronus Dei?

Resp. Nil horum singulariter, sic mirabiliter potest dici Dei thronus, quemmadmodum venter tuus benedictus. Nunquidenim illorum quidpiam Deum circumscribit? Sed tu ò præelecta vnica Dei, quem totus non capit Orbis in tua se clausit castissima viscera, mansitque in te tota Diuinitas corporaliter, residet in te Deus, materno commensuratus loculo, qui neque insuper cœlestibus thronis metiri valet. *Dionisius Carthusianus de dignitate Mariæ, art. 22.*

B. Virgo sacras scripturas auidius debibit, & fidelius credibit.

Dub. 17. Ad illa verba, cap. 4. vers. 5 *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Quid significant fulgura, voces, & tonitrua procedentia de throno?

Resp. Ioannes in Apocalypsi ait: *De throno*; scilicet, de Maria, *procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*, quia Maria Mater Filij Iesu Christi parabolas enigmata, legalia, & mirifica festa, dicta, opera auidius ebibit, & fidelius credidit. *D. Bernardus serm. de laudibus Mariæ.*

Doctores ad Mariam Virginem scientiam suam referunt.

2. Resp. Ab hoc supremo, & alto Mariano throno procedunt fulgura, voces, & tonitrua fulgura; nam si quis remotos, ac distantes scriptis suis docet, & illuminat, hæreticorumque ora confringit, hoc totum à Mariano throno habet. *Voces*, si quis voce, ac doctrina sua propinquos erudit & instruit, hoc totum à Maria hausit. *Tonitrua*, si quis alta, & sublimia intonat, vt ille Filius tonitrui, *in principio erat Verbum*, hoc totum de Mariæ sapientia prouenit, ab ipsa vt ab apotheca omnium scientiarum omnis scientia defluit. *Pater Siluetra tom. 1. in Apocal. cap. 4. quæst. 18. num. 146.*

B. Virgo sedes totius commiserationis.

3. Resp. Hæc sedes vocatur totius commiserationis, vnde de throno, id est, Virgine Maria, *procedunt fulgura, Gloss.* Quæ terrent, *& tonitrua, Gloss.* id est, comminationes, *& voces, Gloss.* id est, admonitiones. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Beatæ Mariæ Virginis virtutes, ac dona nullus intellectus creatus exprimere potest.

Dub. 18. Ad illa verba, cap. 4. vers. 5. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Quare fulgura, voces, ac tonitrua; quæ de throno Dei modo procedunt non explicantur, qualiter lucerent, qualiter dicerent, ac resonarent?

Resp. Thronus iste Agni Beatam Virginem Mariam adumbrat. Merito ergo, fulgura, voces, tonitrua, & septem lampades ardentes, quæ de illo procedebant, qualia existerent, non exprimuntur; quia fulgores, ac splendores virtutum Beatæ Virginis Mariæ, voces laudum eius, tonitrua magnalium, & septem Spiritus Sancti Dona, quibus est ditata, nulla est inuenta creatura, nec in cœlo, nec in terra, quæ tam alta, ac sublimia valeat aperire, ac declarare. *Pater Siluetra ibidem, quæst. 19. num. 150*

Dub.

B. Virgo ſeptem Donis Spiritus Sancti præcunctis mortalibus illuminata.

Dub. 19. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 5. *Et ſeptem lampades ardentes ante thronum.* Quid ſignificant ſeptem lampades ardentes ante thronum?

Reſp. Hæc ſedes, eſt ſedes totius pulchritudinis, vnde ſeptem lampades ardentes ante thronum, *Gloſſ.* id eſt, ſeptem Dona Spiritus Sancti, quibus ipſa præcunctis mortalibus illuminata, & accenſa fuit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Per manus Mariæ omnia bona nobis veniunt, & ipſi reddenda.

Dub. 20. Ad illa verba, cap. 4. verſ. 10. *Mittebant coronas ſuas ante thronum.* Cur non mittebant coronas ante ſedentem, ſed deponebant eas ante thronum?

Reſp. Vt denotaret ſupplices illos nempè Reges, & Principes depoſuiſſe diademata ſua ante Dei param. Tum vt profunda ſubmiſſione ſuam ſummam poteſtatem, qua fulgebant, peculiari Virginis beneficio obtinuiſſe, ipſique omnè acceptum reddere; deinde quidquid ſibi Regni, ſeu Regiæ magnitudinis, ac potentiæ inerat, in illius cultum, ac venerationem liuentiſſimè conferre. *Pater Silueira ibidem, quæſt. 42. num. 373.*

Reges, & Principes peculiari Virginis beneficio poteſtatem obtinent.

Dub. 21. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 1. *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus, & foris ſignatum ſigillis ſeptem.* Quis hic liber ſcriptus intus, & foris, ſignatus ſigillis ſeptem?

Reges cultui B. Virginis dediti.

Reſp. Liber Maria eſt ſcriptus intus omni amplitudine gratiarum ſuper omnes puras creaturas, foris vero digito Dei Verbi ſcriptus eſt liber, vt eſſet Virgo, & Mater Dei intemerata. Vel intus Dei viſione, qua Maria adhuc in hac vita aliquando fruebatur, foris vero ſingulari protectione, ac adiuuamine erga ſuos deuotos. Signatus eſt liber ſigillis ſeptem Donis; ſcilicet, ſeptem Spiritus Sancti, quibus hæc Dei domus ſuffulta extitit. *Pater Silueira hic, quæſt. 4.*

Habuit amplitudinem gratiarum ſuper omnes puras creaturas.

B. Virgo Dei viſione in hac vita aliquando fruebatur.

Deuotos ſuos protegit.

Dub. 22. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 3. *Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum.* Quare nemo poterat aperire librum?

Reſp. Nullus inuenitur, nec in cœlo, neque in terra, qui hunc librum Maria valeat reſerare; tanta eſt eius dignitas, quod Mater ſit vnigeniti Filii Dei, tot ac tanta ſunt illius Dona ſuper omnes puras creaturas collectiuè, vt nullus intellectus hoc valeat cognoſcere, penetrare, ac inueſtigare, niſi ſolus Filius eius Ieſus Chriſtus, & cui voluerit ipſe reuelare. *Pater Silueira ibidem.*

Solus Chriſtus ſuæ Matris cognoſcit excellentias.

Dub. 23. Ad illa verba, cap. 5. verſ. 4. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum.* Quare Sanctus Ioannes multum flebat?

Reſp. Nota quod Ioannes flebat multum, quia nullus dignus inuentus eſt ſoluere ſignacula libri, niſi ſolus Agnus, quia nemo nouit Matrem, niſi Filius, & cui Filius voluerit reuelare, ſicut Chriſtus dicit de Patre. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Virg. cap. 7. num. 4.*

Nemo nouit Matrem niſi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.

Dub. 24. Ad illa verba, cap. 6. verſ. 12. *Luna tota facta eſt, ſicut ſanguis.* Quid ſignificat Luna facta, ſicut ſanguis?

B. Virgo per dolorem, & compaſſionem mortis Filij, quaſi in ſanguinem mutata.

Reſp. Sole Chriſto per paſſionem obtenebrato. Luna iſta per dolorem, & compaſſionem ſuæ mortis in ſanguinem eſt mutata. *Apocalypſis 6. Luna tota facta eſt, vt ſanguis. Albertus de Marqueſi 5, Franciſcanus, in cœliloquijs de B. Virg. cap. 75.*

Dub. 25. Ad illa verba, cap. 9. verſ. 13. *Audiui vocem vnam ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.* Quod eſt Altare aureum, quæ cornua huius Altaris?

B. Virgo Altare propitiationis.

Reſp. Ipſa eſt Altare propitiationis, *Apocalip. 9. Audiui vocem vnam, Gloſſ.* id eſt, Mariam, *de quatuor cornibus Altaris aurei. Gloſſ.* ſuper quod quidquid offertur accipitur à Deo: *Quod eſt ante oculos Dei.* Quatuor cornua huius Altaris ſunt hæc miſericordia eius, humilitas eius, virginitas eius, largitas eius. Hæc omnia clamant pro nobis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

Virginis virtutes clamant pro nobis.

Dub. 26. Ad illa verba, cap. 10. verſ. 10. *Accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo, tanquam mel dulce, &*

Loqui de B. Virgine dulce ſuper mel, & fauum.

cum

cum deuoraſſem eum amaricatus eſt venter meus. Cur liber iſte dicitur dulcis in ore, & amarus in ventre?

Reſp. Liber iſte, ſcilicet, Maria, dulcis guſtu, ſed amarus effectu; verba enim Mariæ, ſiue loqui de Maria, dulciora ſunt ſuper mel, & fauum, animæ diligenti eam, ſed faciunt amaricare ventrem Ioannis, id eſt, illius in quo eſt gratia, quia memoria eius, & exempla in ſuis imitatoribus temporales delectationes, & carnales voluptates amaricant, & refrenant. *Beatus Albertus Magnus lib. 12. de laudibus B. Virg. cap. 7.*

Memoria B. Virginis temporales delectationes refrenat.

Dub. 27. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 19. *Apertum eſt Templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca Teſtamenti eius in Templo eius.* Quare Beata Virgo Maria dicitur Arca Teſtamenti?

In B. Virgine lex fœderis Domini, quia fœderauit nos toti Trinitati.

Reſp. Maria dicitur Arca Teſtamenti, vel teſtimonij; quia ſcilicet, in ea poſitum erat Teſtamentum, id eſt, lex fœderis Domini, quia fœderauit nos toti Trinitati; appropriatur enim Patri maieſtas, Filio ſapientia, Spiritui Sancto bonitas, & nos offenderamus Patrem per ſuperbiam, Filium per inſipientiam, Spiritui Sancto per malitiam; iſta enim concurrunt in primo peccato, ſuperbia qua Adam voluit eſſe, ſicut Deus, inſipientia, qua credidit poſſe fieri, ſicut Deus, malitia, qua contradixit ei, quod præceperat Deus, vel conſenſit ei, quod prohibuerat Deus: ſed Maria per humilitatem ſuam reconciliauit nos Patri, quando ipſe reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ; vbi enim amor ibi oculus, ſed Filio nos vniuit, quem credendo concepit, vt impleretur Spiritu Sancto, qui eam repleuit, vt de plenitudine eius acciperent vniuerſi gratiam pro gratia. *Ioann. 1.* Ipſa enim fons eſt, vnde procedunt riuuli gratiarum. *Beatus Albertus Magnus lib. 10. de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 12.*

B. Virgo reconciliauit nos per ſuam humilitatem Deo Patri.

B. Virgo fons vnde procedunt riuuli gratiarum.

2. Reſp. Alio modo dicitur Arca fœderis, quia per eam ad nos Dei fœdus firmatum eſt; ante enim quam fieret hæc Arca, id eſt, Maria eramus inimici, & firmatum erat chaos magnum, inter nos, & Deum, vt qui vellent hinc tranſire ad Deum non poſſint; & ideo per Virginem venit Filius Dei ad nos, & factus eſt Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, vt tam Filius, quam Mater, reduceret nos ad Patrem. Solet enim fœdus maximè contrahi per nuptias, & Chriſtus generi noſtro ſe ſe immiſcuit, naturam noſtram ſibi in Virgine copulando, vt ſi Pater de cætero cogitaret, aliquid contra nos videns nos fratres Filij ſui eſſe manum retraheret à genere ſuo, vnde in horis Beatæ Mariæ Virginis, ſic dicimus: *Memento ſalutis Author, quod noſtri quondam corporis. Beatus Albertus Magnus vbi ſupra.*

Per B. Virginem ad nos Dei fœdus firmatum.

Fœdus contrahitur per nuptias.

Chriſtus in vtero Virginis naturam noſtram ſibi copulauit.

Dub. 28. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 19. *Viſa eſt Arca.* Cur Beata Virgo dicitur Arca?

B. Virgo ſecretum Dei.

Reſp. Dicitur Arca ab Arcano, & Maria ſecretum Dei eſt, vnde dicit de ea per *Iſaiam 24. Secretum meum mihi*, quia hanc Arcam clauſit ille, qui claudit, & nemo aperit. *Apoc. 3. Beatus Albertus Magnus de laudibus B. Virg. cap. 1. num. 15.*

Dub. 29. Ad illa verba, cap. 11. verſ. 19. *Apertum eſt Templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca Teſtamenti eius in Templo eius, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.* Quid hæc ſignificant?

Reſp. Apertum eſt in Eccleſia Militante, in qua Templum materiale fuit apertum ad Feſtum Sanctæ Purificationis celebrandum ſolemniter. Viſa eſt Arca, id eſt, Chriſtus, de cuius oblatione in Templo, & manifeſtatione per Simeonem, & Annam prophetiſſam fit memoria in Purificationis Feſto, quod Feſtum à Conſtantinopoli ad alias Eccleſias eſt deriuatum per Orbem, & facta ſunt fulgura, id eſt, accenſa luminaria admodum fulguris lucentia, quæ à fidelibus portantur in ſolemnitate dicta, & voces Diuinæ laudis, & tonitrua ſanctæ prædicationis, & terræ motus, quia multi terreni ad deuotionem fuerunt moti. *Lyranus.*

Feſtum Purificationis à Conſtantinopoli ad alias Eccleſias eſt deriuatum.

Dub. 30. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Signum magnum apparuit*

in

B. Virgo magna gratia, & gloria, merito, & præmio

Magna quia Virgo, quia Mater Dei,

B. Virgo aſſumpta in cœlum, vt pro peccatoribus immediatè Iudici aſsiſteret;

Ad explicandas aliorum Sanctorũ excellentias terrenæ res introducuntur; at B. Virginis ſignum ex rebus tantum cœleſtibus componitur.

in cœlo. Quare Beata Virgo dicitur ſignum magnum?

Reſp. Vere enim Maria ſignum magnum, vtpote gratia, & gloria merito, & præmio, vel vt fiat comparatio magnum, quia Virgo, maius quia Mater, maximum quia Mater Dei; vltra quod nulla magnitudo creaturæ. Item ratione vtilitatis imminentis, quia ante Aſſumptionem ipſius in cœlum aduocata noſtra ſeparata erat à noſtro Iudice. Cum ille ſederet ad dexteram Patris, & ipſa adhuc maneret in terris. Per vtile ergo erat ipſis miſeris, vt mediatrix inter ipſos, & Filium immediatè Iudici aſsiſteret, & ipſa pro eis è vicino exoraret. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum B. Virginis, cap.* 1.

Dub. 31. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole.* Cur ad explicandas aliorum Sanctorum excellentias terrenæ res introducuntur. Lapis pretioſus *Apocalyp.* 20. *Num.* 19. Vox tubæ, *Apocal.* 4. *Num.* 1. oliuæ, & candelabra, *Apocalyp.* 11. *Num.* 4. *Stollæ albæ, & palmæ, Apocal.* 7. *Num.* 9. ac tandem byſſus ſplendidus, ac candidus, *Apocal.* 19. *Num.* 8. At magnum, & celebre Virginis ſignum ex rebus tantum cœleſtibus componitur?

Reſp. Ex alia materia apparent occulatiſsimo Theologo virtutes aliorum iuſtorum, vtpote homines terreni terrenis rebus inſinuari poſſunt; at in Marianis elogijs ſigno magno denotandis, non à terra, ſed à cœlo deſumendus eſt tropus, & non à quolibet cœleſti corpore, ſed à primoribus nempè Sole, Luna, & Stellis, nam in alijs Sanctis, quamuis valde perilluſtres extarent, tamen aliquando humanæ fragilitatis, ac corruptionis in eis aliquid interceſsit; at in Beata Virgine totum fuit ſupremum cœlum, firmum incorruptum, & vndique mirifice lucidum. *Pater Silueira tom.* 3. *in Euang. lib.* 5. *quæſt* 3. *num.* 22.

Dub. 32. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Signum magnum apparuit.* Cui, vel quibus apparuit?

Virginis excellẽtiæ cognitæ in Eccleſia Militante, & Triumphãte.

Reſpondendum, quod toti Eccleſiæ Triumphanti. Triumphanti enim apparuit per cognitionem, Militanti, quæ hæc credit, apparuit per fidem. *Daniel Agricola, Franciſcanus, vbi ſupra.*

Triplex eſt cœlũ æreum, ſidereum, empyreum,

Dub. 33. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo.* In quo cœlo?

Reſp. Triplex eſt cœlum aereum in quo volucres cœli volant, de quo dicitur: *Volucres cœli*, ſidereum in quo Stellæ cœli ſiant, de quo dicitur *Eccleſiaſt.* 43. *Species cœli gloria Stellarum*, Empyreum, in quo Angeli Deum laudant; ſed nec in primo, nec in ſecundo, nec in tertio, cum ſuper omnes Choros Angelorum non dubitetur exaltata, ſed in altiori, ſi quod altius eſt, vel in ſuperiori parte Empyrei, vbi eſt thronus Diuinæ Maieſtatis, quod dicitur cœlum Sanctę Trinitatis; nihil enim creditur altius in cœlo ſede Marię, quę ad dexteram Filij ſedere creditur in throno Maieſtatis; ſicut prefiguratum eſt in Matre Salomonis. 3. *Reg.* 2. *Daniel Agricola vbi ſupra.*

Nihil creditur altius in cœlo ſede B. Virginis, quę ad dexteram Filij ſedere creditur.

Dub. 34. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Mulier amicta Sole.* Quare Beata Virgo dicitur amicta Sole?

B. Virgo omnibus ſe exorabilẽ, & clemẽtiſsimam præbet.

Reſp. Quemmadmodum Sol ſuper bonos, & malos indifferenter oritur; ſic ipſa quoque preterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe ſe exorabilem, omnibus clementiſsimam prębet, omnium denique neceſsitates ampliſsimo quodam miſeratur affectu. *D. Bernardus de verbis Apocalyp.*

B. Virgo dedit Filio ſubſtantiam carnis, & Filius dedit ei gloriam maieſtatis.

2. Reſp. Iure Maria Sole perhibetur, vel probatur amicta, quę luci illi inacceſsibilis penitus videtur immerſa illo igne Diuino; non ſummatim tacta; ſed operta vndique, & circumfulſa familiaris ei facta es ò Domina, & veſtis eum, & veſtiris ab eo, veſtis eum ſubſtantia carnis, & ille veſtit te gloria ſuę Maieſtatis. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo fuit ſine omnis peccati obſcuritate.

3. Reſp. Mulier Beata Virgo eſt amicta Sole, quia fuit ſine omnis peccati obſcuritate. *Hugo Cardinalis.*

Amicta Sole quando Sol iuſtitiæ deſcendit in ea.

4. Reſp. Tunc amicta Sole fuit, quando Sol Iuſtitiæ in ea deſcendit. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 3. Domin. Quadrageſimæ.*

B. Virgo amicta Sole, id eſt, immortali corpore.

5. Reſp. Amicta Sole, id eſt, immortali corpore. *Pſal.* Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus quantum ad gloriam animæ, circundata varietate, quantum ad dotes corporis, quæ redundant ab intus ab anima in corpus, ſiquidem ex redundantia prudentiæ reſultat in eius corpore claritas, & ex redundantia fortitudinis impaſsibilitas, & ex redundantia temperantiæ ſubtilitas, ex redundantia iuſtitiæ, quæ omnes vires circuiuit reſultat agilitas. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. in Aſſumptione.*

Dotes corporis redundãt ab anima in corpus.

B. Virgo ardentiſsimo amore Dei flagrabat.

6. Reſp. *Amicta Sole*, id eſt, dum hic inter mortales vixit ardentiſsimi amoris Dei flammæ, velut veſtes quidam, eius pectus corpuſque ſemper ambierunt. Aut vero dicamus Solem illum, quo amicta dicitur eſſe Verbum æternum, Solem Iuſtitiæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quod cum vtero eius virgineo geſtaretur, non animam eius ſolum tanto ſplendore implebat, ſed etiam corpus vniuerſum à planta pedis, vſque aduerticem. Poſſumus præterea Sole amictam illam dicere ab amplitudine illa gloriæ, quam in cœlis adepta eſt, cuius ſplendore manſiones Paradiſi omnes illuſtrantur, incolæque eius omnes incredibiliter recreantur. *Alexius à Salo, Capuccinus, in arte pie amandi, & colendi Deiparam, cap. 17.*

Corpus, & anima B. Virginis ſplẽdore impletum, quando Filiũ in vtero geſtabat.

Amplitudinem gloriæ in cœlis adepta.

Dotibus, quas habitura ſunt corpora electorũ, reſpondent quatuor proprietates Solis.

7. Reſp. Amicta Sole, id eſt, glorioſo corpore, quod dicitur Sole amictum, propter quatuor dotes, quas habitura ſunt corpora electorum; quibus ſcilicet, dotibus reſpondent quatuor proprietates Solis. Sol enim refulget clariſsimè, item agiliſsimè. Statim enim, vt prima pars Solis in Oriente elcuatur in noſtro Emiſphario percutit lux eius cœlum Occidentale eiuſdem Emiſphærij, & ſic in ictu oculi diſtantiſsima tranſit terrarum, ſoliditatem vitri, & cryſtalli. Impaſsibiliter, quia ſolus Sol defectum, vel corruptionem non patitur; ipſum enim nec aqua emollit, nec fœtor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius ſcindit, nec vitrum obſiſtit, & ita eſt impaſsibilis. Eſt ergo dicere: Mulier amicta Sole, id eſt, glorificato corpore cum quatuor dotibus ſignatis in Sole. In Aſſumptione enim eius, Sol quem vellierat glorioſo carnis diademate, ſicut dicitur *Cant. 3.* quando Verbum Dei factum eſt caro in ea vt Matri Filius vices rependeret, glorioſa claritate ſua eandem inſiguiuit. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum Beatæ Virginis Mariæ.*

Corpus B. Virginis glorificatum.

Filius Matri vices rependens.

Omnes Sancti lumẽ gloriæ recipiunt à Chriſto.

8. Reſp. Omnes Stellæ lumen recipiunt à Sole, ſic omnes ſancti lumen gloriæ recipiunt a Chriſto, qui eſt Sol Iuſtitiæ, de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. *Ioann. 1.* id eſt, gratiam conſumatam gloriæ pro gratia gratum faciente in præſenti habita; ſed mulier iſta Beata Maria, quamuis & ipſa Stella maris illuſtretur à Sole, non tamen hic dicitur illuminata à Sole, ſed veſtita ipſo Sole, vt oſtendatur præmium eius excellentiſsimum, vt ſicut nihil propinquius, & coniunctius corpori, quam veſtitus eius: ita nihil propinquius gloriæ Chriſti, quam gloria, & præmium Beatæ Mariæ, & apte, vt ſicut ipſa veſtiuit Solem ipſum in mundo Dei Filium carne ſua, ſecundum illud *Ezechiel. 32. Solem nube tegam.* Sic ipſa eam in cœlo veſtiat Sole exceſsiuæ gloriæ. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 1.*

Nihil propiũ quius gloriæ Chriſti, quam gloria B. Mariæ.

Dub. 35. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Luna ſub pedibus eius.* Quid ſignificat Luna ſub pedibus Beatæ Mariæ?

B. Virgo ab omni defectu, fragilitate, corruptione aliena.

℟. Nam, & defectus omnis ſub ea,

ea, & quidquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, vt merito ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur. *D. Bernardus.*

B. Virgo perfectè mundū contempſit.

2. Reſp. Luna in quantum variabilis ſignificat mundum, quia quandoque plena, quandoque media, quandoque vacua, ſic aliqui in mundo aliquando habent plenam proſperitatem, aliquando medio modo, aliquando ea nudati, ſecundum hoc Luna fuit in mundo ſub pedibus eius per contemptum perfectiſsimum mundi ſub pedibus affectus erat, vt nihil eſſet quod mundanus violaret affectus, quod de nullo Sanctorum dici poteſt. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 20. §. 2.*

B. Virgo ſola ſine peccato actuali, etiã veniali

3. Reſp. Luna in quantum eclipſim ſæpè patitur ſignificat defectum, in quantum ſignificat defectum; ſic Luna ſub pedibus eius, quia omnis defectus ſub ea eſt, vt inquit *B. Hieronymus.* Sola ſine peccato actuali, etiam veniali, vt declarabitur; nam cum eſſet plena gratia; & veniale non ſit vbi gratia, id eſt, quod ab ea non procedit, ſed præter eam, ſi eſſet ibi veniale, ibi eſſet aliquid vacuum à gratia, & ſic non eſſet plena gratia. Vnde, & *Beatus Auguſtinus*, cum de peccatis agitur nullam de ea prorſus volo habere mentionem, propter honorem Domini, cuius Mater fuit. *D. Antoninus vbi ſupra.*

B. Virgo Eccleſiam ſub protectione tenet.

4. Reſp. Luna ſub pedibus eius, per Lunam ſignificatur Eccleſia, quam ſub pedibus habet, quia eam ſub protectione tenet. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabbath. 2. Dom. Quadrageſimæ.*

B. Virgo amatrix paupertatis.

5. Reſp. Luna ſub pedibus eius, quia fuit amatrix paupertatis etiam in lege vbi promittebantur terrena, & propter hoc dicitur: *Mater pulchræ dilectionis, Eccleſiaſt. 24.*

Deum amauit ante omnia, & nihil cum ipſo.

Quia in nulla parte fuit in ea amor terrenitatis, ſed Deum amauit ante omnia, & nihil cum ipſo. *Hugo Cardinalis.*

6. Reſp. Luna enim, vt quidam aſſerunt vltra omnes creaturas inferiores viſibilis exiſtit, & tamen Virgo ſuper ipſam. Siquidem Luna dicitur quaſi lux aliena, quia & mutabilis eſt, & lumen habet à Sole; & ſignat omne illud, quod aliunde lucet, & mutabile eſt in propria natura, ſic Cherubim, & Seraphim non lucent à ſe, ſed à Deo, qui ſolus eſt lux illuminans, & ideo dicitur Sol quaſi lux lucens, cætera vero ſunt lux illuminata. Eſt ergo dicere Luna ſub pedibus eius, ac ſi diceretur exaltata eſt ſuper omnem puram creaturam; ideo etiam dictum eſt ei *Prouerb. 31. Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas*; ecce quid ei ſub pedibus. *Daniel Agricola corona duodecim Coronarum B. Virginis, cap. 5.*

Luna deficiũ quaſi lux aliena.

B. Virgo exaltata ſuper omnem puram creaturam.

7. Reſp. Nota quod Luna vnica eſt, & ſingularis, & quandoque corniculata apparet, & ideo ſignat Eccleſiam Catholicam, quę vna eſt, vnde dicit Chriſtus *Cant. 6. Vna eſt columba mea*, cuius duo cornua Eccleſia Militans, & Triumphans. Quod ſcilicet, Luna ſub pedibus eius eſſe deſcribitur, quam vtraque Eccleſia in gratiarum actione illius poſtrata veſtigijs interceſsione eius, tanquam mediatricis ab eodem Sole cupiens, & capiens participium veræ lucis. Quod enim Triumphans iam capit, & obtinet per Mariam, cupit ſibi Militans obtinere per eam. *Daniel Agricola ibidem.*

Eccleſia Triũphans, & Militans in gratiarum actione, Beatæ Virginis proſtratur veſtigijs.

Diabolus nõ luit humiliari cum cæteris Angelis.

8. Reſp. Luna ſub pedibus eius vę diabolo dicitur *Eccleſiaſt. 27. Stultus vt Luna mutatur.* Stultus dicitur, quaſi ſtans altus, hic eſt diabolus, qui noluit humiliari cum cæteris Angelis, ſed dixit *Iſaiæ 14. Ponam ſedem meam ad Aquilonem.* Et hic ſtultus mutatus eſt, vt Luna; ſcilicet, à claritate Angeli in obſcuritatem diaboli. Item Luna dicitur à mene, quod eſt defectus, hic eſt diabolus; qui à plenitudine domus Dei cecidit in defectum totius boni; hic autem ſtultus, vel hæc Luna ſub pedibus Mariæ, quia ſubiectus

Diabolus cecidit in defectum totius boni.

Diabolus ſubiectus B. Virgini.

ci plenarie, vnde dictum eſt ſerpenti, *Gen. 3. Ipſa conteret caput tuum. Daniel Agricola ibidem.*

Dub. 36. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1 *Et in capite eius corona Stellarum duodecim.* Quid ſignificat corona Stellarum duodecim?

Speciali ſplẽdore micant virtutes in Virgine.

Reſp. Dignum plane Stellis coronari caput, *& infra*, ſpeciali quoddam ſplendore in Maria coruſcant manſuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. *D. Bernardus ſerm. in ſignum magnum.*

Duodecim prærogatiuæ Virginis, quatuor cœli, quatuor carnis, quatuor cordis.

2. Reſp. Has duodecim Stellas dicit *B. Bernardus.* Duodecim prærogatiuas Virginis, propter quas etiam dicitur: *Gratia plena.* Quatuor ſunt cœli, quatuor carnis, quatuor cordis. Fulſerunt enim quaſi Stellæ de cœlo, Mariæ generatio, Angelica ſalutatio, Spiritus Sancti ſuperuentio, Filii Dei venerabilis conceptio. Fulſerunt in carne quatuor, quæ fuit virginitas primiceria, ſine corruptione; fœcunda, ſine grauitate grauida, ſine dolore puerpera. Fulſerunt in corde quatuor deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, martyrium cordis. Propter primas dicitur: *Dominus Tecum.* Propter ſecũdas: *Benedicta tu inter mulieres.* Propter tertias: *Gratia plena.* Propter omnes dicitur *Prouerb. Vltim. Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es Vniuerſas. Hugo Cardinalis ad illa verba, Lucæ 1. Aue gratia plena.*

Ordines Angelorum, & hominum B. Virginem coronant.

3. Reſp. Ipſa enim eſt luminoſa à parte ſuperiori, quia habet coronam Stellarum in capite, duodecim Stellæ ſunt duodecim ordines; ſcilicet, nouem ordines Angelorum, & tres hominum; ſcilicet. Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, iſti omnes eam coronant. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. Sabb. 2. Dom. Quadrag.*

Angeli, & homines mirantur, & laudant in B. Virgine virtutũ eminentiam.

4. Reſp. Gloriam Domini deſcribens Ioannes Euangeliſta oſtendit eam ex omni parte luminoſam, & glorioſam. Primo eſt, luminoſa à parte ſuperiori, quia in capite habet coronam duodecim Stellarum. Stellæ duodecim ſunt nouem ordines Angelorum, & tres ordines Beatorum; ſcilicet, Martyres, Confeſſores, & Virgines, qui omnes ipſam coronant, quia eam venerantur, & laudant; Seraphim enim mirantur, & laudant in ipſa charitatem ſuccenſam; Cherubim ſapientiam tam profundam. Throni pacem, & quietem in Deo tam tranquillam, dominationes, tam magnam, & tantam ſuper Angelos præminentiam; virtutes tantam miraculorum efficaciam, poteſtates tantam ſuper dæmones potentiam, principatus tantam de omnibus Regnis prouidentiam, Archangeli tantam de omnibus locis diligentiam, Angeli tantam de ſingulis perſonis cuſtodiam, Martyres tantam in tribulationibus conſtantiam, Confeſſores tantam ſobrietatem, & temperantiam, Virgines tantam puritatem, & munditiam. *Iacobus de Voragine ſerm. 2. in Aſſumpt.*

B. Virgo duodecim virtutibus coronata.

5. Reſp. Aliter illas duodecim Stellas, quibus Beata Virgo coronatur poſſumus aſsignare. Quia eius mens duodecim virtutibus fuit ornata, quia in quatuor virtutibus cardinalibus continentur, ſcilicet, prudentia, fortitudo, temperantia, & iuſtitia, quarum quælibet tres ſub ſe continet virtutes. Primo, namque prudentia continet memoriam quoad præterita, intellectum quoad præſentiam, prouidentiam quantum ad futura. Secundo, temperantia tres virtutes continet; ſcilicet, abſtinentiam reſpectu gulæ, continentiam reſpectu luxuriæ, & modeſtiam reſpectu loquelæ. Tertio, fortitudo tres virtutes continet; ſcilicet, magnanimitatem, in aggreſſu arduorum, & æquanimitatem intoleratione aduerſorum, & longanimitatem in expectatione præmiorum. Quarto, iuſtitia tres alias continet virtutes; ſcilicet, reuerentiam reſpectu ſuperiorum, beneuolentiam reſpectu parium proximorum, & clementiam reſpectu inferiorum, & quia virtutes figurantur per Stellas, ſequitur quod dictas quatuor habens virtutes duodecim Stellis coronatur. *In-*

cog-

cognitus ad illa verba, *Pſalm. 60. Terra noſtra de hac corona*, vide *Beatum Albertum Magnum in Biblia Mariana. D. Antoninum 4. part. tit. 15. cap. 29. §. 4. Danielem Agricolam corona duodecim Coronarum B. Virg. cap. 7. Alexium à Salo in arte pie amandi, & colendi Deiparam, cap. 17. Hugo Card. hic. Incognitum vbi ſupra. Et ſuſius D. Bernardum ſerm. 7. in Aſſumpt.*

B. Virgo maiorem gloriã habuit in cõceptione Filij, & impregnatione ſua, quam in Aſſumptione.

Dub. 37. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 1. *Mulier amicta Sole.* An Beata Maria maiorem gloriam habuit in ſua Aſſumptione, quando caro eius tota Sole amicta eſt, ſicut dicitur *Apocal.* 12. An in conceptione Filij, & impregnatione ſua? Quando ipſa carne ſua totum Solem Iuſtitiæ amplectebatur, vnde *Ierem.* 31. Mulier circundabit virum?

Reſp. Fateor me ignorare, mihi tamen videtur ſalua maiorum ſententia, glorioſus eſſe ſuſcipere Regem hoſpitem, quam hoſpitari apud Regem, illa tamen gloria occultior fuit, quando Regem ſuſcepit, & omnis gloria filię Regis fuit ab intus, iſta manifeſtior, quando à Rege cum Regia magnificentia ſuſcepta eſt, illa ſecretior, iſta ſolemnior. *Beatus Albertus Magnus lib. 3. de laudibus B. Virg. §. 12. num. 3.*

B. Virgo ſimul vt credidit, & cõſenſit concepit.

Dub. 38. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 2. *In vtero habens, clamabat parturiens.* Quommodo hæc verba exponuntur de Berta Virgine?

Reſp. In vtero habens per fidem, quia ſimul vt credidit, & conſenſit concepit, & clamabat deſiderio deuotionis. Parturiens ex ſolo affectu cogitationis, quia non plus doloris partus eius intulit, quam infert alicui cogitatio pariendi. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgini non plus doloris partus eius intulit, quam infert alicui cogitatio pariendi.

2. Reſp. Habens in vtero Filium, quem ſine dolore peperit in Natiuitate, & clamabat interius, in corde Martyr effecta in paſſione Filij, ſicut ei prædictum fuerat à Simeone, *Lucæ 2. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; ſcilicet, martyrii. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo martyr effecta in paſſione Filij.

Dub. 39. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 2. *Parturiens.* Quando Beata Virgo clamabat parturiens?

Reſp. Quando ipſum vidit pendentem in Cruce, & hoc fuit in ipſa mirabile, quia prius peperit, quam parturiret. Vnde *Iſaiæ 66. Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit maſculum, quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile. Hugo Cardinalis.*

B. Virgo parturiuit quando Filium vidit pendentẽ in Cruce.

Dub. 40. Ad illa verba, cap. 12. verſ. 2. *Et cruciabatur, vt pariat.* Quommodo Beata Virgo cruciabatur, vt pareret?

B. Virgo abſtinentijs, ieiunijs, & orationibus caſtigata tanto partu ſe dignam fecit.

Reſp. Cruciatur abſtinentijs, ieiunijs, orationibus, & vigilijs caſtigatur, vt pariat, id eſt, tanto partu ſe dignam faciat, & tamen ante eam ſtetit diabolus volens Filium eius deuorare, quia etiam per Herodem voluit Chriſtum interficere. *Hugo Cardinalis.*

B. Virgo miſericordiam, gratiam, largitatẽ in omnes effudit.

Dub. 41. Ad illa verba, cap. 16. verſ. 1. *Audiui vocem magnam de Templo dicentem ſeptem Angelis: ite, & effundite ſeptem phialas.* Quommodo Beata Virgo ſignificatur per ſeptem Angelos effundentes phialas?

Reſp. Ipſa eſt Beata Virgo ſignificata per ſeptem Angelos, quorum primus effudit phialam ſuam in terram. Secundus, in mare. Tertius, ſuper flumina. Quartus, in Solem. Quintus, ſuper ſedem beſtiæ. Sextus, in flumen magnum Euphratem. Septimus, in aerem. Sic & ipſa phialas gratiæ, miſericordiæ, & bonitatis, & largitatis in omnes effudit. *Beatus Albertus Magnus in Biblia Mariana.*

B. Virgo illuminata à gloria in cœlo.

Dub. 42. Ad illa verba, cap. 18. verſ. 1. *Terra illuminata eſt à gloria eius.* Quommodo terra à gloria Angeli illuminata?

Reſp. Filius Dei eſt Angelus magni conſilij, terra vero à gloria Dei illuminata eſt Maria, quæ ſicut illuminata fuit à gratia eius in mundo, ita nunc illuminata eſt à gloria eius in cœlo, vt ſic illuminata fieret illuminatrix in mundo, & in cœlo. *D. Bonauentura in ſpec. Lect. 3.*

Illuminatrix in cœlo, & in terra.

Dub. 43. Ad illa verba, cap. 19. verſ. 7. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe.* Quæ nuptiæ Agni?

Tempus incarnationis, tempus nuptiarum.

Reſp. Venerunt nuptiæ Agni, id eſt,

B. Virgo præparauit se ad Incarnationē per libertatē arbitrij.

est, tempus carnem assumendi, & vxor eius præparauit se, id est, se reddidit idoneam, vt de ipsa carnem assumeret, præparauit inquam per libertatem arbitrij. *Daniel Agricola, Franciscanus, corona duodecim Coronarum B. Virg. nona Stella.*

Dub. 44. Ad illa verba, cap. 19. vers. 8. *Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Quid significat byssinus splendens, & candidus?

B. Virgo exēplar virginitatis.

Resp. Vt cooperiat se byssio, id est, castitate splendente ad alios per exemplum, & candido, quoad se, & hoc maximè quando vouit virginitatem. *Daniel Agricola Vbi supra.*

Agnus præcęteris animalibus Matrem agnoscit.

Dub. 45. Ad illa verba, cap. 19. vers. 8. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Quo sensu hæc aptantur Beatæ Virgini?

Christus in Cruce pendēs, Matrem agnouit.

Resp. Agnus dictus, quod præ cæteris animalibus Matrem agnoscat, & ideo significat Christum, qui cum in Cruce penderet Matrem inter millia Iudæorum agnouit, & Virginem Virgini commendauit. Agni ergo nuptiæ, id est, Christi Incarnatio venit, & ideo vxor eius, id est, sancta Ecclesia, vel quælibet fidelis anima debet se preparare fide, & cooperire byssino, id est, castitate splendenti, quoad conscientiam, candido quoad corpus. Quommodo Dei Filij, & Beatæ Virginis nuptijs interesse potuit, qui byssino castitatis indutus non fuit? *D. Antonius Paduanus Dominica Vigesima post Triniratem.*

Castitate præparet se homo ad Incarnationis Mysterium celebrandum.

Dub. 46. Ad illa verba, cap. 21. vers. 1. *Et vidi cœlum nouum, & terram nouam.* Cur dicitur cęlum nouum, & terra noua?

Omnia corpora B. Virginem laudāt, quia ea immutauit causaliter innouando.

Resp. Laudant omnia corpora Beatam Mariam, quia ea immutauit causaliter innouando, ac etiam nobilitando, & omnia quodammodo in Christi corpore vniendo, quia corpus ipsa ei dedit, quod cum omnibus corporibus aliquo modo conuenit, & excedit, & ideo quia istis de causis benedicta est in mulieribus super omnes mulieres benedicta, & puras creaturas. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. §. 4.*

Dub. 47. Ad illa verba, cap. 21. vers. 1. *Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam.* Cur Beata Virgo dicitur Ciuitas sancta?

B. Virgo munda, Deo dicata, & firmata.

Resp. Hęc est Beatissima Virgo Maria Ciuitas sancta; quia munda Deo dedicata, & firmata. *D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 3. §. 2.*

Dub. 48. Ad illa verba, cap. 21. vers. 2. *Descendentem de cœlo.* Quommodo dicitur Beata Virgo Ciuitas noua descendens de cœlo, cum ipsa sit orta in terra de radice Iacob?

B. Virgo non è terra, sed è cœlo descendens merito dicitur.

Resp. Perpende verba, dicitur: *Vt Sponsam ornatam viro suo,* quamuis Sanctissima Dei Genitrix corporaliter producta fuerit in terra, tamen tantis supernaturalibus Donis, gratiæ, fidei, & spei, ac charitatis, humilitatis, puritatis, ac aliarum virtutum tanquam Sponsa ornata extitit viro suo nempè Spiritui Sancto, vt non è terra, sed è cœlo descendens merito dicatur. *Pater Siluera tom. 3. lib. 5. quæst. 3. num. 24.*

Dub. 49. Ad illa verba, cap. 21. vers. 2. *A Deo paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo.* Cur ornata tot monilibus?

Curia cœlestis officiosissimè prætexta occurrit B. Virgini ascēdenti in cœlum.

Resp. Reuera Mater illa cœlestis hodie aduenit obuiam ornata monilibus suis, de qua dicitur: *Viai Ierusalem descendentem de cœlo a Deo paratam,* auro mundo, & lapidibus pretiosis intextam. Quo profecto ideo decore hodie descendit, vt Reginam mundi Beatam; scilicet, Mariam secum eueheret ad sublimia, & collocaret in throno Regni, alioquin officiosissimè prætexta, non occurreret nisi festiuitas magna esset. *D. Ildephonsus serm. 1. de Assumptione.*

Data in refugium peccatoribus.

2. Resp. Descendentem de cœlo, vt à Deo ædificatam, & datam in Ciuitatem refugij peccatoribus, à Deo paratam virtutibus, vt suam possessionem, vt Sponsam ornatam omni gratia, vt Sponsa esset Dei Patris, ex qua virtute Spiritus Sancti Filium generaret communem Filium vtrique. *D. Antoninus Vbi supra.*

B. Virgo ornata omni gratia, vt esset Sponsa Dei.

Dub.

B. Virgo nec peccauit cogitatione, nec opere, nec locutione.

Dub. 50. Ad illa verba, cap. 21. verſ. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Quomodo hæc aptantur Beatæ Virgini?

Reſp. De ipſa dicitur ſub appellatione ſuperne Ieruſalem, non intrabit in eam aliquid coinquinatum, per conſenſum in cogitatione, vel faciens abominationem in actione, & mendacium in locutione, vnde ipſa erat ſicut vitrum, quod illuminatum à Sole non recipit nubilum, ideo ei competit, quod de Sapientia dicitur *Sapient. 7. Sincera eſt, & ideo nihil inquinatum incurrit in illam*, quia impoſsibile erat eam poſſe peccare de cætero. *Daniel Agricola, Franciſcanus, corona duodecim Coronarum, ſecunda corona.*

B. Virgo per multas animas fluit, & ſanctas facit.

Dub. 51. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 1. *Oſtendit mihi fluuium aquæ Viuæ.* Quare Beata Virgo dicitur fluuius?

Reſp. Bene Maria fluuius, quia ſingulas generationes rigando poſt vnam, in aliam fluit, & licet non omnes per eam irrigentur, quod eſt anguſtatio fluuii, per aliquos tamen fluere nunquam ceſſat, propter quod ei competit, illud *Sapientiæ 7. Per nationes in animas ſanctas ſe transfert*, quas ſanctas non inuenit, ſed ſanctas facit. *Beatus Albertus Magnus lib. 9. de laudibus B. Virg. cap. 4.*

Virginis miſericordia nunquam deficit, ſed fluit

Dub. 52. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 1. *Fluuium aquæ Viuæ.* Cur Beata Virgo dicitur fluuius aquæ viuæ?

Reſp. Dicitur hic fluuius aquę viuę, aquæ quia reficit, viuæ, quia nunquam deficit, aquæ quia abluit, viuæ quia ſemper fluit. *Beatus Albertus Magnus ibidem.*

B. Virgo lignum vitæ cuius folia ſanatiua ſunt eius verba, & documenta.

Dub. 53. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 2. *Ex vtraque parte fluminis lignum Vitæ.* Quid ſignificat lignum vitæ?

Reſp. Lignum vitæ eſt Mater vitæ Maria, huius folia ſanatiua ſunt verba, & documenta ædificatiua. Si autem ſanatiua ſunt folia eius, quanto magis fanatinus eſt ipſe fructus, vt ergo per hunc fructum ſanemur, accedamus ad arborem eius, accedamus inquam ad Mariam. Orantes cum Anſelmo, qui orans ait: *Exaudi me Domine, ſana animam ſerui tui peccatoris per virtutem benedicti fructus ventris, qui ſedet in dextera Omnipotentis Patris ſui. D. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 16.*

Angelus nō errauit, non apponendo in ſalutatione, nec Eccleſia apponendo, Maria.

Dub. 54. Ad illa verba, cap. 22. verſ. 18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* An Eccleſia in generali conſuetudine, conuenienter apponat, *Maria*, quando eam ſalutat, cum Sanctus Euangeliſta Lucas non apposuerit. *Maria.* Et ſecundum verba prædicta non liceat apponere ad Euangelium?

Ad Euangelium apponere falſa, vel commiſcere contraria, vel prædicare, malum eſt, & iniquum.

Reſp. Ad hoc dicimus, quod ad Euangelium apponere falſa vel commiſcere contraria his, quæ in Euangelio ſunt, vel prædicare malum eſt, & iniquum. Credimus ergo, quod Angelus non errauit non apponendo, nec Eccleſia apponendo, *Maria.* Angelus enim digniſsimè ſalutando nouo nomine dignitatis ſalutauit, vt permutatione nominis permutatio ſtatus figuraretur, & eminentia dignitatis, vnde de proprio nomine; ſcilicet, *Maria*, nouum nomen impoſuit; ſcilicet, *gratia plena*, iuxta illud *Iſaiæ 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit*, hic autem quod dico, *gratia plena*, iſta circumlocutio tantum eſt proprij nominis Beatę Virginis, & perſonæ ipſius, quod nulli alij proprie conuenit, neque Deo, nec creaturis. Eccleſia vero nomen Maria appoſuit in ſalutatione ad gratia plena, vt per *gratia plena* recolat Beatiſsimæ Virginis dignitatem. Per, *Maria*, inclinet eam ad noſtram neceſsitatem. Ipſa enim gratia plena per influentiam Diuinæ bonitatis data eſt nobis Stella maris Maria, vt eius plenitudo gratiæ ſuppleat in

Gratia plena nouum nomen B. Virginis.

Permutatio nominis permutationem ſtatus figurat.

Per hæc verba gratia plena exprimitur dignitas Virginis.

in nobis defectum culpę; & ipſa Stella infirmamento glorię fixa nos naufragos de ſtatu miſeriæ traducat ad portum ſalutis ęternæ. Hac ergo de cauſa in ſalutatione iſta adiunctum eſt hoc fœlix nomen, Maria. *Beatus Albertus Magnus ſuper miſſus eſt, cap.* 60.

EXPLICIT BIBLIA MARIANA VETERIS, ET Noui Teſtamenti, ad laudem Dei Omnipotentis. Gloriam, & honorem Sanctiſsimæ Deiparæ ſemper Virginis Mariæ de la Peña de Francia, Patronæ meæ.



INDEX

INDEX AD CONCIONES DE Tempore, Feſtorum Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & quorundam Sanctorum. Littera F. folium, in quo locum Sacræ Scripturę cum expoſitione, & nomine Authoris inuenies. Littera D. dubium, indicant.

Ratio dicendi in hoc Indice, ſeu Elencho, non phaleratā, non fuco, non calamiſtro, non nimio exornata cultu, ſed per facilis, & currens erit oratio; nihil enim magis intendo, quam prompte, & expedite tenuitatem meam tibi inculcare: nunquam enim mihi è mente exciderunt verba noſtri Hieronymi ab Oleaſtro præfatione ad Pentateuchum: *Non quod ea typis digna arbitrer, his præſertim temporibus, quibus, & latiniſsima, & limatiſsima eſſe opertet quæ in lucem prodeunt, qualia noſtra non eſſe video, & ingenue fateor, ſed quod arbitror viros doctos in ſcientijs, quæ non præcipue de ſermone tractant, non tam phalereta verba, quàm verum ſenſum quærere. Qui enim ornatum ſermonem diligunt, Ciceronem quærant, non Moyſem, qui de labiorum in Circunciſione, & balbutienti lingua apud Deum conqueritur, & Paulus ſe, etſi imperitum ſermone, non tamen ſcientia profitetur.* Verbis ergo non vltra, quam ad intellectum ſatis eſt, vtor.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS. Lucæ 21. verſ. 25.

Erant ſigna. Multis ſignis, quæ erunt ante iudicium, Dominus timorem incutit hominibus, vt metu perturbati homines, à malo declinent. Quia timor Dei hominē continet à peccato. Ideo Sāctus Ioſeph timebat accipere in cōiugem B. Virginem Mariam, quam adulteram ſuſpicābatur (ignorabat enim pro tunc, quod de Spiritu Sancto haberet in vtero.) Cum enim timor reſpectu mali ſit, Sanctus Ioſeph timebat offendere Deum, ſi acciperet adulteram, quia quaſi patronus adulterij efficeretur, f. 255. d. 36. Timeat Deum homo, quia Dei timore perculſus à peccatis abſtinebit, & declinabit; immò faciet bona, quia timor Dei fœcundat animam bonis operibus. Hac ratione timor Domini eſt ſicut Sol, qui habet virtutem fœcundatiuam; omnia enim hic inferiora fœcundat, & generatiuam eorum potentiam excitat, adiuuat, & confortat: vnde videmus ad ſenſum, quod nihil fructificat, nec creſcit vbi ſolaris radius non attingit: illud autem quod facit animam bonis operibus fœcundam, eſt timor Dei, vnde dicitur Eccleſiaſt. 15. *Qui timet Deum, facier bona*, fol. 132. dub. 146. 2. R. Dominus ergo tot ſigna, quæ erunt in Sole, Luna, ſtellis, terra, mari commemorat, vt terrefacti homines, timoreque commoti, declinent à malo, & faciant bonum.

2 *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.* In primo Aduentu venit Chriſtus cum benignitate, in ſecundo veniet cum rigore, vt qui in hoc ſęculo contempſerunt Dei benignitatem, in iudicio experiantur Dei rigorem: ita D. Gregorius in cat. D. Thomæ: *In poteſtate enim, & maieſtate viſuri ſunt, quem in humilitate poſitum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc diſtrictius ſentiant, quanto ceruicem cordis ad eius patientiam non inclinant.* Ideo Chriſtus in iudicio coronabitur corona iuſtitiæ: corona miſericordiæ coronauit eum Beata Virgo Maria, ſiquidem cum hac corona natus eſt ex ea, hac corona coronatur in exilio, quia manſuetus, & ideo imitabilis; ſed in iudicio coronabitur corona iuſtitiæ, & ideo erit tunc terribilis. Vide ergo eum in corona miſericordiæ imitando, vt poſtea videas eum in corona iuſtitiæ non timendo, Cant. 3. verſ. 11. fol. 117. dub. 65. *Vide Feria 6. poſt Dom. 2. Quadrageſimæ, num.* 12. Arcus cœleſtis habet duos colores, cæruleum extrinſecus quem manifeſtat, & igneum intrinſecus quem occultat: ita Chriſtus in hoc mundo cæruleum colorem oſtendit, quia blandus, & facilis eſt; at in iudicio igneum manifeſtauit, quia rigidus erit, & auſterus, vt qui in hoc mundo eius neglexit lenitatem, in iudicio in Chriſti incidant ſeueritatem, fol. 13. dub. 93.

3 *Cum poteſtate magna, & maieſtate*, vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua Chriſtus

adeo iustus quod iustis præmium, iniustis pœnam pro eorum meritis reddet. Hoc nomen Salomon duplicem habet interpretationem, interpretatur pacificus, & retributor, quod recte congruit Christo, qui est summe dulcis, & pacificus cum electis suis in gloria, qui etiam æterna supplicia retribuit peccatoribus profusis criminibus, & delictis. Erit ergo Dominus Iesus pacificus iustis, retributor iniustis, f. 51. dub. 5. Vnde Christus in Cruce pendens iudiciariam exercuit potestatem, nam dedit sententiam de diaboli condemnatione, & sententiam de peccatorum absolutione: ita in iudicio cisis bonorum meritis, & demeritis malorum, dicet ius, pronuntiauit sententiam, reprobos condemnando, iustos absoluendo, f. 354. d. 46. 8. R. Pro Aduentu. *Vide Aduentus.* Pro B. Virgine. *Vide iudicium finale, Iustitia, Iudex.* Vtrumque firmiter credere, & sperare facit hominem sanctum: ideo spes dicitur sancta. Inter ea enim, quę hominem sanctum faciunt, vnum est expectatio præmiorum; vt scilicet, firmiter expectet quis se presentaturū ante Tribunal Christi recepturum præmium, vel pœnam quam meruit, f. 183. d. 98. 3. R.

4 *Venientem in nube*, Hugo Card. *In nube, id est, cum Angelorum, & Sanctorum multitudine, qui venient cum eo ad iudicium*, Isaiæ 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi*, Prouerb. 21. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Sancti venient ad iudicandum cum Christo, quia bona opera Sanctorum, damnabunt opera reproborum. *Vide Feria 4. Dom. 2. Quadr. n. 12.*

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Matth. 11. vers. 2.

1 *Ioannes autem cum audisset in Vinculis.* Iusti multis laboribus exercitantur à Deo: ideo Dominus Iesus sanctissimam Matrem, Sanctumque Ioseph, quærentes cum inter cognatos, & notos, & non inuenientes probare voluit hoc igne tribulationis, & calamitate tam dura exercere. f. 114. d. 44. in fine, Cant. 3. vers. 2.

2 *In Vinculis.* Christus Sanctum Ioannem è carcere non eduxit, quia quos Deus diligit a laboribus non reuocat. Hac ratione B. Virgo Christum dilexit sapienter, quod ex eo constat, quod quamuis Filium in Cruce positum grauissimos dolores pati videret, tamen nunquam suasit, vt de Cruce descenderet, & à doloribus sibi parceret, f. 273. d. 109. in fine. *Vide Dom 1. Quad. n. 1.*

3 *In Vinculis.* S Ioannes in vincula mancipatus erat, sed Deus vincula conuertit in iucunditatem; vnde Dauid ait, quod Deus inclinat ex hoc in hoc; scilicet, ex vno vase in aliud vas, quandoque vas continens vnum vinum, vel vnum liquorem, inclinatur in vas continens aliud vinum. Sic enim Filius, & Mater seruientibus suis, in calicem tribulationis inclinat calicem æternæ iucunditatis, vbi sunt multæ bonę species tribulatis consolationes infundendo, f. 82. d. 91. Ros Auroræ est dulcoratiuus, Exodi 16. dicitur, quod in Aurora colligebatur Manna; Manna quidem est internæ dulcedinis gratia, quam his qui tribulato sunt corde infundit Deus, fol. 130. d. 140. in fine Ideo iusti laboribus pressi sunt, sicut nux, quæ habet amarum corticem, testam duram, sed nucleum dulcissimum: ita iusti exterius habent amaritudinem laborum, sed interius dulcedinem consolationum, f. 135. d. 153. Hac de causa Deus multum honorem rependit B. Virgini in gloria pro gladio dolorum, quos sustinuit in Filij passione, vt dolores quos pertulit verteret in gaudium, f. 338. d. 172.

4 *In Vinculis.* S. Ioannes in vincula erat detrusus, sed virtutis odorē efflabat, quo enim plus iustus affligitur, tanto maiorem emittit virtutis odorem. Iustus est sicut cinnamomum, quod quo plus teritur maiorem emittit odoris fragrantiam: ita iustus quanto magis affligitur, maioris odoris fragrantia Ecclesiam pigmentat, f. 175. d. 77. 4. R. Sunt iusti sicut lilium inter spinas, lilium vel rosa non amittit suam pulchritudinem, vel odorem inter spinas: sic nec iusti odorem patientiæ, & virtutum inter tribulationes, f. 373. dub. 1. Ideo ait Apostolus, quod patientia opus perfectum habet; cum scilicet, quis propter aduersa contingentia non contristatur, sed æquo animo fert, ibi. Hac de causa patientia necessaria est, vt iustitiæ, & virtutis fructus producatur. *Vide Dom. in Sexages. num. 7.* Pro B. Virg. *Vide Aduersitas, Labor, Patientia.*

5 *In Vinculis.* Sed S. Ioannis constantia nulla aduersitate frangebatur. Quia iustus in aduersitate, & prosperitate idem ipse est. Ideo recti dicuntur à Sponsa, quia non declinat ad dexteram illecti prosperitate, nec ad sinistram fracti aduersitate, f. 111. d. 8. Oliuæ proprietas eis congruit, quia viret hyeme, & æstate, nec aliqua frigoris siue tempestatis, aut etiam æstiui caloris intemperantia speciem suæ veriditatis amittit. Ita iustus in hyeme aduersitatis, in æstate prosperitatis eundem virtutis virorem retinet, f. 171. dub. 68. Sunt iusti sicut cypressus, quæ oneribus supportandis aptissima est, quia infrangibilis, & nunquam oneribus cedit, sed sub eis perpetua stabilitate perdurat: similiter iusti nunquam cedunt oneribus tribulationum, quas patiuntur, sed per charitatem, quæ omnia sustinet, insatigabiliter, & quasi infrangibiliter labores supportāt f. 168. d. 62. 3. R. Vnde B. Virgo, & aliæ sanctissimę sodales stabant iuxta Crucem Iesu: dici potest mystice stetisse, vt statu corporis cōstantiam animi significarent, quia iustus in laboribus constanti semper, & infracto animo est, f. 356. d. 475. R. Hæc autē fortitudo aliquando prouenit in iustis ex humilitate. Quia humilitas in aduersitate inexpugnabilem reddit hominē. Vnde Sponsa congruēter turri Dauid cōparatur. Humilitas enim Dauid ipsum reddidit inexpugnabilem

in

in omni aduerſitate: ita humilitas turris eſt iuſtum in aduerſitate inuencibilem faciens, f. 118. d. 74 Pro laboribus. *Vide Feria 6. Dom. 4. Quadrageſimæ, num. 2. & 3.*

6 *In Vinculis.* In quibus gaudebat Ioannes, ſed dolebant Diſcipuli, quia in loco vinctorum erat Ioannes, inquem multi facinoroſi erant detruſi: Augetur dolor amantis videntis amatum in loco vili patientem. Ideo dolor Virginis augebatur in paſsione Filij, quia Filius in loco viliſsimo Caluariæ; ſcilicet, vbi occidebantur viliſsimi homines, & magni malefactores, crucifixus fuit, f. 276. d. 124. Vel ideo dolebant Diſcipuli de vinculis S. Ioannis, quia innocens erat, & vinculis aſtrictus inter malefactores. Creſcit enim dolor amantis videntis dilectum ſine culpa, & inter maleficos patientem. Vnde gladius doloris pertranſiuit animam B. Virginis, & ex eo quod Chriſtus innocens erat, & tamen morte acerbiſsima, & ignominioſiſsima inter latrones condemnatus erat, f. 332. d. 170. 7 B.

7 *Mittens duos de Diſcipulis ſuis.* Vt à Chriſti veritate illuſtrentur, ac illuminentur. Ita Cajetanus: *Vt ſic inſtruantur, & credant Ieſum eſſe Verum Meſsiam.* Quo homo magis accedit ad Deum, eo magis illuſtratur à Deo. Sol eſt cauſa diei, & ideo quanto locus ſoli eſt vicinior, tanto eſt ibi dies clarior, & licet hic inferius diei ſuccedat nox propter tenebroſitatem terræ, quæ interponitur, ex quo prouenit quod vna pars alterius partis illuminationem impediat, ſuperius tamen in ſphera Solis, eſt dies clariſsima, & perpetua: ita homines quo magis ad Deum accedunt, eo magis à Deo illuminantur, f. 66. d. 19. Ideo Beata Virgo ſicut propinquior fuit cunctis principio influxiuo gratiæ; ſcilicet, Chriſto, in omnes ſecundum Diuinitatem efficienter, ſecundum humanitatem inſtrumentaliter, quia Mater eius. ita copioſius cunctis recepit illuminationem à Deo, refulgentiam gratiæ, perfectiorem operum operationem, f. 121. d. 87. & f. 346. d. 4.

8 *Mittens duos de Diſcipulis ſuis.* Vt interroget non propter ſe, ſed propter Diſcipulos: *Tu es, qui Venturus es?* Vera charitas totam ſe impendit in aliorum ſalutem. Ideo Beata Virgo ex charitate volebat conuertere Apoſtolos, qui perdiderant fidem, f. 278. d. 10. *Vide Domin. in Septuag. n. 6.* Vnde comæ Sponſæ dicuntur nigræ quaſi coruus, qui eſt auis diligenter ſibi incorporans cadauera: ita iuſti adeo proximorum ſaluti ſtudent, quod comæ eius, id eſt, cogitationes ad homines Deo iungendos, & incorporandos ex charitate, qua flagrant, ordinantur, fol. 127. d. 126.

9 *Mittens duos de Diſcipulis ſuis.* In vinculis erat Ioannes, & ad Chriſtum mittit duos ex Diſcipulis, vt ſignificaret, quod laboribus preſſus, ita erga Chriſtum æſtuabat, quod tota eius intentio, & cogitatio in Chriſtum tendebat. Iuſtus quo maiori amore erga Deum ardet, eo deſideria, & cogitationes eius ad Deum dirigũtur. Virgula fumi odoriferi eo agilius in altum conſcendit, quo ignis in quo odoramenta ponũtur maior eſt: ita quo maior fuerit ignis amoris Dei in corde iuſti, eo flammantia deſideria cogitationes, meditationeſque ad Deũ aſcendent, Cant. 3. ver. 6. f. 115 d. 50. Sponſa ſolis quæ ſoliſequium dicitur, herba eſt, cuius flos ſemper ad Solem ſe conuertit, & mouetur ad motum ſolis, vt quamuis Sol eſſet ſub nubilo, ex eius cõuerſione ſciri poſsit vbi Sol eſſet. Ita iuſtus motum ſuum, id eſt, cogitationem, & meditationem, ad Deum, cuius amore tenetur, dirigit, f. 63. dub. 6. Hac ratione comæ B. Virginis, id eſt, ſanctæ cogitationes, capiti ſuo, id eſt, Chriſto inhærentes per amorem, ſicut elatę, id eſt, ſicut folia palmarum erant; folia enim palmæ directe tendunt in ſurſum: ſic cogitationes B. Virginis, & cuiuslibet iuſti in Deum, f. 126. d. 124. Similiter cogitatio, & cor B. Virginis ſemper verſabatur in ſepulchro Filij ſui, vbi erat theſaurus B. Virginis ibi erat, & cor eius, ita iuſti theſaurus Deus eſt, & ibi eſt cor iuſti, f. 268. d. 82.

10 *Mittens duos ex Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui Venturus es?* S. Ioannes proximus erat morti, & ne Diſcipulos ſuos in cauſa ſalutis relinqueret in aliqua dubitatione, eos ad Chriſtũ mittit, vt eo viſo certificẽtur, Chriſtum Ieſum eſſe verum Meſsiam. Ita Hugo Cardin. *Ioannes ſciens ſe in proximo moriturum, volens omnem dubitationem amouere à cordibus Diſcipulorum ſuorum de Chriſto, mittit eos ad Chriſtum, vt ſic certificentur.* Homo ea quæ ſunt oculis ſubiecta certius aprehendit, quam ea, quæ imaginatur. Ideo Angelus Gabriel apparuit annuntians B. Virgini, non in ſomnis, ſed viſibiliter, quod congruebat certitudini eius, quod annuntiabatur: quia enim Beata Virgo magnam valde relationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei euentum corporea, & ſolemni Angeli viſione, vt teſtibus oculis certa eſſet tanti myſterij, f. 280. d. 5. 2. B. Ita Sanctus Ioannes mittit Diſcipulos ſuos ad Chriſtum, vt videntes miracula, & opera eius, compertum, & exploratum haberent Chriſtum eſſe Meſsiam.

11 *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis;* ſcilicet, miracula, quæ Dominus in præſentia Diſcipulorum Ioannis præſtitit, & edidit. Interrogauerãt Diſcipuli: *Tu es, qui Venturus es? an aliumexpectamus.* At Chriſtus non verbis, ſed operibus reſpondet. Quia ex operibus cognoſcitur, quis eſt homo. Ita Hugo Cardin. *Dominus reſpondet potius factis quã dictis, vtique viſa miracula plenũ teſtimoniũ dãt, quod ſit Filius Dei.* Ideo dicit Dauid quod Altiſsimus fundauit B. Virginẽ, vt ab excellẽtiſsimo, & egregio opere; ſcilicet, B. Virgine Maria, intelligatur dignitas Dei, & altitudo cognoſcatur Authoris, f. 89. d. 122. Hac ratione B. Virgo virgulę fumi cõparatur.

Nam ſicut fumus ſignum naturale eſt ignis, & ignem euidenter, ac naturaliter oſtendit: ſic Maria Mater tale, ac tantum opus Dei eſt, quod veluti virgula fumi, veluti quoddam ſignum naturale, ac euidens Dei eſt, qui ignis eſt; ex tali enim, ac tanto opere, ſcilicet, Maria euidenter Deus cognoſcitur: ſolus Deus tale potuit facere opus, talem condere creaturam, fol. 115. dub. 50. Cant. 13. verſ. 6. Ita opera ſigna ſunt naturalia, per quæ euidenter cognoſcitur, quis eſt qui facit ea. Similiter Beata Virgo fuit Virgo in partu, quod competebat proprietati eius, quod nascebatur, qui eſt verbum Dei. Nam verbum non ſolum in corde abſque corruptione concipitur, ſed etiam abſque corruptione ex corde procedit: vnde vt oſtenderetur, quod illud corpus eſſet ipſius verbi Dei, conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero naſceretur. Qui naſcebatur, Deum eſſe oſtendit ex opere, quia incorruptam Matrem, quod ſolius Dei eſt, ſeruauit, fol. 258. d. 42. & 43. Sanctus quoquo Ioannes Baptiſta Propheta dicitur ab opere, quia parentes in ſua Natiuitate Prophetas quodammodo fecit, Matrem videlicet, & Patrem, vt patet in Euangelio Lucæ 1. f. 269. d. 92. *Vide Feria 4. 4. Dom. Quad. n. 7. & Feria 4. Dom. in Paſsione, n. 8.*

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Ioann. 1. verſ. 19.

Vide pro hoc Euang. fol. 346. dub. 6. & 7.

1 *Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas.* Iudæi non vulgares, & populares homines miſerunt ad Ioannem, ſed Sacerdotes, & Leuitas honoratos viros, vt interrogarent: Tu quis es? Ita Carthuſianus: *Mittunt Sacerdotes, & Leuitas Nuntios ſolemnes, ac eruditos.* Quia in negotio magni ponderis optimi miniſtri ſunt eligendi. Ideo non homo, ſed Angelus fuit miſſus ad annuntiandum B. Virgini Incarnationis Myſterium, propter Myſterij excellentiam nobilior creatura, quam homo erat eligendus, fol. 279. d. 3. B. Ita pro re magni momenti, grauitatis, & dignitatis magni miniſtri, ſunt eligendi, & deſignandi. Hic de re principaliſsima Religionis tractabatur, nempè de Meſsia, ideo Iudæi mittunt Sacerdotes, & Leuitas, homines magnæ authoritatis, & nominis.

2 *Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas.* Erat Sanctus Ioannes vir magnæ authoritatis, & viros authoritate excellentes, quales erant Sacerdotes, & Leuitæ mittunt Iudei ad Ioannem, officia honoris merito viro deferentes. Quia honor tribuendus eſt vnicuique ſecundum ſuam excellentiam, & dignitatem. Ita Antonius Giſtandis hìc: *Iudæi ad Ioannem miſerunt, & hoc fecerunt, quia mouebantur excellentia auctoritatis.* Hac ratione non homo, ſed Angelus mittitur ad Virginem, propter Virginis, ad quam mittebatur puritatem, & dignitatem, ideo excellentior, & purior creatura, quam homo mitti debebat, & talis eſt Angelus, in quo erat auctoritatis plurimum, f. 280. d. 3. 3. B. Ideo Angelus dixit B. Virgini, *Aue* eam ſalutans, quo verbo nuſquam legimus in Sacra Scriptura Angelum vſum fuiſſe, reſeruata ſiquidem eſt hæc Angelica veneratio B. Virgini ob eius dignitatem, fol. 284. d. 21. 2. & 3. B. Similiter Angelus apparuit B. Virgini in vigilia, Ioſeph vero in ſomnis, & in promptu ratio differentiæ eſt ex differenti perfectione, & dignitate eorum. Ioſeph enim iuſtus, Beata vero Virgo Maria plena gratia, f. 255. d. 33. 1. B. Ita Iudei, quia videbant S. Ioannem magnę authoritatis, & nominis virum, præclariſsimos Nuntios ad eum mittunt, vt ampliſsimo honore eum honeſtarent.

3 *Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas.* Volentes Ioannem non alium ob egregiam, & maximè raram ſanctitatem conſtituere Meſsiam, quo vnico honore dignus inuentus fuit à Iudæis. Ita Antonius Giſtandis d. 3. *Propter habitus aſperitatem, quia Ioannes erat indutus de pilis camelorum, propter victus parcitatem, quia ſtabat in deſerto ſolitarius fugiens conſortia hominum.* Iuſtus ob ſingularem virtutem præ cæteris ſingulari honore proſequendus eſt. Ideo D. Matthæus numeratis Patriarchis, & Regibus in genealogia Chriſti, non dixit quod de eis natus eſt Chriſtus, ſed de B. Virgine, de qua natus eſt Chriſtus; quia ſola B. Virgo hoc honore præ omnibus mundi creaturis digna eſt habita, f. 250. d. 14. Hac ratione ſalutatio, qua Angelus ſalutauit B. Virginem honorabilior fuit omnibus ſalutationibus, quibus homines alios ſalutantes vſi ſunt, ob ſanctitatis enim eminentiam ſingulariori, & honorabiliori ſalutatione ſalutata præ cæteris eſt, fol. 284. d. 21. 3. B. *Vide Dom. 2. Quadr. num. 1.*

4 *Confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Exiſtimabāt Iudæi S. Ioannem eſſe Meſsiam, ideo intimos eorum receſſus introſpiciens S. Ioannes, internaq; animi rimans, reſpondit eorū menti, & intentioni, dicens ſe nō eſſe Chriſtum. Muneris enim Dei eſt cogitationes hominis noſcere, intentionibuſq; reſpondere. Ita Antonius Giſtandis ex Lirano hìc, d. 6. *Ioannes ad mentem, & non ad interrogationem eis reſpondit.* Vnde S. Ioſepho cogitanti, & præſupponenti Virginis adulterium, directè reſpondet Angelus cogitationi Ioſeph, excludēdo hoc, & dicendo, quod non ex virili ſemine, ſed ex Spiritu Sancto, natum eſt in vtero B. Virginis, quod natum eſt in ea Angelus reconditos animi ſenſus S. Ioſeph penetrauit, & ad eius mentem reſpondit, f. 257. d. 40. Hac ratione Angelus dixit B. Virgini: Ne timeas, ſola enim Diuina reuelatione poterat Angelus hos internos B. Virginis affectus cognoſcere, f. 294. d. 47. 2. B. Ita S. Ioannes nouit Iudęorum mentem, cum per Sacerdotes & Leuitas interrogarunt: Tu quis es? Et menti eorum reſpondens, affirmauit ſe non eſſe Chriſtum.

5 *Quia non ſum ego Chriſtus.* S. Ioannes Meſsię dig-

dignitatem constanter reijcit, quia verus humilis non putat se dignum honoribus. Ita D. Augustinus tract. 4. in Ioann. *Patres mei nullum tantum meritum Ioannes habuit, quam de ista ipsa humilitate, quod cum posset fallere homines, & putari Christus, & haberi pro Christo (tanta enim gratia, tantaque excellentia fuit) confessus est tam aperte, & dixit: Non sum ego Christus.* Ideo quando Angelus salutauit B. Virginem, legentem istam prophetiam: ecce Virgo concipiet, non poterat B. Virgo de se cogitare ex humilitate, quod ipsa erat tali dignitate, & honore afficienda, Isaiæ 7. vers. 14. f. 203. d. 15. 5. Bz. Similiter cogitabat qualis esset Angeli salutatio, quia cum esset humilis nihil tale penitus sperabat, f. 294. d. 95. 3. Bz.

6 *Elias es tu? Propheta es tu? Non.* Dicit quod non est Elias, neque Propheta, quia iustus cum magnus apud alios æstimatur, ipse se parum reputat. Ideo Christus cum existimatione maxima cum haberent omnes, de se dicit, quod est vermis, & non homo quod videtur quidem ad commendandam humilitatem simpliciter dictum, f. 68. d. 30. Et Beata Virgo cum Angelus eam magnificaret, infima fuit omnium Sanctorum per sui reputationem, & appellauit se vilissimo, & infimo nomine fœminarum; scilicet, Ancillam, fol. 82. dub. 88. Et cum magno esset in honore apud omnes, assimilatur terræ, quia terra est corpus infimum; scilicet, inter quatuor elementa secundum ordinem naturalem elementorum ibidem, & fol. 79. dub. 73. Similiter Ecclesiast. dicit, quod luminare maius, id est, Luna munuitur in consumatione, quia sancti viri, quanto maiores sunt, & perfectiores, tanto sui reputatione minores sunt, & viliores se reputant, f. 196. d. 153.

7 *Elias es tu? Propheta es tu? Non.* Elias erat spiritu, & virtute Sanctus Ioannes, Propheta, & plusquam Propheta, tamen negat se esse Eliam, & Prophetam, quia iustus quo maior est, eo humilitatis, & submissionis laude excellentior est. Iusti sunt sicut Stella, quæ magna est in se, sed modica apparet per humilitatem, fol. 282. dub. 14. 2. Bz. Et Beata Virgo desponsata fuit fabro, vt Matris dignitas humilitati societur, vt quanto maior est, humiliet se in omnibus, vt sit Mater Dei, & vxor fabri, fol. 252. dub. 18. in fine. Similiter vitis arbor magna est, quia nulla arbor producit speciosorem fructum sicut ipsa, tamen nulla est ita procliuis ad terram ex se, nisi per alium eleuetur. Nulla est ita deiecta in trunco, sicut ipsa; ita humilitas iustorum, cum magna virtute excellentes sint, facit eos procliues ad terram ex vera sui recognitione, deiectos, & viles, nec ascendunt ad altum honorem, & dignitatem, nisi ab alio eleuentur, f. 180. d. 91. 4. Bz.

8 *Elias es tu? Propheta es tu? Non.* Et tamen à Domino vocatur Elias, Matth. 11. vers. 14. Si vultis recipere ipse est Elias, deinde Propheta, & plusquam Propheta appellatur. Iustus qui se deijcit propter Christum exaltatur; ita Siluciraca hìc, quæst. 14. *Valde enim gloriosum, ac honorificum erat, quod quamuis Elias non esset in persona, tamen quod illius officium gereret, ac eius virtutibus condecoraretur: ac proinde Christus ratione benenolentiæ: ac charitatis affirmat Ioannem esse Eliam ad eum extollendum.* Ideo iusti comparantur firmamento, quod in dispositione mundi est nouissimum, & licet nouissimum sit, & vltimum, tamen est supremum, & supremum locum obtinet inter creaturas: ita iusti licet nouissimi, & vltimi sint omnium in oculis suis per humilitatem, tamen supremi facti sunt à Deo per exaltationem, f. 3. d. 15. Sunt etiam humiles sicut fons; tons quantum descendit, tantum ascendere potest: ita humiles, quia interius omni creatura descendunt per humilitatem in cõspectu Dei, super omnes exaltantur, f. 244. d. 5. Hac ratione humilitas precedit gloriam non solum tempore, sed ordine, & merito, & causa, vt de quanto maior fuerit humilitas, tanto maior erit gloria, vt patet in Domino Iesu, & B. Virgine, f. 102. d. 31.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Lucæ 3. vers. 1.

1 *Sub Principibus Anna, & Caipha.* Multi iniqui Principes numerantur administrantes Rempublicam Iudaicam, cum Ioannes erat in deserto, vt excellentia virtutis S. Ioannis magis splendeat, & irradiet: iusti inter iniquos homines, eorum prauis moribus non fœdantur iusti sunt sicut rosa, quæ de spinis nascitur non spinosa, ita iusti inter prauos homines, prauos eorum mores non concipiunt, f. 170. d. 66 5. Bz. Ideo comparantur iusti nubeculæ ascendenti de mari, quæ licet ascenderet de mari amaro, & originaliter eiusdem naturę cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis, & sine aliqua amaritudine: ita iusti nihil amaritudinis de corruptis hominũ moribus inter quos degunt, suscipiunt, f. 47. d. 43. Syria interpretatur sublimis, & significat superbiam, & tamen in Damasco Syriæ nascitur terebinthus, quæ est arbor humilis: ita iusti habitant inter malemoratos homines, eorum tamen moribus non fordescunt, immo benemorati sunt, f. 179. d. 87. Sanctus Ioannes dominantibus in Iudæa hominibus multis sceleribus, & flagitijs astrictis, nulla macula fuit pollutus.

2 *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Destinabatur S. Ioannes, vt prędicaret, & alios erudiret, ideo dedit illi sapientiam, vt doceret; homini enim dat Deus ea, quę conueniũt cõditioni, statui, & dignitati ipsius. Vnde B. Virgo non habuit vsum sapientię, quantum ad docendum, quia hoc non conueniebat sexui muliebri, nec miraculorum vsus sibi competebat dum viueret, quia tunc temporis confirmanda

erat doctrina Christi miraculis, & ideo soli Christo, & eius Discipulis, qui erant baiuli doctrinæ Christi, conuenichat miracula facere, f. 289. d. 34. Similiter vnicuique datur gratia secundū hoc ad quod eligitur, & quia Christus in quantum est homo fuit prædestinatus, & electus, vt esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit sibi proprium, vt haberet talem plenitudinem gratiæ, quod redundaret in omnes, f. 288. dub. 30. Ita S. Ioannes accepit à Deo sapientiam, quæ conueniebat ei ad ministerium ad quod eligebatur. Hac ratione Beata Virgo accepit donum linguarum, etsi non prædicaret, vt conuersos ad fidem de diuersis nationibus, & linguis, responderet, & instrueret varijs idiomatibus, in quibus illi nutriti, & edocti erant: ita Deus iustis dat ea, quę congruunt eis, vt impleant ministerium ad quod eliguntur, fol. 360. dub. 6. in fine.

3 *Factum est Verbum Domini super Ioannem.* Quia sancti Doctores lucem suę doctrinę à Deo recipiunt. Ideo sunt sicut nebulæ, quæ translucens est, quia radios solis recipit, quasi fenestra crystalina in Arca Noe; ita Doctores sancti non ab alio, quam a Deo tanquam à Sole lucem suæ doctrinæ recipiunt, fol. 154. d. 26. Vnde Doctor sanctus liber grandis est, in quo thesaurum sapientiæ, & scientiæ Deus Dominus concluſit, f. 201. d. 21. 3. Bz. Isaiæ 8. Hac ratione per sanctos Doctores Deus veritatem suæ doctrinæ docet, ideo comparantur collo per quod spiritus vitales à capite diffunduntur per corpus: ita per sanctos Doctores veritas, & doctrina in omnes diffunditur, f. 139. d. 167. Sunt sicut Angeli per quos Diuina ad homines perueniunt; ideo conueniens fuit Matri Dei annuntiari per Angelum Diuinæ Incarnationis Mysterium; Angeli primo edocti fuerunt de Diuino Mysterio, postea per ipsos ad nos cognitio transiuit, f. 278. d. 1. S. Elisabeth dixit B. Virgini perficientur in te, quę dicta sunt tibi à Domino, non quia Dominus loquutus fuerit B. Virgini, sed quia nuntiata per Angelum B. Virgini, authoritate Domini fuerunt dicta, fol. 314. dub. 111.

4 *Factum est Verbum Domini super Ioannem in deserto.* In deserto non in Ciuitate dedit illi Deus sapientiam; quia Deus docet eos, qui solitudine gaudent. Ideo in monte Sinai, non alibi, frequenter Angelus ex persona Domini apparuit, & loquutus est Moysi, & in eo legem accepit populo dandam: ita oportet hominem remotum esse ab omni turba, vt Diuinam sapientiam acquirat, f. 80. d. 70. Hac ratione Angelus ingressus est ad B. Virginem, quæ sola erat sine comite, & meruit colloquium Angeli, & instrui de Diuino Mysterio, & Ioanni in Pathmos insula solitario facta est reuelatio, f. 45. d. 30. Solitariis dat Deus suam scientiam, quia habent mentem à curis sæculi alienam. Vnde Dominus scalæ innixus manifestatur Iacobo in somnis, vt Dei magnalia videret, qui erat ab omni cura huius mundi, quales sunt homines in somnis liber, & obductus, f. 17. d. 125.

5 *Factum est Verbum Domini super Ioannem.* Non dictum, sed factum scribitur ab Euangelista. Quia in Prędicatore non solum debent esse verba, sed etiam opera, quibus adimpleat, quæ prædicat. Ita Silueira hic, q. 12. *Prius Verbum prædicationis in eo fit, atque in se adimplet, quod doctурus est, vt prius in se dicta opere exequatur, quam Verbo proferat.* Hac ratione Christus de Virgine nasci voluit, quod fuit conueniens, ne Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes pręceperat honorandos; opere enim impleuit, quæ ore docuit, f. 258. d. 43. in fine. Quapropter Christus, vt ad spirituales nuptias homines vocaret de cælo ad terram descendit; quid enim mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum venit ad nuptias? Aduocatus ergo ad conuiuium aduenit, vt prius ita opere præstaret, quæ verbis erat docturus, f. 347 d. 14. Ideo Deus, vt decretum suum obseruaret de honorandis parentibus, omnem Matri, & gratiam, & honorem impendit, f. 24. d. 17. & f. 356. d. 49. 3. Bz.

6 *Factum est Verbum Domini super Ioannem.* Sanctus Ioannes valde se humiliauit cum dixit se non esse Eliam, nec Prophetam, cum esse in spiritu Elias, & Propheta, & plusquam Propheta, ideo dedit illi Dominus sapientiam. Quia Deus humilibus non superbis dat sapientiam: ideo B. Virgo fuit sapientissima, quia humilima, f. 101. d. 27 Et Ptolomeus ait, quod inter sapientes ille sapientior, qui & humilior, ibi. Angelus quoque dixit de Maria, quod erat gratia plena. Hoc meruit humilitas Mariæ. Humilitas enim, quasi vas vacuum est, & ideo impleri meruit. Eliseus impleri fecit vasa vacua, ita Dominus vacuos per humilitatem implet sapientia, f. 291. d. 39.

7 *In deserto.* Quia iusti recessum à sæculo, & secreta amant. Ita Theophilactus: *Per totum tempus præteritum, Vsque ad sui ostentationem occultus fuit in deserto, & hoc est, quod subditur in deserto.* Ideo iusti comparantur fundamento, quod sub terra tegitur: ita iusti fundamentum dici possunt propter secreti, seu solitudinis amorem, f. 193. d. 142. Et B. Virgo dicitur solitudo, quia tam libenter solitaria fuit, vt tanquam libenter solitariam Angelus visitaret, f. 210. d. 52. Vel ideo Sanctus Ioannes erat in deserto, quia iusti frequentias fugiunt. Vnde Beata Virgo abiit cum festinatione in montana, quia non gaudebat de diuturna frequentia, nec morari in loco publico, nec ibi contrahere colloquia, f. 308. d. 85. 4. & 5. Bz.

8 *In deserto.* B. Ioannes deserta petiit, ne leui saltē maculare vitā famine posset: virtutes enim solitariū concomitantur; ita D. Antonius de Padua Dom. 4. Adu. *In deserto vbi desertum, ibi Verbū Dei, de quo ait Regius Vates, Ps. 62. v. 3. In terra de-*

deserta, & inuia, & inaquosa: sic in sancto apparuit tibi. Notantur virtutes, quæ sanctificant homines, & ad contemplandum Deum mentem illuminant, terra deserta, id est, paupertas, via, id est, castitas, inaquosa, id est, abstinentia. Ideo B. Virginem solam sine comite Angelus reperit, ne quo de genere hominis deprauaretur affatu, vel continentis castitas turbaretur, f. 283. dub. 17. Qui autem solitudiuem fugiunt, & frequentias quærunt, virtutum iacturam faciunt; ideo Dina foris perdidit virginitatem, fol. 283. dub. 15. in fine.

9 *Ego vox clamantis vox dicitur S. Ioannes.* Quia in totum vita clamat, & docet quid agere debeamus. Ita D. Vincentius Ferrer: *Exercitium boni Prædicatoris est, quod non solum os prædicet, sed omnia eius membra, potentiæ, vita, mores, fama, & quidquid in ipso est. Et ita bonus Prædicator debet esse totus vox: Et ideo Ioannes bene respondit dicens: Ego vox: quasi diceret: quidquid in me est totum est vox, quia totum prædicat.* Ideo Beata Virgo dicitur signum actiue, quia opera eius signa sunt eorum quę amplecti, & cauere debemus, Isaiæ 7. vers. 14. fol. 103. dub. 14 Et Isaiæ 8. vers. 1. fol. 201. 2. Resp Et fol. 194. dub. 146. 2. Resp. Iusti quoque lux dicuntur coram hominibus, nihil est in luce, quod non sit lux, ita omnia opera iusti lux sunt, quæ nos illuminant, fol. 266. dub. 74. Et Stellæ comparantur, quia sunt lingua cœlestis, quæ admodum Stellæ per radios bonorum exemplorum nobis loquuntur, f. 282. d. 14. 2. ℟. in fine. Assimilantur quoque nardo, qui dat odorem, quia suauitate boni operis alios prouocant ad æmulationē, Isaiæ 6. v. 1. f. 202. v. 1. Ioannes ergo, & quilibet iustus dicitur vox, quia totum quod in ipso fuit, fuit prædicatio, sicut quidquid est vocis, vox est.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Matth. 20. vers. 1.

1 *Homo erat pater familias.* Prælatus homo dicitur ob humanitatem, benignitatem, in quo multum benignitatis erga subditos inest: Prælatus erga subditos humanus debet esse. Ideo Maria non tanti Moysis gladium faciebat, quanti thuribulum Aaronis, & peopterea magis de fratre mitti, ac benenolo, quam de rigido, ac seuero gloriabatur, f. 22. d. 8. Deus hominem de limo terræ formauit; limus terra tractabilis est: & Prælatus tractabilis sit, mansuetus, pacatus, & facilis, fol. 5. dub. 38. Mater in Israel erat Debbora, quæ Apis interpretatur, quia sicut Apum Regina expers est aculei; ita Debbora in homines omnem exuebat seueritatem, quod & Prælatus debet facere, solam & induere erga subditos charitatem, fol. 34. dub. 6. Aereus cœli duos colores habet, cæruleum extrinsecus, & igneū intrinsecus, hunc occultat, & illum manifestat; ita Prælatus esto sit intrinsecus igneus, id est, rigidus, & seuerus; extrinsecus tamen cæruleus, id est, placidus, & suauis, fol. 13. dub. 93. Sint Prælati sicut platanus, quæ arbor mollis, & tenera in foliis est, sic Prælati molles sint, teneri in foliis, id est, affabiles sermone, & consuetudine periucundi, fol. 173. dub. 72. 5. ℟. Hac ratione de Beata Virgine, quæ Prælatorum speculum est, dicit D. Bernardus: Reuolue totam Euāgelij seriem, & si quid durum, si quid asperū inueneris in Maria, deinceps eam suspectam habeas, & ad eam accedere verearis, fol. 5. d. 38. *Vide Dominica 4. Quadragesimæ, num. 2.*

2 *Pater familias.* Prælatus pater familias appellatur ob curam erga totam suam familiā, quia solicitus debet esse de suis subditis, ac de omnibus ad eos spectantibus. Qua ratione cum Eliazer procurator Abrahæ postularet à Rabecca, vt potum sibi daret, non solum ei obtulit potum aquæ, sed & camelis suis: ita bonus Prælatus curam debet habere de omnibus subditis, etiam minimis, vt eis procuret necessaria, fol. 10. fol. 120. Hac ratione Beata Virgo quasi exul in Ægyptum per septem annos viuens, de manibus suis consuit, filauit, texuit, vt prouideret sibi, & Filio, & Sponso. Ita Prælatus omnem contentionem adhibeat in procurandis necessariis subditis suis, fol. 263. dub. 65. *Vide Dom. 4. Quadrag. num. 2.*

3 *Pater familias.* Prælatus pater apellari potest ob amorem erga subditos. Ideo ex maxima affectione ad bonum populi Iudæorum Razias dicebatur pater eorum; sic Prælatus ob charitatem erga subditos nomē patris sibi assumat, fol. 245. dub. 1. Hac ratione commendatur Beata Virgo Maria à sua fideli charitate, quia Matrem se nostram nominat, & nos filios suos appellat: ita Prælatus dignus est, quod pater nominetur à charitate, qua erga subditos pollet, fol. 100. dub. 18. Vel tunc Prælatus pater potest appellari, cum officia patris subditis præstat. Vnde Angelus dixit B. Virgini: *Concipies in vtero, & paries Filium*, quibus verbis materna B. Virginis officia explicauit, vt intelligamus concepturam, & parituram Filium veris maternis officiis, in generatiua parte ipsius B. Virginis; quasi dicat, ostendes te esse Matrem præstando vera officia materna in conceptione Filij: ita Prælatus manifestet se esse Patrem, Patris officia subditus impendendo, f. 298. d. 54. 3. ℟. Hac ratione Beata Virgo data fuit Sancto Ioanni in Matrem, & Matrem Discipulo commendauit, vt Discipulus officia Filij in ea seruaret; & Mater parentis in Discipulum authoritatem, amorem, & charitatem haberet; non minus illos coniungi voluit charitate, & amore, quam si naturæ maxima propinquitate coniuncti essent: ita Prælatus tanquam Pater officia Patris, vt hoc nomine potiatur, subditis exhibeat. Et subditus officia Filij Prælato seruet, fol. 357. d. 54. Ideo Beata Virgo dicitur Mater Christi, Adam vero non potest dici Pater Euę, quia Adam officia

ſcala patris erga Euam non habuit; Beata tamen Virgo erga Filium per nouem menſes in vtero nutriendo, implcuit, fol. 325. dub. 148.

4 *Primo mane conducere operarios.* Primo mane, id eſt, ſummo diluculo vocantur operarij ad operandum, & laborandum. Quia homo ab incunte ætate, à teneris annis debet diuino obſequio ſe totum ſacrare. Vnde Samuel trienis tabernaculo fuit mancipatus. Et Beata Deigenitrix, vt à lacte materno iam abhorruit, & mammam attigere noluit, tertium ætatis annum agens Deo fuit conſecrata, fol. 37. dub. 3. Et obſerua quod qui à pueritia Deo ſeruire ſtudet, nõ puer, ſed ſenex habendus eſt. Ideo Beatam Virginem Mariam poſſumus dicere concepiſſe, & peperiſſe Ieſum in ſenectute ſua, licet adoleſcentula concepiſſet, & peperiſſet: in illa, inquam, ſenectute, de qua dicitur Sapient. 4. *Senectus venerabilis eſt vita immaculata*, puella erat ætate, ſed virtute, & moribus annoſa, fol. 15. dub. 112. Primo ergo mane vocantur operarij, quia à tenera ætate virtus eſt amplectanda: maximè quoque placet Deo virtus in ſenectute; vnde homines ætate grandes virtutem ſectantes, comparantur palmæ, quæ centenaria facit fructum dulcem: ita homines qui in ſenili ætate fructum boni operis producunt, grati ſunt, & accepti Deo, fol. 169. dub. 65. 1. &c.

5 *Conducere operarios in vineam ſuam.* Nõ vocãtur mercenarij, vt comedant, & bibant, ſed vt operentur in vinea, hoc eſt, in Eccleſia. Quia in noſtris operibus non commodum noſtrum, ſed gloria Dei quærenda eſt. Ita D. Ioannes Chriſoſtom. *Mercenarij ſumus conducti. Sicut ergo nemo conducit mercenarium, vt hoc ſolum faciat, quod manducet: ſic & nos non ideo vocati ſumus à Chriſto, vt hæc ſolum operemur, quæ ad noſtrum pertinent vſum, ſed ad gloriam Dei.* Ideo iuſti comparantur cypreſſo, quę dicitur ex eo, quod ramos inacutum colligens, velut comum facit in ſummo; ſic iuſti ramos virtutum ſuarum ad vnum ſublime, quod Deus eſt colligunt, & dirigunt, fol. 168. dub. 62. 2. Reſp. Hac ratione iuſti ſunt ſicut lilium, quod totum quod habet odoris, & decoris, fructus, & amænitatis tranſmittit ad ſummum, & collocat in capite ſuo; ita iuſtus quidquid boni habet ad Deum refert, fol. 114. d. 29. Vnde de quolibet iuſto dici poteſt, quod miniſtrat coram Deo, non coram hominibus, quia in operibus ſuis nihil aliud quærit niſi Deum, & gloriam eius, Eccleſiaſt. 24. vers. 14. fol. 142. dub. 52. *Vide Feria 4. poſt 4. Domin. Quadrag. num. 6.*

6 *Et egreſſus circa horam tertiam.* Quinque deſcribuntur patris familias exitus ad vocandos operarios, quibus ſignificatur eximia diuina ſolitudo ad homines vocandos, & conuertendos. Ita Caietanus: *Iſti quinque exitus patris familias admittendos operarios ſolicitudinem diuinam diuerſis temporibus congruis ad conuertendum homines ſignificat.* Vera charitas totam ſe impendit in aliorum ſalutem. *Vide Dominica 2. Aduent. num. 8.* Ideo Beata Virgo eximia miſericordia quam habet ad nos, etiam aliis Sanctis peccatores derelinquentibus, ipſa non derinquet eos, dummodo velint conuerti, fol. 216. d. 76. Vnde iuſti congrue ſcalæ, quam vidit Iacob comparantur, ſcala ſtabat ſuper terram, & cacumen eius tangebat cœlum, & ita ſcala illa quodamodo cœlum terræ coniugere videbatur. Ita charitas, ſtudium, & labor iuſtorum in eo defudat, vt homines Deo coniungat, fol. 18. dub. 128.

7 *Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro.* Pater familias non erat aſſiduus, & frequens in foro, ſed certis horis veniebat ad vocandos operarios pro eorum commodo. Quia bonus Prælatus nullo labori parcit, nullo oneri ſuccumbit pro aliorum ſalute. Ita Silucira hìc: *Non deſcribitur pater familias continuus in foro, ſed illis certis horis prima, tertia, ſexta, & nona aduenientes, quia tam ſolicitus eſt pro negotio, ac bono hominum, vt nullo labori, aut itineri parcat.* Boni Prælati ſunt ſicut cypreſſus oneribus ſuportandis aptiſsima, quia infrangibilis, & nunquã oneribus cedit, ſed ſub eis perpetua ſtabilitate perdurat: ſimiliter boni Prælati non cedunt regiminis curarum, & ſolicitudinum oneribus, ſed per charitatem erga ſubditos, quæ omnia ſuſtinet, infatigabiliter, & quaſi infrangibiliter prælationis onera pro ſubditorum quauis vtilitate, ſiue corporali, ſiue ſpirituali, ſuſtinent, & ſupportant, f. 168. d. 62. 3. Reſp.

8 *Iterum autem exijt circa ſextam, & nonam horam.* Pater familias ita aderat laborantibus in vinea, vt ab his qui erant in foro, non abeſſet. Quia præſentia Prælati ſubditis valde ſalutaris eſt, & proficua. Ita Silucira hìc: *Sic ſtatutis horis aduenerat in forum ad vocandos operarios, vt ſpatium intermedium inter vnam horam, & alteram adeſſet operantibus in vinea; ſic enim illis aderat, vt ab his non abeſſet, ſed omnibus pro tẽpore, & modo ſe præſentem exhibebat.* Hac ratione, quia Luna vicinior eſt nobis, quã alij Planetę, ideo magis, & ſenſibilius in iſtis inferioribus influit, & operatur in infirmis grauiter, in ſumendis medicinis, in arboribus incidendis, & huiuſmodi: ita Prælatus quo vicinior, & proximior fuerit ſubditis, eo plus in eis influet, & operabitur vitæ ſuę exemplo, f. 4. dub. 31. Sunt Prælati ſicut Sol, qui habet virtutem fortificatiuam. Vnde videmus quod in eius aſcenſu ſuper noſtrum Orizontem virtutes animalium roborantur, & fortiores efficiuntur, & vſque ad diem mediam augmentantur, & quãdo Sol tendit ad Occaſum debilitantur, & ideo in ſomnum animalia reſoluuntur. Vnde etiam flores in ortu Solis aperiuntur, qui in Occaſu clauduntur: ita ſubditi, cum Prælati adſtant in virtute roborantur, cum abſunt, debilitantur,

&

& deficiunt, fol. 132. dub. 14. in fine. *Vide Feria 6. Dominica 4. Quadrag. num.* 1. Ideo præsentia Beatæ Mariæ, quæ speculum est Prælatorum, causa fuit spiritualis profectus in domo Zachariæ, nam ad eius ingressum, exultauit infans in vtero eius, & mater repleta fuit Spiritu Sancto, & vsu tanti temporis eius præsentia multum addidit, fol. 322. dub. 138.

9 *Redde illis mercedem.* Vt vnusquisque mercedem suam accipiat secundum suum laborem. Ita Silueira: *Merces respondet labori, ac merito, quod enim ob merita non debetur, mercedis nomine non bene soluitur.* Hac ratione Beatę Virgini pro cumulo meritorum datus est cumulus præmiorum, fol. 121. dub. 89. Ideo ter dicitur Beatæ Virgini veni coronaberis, quia tres Personæ vocabant eam ad coronam, Pater vt ei redderet præmium humilitatis, Filius, vt daret præmium virginitatis, Spiritus Sanctus præmium charitatis, fol. 121. dub. 90. Iudith quoque in eminentiorum locum ascendisse legimus, quia omnes illius vrbis ciues singulari animi virtute antecelluit, & accerrimum illius populi pugnatorem inuicto animi robore iugulauit, ideo non in infimo loco mansit, sed in eminentiorem ascendit, vt quanto inter alios meritis eminebat, tanto loco alios superaret, fol. 54. dub. 7. Et Beata Virgo sicut habuit meritum omnium Sanctorum, & amplius congruum fuit, vt super omnes exaltaretur, f. 174. dub. 76. Hac de causa dicitur quod Beata Virgo optimam partem elegit; volens enim Deus exprimere dignitatem, quam obtinuit ex meriro, potius, inquit, elegit sibi, quam data est sibi. Iusti enim ex meritis comparant sibi mercedem, & præmium. fol. 339. dub. 195. 1. Resp. & fol. 361. dub. 2. *Vide Dominica 2. Quadrag. n. 2.*

10 *Multi sunt vocati.* Magna tamen est tarditas hominis non respondentis Deo vocanti, fol. 306. dub. 78. Qui vero à Deo vocantur, & aura cœlesti afflantur, statim acquiescant, sint sicut rosa, quæ prius clausa ad Solis radium aperitur, sic homines radio cœlestis vocationis irradiatis, aperiant Deo cor suum, fol. 170. d. 663. Resp. Miser enim est qui Deo, & Beatæ Virgini vocanti, se surdum facit, fol. 185. dub. 103. Et Beata Virgo impetrat lumen diuinæ cognitionis, & inspirationis, fol. 41. dub. 5.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Lucæ 8. vers. 5.

1 *Exijt qui seminat.* Quia bonus Prædicator omissa propria quiete, & otio, debet exire, vt aliis prosit. Ita Hugo Cardin. *Oportet, & Prædicatorem exire,* Ierem. 48. *Moab requieuit in facibus suis,* Gen. 12. *Egredere de terra.* Micheæ 4. *De Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Ierusalē, & concident gladios suos, id est, subtiles quæstiones in vomeres, id est, in grossas prædicationes.* Hac ratione, Beata Virgo cum ascenden te filio noluit in cœlo ascendere, vt in terris paulisper immorata, plures ei filios lucraretur, quasi vellet sua se Beatitudine paulisper defraudari, vt hominibus prodesset, & Christo per ampliorem prolem lætificando inseruiret: ita Prædicator sibi à quiete, & otio parcat, vt homines Christo lucrifaciat, fol. 37. dub. 2. Similiter cum Beata Virgo esset in quiete deuotionis, & orationis, surrexit, & abijt in montana, omnem commoditatem contemnens, vt Ioanni subueniret, & prodesset, fol. 308. d 84. *Vide Feria 6. Dominica 3. Quadrag. num. 3.*

2 *Exijt qui seminat* Quia bonus Prædicator non debet se abscondere, sed doctrinam suam alijs diffundere. Ita Hugo Cardin. *Debet Prædicator, & Doctor seminare semen suum per intellectum, & affectum* Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, cuius semen sit in se metipso.* Prouerb. 5. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: diriuentur fontes tui foras.* Sunt boni Prædicatores sicut Stella maris, quæ lucem suam nunquam subtrahit, nec abscondit, continuo mundo pollet, nauigantes dirigit, & certificat ipsam aspitientes: ita Prædicator non se abscondat, quia continuè debet pollere hominibus, & eos dirigere, f. 30. dub. 20. Vnde Beata Virgo omnia verba Domini, & facta diligenter in secreto cordis reposuit, vt postea Scriptores Euangelicos doceret: ita bonus Prædicator, & Doctor doctrinam suam non debet apud se retinere, sed alijs communicare, fol. 335. d. 182. in fine. *Vide Docere.*

3 *Seminare semen suum.* Quia magnus Princeps, & Dominus propria diffundit, & ex proprijs rebus non alienis confert beneficia. Ita Hugo Card. *Semen suum, non alienum.* Ideo Beata Virgo, & eius vterus terræ comparatur, quia sicut terra omnes de se non de alio fructus generat: ita Beata Virgo de se, non de alio protulit Saluatorem. Et bonus Dominus de suis, non ex alienis beneficia conferat, fol. 212. dub. 62. in fine. Ideo Beata Virgo Filium vocauit salutare suum, quoniam totum corpus eius, mediante quo saluat mundum, solius Virginis erat, & non alicuius alterius, fol. 318. dub. 125. 1. & 2. Resp. Et fol. 324. dub. 146. Et fol. 215. dub. 71. 1. Resp. Principes debent esse sicut apes, quæ de se tantum generant: ita Principes de suo, non de alieno beneficia largiantur, f. 79. dub. 167. Sint sicut Sol, qui omnibus corporibus mundi maior est, de suo, non de alieno lucem diffundit: ita Principes, qui magni volunt haberi, de suis benefaciant, fol. 66. dub. 22. Hac ratione Luna vocatur luminare minus, quia lumen quod in alios diffundit, non habet à se, sed à Sole: ita ille minor reputandus est inter alios, qui de alieno alijs benefacit, f 4. d. 30.

4 *Seminare semen suum, non alienum,* vt ait Hugo, qui propria dat, verè dicitur dare; qui aliena erogat, non dat, sed reddit. Vnde de

Bea-

Beata Virgine dicitur, quod dedit fructum ſuũ, non quod reddidit, dedit, non reddidit, aliæ terræ reddunt fructum, & non dant propriè loquendo, quia ſemen recipiunt; ſed Beata Virgo ſemen non recepit, vnde rectè dicitur non reddidiſſe, ſed dediſſe fructum ſuum, id eſt, Filium ſuum: ita qui dat quæ ſua ſunt, verè, & propriè dicitur quod dat; qui verò aliena, quæ accepit, erogat, non propriè dare, ſed teddere, ſeu reſtituere dicitur, f. 80. d. 74.

5 *Seminare ſemen ſuum.* Exijt ſeminare nõ vocatus, ſed ſpontaneus, quia benefactor ſponte nè non petitus, debet beneficia facere. Ita Silueira hìc: *Non expectabat bonus iſte ſator vocari, ſed ipſe ſponte exijt ad ſeminandum, ad dona ſua nobis communicanda.* Vnde maximè commendanda eſt mulieris Thecuitis miſericordia erga Abſalonem, quia nullis Abſalonis precibus ſolicita pro Abſalone interceſſit, fol. 40. dub. 9. *Vide Dominica 4. Quadrag. num. 10. & Fer. 4. poſt 4. Dom. Quadrag. num. 5.* Ideo Deus vocatur benignus. Benignus enim ſecundum Grammaticos deriuatur ab igne, & benè. Et dicitur benignus, quaſi bono igne ignitus, vnde benignitas benignitatis, & eſt benignitas virtus ſpontè ad benefaciendum expoſita. Quid eſt ergo benignitas Dei, niſi ſua bonitas expoſita omnibus gratis benefacere, ita benefactor ſponte nè beneficia conferat, fol. 86. dub. 109. Hac ratione Beata Virgo nuſquam dicitur vocata, ſeu inuitata ad fuiſſe nuptijs, fortaſſe quod ipſa ſua ſe ſponte ad locum præſtandæ beneficentiæ opportunum nemine vocante, vel inuitante conferre non dubitaret, f. 349. dub. 20. At miraculum eſt, quod homo beneficia largiatur nõ petitus, vnde benè ſignificatur per virgã Aaron: quæ extra terram ſine humore adiecto flores, & fructum protulit miraculoſe: ita homo difficilis eſt ad largienda beneficia, quod pro miraculo habendum eſt, quod non petitus, ſine humore, id eſt, ſine precibus adiectis, ea eroget, & largiatur, f. 205. d. 31.

6 *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.* Tres partes ſeminis hic amiſſæ ſunt, & fructum non produxerunt, vna ſecus viam, alia ſuper terram, tertia inter ſpinas, & tamen ſator ſemen illud effudit, quia in bono inchoato non eſt ceſſandum, nec à bono cepto deſiſtendum. Ita Silueira hìc: *Multoties deperditur ſemen, & tamen bonus ſator non deſiſtit, ſed ſemper ſeminando inſtat, nec ab incepto opere ceſſat.* Ideo iuſti ſunt ſicut Luna plena, quæ habet perfectionem figuræ circularis, & rotunda eſt, & ſine caret: ita iuſti in ſuis operibus ſine carent, quia in bono incepto indifficientiſsimi ſunt ad perſeuerandum, fol. 91. dub. 130. Sunt ſicut ſalices de torrente, quæ in viriditate permanent: ita iuſti in torrente huius fluxibilis mortalitatis, virides in bono inchoato perſeuerant, fol. 27. dub. 6. Significantur per Stellam maris, quæ cæteris Stellis occidentibus, illa non occidit: ita iuſti in bono opere perſtant, & mali deficiunt, Eccleſiaſt. 24. vers. 14. fol. 159. dub. 50. Et Beata Virgo nec à fide, nec à gratia cecidit, ibi. Ideo iuſtus bis balſamo comparatur, per quod perſeuerantia in virtute ſignificatur, fol. 177. dub. 83. Deus hominem creauit de limo terræ, limus, terra tenax eſt: ita iuſtus tenax eſt in opere iam cepto, fol. 5. dub. 38. Vnde Beata Virgo, vt in bono propoſito conſtantiam oſtenderet, dixit Angelo, quoniã virum non cognoſco, id eſt, me nunquam cognituram propono, fol. 45. dub 30. & fol. 360. dub. 63. 3. Reſp. Aſsimilantur iuſti ſoli, qui ſui curſus ſolitas non mutat habenas, ſic iuſti opus, quod ſemel incipiunt, non mutant, in ò in eo perſiſtunt, fol. 134. dub. 149. 5. Reſp. Mali verò Lunæ comparantur quæ aliquando deficit: ita mali in bono opere deficiunt, ibi. *Vide Dom. 3. Quadrag. num. 3.* Pro Beata Virgine, *vide Perſeuerantia.*

7 *Fructum afferunt in patientia.* Non ſufficit tantum, vt terra ſit bona ad fructum ferendum, ſed inſuper neceſſarium eſt, vt aratro præciſa in varios fructus deducatur, ſic non ſiat eſt quod quis recto corde Dei verbum ſuſcipiat, ſed inſuper opus eſt laborum tolerantia, vt fructum producant. Ita Caietanus: *Non ſufficere cor honeſtum, & vtile, niſi adſit patientia in ſuſtinendo aduerſa, & iniurias quaſcumque edocet Dominus à ſimilitudine terræ, quæ quamtumuis optima non affert fructum, niſi patiendo aratrum, & ſimilia.* Patientia enim neceſſaria eſt, vt iuſtitiæ, & virtutis fructus producatur. Ideo quo plus iuſtus affligitur, tanto maiorem emittit virtutis odorem. *Dominica 2. Aduentus. num. 4.* De patientia Beatæ Virginis, *vide Patientia.*

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Lucæ 18. vers. 31.

Pro hoc Euang. vide folio 344. dub. 215.

1 *Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos ſecreto,* vt ait D. Matth. cap. 20. Abſconditum ſecretum ſuis manifeſtat: quia ſecreta cordis amicis ſunt committenda. Ita Hugo Cardin. *Aſſumpſit duodecim Apoſtolos, quibus Dominus reuelat myſterium conſilij ſui, ſicut dicitur Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos.* Vnde ſopor immittitur Adæ, vt de eo fiat fœmina, Virgini autem non immittitur, vt de ea incarnetur Verbum, ſed ad eam Angelus mittitur, quia Adamo non erat reuelandum illud ſecretum, vt de eo formaretur Eua, ideo miſſus eſt ſopor in eum, non vero ad B. Virginem, vt eſſet tanti ſecreti conſcia, f. 8. d. 54. Hac ratione magna eſt differentia inter Chriſti Natiuitatem, & eius conceptionem, quod Chriſti Natiuitas non fuit ſecreta, ſed publicata per

An-

Angelos, nec Stellam, per Reges, ut eius conceptio fuit occulta, quia hoc secretum nulli personæ fuit reuelatum, nisi Gabrieli, & Beatę Virgini, fol. 209. d. 44. Similiter non est conueniens putare, præsente Ioseph introisse Angelũ ad Mariam, & dixisse quæ dixit, & Mariam respondisse quæ respondit, vt hoc secretum celaretur Ioseph, fol. 250. d. 22. 2. Resp. & dub. 24. Nec Beata Virgo reuelauit hoc secretum S. Ioseph, licet videret suam tristitiam, & perplexitatem, cum enim Beata Virgo haberet conscientiam delicatissimam, noluit reuelare, ne Deum offenderet. fol. 255. dub. 34. Ideo Spiritus Sanctus obumbrauit Beatæ Virgini, quia secreta illa generatio ea sola conscia operata fuit, fol. 303. dub. 69. 6. Resp. Pro Beata Virgine, *vide Secretum*.

2 *Interrogabat, quid hoc esset?* Quia bonus Discipulus interrogat scire cupiens. Ita Hugo Card. *Interrogabat, quid hoc esset, quia scire desiderabat, multi sunt qui nunquam interrogant. Quare? Quia scire non curant. Boni Discipuli signum est libenter interrogare.* Ecclesiast. 6. *In multitudine Præsbyterorum prudentium sta.* Vnde Beata Virgo non est commentata dictum Angeli, quomodo fieret Mater Dei, sed scire desiderans, quæsiuit modum, fol. 301. dub. 64. & fol. 299. dub. 62. Similiter Beata Virgo interrogabat puerum de secretis cœlestibus, vt ab eo disceret, fol. 337. dub. 191. A pastoribus quoque, quæ apud eos gesta sunt, didicit, non enim pro sua modestia à pastoribus discere dedignata fuit: magna prudentia est, non solum à magnis; verumetiam à minimis doceri velle, ab eisque aliquid discere, fol 327. dub. 159. 5. Resp. in fine. Quæ autem quis scit, intelligit, & cognoscit, non debet, cum ea teneat, interrogare, vnde Beata Virgo, quia notionem Spiritus Sancti, imò totius Triniratis habuit, non scisciratata est Angelum, nec protunc erudita ab eo, quid de Spiritu Sancto sentiendum, cum dixit: Spiritus Sanctus superueniet in te; cum enim de Spiritu Sancto veram fidem sortita fuisset, non fuit necesse interrogare Angelum de Spiritu Sancto, fol. 301. dub. 65. 8. Resp.

3 *Filij Dauid miserere mei.* Silueira: *Non ingeminat nomen Iesus, sed nomen Filij Dauid per Virginem nempe Mariam, cuius Filium sub illa stirpe nuncupat, de cuius patrocinio, ac subsidio multum confidebat, vt salutem, ac sanitatem haberet.* Quia ex patrocinio Virginis, & Sanctorum salus speranda est. Vnde Sancti sunt sicut Aurora; naturaliter enim experimur ægritudines humanas alleuiari in Aurora: ita Sanctorum precibus infirmitates nostræ alleuiantur, f. 130. dub. 141. Sunt sicut cypressus, quæ arbor est medendis apta corporibus. Ita eorum meritis corporibus infirmis restituitur sanitas, fol. 168. d. 62. Ecclesiast. 24. vers. 17. Nec incongrue comparantur oliuæ, de qua nascitur oleum ad infirmos: ita iusti quasi oleum sunt, cum sua intercessione morbos depellunt, fol. 175. dub. 67. in fine. Tandem fluuio Dyorix assimilantur: Dyorix interpretatur medicamentum generationis, quod iustis conuenit, quia omni inuocanti; & in omni generatione medicamentum salutis afferunt, fol. 178. dub. 86. Pro Beata Virgine, *vide Sanare. Vide Domin. 4. Quadrag. num. 5.*

4 *Miserere mei.* Quamuis cæcus multis præclaris nominibus Christum posset inuocare. Tamen Filium Dauid dicit; idem est dicere Filium Dauid, ac de familia Dauidis, & Filium Mariæ, quia tunc Christus maximè alliciebatur ad subueniendum oppresioni hominum, qui nomine Mariæ rogabant, quod vehementer diuinam misericordiam sollicitat ad opem, & auxilium præstandum. Ita D. Remigius: *Recte Filium Dauid vocat, quia Virgo Maria de stirpe Dauid originem duxit.* Vnde Deus per Beatam Virginem misericors est in peccatores; fol. 92. dub. 143. fol. 95. dub. 152. Et monet Filium ad misericordiam, fol. 245. dub. 2. Imò in manus eius sunt thesauri miserationum Domini, fol. 137. dub. 159. Pro Beata Virgine, *vide Misericordia Virginis.*

5 *Domine vt videam.* Non dixit Fili Dauid, vt videam, sed Domine, quia non ab homine, sed à Deo sperabat visum recipere. Ita Hugo Card. *Modo non dicit: Fili Dauid, sed Domine, quasi dicat: Filius Dauid cæcos illuminare non potest; Filius autem Dei potest, ideo interrogo, quid vis? Tunc ille dixit, non Fili Dauid, sed Domine, volo, vt videam; quandiu dixerat Fili Dauid, suspensa est sanitas, mox vt dixit Domine infusa est.* Beneficia non ab homine, sed à Deo speranda sunt. Virga non recipit fructificandi virtutem ex commixtione seminum, sed ex pluuia, & rore cœlesti: ita beneficia à nullo alio quam à Deo speranda, fol. 94. dub. 151. Pro Beata Virgine qualiter illuminet peccatores. *Vide Lux*, & fol. 191. dub. 126.

6 *Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret.* Magna erat fides huius cæci, cũ dixit: Domine vt videam, sed increpatur à præuntibus, quia nõ est virtus, quæ cõtradictiones non patitur, & sustinet. Vnde in Angelis, qui non habent corpus, virginitas non est virtus, quia hoc habent à natura, non à pugna cum gratia, f. 24. d. 20.

7 *Et qui præibant, increpabant eum vt taceret.* Vulgare erat in Scriptura, Filium Dauidis esse Messiam. O sana Filio Dauid, cum autem increpantes essent infideles, & Christi emuli, displicebat eis ista confessio, qua Christus publicabatur verus Messias, & Deus: at ille magis clamabat, vt eius fides clarius innotesceret: quia virtus iuxta opposita magis splendet. Ita D. Hilarius: *Silentium non causa honoris exigunt, sed quod acerbè à cæco audiunt, quod ipsi negabant; scilicet, Dominum esse Filium Dei, ac Dauidis.* Hac ratione Beata Virgo orta fuit à

ma-

malis, vt comparatio alterorum extremorum extolleret, iuxta illud oppositum iuxta se positũ magis elucescunt, f. 107. d. 2. in medio. Sponsa quoque Lunæ comparatur, Luna est decor noctis, nõ solum quia noctem illuminat, sed etiam quia in nocte decor ipsius apparet, præcipue tunc cum est plena: ita virtus coram tenebrosis peccatoribus magis splendet, f. 131. d. 143. 5. Bꝛ.

8 *Et confestim vidit.* Quia Dei beneficia sine retardatione, & mora sunt. Ita Silueira: *Confestim vidit absque vlla mora, vnde tanta celeritas in beneficio assequendo præmiserat homo orationem.* Hac ratione Christus festinanter, saliens in montibus, transiliens ordines Angelorum pro hominum salute venit in vterum Virginis, ne in tanto beneficio hominibus conferendo, moras trahere videretur, Cant. 2. vers. 8. f. 116. d. 35. Et prolatis his verbis B. Virginis: Fiat mihi secundum verbum tuum, statim facta est incarnatio, quia nulla erat tantum beneficium differendi ratio, consumata oblatione humilis assensus B. Virginis, f. 307. d. 81. Pro B. Virgine. *Vide Beneficium.* Qui enim à B. Virgine petit, nullam moram beneficio conferendo patitur, nec finit se diu rogari.

9 *Et sequebatur eum.* Quia accepto beneficio homo promagno dono gratitudinis debet offerre sequi Deum. Ita Hugo Cardin. ex D. Chrisost. *Bonum munus obtulit Christo. Quale? Sequebatur eum.* Homo qui beneficium à Deo recipit, fit sicut acanthus, cuius flos ad Solem se conuertens, eum sequitur, vt beneficium quod à Sole recipit, eum sequendo soluat, fol. 63. d. 6. Et f. 172. d. 66. in fine. Pro Beata Virgine. *Vide Sequi.*

FERIA QVARTA CINERVM.

Matth. 6. vers. 16.

Pro hoc Euang. *Vide fol. 267. dub. 81. & 82.*

1 *Memento, quia puluis es.* Homo debet circunspicere vndique præterita, præsentia, & futura, quod fuit, quod est, & quod erit: ideo oculi Sponsæ comparantur oculis columbæ, quæ est super riuulos aquarum. Columbæ enim super aquas sedentes aspiciunt aquas, quæ in præsentiarum fluunt, & illas quæ iam fluxerunt, & illas quæ effluunt: ita homo consideret præteritum quod fuit, præsens quod est, & futurum quod erit, f. 127. d. 127.

2 *Memento, quia puluis es.* Vt humilieris, sed vera humilitas magis ex amore erga Deum, quam ex consideratione sui debet procedere, vnde humilitas Mariæ Nardo potius, quam alteri herbæ comparatur; Nardus est herba humilis, & calida: ita humilitas B. Virginis magis ex calore charitatis erga Deum processit, quam ex sui cognitione f. 112. d. 15.

3 *Memento, quia puluis es.* Vt per tui considerationem reputes te vilem, & despectum: ideo iustus comparatur cinnamomo, quod est coloris cinericei, qui vilis est, & despectus, ita iustus cum considerat quod est cinis, se ipsum vilipendit, & despicit, f. 175. d. 77. 3. Bꝛ. Vnde B. Virgo Maria dicit, quod Deus respexit humilitatem Ancillæ suę, seu vt legit Caietanus: *Exiguitatem Ancillæ suæ.* Non sat fuit dicere, quia aspexit Ancillam suam, sed apposuit ad exiguitatem Ancillæ suæ, & intellige exiguitatem quoad merita, existimabat siquidem se nullius meriti nulliusque virtutis. Neque ficte aut falso, quoniam considerabat se ipsam ex parte sui, non ex parte donorum Dei in ipsa: hæc enim consideratio Mater est humilis cordis, cum in anima radicata est; qui enim se ipsum considerat nullius meriti, & virtutis se reputauit, imo se vilipendet, f. 319. d. 127.

4 *Memento, quia puluis es.* Hoc tempore, cum orationi specialiter vacandum est, memento quod es puluis, quia oratio valde fructuosa est, quam consideratio propriæ vilitatis comitatur: Terebintho assimilatur, quæ est arbor breuis, & fructuosa: ita oratio si sit breuis in verbis, sæpè erit magis vtilis: Terebinthus fœmina non mascula facit fructum, quia illa oratio fructuosa est, quæ nascitur ex cognitione propriæ infirmitatis, f. 179. d. 88. 4. Bꝛ.

Memento, quia puluis es. At corpus B. Virginis caruit putredine, vermibus, & puluerizatione. *Vide Corruptio.*

5 *Cum ieiunatis.* Hugo Cardin. *Ieiunium corporale est abstinere à cibo corporis tempore certo, quod multa bona efficit cum recte fit.* Primo à peccatis præseruat, ideo myrrhæ comparatur, quæ amara est, & à corruptione præseruatiua ita ieiunium amarum est, displicibile sensualitatis, sed præseruatiuum à corruptione multorum peccatorum, f. 176. d. 80. Item peccata purgat, & eluit, ideo est sicut vngula, quæ candida est, & scabiem purgat, ita ieiunium scabiem peccati, f. 177. d. 83. Item copiosam gratiam à Deo consequitur. Ideo B. Virgo Maria fuit quasi Paradisus in benedictionibus: sicut enim in Paradiso materiali gula Euæ meruit maledictiones pœnarum: sic in Paradiso spirituali temperantia Marię, meruit benedictiones gratiarum, fol. 195. d. 148. Imo nullum donum obtinuit, nisi grandi asperoque ieiunio præmisso, f. 267. d. 81. Ideo abstinentijs, ieiunijs, & orationibus castigata tanto partu se dignam fecit, fol. 385. d. 40. Et gratiam inuenit, quia in cibo, & potu temperatissima fuit, f. 295. d. 48. Pro B. Virgine. *Vide Cibus, Ieiunium, Temperantia.* Pro ieiunio. *Vide Dom. 1. Quadrag. num. 6. 7. & 8.*

Nolite fieri, sicut hypocritæ. Vide *Hypocrita.*

6 *Vnge caput tuum, faciem tuam laua.* Caietanus: *Docuit nos his cautelis, vt occulte exerceamus huiusmodi bona opera, vbi timor est ne obrepat vanagloria.* In omnibus operibus fugienda est vanagloria. Ideo iusti comparantur nebulæ, quæ sine ventis est: ita iusti in omnibus operibus suis sine ventis sunt, id est, sine tentatione ina-

inanis gloriæ, f. 154. d. 26. Et Beata Virgo non ſe beatam appellauit, quaſi inani vexata eſſet gloria, quia gloria falſa, & inani non ducebatur, fol. 320. dub. 130. 3. Reſp. Sunt iuſti ſicut cypreſſus, quæ dicitur ex eo quod ramos in acutum colligens, velut conum facit in ſummo: ita iuſti ramos virtutum ſuarum non per vanitatem diſpergunt, ſed ad vnum ſublime; quod Deus eſt, colligunt, f. 168. d. 62. 2. Reſp. Hac ratione iuſti ne auram capiant popularem, & ventoſa blandiantur iactantia proprias laudes fugiunt: ideo Beata Virgo non dixit, magnificat anima mea Deum, non Sponſum, non Patrem, non Filium, quamuis quodlibet horum dicere potuiſſet vere, ſed Dominum, quod eſt relatiuum ad ſeruum, & Ancillam, vt omni via proprias laudes fugaret, & inanem gloriam vitaret, fol. 317. dub. 121. Vide ergo ne in operibus tuis glorioſæ inhies oſtentationi, plauſuque exultes populari. *Vide Domin. 1. Quadrageſimæ, num. 4.*

7 *Ne videaris hominibus ieiunans.* Quia bona opera ſunt occultanda: ideo Beata Virgo Maria occultabat opera ſua, & nolebat ea narrari, fol. 149. dub. 20. Et fol. 178. dub. 84. 5. Reſp. Illud tamen obſerua quod virtus occultanda eſt ſub humilitate. Pretioſa locaſia ſolent cooperiri cryſtallo, quia ſic honeſte, & ſecure ſaluantur à puluere, & ab extrinſeco tactu læſiuo: ſic qui vult virtutes aliquas ſaluas cuſtodire, occultet, & operiat eas ſub humilitate; eſt enim humilitas, ſicut cryſtallus, quia ſeruabit virtutes à puluere vanæ gloriæ, & à tactu ſiue palpatione laudis humanæ, fol. 319. dub. 128. Hac ratione Beata Virgo Maria ſignanter loquitur de ſua humilitate in ſuo cantico, quia omnes virtutes eius cooperiæ fuerunt humilitate, ibi. Et nota quod quælibet virtus cum humilitate, maioris virtutis apparet coram Deo, quam ſi per ſe ſtaret ſine humilitate: eſt enim virtus ſicut cryſtallus, qui cum ſit tranſparens permittit ſpeciem rei tranſire ad oculum, imo auget ſpeciem, & facit rem apparere maioris quantitatis, quam eſt: ita humilitas facit virtutes apparere in conſpectu Dei maioris valoris, quam ſi per ſe ſtarent ſine humilitate, ibidem.

8 *Ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo.* Iuſtus ſolum Deum quærit, ſolique ei placere intendit. Vnde iuſti ſunt ſicut herba, quæ ſoliſequium dicitur, cuius flos ſemper ad Solem ſe conuertit, & mouetur ad motum Solis: ita iuſtorum actiones ad Deum ſemper diriguntur, fol. 63. dub. 6. Comparantur quoque nubi Leui, quia non homini quærunt placere, ſed Domino, fol. 207. dub. 37. 3. Reſp. Hac ratione in ſalutatione Angelica vtimur verbis Angeli, quia ſcimus quod Beatæ Virgini placemus, & maximum illi gaudium adferimus, quod ſæpè hanc laudem ſuam inaudiat, & renouetur gaudium, quod vbi ab Angelo verba illa excepit, perſenſit, f. 285. d. 22.

9 *Vnge caput tuum.* Per vnctionem capitis commendat Dominus lætitiam mentis, quæ adiungenda eſt in omni opere bono. Ita Hugo Cardin. *Senſus eſt, vnge caput tuum oleo, id eſt, feſtinum, & hilarem te exhibe. 2. Corint. 9. Hilarem datorem diligit Deus.* Operandum eſt cum lætitia. Ideo iuſti comparantur viti, quia virtutes exercent cum iucunditate mentis, quæ deſignatur in vino, ſeu inuite, f. 180. d. 91.

Vbi eſt theſaurus tuus ibi eſt, & cor tuum. Et cor noſtrum ſit in Beata Virgine, quia eſt theſaurus miſericordiæ, gratiæ, & veniæ, f. 269. d. 93.

FERIA SEXTA POST CINERES.

Matth. 5. verſ. 43.

Pro hoc Euangelio, *vide fol. 267. dub. 78.*

1 *Diliges proximum tuum.* Quia dilectio proximi ſanctum facit hominem. Vnde qui proximum diligit, legem adimplet, fol. 183. dub. 98. 3. Reſp.

2 *Diliges proximum tuum.* Qui Deum diligis, quia amor Dei, & proximi aſſociantur. Ideo Sponſa bis dicitur pulchra ad commendandam eam à duplici dilectione: ſcilicet, Dei, & proximi: f. 113. dub. 19. Et Sponſa amore languebat. Quo amore? Plane veſtri in Sponſo ipſo, & ipſius in vobis, adeo connexus eſt amor Dei, & proximi, quod vnus ab alio non ſeparatur, f. 116. d. 33. 3. ℟. in fine. *Vide Dom. in Palmis, num. 6.*

3 *Diliges proximum tuum.* Quia ex amore, quo quis proximum proſequitur, cognoſcetur: vnde Beatæ Virginis altitudinem admirantes Angeli quæſierunt quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, quibus ipſa reſpondens, ait: Ego Mater pulchræ dilectionis, quaſi ab amore quo homines complectitur, velit agnoſci, f. 181. d. 95. 3. ℟. Et nota quod Beata Virgo dat dilectionem, & Mater eſt eorum qui habent rationalem dilectionem, f. 183. d. 98. Ideo roganda eſt quod nobis impetret proximi dilectionem.

4 *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus.* Quia inimicos diligere, eis benefacere, & pro eis orare eſt fortiſsimum opus charitatis. Ita Silueira hîc: *Non ſolum dixit*, vt notat Chriſoſt. hom. 18. *Non oderitis, ſed maius quid additamentum ponit diligite: Nec ait nolite nocere, ſed quid plus, benefacite, nec dixit nolite maledicere, ſed maius ait, ſupplicare bonum pro inimicis.* Ideo Beata Virgo Maria commendatur à fortitudine, quod manũ ſuam miſit ad fortia: ſcilicet, perfecta opera, vt eſt diligere inimicos, benefacere odientibus, & orare pro perſequentibus nos. Hæc ſunt opera fortia charitatis, f. 104. d. 44. Quapropter dilectio inimicorum in corde habenda eſt, verbo, & opere oſtendenda. Qui ſic diligunt roſæ comparantur, quæ intra folia habet grana crocea, quę ſignificant charitatem, quam quis debet gerere

in corde diligendo inimicos, in verbo orando pro eis, in opere benefaciendo, fol. 170. d. 66. 5. &. in fine. Et nota quod iustus iniurias inimicorum patienter sustinet, nec pro illatis eos prosequitur odio. Ideo Simeon dixit Beatæ Virgini: Tuam ipsius animam pertransiuit gladius, qui acutissimam Filij sui passionem significabat, gladius corporalis animam, nec occidere potest, nec vulnerare: sic acutissima Christi passio licet animam Mariæ per compassionem pertransierit, ipsa tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulnerauit: ita iustus acceptas iniurias toleranter sustinet, nec in contumeliosum conflat odium, fol. 333. dub. 173.

5 *Diligite inimicos vestros, benefacite, orate.* Ad inimicos benevolo affectu tendendum est corde, ore, & opere, debet esse vera, & non simulata in vultu dilectio, quia dilectio exterior sine interiori non placet Deo. Ita Caietanus: *Tria præcepit Dominus erga inimicos, diligere internum, benefacere externum, & orare intus, & extra.* Ideo arca deaurata erat intus, & foris, quia non sufficit exterior dilectio significata per aurum, quo exterius erat arca deaurata, quin comitetur interior, fol. 24. dub. 23.

6 *Benefacite his qui oderunt vos.* Quia verus amor operibus comprobatur, ac demonstratur. Ita Simon Caesian. lib. 10. cap. 23. *Dilectio nescit in sua natura feriari, sed benefaciens, & benefica est.* Ideo Beata Virgo super omnes creaturas maximè fuit dilecta a Deo, quod patet ex eo, quod maximum donum ei largitus est Deus; vt scilicet, Filium suum dilectissimum summum bonum ei communicaret, vt communis esset Filius sui in deitate, cuius in humanitate vna, & eadem persona Deus, & homo, fol. 99. dub. 8. *Vide Feria 6. post 4. Domin. Quadragesimæ, num.* 13. Ideo benignus est qui beneficia sua confert non solum amicis, sed inimicis, fol. 364 dub 4.

7 *Benefacite his qui oderunt vos.* Eos protegendo, defendendo, & tuendo. Ita Silueira: *Benefacite his, qui oderunt vos, vt eos nostris operibus adiuuemus, auxiliando,* vt explicat D. Basilius. Ideo reprehensibilis fuit Esther; cum enim Aman rogaret Esther Reginam pro anima sua, nihil ei profuit supplicatio: nam statim ab ipso Reginæ thalamo abreptus est, & vi patibulo suspensus. Non ea erat Reginæ Esther quamuis alioqui sanctissimæ, pietas, & humanitas, vt suo vellet aduersario, etiam in preces, & lachrymas effuso, patrocinari. Ita multi abiiciunt, & repellunt, eos qui aliquando fuerunt eis iniurijs, cum præsidij causa ad eos inuolant, & confugiunt, f. 58. dub. 13.

8 *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quid tradat Dominus in hac doctrina ex præcepto, quid ex consilio, docet Silueira hic, quæst. 13. *Exui huius præcepti solum tenemur, per se loquendo, præstare communia, & generalia signa amoris erga inimicum eo modo, & tempore quo ad alios homines; nam ex genere suo mortale est peccatum, a communibus beneficijs, auxilijs, & orationibus, ac benevolentiæ signis inimicum excludere; talis enim exceptio, odij est, & inimicitiæ signum, ac parit scandalum,* vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 8. & 9. *Peculiaria vero dilectionis signa, vt est conuersatio, vel rei alicuius donatio, consilium est, non autem præceptum, ea inimico exhibere, nisi aut talium signorum priuatio spirituali inimici noceant saluti, aut aliquod graue inde temporale damnum resultet; quia his stantibus, talia peculiaria signa exhibere, præceptum est.* Hæc præcepta, & consilia adimplere iustorum est: ideo Sponsa bis dicitur hortus conclusus, quia iustus duplices præceptorum, & consiliorum fructus facit, cum præcepta, & consilia persequitur, fol. 123. dub. 105. Hac ratione Beata Virgo dicit se in Altissimis habitasse, quia altissima mandata charitatis, & consilia perfectionis impleuit, nec transversum quidem vnguem à Diuinæ legis, & consiliorum præscripto discessit, fol. 154. dub. 28. Similiter Beata Virgo ieiunia non solum in lege mandata seruabat, sed & alia addebat, vt mandata Dei custodiret, & consilia obseruaret, fol. 371. dub. 3. Hac de causa, quia ipsa perfectius audiuit, & obseruauit omnia mandata Dei, & consilia, benedicta præcunctis appellatur, f. 344 d. 212. 3. &.

9 *Vt sitis Filij Patris vestri.* Vt operibus, & factis nos declaremur Filij parentis cœlestis. Ita Hugo Card. *Filij debemus esse imitatione.* Ideo iusti platano comparantur, quæ similis est viti in foliis: ita iusti quantum in se est, in moribus curant similes esse Christo, qui est vitis vera, f. 173. dub. 72. 5. Resp. Et nubes quæ ascendebat de mari, quasi vestigium hominis dicitur habuisse; ita iusti soliciti sunt in operibus suis quasi vestigium hominis, id est, Christi referre, ibi. Beatissima quoque Virgo Maria, cum optimè sciret ex iure gentium, quod partus sequitur ventrem, se Ancillam dixit, & sui meminit ancillatus, quia in Filio, non tam considerabat diuinitatem, qua Deus erat, quam seruilem conditionem, quia formam serui accepit, vt mundi obsequio manciparetur, ideo se Ancillam nominat, vt imitaretur Filium, qui propter nos seruus factus est, fol. 307. dub. 80. Hac ratione ad Templum purganda accessit, vt humilitati Filij conformaretur, fol. 328. d. 160. Pro B. Virg. *Vide Imitari. Vide Feria 4. post Dom. 2. Quadr. num.* 3.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Pro virtutum operibus occultandis. *Vide Feria 4. Ciner. num.* 7.

Estote ergo perfecti. Pro perfectione Beatæ Virginis. *Vide Perfectio.*

Cum facis eleemosynam. Pro Beata Virgine. *Vide Eleemosyna.*

DO-

DOMINICA PRIMA QVADRAG. Matth. 4. vers. 1.

1 *Tunc ductus est Iesus à spiritu, vt tentaretur.* Postquam Christus baptizatus est, ac declaratus Filius Dei paterna voce, tunc ducitur in desertum ad tentationem, famem, & inediam supportandam, ad loci, & temporis incommoditates sustinendas, quia dilecti Dei laboribus vexantur. Ita Imperfect. hom. 5. in Matth. *Tunc ductus est, quando? Quando Pater clamauit de cœlo: Hic est Filius meus dilectus in quo complacui. Vides ergo, quia nemo baptizatur in igne tentationis, nisi qui factus fuerit Filius Dei.* Ideo animam B. Virginis pertransiuit gladius doloris; si enim omnipotens Deus huius vitę prospera magni penderet, nullatenus ipsam singularem, ac perpetuam Virginem, ex qua incarnari dignatus est, affici doloribus permisisset. Labores, & angustiæ à Deo magni æstimantur, ita vt dilectis suis pro singulari beneficio concedantur, fol. 331. dub. 170. 2. Resp. *Vide Domin. 2. Aduent. num. 2.*

2 *Tunc ductus est Iesus à spiritu, vt tentaretur.* A Spiritu Sancto ducitur, vt tentetur, vt instruamur quod gratia Spiritus Sancti roborat ad pugnam cum diabolo. Ideo gratia congruenter oleo comparatur; oleum enim ossa, & neruos indurat, & medullas confirmat; vnde antiqui luctatores corpus oleo perungebant: ita gratia, luctantes cum diabolo confirmat, & roborat ad pugnam, ne à diabolo capi, vel diu teneri possint fol. 110. dub. 5.

3 Imo tentatis adest Deus, ne à diabolo vincantur: vnde Moysi adhuc infanti, & prope Nilum exposito, adfuit eius soror Maria stans procul, & considerans euentum rei: ita Deus in hominum tutelam cum tentantur, excubat, non quidem procul stans, sed proximè assistens, ne tentationi succumbant; f. 21. d. 1. Beata quoque Virgo Maria orat pro tentatis, ne in captiuitatem diaboli incidant consentiendo peccatis, f. 85. dub. 105.

4 *Tunc ductus est Iesus à spiritu in desertum.* Christus in desertum secessit, vt nos doceret vanam gloriam fugere, ideo ipse ad orandum, ac ieiunandum in desertum locum se confert. Ita D. Cyprianus orat. de tentat. *In desertum Christus ingreditur, locus secretus eligitur, quia solius Dei iudicio ieiunia sunt agenda. Ieiuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit emollit.* Profugienda vanagloria, & virtute occultanda, *Vide Feria 4. Cinerum. 6. & 7.* Ideo Beata Virgo terra dicitur, quia terra exterius venustatur plantis, interius ditatur innumeris thesauris, in intimo est plena tormentis: ita Beata Virgo exterius fuit ornata venustate morum, & interius fuit ditata thesauro virtutum, & in intimo cordis vulnerata doloribus tormentorum, quia virtutes suas occultabat, f. 215. d. 73. in medio.

5 *Et cum ieiunasset.* Ieiunauit Christus, vt in se ipse adimpleret, quod alios docuit, non solum in eo fuerunt verba, sed opera, quibus vt Legislator adimpleuit, quę docuit. Ita Abulens. *Ieiunat Christus, vt nobis ieiunandi exemplum tribueret: nam cum ipse fuerit plenissimus Legislator, debuit nos de omnibus instruere.* Multum iuuant maiorum exempla, vt subditi animentur ad difficilia, *Vide Dom. 4. Aduent. num. 5.*

6 Vel ideo Dominus Iesus ieiunauit. Quia enim per intemperantiam hominis deperdita est iustitia per ieiunium recuperatur, quia contrarijs medijs, quibus mors introducta fuit, salus ingressa est. Ita D. Ambros. *Arbitror hanc causam esse ieiunij, vt quia primus Adam in Paradiso constitutus per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam per abstinentiam repararet, & quia contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc secundum mandatum Dei ieiunans, Vitæ iustitiam mereretur.* Ideo Christus de sola muliere fuit productus; tale enim decuit esse nostræ redemptionis initium; intrauit enim nostra perditio per mulierem de solo viro productam, propter hoc decuit, vt esset nostra redemptio, & reparatio per virum de sola muliere productum, vt esset simile in contrario, fol. 221. dub. 102. *Vide pro hac re, fol. 71 dub. 41. fol. 278. dub. 1. 2. & 4. Resp.* Et Isaiæ 7. vers. 14. dub. 18. fol. 204. Ideo Beata Virgo dicit, quod Deus respexit humilitatem suam, vt sicut per superbiam Euæ mors intrauit in mundum, sic per humilitatem Mariæ vitæ pandatur introitus, fol. 319. dub. 126. 3. Resp. Salus contrarijs medijs recuperanda est, *Vide Dom. 3. Quadrag. num. 8. & fol. 368. dub. 4.*

7 Vel ideo Christus ieiunauit cum diabolo pugnaturus, vt nos instruat quod carnis mortificatione vincitur diabolus. Ideo Iahel caput Sisaræ perforauit clauo, non alio instrumento, Sisara diabolum significat, clauus disciplinæ rigorem, castigationemque carnis. Hic rigor clauus est diabolum configens, Iahel ergo caput Sisaræ clauo interficiente confixit, quando vir iustus virtutem Sathanæ rigore disciplinæ moderatur, fol. 34. dub. 4.

8 Vel ideo ieiunauit, vt instruat quod ieiunio, & alijs virtutibus muniendus est homo. Ita Diuus Basilius homil. 1. de laudibus ieiunij: *Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communisset: simul, & nos erudiens, vt nos met aduersus tentatoris conflictus exemplo palestrarum vngamus, & exerceamus.* Vnde in B. Virgine fuerunt chori cantantium, quantum ad consonantiam virtutū castra vero pugnantiū secundum quod Virgo circunsepta, & sanctis

disciplinis instructa dæmonum repellebat insultus, fol. 138. dub. 161. 2. Resp. Ideo iustus turris fuit Dauid ex qua mille clypei pendent omnis armatura fortium; scilicet, exempla Sanctorum, quibus contra insultus dæmonum protegitur, & armatur, f. 51. d. 5. Pro ieiunio, *vide Fer. 4. Cinerum, n. 5.* Pro Beata Virgine, *vide Ieiunium.* Humilitate quoque vincitur diabolus, f. 375. d. 3.

9 *Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Non plures dies ieiunat, quam Moyses, & Elias, cum ipse vtpote verus Filius Dei multo illis sanctior, & potentior, tamen ne excessus ieiunij admirationem ingerat, & quid inauditum introducat, ieiunauit quadraginta diebus, & noctibus: Res noua, & insolita in opere virtutis causat admirationem. Ita D. Chrisost. *Ipse quadraginta dies ieiunat, nec tamen vltra progreditur; ne scilicet, rei admirandæ excessus incredibilem faceret suscepti hominis veritatem, quia prius Moyses, & Elias in hanc ieiunij longitudinem peruenire potuerunt.* Ideo Beata Virgo turbata est non in Angeli visione, quem sæpè videre consueuerat, sed in noua salutatione; si enim Angelus eam salutasset modo consueto nunquam turbata fuisset, ideo turbata fuit turbatione admirationis, quia res exotica, & insolita in admirationem trahit, f. 293. d. 43. per totum. Similiter Christi parentes obstupuerunt videntes Iesum duodenum in medio doctorum monstrantem sapientiam suam; non enim putabant in ætate illa ipsum sic se demonstraturum, ideo admirabantur pro rei nouitate, quæ frequenter admirationem causat, f. 334. d. 176. 2. Ex.

10 Vel ideo Christus noluit excedere in ieiunio, vt singularitatem vitaret: maximè enim in omni negotio fugienda est singularitas. Ideo Beata Virgo conuenienter ad Templum purganda accessit, in exemplum societatis, quia voluit singularitatem vitare, alijs morem gerens in licitis, & honestis, f. 328. d. 160. 2. Ex. Similiter, vt Beata Virgo ostenderet, quod non erat inter alias singularis, sed communis, voluit esse coniugata cum coniugatis, vidua cum viduis, & immaculata cum immaculatis, f. 340. d. 195. & f. 363. d. 2. 5. Ex. Qua ratione mansuetus dicitur tractabilis, tractabilis autem est, qui est omnibus conformis, & conformabilis, nec singularis; scilicet, in eo quod non est malum, & sic tractabilis est, qui est omnibus omnia, fol. 150. d. 3. *Vide Dom. 2. Quadragesimæ, num. 8.*

11 Vel ideo ieiunauit quadraginta diebus, & noctibus, ne discederet ab antiquis moribus maximè approbatis. Ita Diuus Augustinus epist. 119. cap. 11. *Quadragesima ieiuniorum habet authoritatem, & in Veteribus libris ex ieunio Moysis, & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à lege, & Prophetis.* Operandum enim est secundum laudabilem morem, consuetudinem, & vsum. Ideo D. Matthæus ad satisfaciendum humanæ consuetudini descripsit genealogiam Christi per Ioseph, & ad satisfaciendum consuetudini scripturarum, non deduxit generationem Christi per viam Matris, quia non est consuetum in scriptura genealogias scribere per fœminas; ita operandum est secundum id quod iam vsus, & consuetudo laudabilis obtinuit, & suscepit, f. 249. d. 7. Et Christus Dominus de desponsata nasci voluit, vt consueto modo eius genealogia per virum describeretur: & qui in sæculum venit sæculi debuit more describi, f. 250. d. 15. 1. Ex.

12 *Et accedens tentator.* Cum Christum vidit diabolus fame laborantem, inde audax fit ad eum tentandum, quia diabolus opportunitatem quærit ad tentandum. Ita Silueira hìc: *Tentauit non interius, sed exterius nacta occasione per inopiam.* Vnde bestiæ orto Sole abscondunt se, ne lædant homines; at nocte pertranseunt de loco ad locum quærentes quos deuorent, & significant dæmones, qui orto Sole colliguntur, & ad caueas suas accubant, cum Sol habeat potestatem singularis dominationis super eos: at tempus noctis obseruant ad tentandum, & nocendum, fol. 66. dub. 21. Hac ratione diabolus in fine vitæ hominis fortiter hominem cum debilis, & infirmus est persequitur: ideo legimus quod diabolus calcaneo mulieris non capiti insidiabitur, calcaneus mulieris finem vitæ hominis significat; quid est ergo quod serpens calcaneo mulieris insidiabitur, nisi quod diabolus hominem in fine vitæ cum imbecillis est, persequitur, & insectatur, f. 10. d. 71.

13 *Dic Vt lapides isti panes fiant.* Diabolus viderat Christi ingenium, quod non suauibus, sed rigidis delectabatur, ideo non tenera poma, vel dulces fructus, sed duros lapides præbet, vt sua propensione eum ad se trahere posset. Ita Procopius: *Diabolus haud nobis nolentibus peccatum ingerere potest, sed aliquid promoueatur vtitur affectibus nobis insitis instar mali consiliarij, & sic nos in peccatum pertrahit.* Diabolus quemque trahit sua inclinatione: ideo duplici funiculo traxit Euam, quia ei promittebatur sublimitas, & suadebatur voluptas ad quam homines facile inclinantur, & cum ad hęc propensa esset mulier, vtpote ei grata, non mirum quod diabolus his vteretur ad eam decipiendam, f. 299. d. 61. 2. Resp.

14 Vnde oportet diaboli versutias penetrare, vt vincatur à nobis. Sisara in manu Iahel, non alterius fœminæ traditus est occidendus, vt astutus deciperetur per sapientiam mulieris. Quid est ergo quod Sisara in manu Iahelis traditus est, nisi quod astutia diaboli per sapientiam hebetatur: non enim de diabolo victoriam reportabit, qui sapiens non fuerit incognitione versutiarum suarum, fol. 34. dub. 3. Hac ratione diaboli malitias, & insidias præsentiunt iusti. Ideo nasus Sponsæ describitur, sicut turris Libani, quę respi-

cit

picit contra Damaſcum: Damaſcus interpretatur ſanguinem bibens, & hic eſt diabolus, qui ſemper ſitit bibere ſanguinem hominum, contra eius inſidias opponitur naſus, id eſt, diſcretio iuſti, quæ ipſius præſentit maliţiam, & à longè præuidit quaſi de ſpecula, vnde, & turri comparatur à qua de longè inimicorum videntur incurſus, f. 140. d. 171. Oportet ergo technas diaboli cognoſcere, vt vincatur.

15 *Scriptum eſt.* Caietanus: *Diſcamus hic omnes arma noſtra eſſe Sacras Scripturas, ideo namque Ieſus omnes has tentationes ſolis Sacris Scripturis vicit.* Vnde teſtimonijs Sacræ Scripturæ reſiſtitur Iudæis, inimicis, proteguntur que fideles, f. 144. d. 196. Pro Beata Virgine, quæ habuit plenam notitiam Scripturæ Sacræ, *vide Sacra Scriptura.*

16 *Non in ſolo pane viuit homo.* Hugo Card. *In tentatione Chriſti noſtra tentatio ſignificatur, quia triplici gladio nos impugnat, gula, auaritia, ſuperbia.* Sed Beata Virgo nunquam in cibo, & potu intemperato fuit grauata, f. 297. dub. 52. f. 119. d. 82. *vide Temperantia.* Vnde gratiam inuenit, quia in cibo, & potu temperatiſſima, fol. 295. dub. 48.

17 *Mitte te deorſum.* Hic diabolus tentauit Chriſtum de ſuperbia, quam Chriſtus vitauit Beata quoque Virgo immunis ſuperbiæ. Nec iuſti in aliquam excedunt ſuperbiam, vel iactantiam, *vide ſuperbia, & quæ dicuntur de Beata Virgine apta iuſtis.*

18 *Hæc omnia tibi dabo.* Hic tentauit de auaritia, cuius expers fuit Chriſtus. Iuſti quoque ita bona temporalia contemnunt, quod minimũ habent de mundo. Vnde Ioſeph vocauit Ægyptum terram paupertatis ſuæ; terra eſt quantitate minima, & Ioſeph in Ægypto exulabat, in carcere ſeruiebat, nulla poſsidebat bona temporalia, laborabat inopia, paupertate, ac tenuitate minimum habens de terra illa, antequam a Pharaone in Proregem Ægypti eueheretur: ita iuſti bona temporalia contemnentes, per paupertatis extenuationem minimum habent de mundo, f. 20. d. 147. Ideo recte Soli comparantur. Sol enim fertur ſuper Lunam: ita iuſti feruntur ſuper temporalia, cum res omnes inanes, opes, diuitias contemnunt, f. 67. d. 24. Hac ratione Beata Virgo Lunam habuit ſub pedibus, quia cuncta temporalia, quæ per Lunam ſignificantur, deſpexit, f. 98. d. 3. Iuſtus quoque nubes leuis dicitur, quia ſuper omnes res terrenas volat. fol. 207. d. 37. 2. &c. Pro Beata Virgine, *vide Auaritia.*

19 *Vade Satana Dominum Deum tuum adorabis.* D. Chriſoſt. *In prima, & ſecunda tentatione Chriſtus paſſus fuit tentationis iniuriam: non eſt exaſperatus, nec in increpationem, vel abiectionem eius eſt excitatus, ſed ſuſtinuit, & mitis permanſit: nunc autem quando diabolus Dei ſibi præſumpſit honorem, ac adorationem exaſperatus, ac iratus eſt, [illegible] Vade Satana.* Non enim patitur Deus quod adoratio, & honor ſibi debitus, alteri tribuatur. Vnde Chriſtus Dominus B. Virginem mulierem appellauit: Eccleſiæ ſuæ Dominus præuidit: nam futura erat hæreſis, quæ ob eximiam Virginis ſanctitatem eam eſſe Deum aſtrueret, hanc refutans Chriſtus, proprio ore mulierem dicit, præmonuit Dei ſapientia ne Beata Virgo adoraretur vt Deus, & quod honor ſibi debitus, Beatæ Virgini præſtaretur, f. 349. d. 22. 3. &c.

20 *Tunc reliquit eum diabolus.* Et B. Virgo munit fideles, ne trahantur à diabolo in peccatum, & deuotis ſuis dat victoriam de diabolo, & Deus tenet eos ſpecialiter, ne corruant in tentationem. Pro his, *vide Diabolus. Tentatio.*

21 *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Beata quoque Virgo ſingulariter miniſtrauit Chriſto, *vide Miniſtrare.*

FERIA QVARTA POST DOMINICAM primam Quadrageſimæ.

Matth. 12. verſ. 38.

Pro hoc Euang. *vide fol. 270. dub. 94. & 95.*

1 *Magiſter.* Aliud habent in ore, & aliud oſtendunt opere, ore Magiſtrum vocant, nec opere laudant. Ita Caſsianus lib. 8. cap. 27. *Ore loquuntur quod facto confundunt.* Cum Deus verbo, & opere ſit laudandus. Vnde Moyſes, & cæteri, qui Moyſi aderant chorales ore tantum: at Maria ore pariter, ac manu Deo laudes decantabat, ita iuſti Deum ore, & opere laudant, f. 22. d. 7.

2 *Magiſter.* Magiſter vocatur à legis Magiſtris, quod mirum fuit, quia inter magnos habere ſummam laudem valde mirabile eſt. Ita Silueir. *Erant iſti interrogantes legis Magiſtri.* Vnde B. Virgo benedicta dicitur nõ ſolũ inter mulieres, quia parum videretur, ſed inter benedictas maiori benedictione inſignes, quaſi non ſolum eſſet benedicta inter mulieres, ſed etiam inter benedictas ſecundum legem, quod ad maiorem Virginis laudem prædicatur, quia inter magnos magnum eſſe excellentiſsimum eſt, f. 310. d. 94.

3 *Magiſter.* Magiſtrum vocant, & à Magiſterio non à re corporali laudant, quia bona ſpiritualia non corporalia hominis laudanda ſunt. Ideo Euangeliſtæ non laudant B. Virginem de pulchritudine corporali, licet pulcherrima fuerit ſed de ſpiritualibus bonis: ſicut enim Angeli ſupremi à Donis nobilioribus laudantur, & denominantur, & non ab inferioribus: ita & B. Virgo Donis ſpiritualibus pleniſsima, Donis gratuitis, & nobiliſsimis, ita occupat, & implet animas laudantium Euangeliſtarum, quod eorum admiratione obliuiſcuntur bonorum corporalium, f. 106. d. 55. & f. 344. d. 212. 2. &c.

4 Vel ideo Magiſtrũ vocant, quia homo laudandus eſt de bono quod habet, nõ de eo, quo caret. Ideo Angelus nõ dixit B. Virgini benedictus fructus vẽtris tui, ſicut dixit Eliſabeth, quia tunc

ſemper Virgo nondum conceperat Filium Dei, & ideo nullus adhuc fructus erat in ventre, nunc autem iam fructus erat in ventre, ideo benedictus fuit ab Eliſabeth, f. 311. d. 100.

5 *Magiſter.* Cognouit Dominus hæc verba eſſe adulatione plena, at nos cum laudamur debemus cogitare, an verba quę audimus adulatorie dicantur nobis. Ideo B. Virgo turbata eſt in ſalutatione Angeli, & cogitabat an bonus, vel malus eſſet huiuſmodi ſermo: poteſt enim adulatorie dici benedictu tu inter mulieres, & ſimiliter blandiendo dici: Aue gratia plena; ita homo cum laudibus extollitur cogitet, an ſint blandimenta verborum, f. 294. d. 45. 2. Bz.

6 *Magiſter.* Scribæ, & Phariſæi gratiam Chriſti adulationibus aucupari volebant, ſed Chriſtus verborum blanditijs non fuit corruptus, vt inſtruat nos adulationibus non vitiari. Ideo iuſti balſamo non mixto comparantur; balſamum enim vitiari ſolet oleo, quid eſt ergo quod iuſti balſamo non mixto aſsimilantur, niſi quod iuſti oleo adulationis non vitiantur, fol. 178. dub. 85. Pro Beata Virgine, *vide Adulatio.*

7 *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Voluntatem non ratione moti petunt iniqui ſigna, cum ſecundum prudentiæ regulas voluntas, & ratio ita debent conuenire, quod voluntas appetat, quæ deſideranda indicat ratio. Hac ratione Sponſus dicit Sponſæ ſuæ, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, in vno, id eſt, in vnitate oculorum tuorum; ſcilicet, affectus, & intellectus, quæ in te ita ſunt vnum, quod non aliud deſiderat affectus, niſi quod deſiderandum indicat intellectus, fol. 122. dub. 95. Imo voluntas debet ſequi rationem vnde duæ ſorores Martha, & Maria ſignificant voluntatem Beatæ Mariæ Virg. & rationem: Martha eſt voluntas Mariæ, quæ attendens, & videns Filium ſuum comprehendi, ligari, conſpui, & cruciſigi, inter hæc fuit ſolicita, quia naturali compaſsione, quaſi ſatagecat eum liberare, ſed ratio ſoror eius contemplans Diuinam voluntatem, quam ſedendo iuxta pedes audierat, conformans ſe illi, conſentiebat, vt ita fieret; ita enim voluntas, & ratio congruebant in Beata Virgine, quod voluntas ſequebatur rationem, f. 338. d. 193.

8 *Volumus à te ſignum videre.* Nullam orationem prætendunt niſi propriam voluntatem, quia iniqui erant, at iuſti non propriam, ſed Dei ſequuntur voluntatem. Sunt iuſti, ſicut herba quæ dicitur Solis ſequium, cuius flos ad Solem ſemper ſe conuertit, & mouetur ad motum Solis: ita iuſti ad motum, id eſt, ad imperium Solis Iuſtitiæ, & eius voluntatem ſemper mouentur, fol. 63 dub. 6. Hac ratione Maria optimam partem dicitur elegiſſe, conſentire; ſcilicet, per omnia Diuinæ voluntati, fol. 339. dub. 195 3. Reſp. Et Beata Virgo dixit Angelo: Fiat mihi ſecundum verbum tuum, non meum, quia non ſuam, ſed Dei curabat facere voluntatem, fol. 307. dub. 78. in fine. Ideo gratior facta eſt Filio faciens ſuam voluntatem, quam eum portans in vtero, fol. 270. dub. 95. Pro Beata Virgine, *vide Voluntas.* Hac ratione defectum vini proponens Filio in voluntate Filij reliquit quid agere vellet, ne ſuæ voluntati eſſet addicta, fol. 349. d. 19. Pro hac re, *vide fol. 369. dub. 7. 1. & 2. Reſp.*

9 *Signum videre.* Videte Beatam Virginem, quæ eſt ſignum naturale, & euidens Dei, imo ſignum eſt, quia ſignata in operibus antiquorum, & ſignum gratiæ datæ, & demonſtratæ, ſignumque liberationis noſtræ. Pro his, *vide Signum.*

10 *Signum videre.* Quod ſignum? Caietan. *Puta in Manna, vt apud Moyſen, vel in Sole, vt apud Ioſue, & Iſaiam, aut in grandine, & ſimilibus, vt apud Samuelem, aut in igne, vt apud Eliam.* Tamen ſi viderent Beatam Virginem, inuenirent in ea mirabilia ab antiquo præfigurata, *vide Miraculum.*

11 *Generatio praua, & adultera.* Generationem adulteram vocant, quia defecerunt ab inſigni parentum ſtirpe, pietate, & virtute. Ita Silueira: *Adultera quia vt adultera maximè diſceſſerat à pietate, ac virtute ſuorum maiorum Abraham, Iſaac, & Iacob, de quibus maximè gloriantur.* Mali deſciſcunt à maiorum ſuorum virtute, at iuſti nullo modo deflectunt à ſuorum perenni, conteſtataque pietate. Vnde Beata Virgo ſuam humilitatem oſtendens vocauit ſe Ancillam, habuit autem humilitatem à Patre ſuo Dauid, qui dixit ero humilis in oculis meis, & cum Ancillis ne ab humilitate Dauidis de generare videretur, fol. 319. dub. 126. 3. Reſp.

12 *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio.* Non dicto ſed facto Iudex erit Niniue. Ita Silueira: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt eam non verbis, ſed factis, non iudicandi poteſtate, ſed comparationis exemplo. Facta enim comparatione Iudæorum cum Niniuitis, inde res euidens erit, Iudæos meretiſsimè æternæ pœnæ addici.* Nam magna eſt à iuſtorum recte factis cenſura in improbos. Ideo Dominus dicit, quod viſitauit in virga iniquitates peccatorum. Hæc virga eſt Beata Virgo Maria, qua mundus corrigitur, dum per eius exemplum, in quo ſit peccator reprehenſibilis, & damnabilis demonſtrabitur, f. 90. d. 129. *Vide Dom. 1. Aduent. num. 4.*

13 *Ecce pluſquam Ionas hic,* Euthymius: *Ionas enim ſeruus erat, Chriſtus vero Dominus, ille è ceto egreſſus eſt, iſte ab inferno, ille inuitus prædicauit, iſte ſponte, ille peregrinus erat, iſte cognatus ſecundum carnem, ille ſubuerſionem prædicauit, iſte Regnum cœlorum, ille nullum fecit ſignũ, iſte innumera, de illo nullus prædixit, de iſto omnes Prophetæ.* Res enim melius cognoſcitur fa-

cta comparatione inter eas. Vnde Eliſabeth, vt oſtenderet differentiam inter Chriſtum, & Beatam Virginem, appellauit Mariam benedictam cum limitatione; ſcilicet, inter mulieres; Ieſum autem benedictum abſolutè abſque vlla limitatione, ex collatione inter Chriſtum, & Beatam Virginem apparet inter vtrumque diſcrimen, fol. 311. dub 99. Hac ratione, nulla anima Beata Virgine comparata inuenitur perfecta, quia ex collatione inter Beatam Virginem, & alios patet maxima diſſimilitudo fol. 2. dub. 8. Ideo nullus antiquorum, & ſequentium Patrum Beatæ Mariæ poteſt comparari, tenebreſcet omnis iuſtorum fulgor, contentione facta ad tantam Virginis lucem, fol. 22. dub. 7.

14 *Regina Auſtri*, Caiet. *Auſtrale reſpectu Ieruſalem erat Regnum eius.* Sed Beata Virgo mundi habuit Principatum, & Regnum, imò Regina dicitur cœlorum, & Domina Angelorum, in honore Regium ſublimata, Regina potentiſsima, & largiſsima, & æterna. *Vide pro his, vide Regina.*

15 *Ecce Mater mea*, Chriſtus, & alij filij ex matre noſcuntur, Beata Virgo Mater eſt Chriſti naturalis, & omnium ſpiritualis, gloriaturq; Chriſtus, quod talem Matrem inuenerit. *Vide Mater.*

FERIA SEXTA POST PRIMAM Dominicam Quadrag.

Ioannis 5. verſ. 1.

Pro hoc Euang. *vide fol. 352. dub. 31. 32.*

1 *Angelus autem Domini.* Manifeſtum eſt, quod bonus Angelus erat cum è cœlo deſcenderet ad tantum beneficium hominibus præſtandum. A multis coniecturatur, quod iſte Angelus erat Raphael, qui præeſt medendis corporibus. Vnde interpretatur *Medicina Dei.* Ita Antonius Giſtandis hìc, dub. 8. *De hoc nihil ſcriptum reperi, quo; ſcilicet, nomine vocaretur Angelus, niſi fortaſis crederetur eſſe Raphael, qui interpretatur medicina Dei.* Benefactor enim ex beneficio, quod in alios confert nomen trahat. Ideo Beata Virgo dicitur propitiatorium, quia ipſa precibus ſuis Deum facit nobis propitium, & ab hoc beneficio propitiandi nomen propitiatorij ſibi aſſumit, fol. 25. dub 22. Hac ratione, labium æneum appellatur: æs ſonorum eſt, & Beata Virgo ſonora in precibus, cui Filius dicit, Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Cum pro peccatoribus intepellas, quaſi ab hoc munere interpellandi, labij nomen accipiat Beata Virgo, fol. 25. dub. 33. Aurora quoque eſt roris infuſiua, vnde dicitur Aurora, quaſi Aura rorans, quia Aurora nomen ſibi aſciſcit à beneficio infundendi rorem terræ, fol. 19. dub. 138. Sacræ Scripturæ aquæ viuæ dicuntur ab effectu, quia conferunt vitam gratiæ, & gloriæ amatoribus ſuis, & ab iſto beneficio conferendi vitam gratiæ, aquarum viuentium nomen ſibi aſſumunt, fol. 125. dub. 113. Et Sponſus pulcher nominatur à beneficio faciendi Sponſam pulchram, & decoram, fol. 113. dub. 20. Et Beata Virgo pacifica dicitur, quia fuit medium vniuerſale, per quod facta eſt pax inter Deum, & homines, & ab hoc beneficio nomen pacificæ traxit, fol. 266. dub. 72. 1. Reſp. D. Ioannes Baptiſta dicitur Propheta, & pluſquam Prodheta, quia parentes in ſua natiuitate Prophetas quodammodo fecit, matrem videlicet, & patrem, fol. 269. dub. 92. Et Beata Virgo appellatur Maria, quæ hæbraicè Stella maris; ſiriacè verò Domina vocatur, & merito, quia hæc totius mundi Dominum, lucem ſæculi meruit generare perennem, & ab hoc beneficio quod attulit mundo nomen accepit, fol. 282. dub. 14. Ita Sanctus Angelus Raphael interpretatur *medicina Dei*, quia à beneficio medendi, & curandi infirmos nomen acquiriuit.

2 *Angelus autē Domini deſcendebat.* Inuiſibili forma indutus, & nō apparenti. Ita Silueir. *Recētiores docent, quod inuiſibiliter veniebat, ita vt à nemine videretur. Nam aliter languidi explorarent aduentum Angeli, vt ſe mitterent in piſcinam*, Vt nos doceat alijs benefacere: & noli videri. Quid enim tam ſilenter, & ſine ſtrepitu eſt, quam cum imber in lanę vellus infunditur, nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſionis aſpergit, ſed ſine inquietudi ne ouium totū imberem per multiplices, effuſſum partes, toto corpore in ſe trahit, ita benefactor largiatur beneficia tacitè, ſilenter abſque eo quod manifeſtetur, fol. 82. dub. 87. 2. Reſp. Similiter aduentus Chriſti in carnem, ſignificatur per roris deſcenſum; deſcenſus roris occultus eſt, & abſconditus, qualiter ros deſcendit in lilium non videtur. Ita benefactor beneficia ſua occulte, & abſconſe diffundat, non videatur, f. 212. d. 61. 3. Reſp.

3 *Secundum tempus.* Alij legunt: *Secundum opportuitatem.* Tempore enim accommodato, & opportuno operandum eſt. Ita Silueira: *Dicendum exiſtimo, quod Angelus deſcendebat opportuno tempore, quando Deo viſum erat.* Ideo videtur Chriſtum Dominum increpaſſe Genitrinem, cum dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea*, repulit eius intempeſtiuam feſtinationem, & expectabat eam horam, quæ erat à Patre pręcognita, vt nobis inſinuaret, quod prędtituta vniuſcuiuſque operis hora obſeruanda eſt, vt omnia ſuis definitis ſpatijs metiantur, opportunoque tempore fiant, f. 350. d. 22. 5. Reſp.

4 *Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem.* Vidit illum Ieſus, & miſericordia motus eſt erga eum, quia totum commodum hominis prouenit ex eo, quod Deus eum reſpiciat. Ita Siueira: *Hunc cum vidiſſet ſcientia ſua diuina, ac infuſa,*

&

& oculis miſericordiæ ſuæ, iacentem, id eſt, decumbentem, membrorumque impotentem. Ideo Sole exiſtente in Occaſu, & Lunam ex directo reſpiciente; Luna apparet in Oriente integra, plena, & tota luminoſa; at cum Sol directe eam non intuetur, non plena, ſed corniculata, curuataque in cornua apparet: ita plenitudo bonorum, fœlicitas, & commodum hominis procedit ex eo quod Deus oculos miſericordiæ ſuæ ad eum conuertat, fol. 4. dub. 30. Hac ratione, Dei aſpectus Soli comparatur, diaboli verò baſiliſco, ſicut enim Solis aſpectus cuncta viuificat, baſiliſci autem mortificat, ita Dei intuitus viuificat homines, diaboli verò interficit, f. 72. dub. 45. Similiter Sol habet virtutem fœcundatiuam, omnia hæc inferiora fœcundat, & generatiuam eorum potentiam excitat, adiuuat, & confortat. Vnde videmus ad ſenſum, quod nihil fructificat, nec creſcit vbi ſolaris radius non attingit, ita aſpectu Dei omnia virent, & ſine illo omnia marceſcunt, fol. 132. dub. 146. 2. Reſp. Quapropter oculi Dei comparari poſſunt oculis columbæ, quæ lacte ſunt lotæ, quia reſpectus eius pietatis, & miſericordiæ dulcedine perfuſus eſt, f. 127. d. 128.

5 *Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem.* Vidit illum Ieſus, & condoluit infirmi vicem ad miſerationemque fuit commotus, quia quo maior fuerit charitas, eo maior erit erga afflictos commiſſeratio. Ita Hugo Cardin. *Viſio hæc compaſsionem notat, ex conſideratis circunſtantijs infirmitatis, & patientiæ ægroti.* Ideo Beata Virgo quanto magis charitate ardebat, tanto compaſsionis tenebatur amaritudine. Pro compaſsione B. Virg. *Vide Compaſsio.* Ideo charitas iuſtorum comparatur balſamo; nam more balſami odorem ſuæ charitatis longe extendunt ad ſuperna per perfectum deſiderium æternorum, ad inferiora verò per perfectam miſericordiam, & compaſsionem afflictorum, fol. 175. dub. 79.

6 *Vis ſanus fieri?* Interrogat Dominus, an vellit ſanus fieri? Infirmi requirens voluntatem, quia ad Dei beneficia recipienda noſtra requiritur cooperatio. Ita Granatenſis: *Hac interrogatione deſignatur ſpontaneum voluntatis motum ad animam à peccati morbo ſanandam eſſe neceſſarium*, vt dicit D. Auguſtinus: *qui fecit neſcientem, non ſaluabit niſi volentem.* Hac ratione, Beata Virgo dicitur fons, & puteus, fons quantum ad communia beneficia, quæ exhibet, quibus vult gratis, id eſt, abſque cooperatione liberi arbitrij, ſicut in Sacramentis, puteus, quantum ad illa, quæ labore, & cooperatione liberi arbitrij, ab ea, & per eam acquiruntur; ſicut enim labore noſtro cooperamur ad hauriendam aquam putei, & puteus illam dat, ita ad Dei beneficia recipienda, noſtra interponenda eſt cooperatio, vt per hanc reddamur habiles ad illa, fol. 125. dub. 114. 2. Reſp. Sopor immitur Adæ vt de eo fiat fœmina, B. Virgini nō immittitur, vt de ea incarnetur Verbum, quia Deus non expectauit voluntatem propriam Adæ, nec eius cooperationem, vt de eo fieret fœmina: at Beatæ Virginis voluntatem, & conſenſum præſtolabatur Dominus ad Verbi incarnationem, vt voluntaria, atque prompta cooperatrix eſſet, & miniſtra; ita Deus multoties noſtram expectat cooperationem, conſenſum, & voluntatem, vt ſua beneficia largiatur, fol. 8. dub. 54. vide fol. 303. dub. 79. & *Feria 6. poſt 3. Domin. Quadrag. num.* 12.

7 *Vis ſanus fieri?* Languidus iſte Chriſtum non aguoſcebat, vt patet verſ. 13. Interrogat ergo eum Dominus, vt ille in eum intendat, eumque agnoſcat, maximè enim vult Deus, vt eum in ſuis beneficijs recognoſcamus Authorem. Ita Euthimius: *Neque dixit Vis vt te ſanem, quia ijs qui morbo tenebatur ipſum nequaquam cognoſcebat.* Virga Aaron protulit, quod antea non habuit, non radicata plantatione, non de foſſa ſarculo, non animata ſucco, non fœcundata ſeminario, & tamen cum ibi deeſſent vniuerſa iura naturæ, protulit virga, quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice: virga ergo potuit contra naturam nuces edere; ſi enim virga radicata, fœcundata ſemine floreſceret: fructumq; proferret, non Deo, ſed iuribus naturæ flos, fructuſq; tribueretur; ita Deus vult quod opera ſua ei adſcribātur, non alteri, ne tam fortunę dicant homines eſſe opera, quam Dei, fol. 28. dub. 6. Sanctus Ioannes Baptiſta exultauit in vtero matris, ad ſenſibiliter teſtificandum Matri, & per ipſum vniuerſo mundo, quod Chriſti præſentiæ geſtati in vtero à Beata Virgine, gaudium illum internum, quo repletus erat, tribuebat, nec alium gaudij agnoſcebat Anthorem, fol. 314. dub. 107. 2. Reſp. Hac ratione, iuſti accepta beneficia diuinæ gratiæ munus eſſe cognoſcunt, fol. 313. dub. 103. *Vide Feria 4. Domin. 4. Quadrag. num.* 8.

8 *Vis ſanus fieri?* Superflua videtur interrogatio: infirmus enim ſanitatem maximè deſiderat, interrogat tamen, vt indigentiam ſuam cognoſcens, facilius impetret ſalutem. Ita Caſſianus: *Quærit Ieſus, ſi vult ſanus fieri, vt ore profiteretur malum.* Chriſtus enim ſubuenit cum homo neceſſtatem ſuam cognoſcit, fol. 349. dub. 22. 2. Reſp.

9 *Surge, tolle grabatum tuum, & ambulà* Simul Ieſus dat ſalutem vires, remiſsionem peccatorum, ac ſui cognitionem. Quia Dei dona ſemper ſunt in magna abundantia. Ideo in conceptione Chriſti fuit aliquid ſupra naturam, aliquid ſecundum naturam, aliquid contra naturam, aliquid honoris, & gloriæ, vt multa beneficia in B. Virginem accumularet Deus, f. 204. d. 16. Hac ratione dixit Angelus B. M. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, non dixit ſimpliciter veniet, ſed addit ſuper, quia prius inerat per mul-

tam gratiam, ſed nunc ſuperuenturus nunciatur propter abundantioris gratię plenitudinem, quam effuſſurus erat ſuper illam; copioſiſsima enim dona gratiæ in Beatam Virginem congeſsit, fol. 302. dub. 66. Similiter ſexta die concipi voluit Chriſtus, quia ſexta die hominem creauit, pro cuius reparatione homo fieri voluit, coaceruauit Deus in hominem ſua beneficia, fol. 308. dub. 82. in fine. Quapropter Iacob noluit dimittere Angelum, donec triplicem gratiam impetrauit ab eo: ita Principes non ſint reſtricti in erogandis beneficijs, ſed abundanter elargiantur, fol. 19. dub. 140. At verò Principes parce, & reſtricte beneficia præſtant. Vnde Dauid parcus fuit in impendendis fauoribus Thecuiti petenti pro Abſalone, licet reuocaret filium ab exilio precibus mulieris, prohibuit tamen Rex quod Abſalon videret faciem patris, fol. 40. dub. 9. *Vide Feria 4. poſt Dominic. 4. Quadrag. num. 4.*

10 *Et ſtatim ſanus factus eſt. Vide Dominic. in quinquag. num. 3.* Pro Beata Virgine, *vide Sanare.* Et ibi num. 8. in eadem Dominic. multa pro hoc Euang.

11 *Dicit ei Ieſus: Surge.* Caietanus: *Dicendo ſurge, morbum abſtulit, vim ſurgendi contulit.* Auxilio verò Beatæ Virginis peccator ſurgit à culpa, & adiuuat peccatores ad exeundum à peccatis. *Vide Peccator.*

12 *Ecce ſanus factus eſt, iam noli peccare.* A peccato tamen præſeruamur propter Virginem. *Vide Peccatum.*

DOMIMICA SECVNDA QVADRAG.

Matth. 17. verſ. 1.

1 *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Chriſtus ex omnibus hos tres aſſumpſit, quia potiores virtute erant, & vbi eſt maius meritum, ibi & maior Principis fauor debet eſſe. Ita D. Chriſoſtom. *Quam ob rem hos ſolos accepit, quia excellentiores cæteris erant.* Hac ratione dicunt multi Scriptores Beatam Virginem ipſo incarnationis Ieſu Chriſti articulo raptam in tertium cœlum, ibique quædam vidiſſe arcana, quę non licet homini loqui, valuis, veliſque latius illi deductis, & apertis, quam ipſi Diuo Paulo poſtea; quæ enim eminentior fuit Paulo, maiori fauore fuit proſequuta, fol. 345. dub. 217. *Vide Dominica 3. Aduent. num. 3.* Hos ergo tres præ cæteris Apoſtolis fauoribus Chriſtus nobilitat magnis, vtpote præſtantiores, & vbi eſt maius meritum, maior exigitur fauor.

2 Vel ideo ex Apoſtolis hos tres elegit, & aſſumpſit, operibus illuſtriores, quia bonus Præſul pro qualitate meritorum diſtribuit, & præmiat. Ideo cum Eccleſia celebrat Virginis Aſſumptionem in cœlum, in Euangelica lectione referuntur duæ mulieres militantes, vna in vita actiua, altera in contemplatiua, vt cunctis fiat cuidens, ac notum, quod tanta gloria ei confertur iuxta illius præclara merita, fol. 336. dub. 183. Quando Magdalena ſedet ſecus pedes Saluatoris, tunc ab Euangeliſta non nuncupatur Chriſtus, vel Ieſus, ſed Dominus, adumbrabatur ibi Beata Virgo in die Aſſumptionis æternam diuinitatis fruitionem in præmium ſuorum meritorum à Chriſto recipiens: merito ergo hic non dicitur Chriſtus, ſed Dominus, vt denotetur, quod illa merces ei conferebatur, non tanquam à Filio ob fauorem, ſed tanquam à Domino ob coronam iuſtitiæ ei repoſitam, fol. 337. dub. 190. *Vide Dominica in Septuag. num. 9.* Ideo quia Beata Virgo ſummum meritum habuit poſt Chriſtum, & ſummum locum debuit habere poſt Chriſtum, fol. 359. dub. 61.

3 Vel ideo ex multis Diſcipulis tres aſſumpſit Chriſtus ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, vt ex ſingularitate, ac raritate beneficium eſſet in maiori æſtimatione. Ideo Beatę Mariæ priuilegium habere; ſcilicet, fœcundam virginitatem, nec dedit Deus, nec dabit alteri, vt quanto hoc priuilegium Virgini collatum fuit ſingularius, tanto apud Beatam Virginem in maiori pretio habeatur, fol. 339. dub 195. 2. Reſp. Enoc traslatus eſt in cœlum, Elias per turbinem aſcendit in cœlum, Paulus quaſi violentus raptus eſt in cœlum; Maria verò aſcendit innixa ſuper dilectum, vt hic fauor aliis negatus, ſingulariter vero B. Virgini conceſſus, in magna æſtimatione à B. Virgine haberetur, f. 143. dub. 186. Quidam Sancti deducuntur in cœlum per Angelum vnum, alij per plures Angelos, at B. Virgini omnes Angeli, & Sancti obuiauerunt, & ipſe Chriſtus perſonaliter aduenit, vt ex ſingularitate ineſtimabilis redderetur honor, f. 341. dub. 195. 9. Reſp.

4 *Et poſt dies ſex aſſumpſit.* Poſt dies ſex à promiſsione facta, adimplet Dominus promiſſum oſtendens aliquibus eorum Regnum ſuum; ſcilicet, ſuam gloriam, quia Deus adeo verax eſt, quod promiſsis ſtat. Ita Antonius Giſtandis: *Dominus promiſſerat Diſcipulis dicens: Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo tranſactis igitur ſex diebus poſt dictam promiſsionem illos duxit in montem.* Ideo in B. Virgine impleuit promiſſa per Prophetas, vt re ipſa, & opere impleret promiſſa in verbis, f. 15. d. 110. Vnde B. Virgo præter Chriſtum ad locum Altiſsimum aſcendendit, & ratio id exigebat; ſcilicet, Dei promittentis veritas. Dei enim conſtitutio eſt, *omnis qui ſe humiliat exaltabitur*, & qui ſe maximè humiliat, maximè exaltabitur, hoc autem ipſa poſt Chriſtum fecit, vnde poſt Chriſtum maximè debuit exaltare, vt Chriſtus promiſſa adimpleat, f. 359. d. 61. At homo promiſſa, nec ſeruat, nec præſtat, imo fraudolentus eſt in ſuis promiſsionibus. Vnde miranda fuit Salomonis inconſtantia, ne dicam fraudolentiam,

tiam, vt cum promitteret omnia, donaret nihil, vt appareat quam fallaces homines sint, qui multa promittunt, fidem tamen suam non liberant, f. 42 d. 10.

5 *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Tanquam intimos amicos, vt eis aperiat secretum suæ passionis, amicis secreta manifestanda sunt, *vide Dom. in Quinquag. num. 1.* Et nota quod ad Thaboris gloriam non solum assumpsit Dominus tres suos Apostolos, sed etiam duos magnos viros Moysen, & Eliam, vt ostenderet quod sic nouos alumnos, ac Prædicatores honorabat, vt minimè absque honore antiquos Patres, qui pro lege Dei decertuerant, dimitteret. Bonus Princeps veteres, & nouos Ministros, omnesque honorat. Vnde Christus, & carnem ex vtero fœminæ assumere voluit, quia vtrumque sexum hoc modo honorandum iudicauit, assumendo formam viri, & nascendo de fœmina: ita optimi Principes, & Prælati omnes honoribus cumulant, nullumque sine honore dimittunt, f. 250. d. 10. 2. &c. Hac ratione de fœmina, virgine, & desponsata nasci voluit, vt ab omni gradu mulieris opprobrium tolleretur, id est, à coniugatis, à viduis, a virginibus; omnes enim dignatus est honoribus decorare, fœminas quia de fœmina, virgines quia de Virgine, coniugatas quia de desponsata nasci voluit, fol. 281. dub. 10. Ideo Beata Virgo cogitabat qualis esset salutatio Angeli, si enim sciuisset Beata Virgo Maria ad alium quempiam similem factum esse sermonem, præstitumque honorem, nunquam eam quasi peregrinam talis salutatio exterruisset. Exterruit enim eam salutatio, quia videbat se singulariter honore affectam, & alios honoribus non illustratos, cum Dei sit omnes honorare, fol. 293. d. 45. 4. Resp.

6 *In montem excelsum seorsum.* Quia non in frequentia Ciuitatis, sed in secessu à negotijs, & hominum tumultu Deus suos communicat fauores. Ita Hugo Card: *Seorsum à strepitu mundi* Matth. 13. *Dimissis turbis, Apostolis parabolas aperit.* Ideo Angelus dixit Beatę Virgini, quod Dominus erat cum ea; Beata enim Virgo frequentias hominum fugit, propter quod Dominum comitem habere meruit, vnde dictum est, Dominus tecum, fol. 310. dub. 95. Legimus etiam quod Moyses solus erat quando Dominus apparuit ei, ibi. Hac ratione Beata Virgo conuenienter solitudo dici potuit, quæ tam libenter solitaria fuit, quam etiam tanquam libenter solitariam Angelus visitauit, fol. 210. dub. 52. Angelus salutauit Beatam Virginem intus in domo solitariam; illi enim qui foris sunt, id est in publico, non merentur à Deo per Angelum salutari: Iudas dicit Domino: *Aue Rabbi*, non in Domo, sed in agro foris, similiter Iudæi foris dixerunt: *Aue Rex Iudæorum*; Dominus autem non foris in publico, sed intus in domo præcepit salutari, qui igitur foris sunt diuinæ salutationis expertes sunt. Vnde Esau venator dum esset foris Isaac benedictionem amisit; Iacob autem benedictionem recepit, quia domi residebat, vt appareat quod Deus fauoribus suis nobilitat eos qui mundi comercia fugiunt, & solitudinem amant, fol. 283. dub. 152. &c. Ita Dominus Iesus ducit Discipulos in montem excelsum distantem ab hominum commercio, vt fauores suos illis impendat, gloriamque transfigurationis ostendat.

7 *Et transfiguratus est ante eos.* Illa claritas emanabat in corpore Christi ab ipsa anima, vtpote beata, ac hypostaticè Deo vnita. Ita D. Thomas 3. p. q. 65. art. 2. *Illa claritas derivata est in corpus à Diuinitate, & anima eius.* Claritas corporis indicabat claritatem animæ; exterior enim homo interiorem indicat. Ideo Ecclesiasticus in nomine iusti dicit, quod quasi storax, & galbanus, vt vngula, & gutta, & quasi libanus non incisus vaporauit habitationem suam, vaporaui dicit, quia vas apotheratium sapit, & redolet aromatica contenta, etiam ipsis aromaticis contentis; ita quæ extra apparent in iusto, præseferunt ea quę interius habent in anima, fol. 177. dub. 83. 3. Resp. Hac ratione, cor, & venter Beatæ Virginis redolebant virtutum omnium odoramenta, in quo ventre, ille, qui omne bonum est, per tot menses iacuit, ibi. Quapropter Virgo Maria fuit inuenta in vtero habens per excellentiam specialem. Mulieres communiter quando sunt grauidæ, fiunt macræ, discoloratæ, tædiosæ, appetunt varia, sed non fuit sic de Beata Virgine, imò dicunt aliqui Sancti Doctores, quod ex quo Virgo fuit grauida, radij splendoris procedebant de facie sua, & illa figura coniecturam fecit hominibus Deum in ea esse, fol. 253. dub. 26. & fol. 259. dub. 45. Similiter vultus peccatoris animum eius demonstrat. Vnde Salomon de lasciua muliere ait, quod est in ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impaciens, nec valens domi consistere, vt ex incompositione mulieris animum inhonestæ fœminæ ostendat, fol. 98. dub. 5. Vel ideo transfigurari voluit, vt ostendat Discipulis qualem gloriam, & præmium electis suis est redditurus. Deus enim signa dat aliquando doni quod collaturus est. Ideo Angelus annuntians apparuit Beatæ Virgini corporea visione, vt non solum mens eius, sed etiam sensus corporei visione Angelica refouerentur, in signum quod Beata Virgo non solum in mente, sed etiam in corporeo ventre erat Filium Dei receptura. Ita Christus ostendit gloriam suam Discipulis suis in signum illius gloriæ, quam electis donaturus est, fol. 280. dub. 5.

8 *Resplendit facies eius sicut Sol.* Facies Christi resplenduit vt Sol, cum splendor vultus Saluatoris fuerit alterius rationis, ac ordinis à splendore Solis: nam fulgor vultus Christi super-

pernaturalis erat, proueniens à Beatitudine animæ, quæ est supernaturalis, ac proinde huiusmodi splendor Solis lucem superabat, tamen facies Christi resplenduit sicut Sol, non potius super Solem, ne appareret in splendoribus singularis, imo singularitatem vitaret. Ita Silueira: *Noluit Dominus Solis splendorem superare, ne noua, ac singulari luce, niteret, sed ea, quæ aliqualem societatem, ac consuetudinem cum commune habet.* Maximè in omni negotio fugienda singularitas, *vide Dom. 1. Quadrag. num. 10.*

9 *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Non emendicata luce à Sole materiali, sed propria, ac naturali luce sua; quilibet enim sua debet luce fulgere, non aliena. Vnde aliqui homines sunt sicut Luna, quæ Luna dicitur, quasi lux aliena, & lumen habet à Sole, Sol vero quasi lux lucens, cætera vero sunt lux illuminata, ita aliqui sunt sicut Sol qui habent splendorem congenitum, & innatum, alij vero emendicatum, & acceptum. f. 383. d. 35. 6. &. *Vide Dominica in Sexages. n. 3. & applica pro hoc discursu.* Pro pulchritudine B. Virginis, *vide Pulchritudo.*

10 *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Excellentiori luce super Solem relplendebat Dominus, & tamen sic moderauit claritatem, vt tanquam Sol nitens videretur: non enim mensus est Dominus ostentationis pompam pro potentia, ac maiestate propria, sed pro Discipulorum, quibus manifestabatur, captu, & fragilitate. Ita D. Chrisost. apud Hugo Cardin. *Tantum splendoris adaperuit, quantum poterant ferre.* Talis est enim Deus, vt aliquando potentiæ suæ vires reprimat, vt dilectos suos honoribus afficiat. Hac ratione Angelus dixit B. Virgini, virtus Altissimi obumbrabit tibi, per virtutem Altissimi intelligunt multi Filium Dei, & sicut vmbra ex lumine, & corpore ei obiecto conficitur, sic ex ipsa Diuinitate, quæ lux est ex corpore humano Christi, resultauit in Beatissima Virgine quædam vmbra, vt ipsam Diuinitatem in se sustinere posset, quia sine hac obumbratione non posset eum sustinere, fol. 303. dub. 69. 6. Resp. in fine. Ita Dominus Iesus si totum diuinæ gloriæ fulgur coram illis exhibuisset, cum adhuc pro humanæ vitæ conditione incapaces existerent, vehementissimè eos consumeret, nec possent sustinere, ideo luces sic communicauit, vt accipientium capacitati adaptaret.

11 *Nesciens quid diceret.* Petrus inscientis nota sugillatur, quia in piscatoris officio se exercuerat, & nunc ædificatoris arti se ingerit; non enim debet homo se intromittere in eo quod ad eum non pertinet. Ita D. Proculus Serm. de Transfigurat. *Ex piscatore factus tabernaculorum fabricator dum seruatorem his compellat verbis, faciamus tria tabernacula, nesciens quid diceret.* Hac ratione Christus in nuptiis Matrem mulierem appellauit, ad significandam rationem, qua scilicet non imputandus esset illi vini defectus; non enim est muliebre officium prouidere de vino, sed ad inuitantes spectabat, non est mulieris quæ alieni muneris sunt facere, fol. 350. dub. 23. 3. Resp.

12 *Nesciens quid diceret.* Quia cum tria tabernacula volebat facere, eadem mensura Dominum, & seruos, Regem, ac subditos metiri desiderabat, & alienum à recta ratione erat Dominum cum seruo metiri. Ita D. Basilius: *Suam ipse socordiam arguit cum Dominum cum seruis annumerat, subiectos pari honore cum Domino putauit esse.* Vnde Filius Dei licet in Natiuitate nobiscum participauerit, à nobis tamen discrepauit, quia absque concubitu natus, vt designaret quod Dominus, & serui, Prælatus, & subditus, licet in aliquibus conueniat, debent tamen discrepari, fol. 301. dub. 65. 2. Resp. Hac ratione licet naturalis fuerit productio Iesu ex Virgine, quoniam in naturali loco, naturali materia, naturalibus actionibus partis vegetatiuæ B. Virginis productus, tamen supernaturalis fuit modus magnum enim debet esse inter Prælatos, & subditos discrimen, fol. 304. dub. 71.

13 *Hic est Filius meus.* Beata Virgo eundem Filium meruit habere cum Deo Patre communem, & nullus tantæ Virginis Filius esse poterat, nisi Deus factus homo, erat vnigenitus Patris, decuit vt esset vnigenitus Matris, & nulla Mater dicere posset, Filium quem parturit, esse ex toto suum excepta Beata Virgine. *Vide Filius, Mater.*

14 *Nemini dixeritis visionem hanc donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quia res magna proportionato, & opportuno tempore manifestanda est. Ita Hugo Card. *Donec Filius hominis à mortuis resurgat,* Eccles. iast. 8. *Omni negotio tempus est, & opportunitas.* Eccles. iast. 11. *Ne laudes hominem in vita sua.* Lucæ 12. *Quis putasset fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram.* Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Ideo Beata Virgo Maria secreta quæ nouerat non diuulgabat, sed tempus loquendi expectabat, fol. 327. dub. 158. 2. Resp. & dub. 159. 1. Resp. Non loquebatur Virgo, vt secretum sibi commissum corde custodiret, & congruo tempore promeret. *Vide Secretum.*

FERIA QVARTA POST DOMINIC. secund. Quadrag.

Matth. 20. vers. 17.

1 *Assumpsit duodecim Discipulos secreto.* Discipulos segregauit à turba ad loquendum eis, ac proinde secretè; id est, seorsum à turbis, vt nemo alius audiret, nisi illos, quos ipse volebat scire rem. Quia secreta cordis solis amicis sunt committenda. Ita Theophylactus: *Secretum erat mysterium, quod solis familiaribus re-*

ne-

uelandum erat. Vide Domin. in Quinquag. num. 1

2 *Filius hominis tradetur.* Chriſtus prædicit Diſcipulis ſuam paſsionem, vt eam præuiſam leuius ferrent. Quia præuiſa aduerſitas minus ferit. Ita Theophylactus in cap. 10. Marci. *Prædicit Dominus Diſcipulis euentura, vt mentes eorum præparet, quo prius audita facilius ferant, & non ſubitò percellantur animo.* Hac ratione Beata Virgo in hora, qua Filium concepit, crucifixa fuit cum Chriſto, & in ſignũ quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit ſumma ſapientia Dei, quod eodem die Virgo Chriſtum conceperit, quo etiam fuit paſſus in illa enim die conceptionis Filij, præſcia fuit mortis Chriſti, vt Beata Virgo, quam prænoſcebat, & expectabat Filij mortem, poſtea leuiorem in morte Chriſti dolorem ſuſtineret, fol. 308. dub. 82. 1. ℟. Eadem ratione quando Beata Virgo Filium pannis inuoluit, quoties aſpiciebat eum, quoties videbat eius manus, & pedes, cogitabat quommodo Filius tempore paſsionis crucifigeretur, vt hac cogitatione præparata Beata Virgo tolerabilius ferret Filij paſsionem, nam tribulatio, qua ſubito venit nimis grauis, quæ vero prænoſcitur, tolerabilior eſt. f. 326. d. 153.

3 *Aſſumpſit duodecim Diſcipulos.* Hugo Card. *Diſcipuli autem Domini ſunt, qui eius audiunt lectiones, quarum prima eſt humilitatis, ſecunda manſuetudinis,* Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, tertia charitatis,* Ioann. 13. *In hoc ſcient omnes, quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Verus Chriſti Diſcipulus Chriſtum imitatur. Vnde iuſtus Stella matutina, ſeu Lucifer appellatur; Lucifer enim Solem ſemper comitatur, & tunc quando Solem ſequitur, veſperus appellatur; ita iuſtus veſtigia Chriſti continuè ſequitur, & aſſectatur, fol. 198. d. 158. 3. ℟. Et Sponſa rogat poni vt ſignaculum ſuper cor Sponſi, ſignaculum dicitur cuius vel forma, vel imago ſolet ceræ imprimi, vt cera recipiat formam ſigillitis ita Spõſa, ſeu iuſtus deſiderat ponere Chriſtum vt ſignaculũ, ſeu ſigillum ſuper ſe, vt Chriſti imaginem referat, fol. 143. dub. 188. Beata quoque Virgo Maria, non vitem, ſed quaſi vitem ſe nominat; Dominus Ieſus Chriſtus de ſe propriè dicit: Ego ſum vitis, ecce excellentia Chriſti; Virgo autem Maria non habet æqualem excellentiam cum Chriſto, quia ipſe eſt Creator, & ipſa creatura, & ideo ipſa non æquiparat ſe Chriſto, ſed temperando verbum, ſibi aſsimilando ſe dicit: Ego quaſi vitis; nolo enim æquiparari, vel æquari, ſed aſsimilari: ita iuſti, & veri Chriſti Diſcipuli curant eius ſimilitudinem, formam, & ſpeciem in ſe exprimere, fol. 180. dub. 90. *Vide Fer. 6. poſt Cineres, num.* 9.

4 *Aſſumpſit duodecim Diſcipulos.* Vt tanquam bonus Princeps haberat communem benignitatem in omnes. Ita Silueira: *Omnes aduocat, vt adimpleat in differentem benignitatem boni Principis, ac præfecti in omnes, nam fauor alicui ſingulariter impenſus ſæpè partialitates parit.* Ideo Sara non modo filium in ſingulari, ſed etiam filios in plurali, vt eſt in Hebræo, lactaſſe dicitur, quia non ſolum proprium filium, ſed etiam alienos domum ſuam inuitatos ad lactis vbertatem oſtendendam indulgentiſsimè lactabat, omnibus ſuam benignitatem oſtendens, fol. 16. dub. 115. Hac ratione arca fœderis clauem dicitur non habuiſſe, ſed aperta, & reſerata erat, vt doceat Principem, & Prælatum ſuam benignitatem non claudere, ſed omnibus communicare, fol. 46. dub. 37. Et Dominus Ieſus ſicut pro vtroque populo venit, ſic in ſignum huius benignitatis de vtroque naſci voluit, fol. 205. dub. 34. Et Beata Virgo Filium ſuum peperit inuia, vt poſſet ab omni prætercunte capi, & dicerent tranſeuntes: Filius data eſt nobis, nobiſque apparuit benignitas Saluatoris, f. 171. dub. 67. 2. ℟. Omnes ergo Diſcipulos vocat Chriſtus, excludit nullum, in bono enim Principe, & Prælato nulla debet eſſe particularitatis nota. Hac ratione idem Angelus, qui Zachariæ prędixerat aduentum Meſsiæ, miſſus fuit ad Beatam Virginem ad annuntiandum conceptionem Meſsiæ, ne ſi ſolum ad Zachariam, & non ad Beatam Virginem mitteretur, partialitatis nota inureretur, f. 280. d. 4. 2. ℟.

5 *Tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget.* Ita lætanter paſſurus erat Dominus Ieſus pro hominum ſalute, quod minutatim refert Diſcipulis cruciatus, quos ſubiturus erat, oblectatus memoria laborum, quos ſuſtinere erat paratus. Hac ratione Beata Virgo ordinem Dominicæ Paſsionis docuit Euangeliſtas; lætabatur enim & gaudebat ſigillatim, & ex ordine narrans probra, & ludibria, quæ Filius pro redemptione generis humani paſſus fuit, fol. 118. dub. 71. *Vide Fer. 2. Reſurrect. num.* 8.

6 *Adorans, & petens.* Humiliauit ſe mulier, & deiecit, vt poſtulata impetraret. Quia humilitas diſpoſitio eſt ad diuina beneficia obtinenda. Ideo Beata Virgo non dixit, quod Dominus reſpexit charitatem ſuam, cum charitas ſit præcipua virtutum, ſed humilitatem, quia licet charitas ſit radix meriti; humilitas tamen inter alias virtutes fuit diſpoſitiua ad conceptionem Filij Dei, fol. 320. dub. 129. Et Deum paritura, humilitatem debuit ipſa præferre, quia humilitas diſponit ad diuinos fauores conſequendos, fol. 306. d. 76. 2. ℟. Vnde Beata Virgo comparatur nardo, quæ herba humilis eſt, & ſignificat B. Virginis humilitatem, quæ Verbum Dei cum eſſet in acubitu ſuo, id eſt, in ſinu Patris illexit, fol. 112. dub. 14. Gratiam quoque inuenit propter ſuam humilitatem, f. 150. d. 4.

6 *Adorans.* Mulier acceſsit adorans Chriſtum, Beata tamen Virgo adorata fuit ab Angelis, quando Filium peperit, imo Angelorum exer-

exercitium ordinatum positum in Matris, & Filij adoratione. *Vide Adoratio.*

8 *Accessit Mater.* Cum mulier esset Mater, magno affectu tenebatur ad filios, ideo petebat sedes pro filijs suis; valde enim proficuus est filijs amor matris. Ita D. Chrisost. *Audacem fecerat eam naturum affectus.* Hac ratione plus amor matris Iacobo, quam amor patris profuit Esau, f. 17. d. 121. Ideo mater indulgentior in filium est quam pater, f. 19. d. 142. Quapropter licet amor patris ad filium sit solidior, amor tamen matris est tenerior, f. 214. d. 68.

9 *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in Regno tuo.* Ipsi cogitabant Regnum Christi esse temporale, ac terrenum, vt cuiuscumque alterius Regis, v. g. Dauidis, vt docent D. Chrisost. Theophil. B. Albertus Magnus, hoc tamen eis non concessit, ne temporalis dignitas in eorum damnum verteretur. Et beneficium largiendum est sine detrimento eius, qui beneficium recipit; vnde pluuia perfundens vellus, illud integrum, illibatumque conseruat; ita qui aliquem ornat beneficio, attendere debet, ne vertatur in detrimentum eius, cui beneficium confertur, f. 81. d. 83. Similiter nubes est solaris radij incorporatiua, tamen radius qui in ipsa nube incorporatur, ipsam penetrans non scindit, nec ipsa nubes diuiditur: ita benefactor beneficia sua conferat, sine lęsione eius, cui beneficium largitur, f. 206. d. 36. 2. &. Eadem ratione Dominus descendit in B. Virginem manente virginitatis integritate, sicut ros descendit in lilium sine lilij corruptione, ne ad altissimum honorem Matris Dei eucheretur cum virginitatis lęsione fol. 212. d. 61. 3. &. Et Angelus dixit B. Virgini: Virtus Altissimi obũbrabit tibi, non lædendo, sicut vmbra nec lædit, nec grauat, ne tale beneficium largiretur B. Virgini cum læsione, & grauamine ipsius, f. 303. 6. &. In cursu quoque naturæ videmus, quod Solis radius, & claritas intrans speculum, reddit speculum aptum ad receptionem imaginis ipsius Solis, qui tamen Sol est in cœlo & nihilominus sine læsione, & violatione speculi, radius, & imago Solis, intrant speculum, ingrediũtur, & egrediuntur vsque ad oculos intuentium speculo totaliter perfecto, & integro remanente: ita qui beneficium largitur, curet ne sit in læsionem, & damnum recipientis, f. 148. d. 13. 3. &.

10 *Nescitis quid petatis*, cum petant iure consanguinitatis, & non meritorum enixi, & dignitas non est danda affectu sanguinis, sed ratione meritorum. Ita Silueire: *Quia ipsi materno fauore, ac sanguinis propinquitate videbantur innixi ad petendum, cum hoc nihil valeret apud Diuinum Magistrum, ad obtinenda munera.* Vnde quando Magdalena sedet secus pedes Saluatoris, tunc ab Euangelista non nuncupatur Christus, vel Iesus, sed Dominus, adumbrabatur ibi Virgo in die Assumptionis æternam Diuinitatis fruitionẽ in præmium suorum meritorũ a Christo recipiens, merito hic nõ dicitur Christus, vel Filius Virginis, vel Iesus, sed Dominus, vt denoretur quod illa merces ei cõferebatur non tanquã à Filio ob fauorem, & affectũ sanguinis, sed tanquã à Domino ob coronã iustitiæ, f. 337. d. 190.

11 *Nescitis quid petatis.* Postulatas sedes negat Christus Mariæ Salomẽ: at B. Virgo quidquid pro peccatoribus petierit impetrabit, quia confidenter rogat pro nobis, & exauditur à Deo in omni petitione sua, & pro quacunque re postulata. *Vide Petere.*

12 *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Interrogat eos si possunt bibere calicem, quem ipse bibiturus est; per calicem poculum suarum iniuriarum, & passionis intelligit; quasi dicat: Consors erit in Regno, qui particeps fuerit in laboribus meis. Ita Theoph. *Quia non potest quis fieri particeps Regni mei, nisi mearũ passionum particeps fit.* Ideo B. Virgo petit, vt trahi post Christi Ascensionẽ in cœlũ; sicut enim desiderauit Christi aduentum in carnem, ita omnibus modis optauit venire ad ipsum post Ascẽsionem, vt sicut cum Filio fuerat peregrinata in terris, ita cum eodem regnaret in cœlis; sicut enim dolor pertransijt Mariæ animam in passione Filij, cum Filius moreretur, ita in Ascensione cum à Filio separaretur, & ideo optans Filij præsentiam, ait, trahe me post te, f. 110. d. 7.

13 Vel ideo petẽtibus honores, & dignitates calicẽ laborum offert, quia gloria non obtinetur nisi per labores, & sudores. Angeli non egebant scala ad ascendendum in altum, tamen per eam conscendebant, vt docerent quod qui ad cęlum volunt ascendere, laborem multum, vel multum operę, & studij in hac re debẽt consumere; nam qui vult ascendere per scalam appẽdit se ei manibus, pedibus, & genibus; non enim ascendũt in altũ nisi cũ multo corporis labore, f. 18. d. 133.

14 *Quem ego bibiturus sum.* D. Marcus de præsenti, ait, *quem ego bibo.* Loquitur de præsenti, *quem ego bibo*, vt eos prouocaret, & induceret ad illum calicem passionis appetendũ. Multũ enim mouet præsens exemplũ ad imitationem. Ita D. Chrisost. *Alliciens*, inquit, *quem ego bibiturus sum, vt communicatione laborũ cum ipso promptiores reddèrentur.* Hac ratione B. Virgo nuptijs præsens adfuit in Cana Galileæ, vt Sponsi omni morum probitate, ac compositione exẽplo B. Virginis instruentur, ideo honestissimæ Matronæ ad nuptias vocabantur; & hac de causa sanctissima Dei Mater fuit inuitata, vt exẽplum honestatis eos moueret ad honestatẽ, f. 347. d. 13. Vnde B. Virgo speculũ sine macula appellatur, & lux nostrarũ macularũ ostensiua, in quam respicientes debemus nostras maculas abstergere; qui eã intuetur inducitur ad imitationẽ. f. 148. d. 13. 4. &. Ideo nomẽ B. Virginis oleo effuso comparatur, quia quanto magis forma eius declaratur, præsens habetur, & fama virtutis eius diffunditur, tanto magis aliæ virgines ad illius imitationem inuitantur, f. 110. d. 6.

15 *Et audientes decem indignati ſunt.* Omnes Diſcipuli mutuum primatum ambiebant, vt Matth. 18. verſ. 1. Lucæ 22. verſ. 4. habetur, ideo indignabantur quod alij præponerentur, & poſtponerentur ipſi. Ambitioſi enim multis tormentis cruciantur, cum alijs ſcilicet, præferuntur, & ipſi non præficiuntur. Ita Caietanus: *Vna erat radix peccati omnibus; ſcilicet, appetitus primatus: nam illi duo manifeſte petierunt primas ſedes; & iſti decem indignati ſunt, quod omnes ipſi poſtpoſiti ſint ab illis duobus: ex eodem ſiquidem more prouenit vellet primatum, & nolle poſtponi.* Ideo eor ambitioſi comparatur inferno, quia ambitioſus plenus eſt omni genere tormentorum, cruciatibus agitatur, cum videt alios euectos ad dignitates, & ſe poſtpoſitum, f. 191. d. 128.

16 *Non eſt meum dare vobis.* Beata tamen Virgo tribuit cui vult, & quando vult, & facilime impetrat quidquid complacet ei dare. *Vide Dare.*

Quicumque voluerit inter vos maior fieri ſit veſter miniſter. Ideo Beata Virgo, quia maior omnibus ſeruitrix eſt, & miniſtra peccatorum, imo inſtar Filij venit miniſtrare, & miniſtrat in cœlo, in terra, & in Purgatorio. *Vide Miniſtrare.* Proprietates ſerui ei conueniunt, & ſe totam in ſeruitio noſtro ponit. *Vide Seruire.*

17 *Sedere ad dexteram.* Beatæ Virgini dextera cœli pars in qua ſedeat præparata eſt, f. 241. d. 1. Et nihil creditur altius in cœlo ſede Beatæ Virginis, quę ad dexteram Filij ſedere creditur, f. 381. d. 33.

18 *Quicumque voluerit inter vos maior fieri erit veſter miniſter*, vt quanto quis maiori eminet dignitate, tanto magis ſe cognoſcat arctiori ſeruitute ſubiacere. Ita D. Hieronymus: *Tale ponit exemplum, quo doceat, eum maiorem eſſe, qui minor fuerit, qui omnium ſeruus ſit.* Vnde Beata Virgo nato Ioanne Baptiſta, reuerſa eſt in domum ſuam; ad hoc enim fuerat, vt miniſtraret Eliſabeth in partu; quanto enim Beata Virgo excellentior erat dignitate, vtpote in Matrem Dei euecta, tanto ſe exhibebat miniſtram, & ſeruam, f. 322. d. 139. 1. Reſp. Hinc eſt quod Sancta Eliſabeth mirabatur de humilitate Virginis Matris Dei, quod venerit ad eam viſitandam, ſed magis mirabatur quod inſtar Filij, venerat ipſa non miniſtrari, ſed miniſtrare, f. 85. d. 101. Prælatus ergo miniſter ſit, & ſeruus ſubditorum, ſeruus totus ſeruituti Domini addictus eſt, ac proinde, qui Prælatus eſt totus addictus eſt bono, ac ſeruituti ouium. *Vide Feria 5. in Cœna Domini, num. 9.*

FERIA SEXTA POST DOMINICAM ſecundam Quadrageſimæ.

Matth. 21. verſ. 33.

1 *Homo erat Pater familias.* Cum vineam plantauit, Pater familias dicitur, cum autem ad rationem petendam venit, Dominus vocatur: *Cum venerit Dominus ſeruorum illorum*, ibi namque paternum eſt nomen, vbi quid benignum reperitur, vbi multumque benignitatis erga ſubditos ineſt. Prælatus enim erga ſubditos humanus, & benignus debet eſſe. *Vide Dom. in Septuag. num. 1.* Vel ideo Pater familias dicitur Prælatus ob curam quam de ſuis ſubditis habet. Ita Silueira: *Cum dicitur Pater familias denotatur valde peculiariter prouidentia, quam circa vnumquemque noſtrum habet, vt Pater familias erga quemlibet ſuæ familiæ. Vide ibi, num. 2.* Vel Prælatus ſe Patrem nominat; Pater maximè diligit filios, vt hoc nobis manifeſtet quanto amore Prælatus ſubditos debet proſequi, *ibi, num. 3.* Vel tunc Pater poteſt appellari, cum officia Patris ſubditis præſtat, *ibi.* Vel ideo Pater non vnius, vel alterius, ſed familias dicitur, quia Prælatus non vni, vel alteri, ſed omnibus paternum amorem debet exhibere. Vnde licet Beata Virgo Maria vnum tantum pepererit Filium, ſcilicet, Chriſtum Dominum, tamen dicitur primogenitus eius, quia ipſa Sanctiſsima Virgo omnes homines adoptauit in filios, vt maternum amorem omnibus præſtaret, fol. 324. dub. 145. 3. Reſp. Hac ratione non ait Euangeliſta, quod Chriſtus in Cruce pendens dixit Ioanni: Ecce Mater tua, ſed dixit Diſcipulo: Inter vtrũque nomen hæc eſt differentia, quod Ioannes nomen eſt particulare vnius particularis perſonæ: at vero Diſcipulus nomen eſt commmune; nam omnes qui eo tempore Chriſto adhærebant, Diſcipuli vocabantur, vtitur ergo hic nomine communi omnibus, vt innuat quod ipſa Virgo Maria dabatur omnibus in Matrem, vt omnibus Matris amorem, & beneuolentiam oſtenderet, fol. 358. dub. 55. Ideo Beata Virgo Maria cum vnicum tantum habeat Filium dicitur benedicta inter mulieres, licet aliæ eam ſuperent multitudine prolis, quia ex eo quod talem Filium produxit, omnium credentium Mater effecta eſt, omneſque ei cordi ſunt, fol. 310. dub. 94. Prælatus omnibus paterna præcordia patefaciat, ſubditos, & omnia ſua ipſis ſint incluſa medullis, in medullis ei, ac viſceribus hæreant.

2 *Pater familias.* Et Beata Virgo Mater eſt ſpiritualiter viuentium, f. 111. d. 72. & f. 96. dub. 161. Et gloriatur quod ſit Mater omnium, fol. 100. d. 18. f. 119. d. 81. f. 181. d. 95. f. 358. d. 55.

3 *Homo erat Pater familias.* Nominatur non gloriioſis nominibus Deus, omnipotens, & æternus, ſed homo Pater familias, Quia Deus à beneficentia potius, quam à maieſtate vult agnoſci. Ideo Beata Virgo, Mater Dei agnoſcebatur ex beneficijs quæ diffundebat, f. 313. d. 105.

4 *Qui plantauit vineam.* Non eam plantauit Pater familias in proprium incommodum, ſed in aliorum prouentum. Beneficia debent alijs elargiri ad eorum vtilitatem, ſine pro-

prio

prio tamen detrimento. Ideo cum mulier fœtum producens, terra quoque fructum emittens realiter aperiatur, cœlum emittens pluuiam, in nullo frangitur, vel aperitur nisi in effectu, apertio non est per fractionem, sed per effectus largitionem; sicut enim cœlum pluuiam terræ diffundit, nec infringitur, nec disrumpitur, cum aqua è cœlo decidit ad terræ vtilitatem, sed aperitur per aquę largitionem, non per fractionem; ita benefactor dona diffundat propriam vitans fractionem, & diminutionem, alienum tamen intendens commodum, & vtilitatem, f. 32. d. 5.

5 *Qui plantauit vineam.* Silueira: *Ex suis propriis rebus.* Benefactor ex proprijs non de alienis conferat beneficia. *Vide Dom. in Sex. n. 3.*

6 *Qui plantauit vineam.* Homo Pater familias Deus est, cuius omnipotentia multos per annos operosissime fabricata est B. Virginem, opusque est singulare Dei, quod admirantur tam Angeli, quàm homines. *Vide Opus.*

7 *Plantauit vineam.* Scilicet, per se ipsum plantauit vineam, circundedit, fodit, vt in maiori æstimatione eam haberent agricolę, quibus locanda erat. Et beneficium quod proprijs manibus largitur, magni habendum est à recipiente. Vnde Beatissima Virgo tunicam illam inconsutilem, qua Christus Dominus vtebatur, nec vnquam exuit, nisi pro nobis flagellandus, & crucifigendus, suis manibus confecit; vt tunicam manibus B. Virginis, non alterius confectã, in magno pretio haberet Christus, f. 354. d. 45. Hac ratione Deus immediatè fecit, & per se ipsum mundum creauit, & Adam sine adiutorio cuiuslibet agentis, & Christum sine auxilio hominis generantis, vt inestimabile esset pretium huius beneficij, f. 368. d. 3.

8 *Et sepem circundedit ei.* Ad defensionem vineæ, & custodiam; suos enim Deus custodit, & tuetur. Hugo Card. *Id est, Angelorum custodiam, qui pro eis; scilicet, Iudæis pugnabant, & ab alienigenis, vt à Philisthæis defendebant.* Ierem. 51. *Curauimus Babylonem.* Glos. *Auditæ sunt Voces Angelorũ in aere, migremus ab his sedibus, vel sepes fuerũt Reges qui eos defendebant.* Et B. Virgo data est nobis ad defensionẽ nostrã, *vide Defend.*

9 *Et locauit eam agricolis.* Silueir. *Per hos colonos vineæ multi interpretes intelligunt Sacerdotes, ac Pastores Ecclesiæ, vt fiat documentum, quod bona Ecclesiarum eis non dantur, sed locantur, & quod censum debeant pendere, non propriæ cognationi, aut negotiosæ ambitioni, sed Dei pauperibus.* Quia Ecclesiæ Prælatus bona Ecclesiæ ei data in pauperes debet distribuere. Ideo Sara non modo Filium in singulari, sed etiam filios in plurali, vt est in Hebręo lactasse dicitur, exuberans lac Sarę Dei dono habitũ exigebat, vt non solũ proprium Filium, sed filios, hoc est, multos infantes, pauperes domum suam inuitatos lactaret: ita Prælati Ecclesiæ bona Ecclesię Dei dono accepta pauperibus erogent. f. 16. d. 115. Luna Mater roris est, & vim suæ humiditatis aeri imprimit, & aerem fluxibiliter alterans, & immutans in ipsius superficie rorem gignit: vnde manifeste videmus, quod æstiuali tempore quanto Luna est serenior, tanto abundatior ros super gramina se ostendit; ita Prælati non sibi bona retineant, nec vane inhumant, sed in pauperum vtilitatem impẽdant. f. 133. d. 148. 2. &c. Vnde B. Virgo, quę speculũ fuit Prælatorum, aurũ oblatũ à Magis pauperibus largiter erogauit, vt instruant Prælatos bona quę ab Ecclesia habent, pauperibus elargiri, f. 364. d. 4. Pater ergo familias non alienauit vineam à se, vel in alios transtulit dominium, sed certis annis vsum committit alijs, pacto inito, vt tamen quotannis certam portionẽ fructuum sibi reddant; ita Deus Prælatis non dedit bona Ecclesię, sed locauit, pacto quasi inito, vt certam bonorũ portionẽ tempore suo ei, id est, pauperibus dent.

10 Vel ideo locauit eam agricolis, vt ab ipsis maximè æstimaretur, nam beneficia quo magis particularia, eo magis æstimantur. *Vide Dom. 2. Quad. n. 3.* Vel locauit eã agricolis, vt in vinea laborarẽt, quoniam nostra salus non fit sine nobis operãtibus. *Vide Fer. 6. post 1. Dom. Quad. n. 6. Et locauit eam agricolis.* Non vni, sed multis, Deus multis vult sua dona communicare, similiter, & Princeps in multos trãsfundat. *Vide Fer. ant. n. 4.*

11 Vel *locauit eam agricolis* indignis, vt maior Patris familias largitas appareret indignis agricolis vineam locans; maior enim fauor est cum male meritis impenditur. Ideo B. Virgo à bonis, & à malis orta est, à malis quidem, vt Deus misericordior erga peccatores manifestaretur, qui à malis, & indignis voluit oriri, f. 107. d. 2. *Hic est hæres.* Et B. Virgo Maria portio, & hæreditas Dei est, f. 158. d. 42.

12 *Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Silueir. *Cum vineam ordinat homo, ac Pater dicitur ob humanitatem, ac pietatem. Homo quidã Pater familias plantauit vineam, postea vero cum de ratione exigenda agitur, Dominus nuncupatur. Cum ergo veniret Dominus vineæ ex. quo deprehende, quod suum rigorẽ explicat sub Domini nomine, vt qui Dei benignitatem, ac humanitatẽ spreuerit, sciat quod in Dei iram, ac indignationem incidet.* In Prælato sit lenitas, & rigor, vt qui lenitatem contemnunt, rigorem sustineant. Ideo dulcissimum nomen Iesu terribile ponitur, vt his qui dulcedinem eius despiciunt, horribilis sit dulcedo tanto furore respersa, f. 95. dub. 155. *Vide Dom. 1. Aduent. n. 2. & Dom. in Ramis num. 10. Sicut Prophetam eum habebant.* Et B. Virgo magna prophetissa, *vide Prophetæ.*

DOMINICA TERTIA QVADRAG.

Lucæ 11. vers. 14.

1 *Erat Iesus ejiciens dæmonium.* Denotat illud *erat* quandam veluti moram, poterat Christus diabolum in instanti eijcere, disponit tamen sic cum quadam mora expellere, vt doceat homines non subito, sed paulatim res peragere. Ideo legimus quod Angelus ingressus est ad B. Virginem, quibus verbis describitur corporalis species

Angeli; ingressus enim corporalem motum significat: ita quod non apparuit tanquam ex improuiso in aula, sed gradiens ad Virginis aulam introiuit, vt insinuaret quod illud negotium sibi commissum non repente, sed paulatim, lenter, & cum cunctatione agebat, f. 282. d. 15.

2 Vel ideo Christus aliquali mora vsus est in hoc miraculo edendo, cum aliquali temporis dilatione, veluti iuxta nostrum modum dicendi, cuncta prudenter præponderans, & considerans, quia opera non temere, sed caute, prudenter, & considerate facienda sunt. Ita Silueira: *Quamuis Christus Dominus cuncta in instanti operari valeat, hæc omnia velati contemplabatur, vt ex hoc nobis sit morale documentum, quod res non tantum secundum potentiam, sed potius iuxta prudentiæ, ac rationis metas sunt ordinandæ.* Vnde Sanctissimus Ioseph cum nollet B. Virginem traducere voluit occulte dimittere eam, in quo apparuit viri iusti prudentia, qui sciens, & prudens hæc machinatus est, cogitato, consulto, & decreta opera, multaque præmissa meditatione, volebat eã occulte dimittere, f. 254. d. 31. 4. &.

3 Vel ideo dicitur: *Erat eiiciens*, vt denotet Euangelista Saluatoris quandam in opere perseuerantiam. Quia homo in opere suo consistere, & perseuerare debet. Hugo Card. *Continuationem denotat præteritum imperfectum. Vide Dom. in Sexag. n.* 6. At peccator inconstans est, & instabilis in operibus suis, qua ratione aquis comparatur. Aquæ sua natura fluxibiles sunt, & instabiles, ideo congruenter hominem adumbrant, qui fluit continue per mutationem, nec in bono opere persistit, f. 3. d. 17. *Vide Dom. in Sexag. n.* 6.

4 *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Iesus vocatur dum contra dirum inimicum pro homine pugnat; Principis enim est pro suis stare, & pugnare. Ideo D. Stephanus dum lapidaretur vidit Iesum non sedentem, sed stantem; quasi promptũ, paratum ad auxilianduin in tormentis; per verbum standi exprimitur habitus adiuuantis, iniurias vindicantis, & pro seruo pugnantis, f. 73. d. 49. 3. &. Hac ratione Spiritus Sanctus superuenit in B. Virginem, vt in Apostolos, vt eos, & B. Virginem contra omnem aduersariam tueretur potestatem, f. 301. d. 65. 6. Resp.

5 *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Quia Prælatus omnem potentiam, & animi fortitudinem contra huius sæculi potentes fortiter debet opponere. Ideo comparatur fluuio, qui dicitur Tigris, & interpretatur velox, vel sagitta, & vadit contra Assyrios, quia Prælatus potentibus valide debet obsistere, f. 188. d. 114. Et B. Virgo quę speculum est Prælatorum dicitur sagitta salutis Missa contra Syriam, quia quasi sagitta Domini destruxit superbos: ita Prælatus strenue, & viriliter vim potentium frangat, ibi. Vnde facies Prælati debet esse, sicut facies leonis; in leone enim magnanimitas denotatur quę debet esse in Prælato, vt sit magni animi, & excelsi vir, qui infractio, & inuicto animo potentibus se obijciat; fol. 300. d. 83. 4. &. Quapropter qui vocatur ad Prælaturam, & pusilli animis, & ignauus est, dicat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, id est, viri proprietatem non habeo, scilicet, magnanimitatem, vt magnanimiter, & fortiter singulari animo, & virtute potentissimis se opponat, ibi, in fine. Et nota pro B. Virgine. Quod Christus in vtero Virginis armauit se cõtra diabolũ pugnaturus, f. 75. d. 59. Et fortitudo Christi ad diabolum prosternendum ex B. Virgine, fol. 102. dub. 33.

6 *Erat Iesus eiiciens dæmoniam.* Dæmoniacũ protexit Dominus Iesus, vt instruat Principes, & Prælatos, subditos quamtumuis malos non deserere, sed tueri. Vnde columna nubis præcessit, & protexit filios Israel per desertũ, & ita stabilis fuit, vt nec ab ipsis peccatoribus recederet; ita Prælatus subditos etiamsi in peccato sint protegat, non derelinquat, fol. 155. d. 31. 2. &. Ideo congrue cõparatur oliuę, quę cantarides nutrit, id est, muscas fœtentes, & lucentes, & B. Virgo multos nutrit lucẽtes scientia, sed fœtentes vita, lucentes vestibus, sed fœtentes moribus, ita Principes, & Prælati in suam suscipiat fidem malemoratos homines, & moribus fœtidos non destituat, fol. 175. dub. 67. 4. &. Sint Principes, & Prælati, sicut fluuius qui dicitur tigris, qui nutrit pisces homines deuoratos, & B. Virgo nutrit ad litterã in Ecclesijs suis raptores, & deuoratores paupertum, ita Prælati prauos homines non abijciat, nec repellat, fol. 188. d. 114. Terra propter sui stabilitatẽ, quę moueri non potest, aut cadere omnia grauia sustalcit, ipsa etiã propter sui infœrioritatẽ, quia est infima omniũ omnia labentia recipit: ita Prælati grauatos onere peccatorũ in peccatumq; corruentes nõ deserat, sed benigne suscipiat, f. 79. d. 72. Ideo B. Virgo data est in refugiũ omniũ peccatorum, quia omnes in suam clientelam recipit, neminẽ qui eius sacras Aras tangit, repellit, f. 96. d. 159. & f. 206. d. 34. in fine. *Vide Refugium.* Ita Christus hominem istum licet dæmoniacum non destituit, nec dereliquit.

7 *Et illud erat mutum.* Dæmoniũ erat mutũ; scilicet, effectiue, quia nimirũ hominẽ à se possessum efficiebat mutum. Ita Caiet. *Et illud erat mutum intelligo causaliter, hoc est efficiebat hominem mutum.* Dæmõ dicitur mutus, quia mutum fecit hominem, & malus ab operibus suis nomẽ sibi ascicit. Ideo Gentiles lapides vocabantur, quia lapides pro Deo colebant, & à lapidũ cultu nomen lapidis sibi acquirebant, f. 205. d. 34. Et iustus ex beneficijs, quæ largitur nomen trahit. *Vide Feria 6. post 1. Dom. Quadrag. n.* 1.

8 *Et illud erat mutum. Maximè notandum est*, ait Silueira, *quod eodem verbo erat, quo Euangelista explicat dæmonis expulsionẽ, exprimit eius malitiam, illud erat mutũ, vt innuatur, quod eadẽ via, ac methodo, qua malum introducitur salus, ac remedium ingrediatur.* Per eandem viam salus, & perditio. *Vide Dom. 1. Quadr. num.* 6.

9 *Et cum eiecisset dæmonium.* Dæmonium eie-

eiecit,& fugauit,vt innuat Dominus,quod diabolo formidoloſus eſt iuſtus. Sunt iuſti ſicut cedrus,quæ odore ſuo fugat ſerpentes,& iuſti odore ſuæ famæ,& virtutis fugant dæmones,f.167. d.60.2.Bx. Hac ratione veſtimenta Sponſæ aſsimilantur odori thuris: aſſerunt multi odore thuris dæmones effugari: ita odore virtutum iuſtorum Angeli tenebrarum effugantur,f.123.dub. 100. Vnde ferocia animalia orto Sole congregantur incubilibus ſuis, quia Sol ſingularem poteſtatem habet ſuper dæmones, qui perferocia animalia ſignificantur,& ipſi dæmones orto nobis Sole, non poſſunt contra nos tantum ſæuire, ſicut de nocte faciunt:ita iuſtorum poteſtas, & præſentia diabolum expellit,f.66.d.21. Qualiter autem B.Virgo diabolum conterat, & proſternat,& peccatores ab eo tollat,*Vide Diabolus.*

10 *Locutus eſt mutus.* Verba in laudem Chriſti,tanquam ſuo benefactori gratus. Ita Silueira: *Communiter recentiores exiſtimant probabile eſſe, locutum fuiſſe verba quædam laudis, encomia illius, qui eum a tanto malo liberauit.* Qui enim magnum beneficium accepit in magnas ſui benefactoris laudes debet prorumpere. Vnde B. Virgo laudata ab Eliſabeth, cognoſcens verba illius eſſe à Spiritu Sancto, non reſpondet Eliſabeth,ſed prorumpit ad gratiarum actiones Deo, laudando illum ob beneficia ſibi,& vniuerſo populo præſtita, tot beneficia laudibus compenſans,f.315.d.114. Hac ratione B.Virgo non dixit: Magnificat corpus meum Dominum, ſed anima mea;hoc non dixit per excluſionem corporis, quin & corpore ipſum magnificaret, ſed dicit,quia cum labijs magnificaret, voluit oſtendere,quod non ſolum labijs,ſed anima magnificabat, quia Dei beneficia adeo digna ſunt laude,quod corpore, & anima ſunt magnificanda, f.316.d.117.1.Bx.Et quia non ſufficit laus exterior ad Diuina beneficia extollenda, interiori laude ſunt celebranda. Ideo B.Virgo non dixit: Magnificat lingua mea,ſed anima, quia lingua non ſufficit; quaſi diceret: Tanto munere Dominus me ſublimauit,vt nullo linguę officio explicare poſsim,ſed totum animi interioris affectum in agendis gratiarum laudibus offero, ibi, d.119.1.Bx. Quapropter quidquid loquuta eſt B.Virgo,aut ad ſui humiliationem, vel ad proximorum ædificationem, vel ad Dei laudem pro beneficijs referebat,f.197.d.156.Pro Beata Virgine qualiter excitat deuotos ad Dei laudem,eamque in mundo extinctam reſuſcitauit, *Vide Laus.*

11 *Et loquutus eſt mutus.* Non ſcribuntur ab Euangeliſta verba quæ loquutus eſt mutus,forſitam quia pauca fuerunt, ne homo loquax videretur,ſed parcus eſſet in verbis. Homo enim debet cauere ne in verbis ſe effundat. Vnde B.Virgo in Euangelio non legitur alij locuta niſi quater,Angelo,Eliſabeth,Filio,in nuptijs,f.98.d. 4.Hac ratione dicitur mulier tacita,f.192.dub. 134.& f.298.d.61. In nulloque verbo effluxit; niſi in cantico,ibi. Nec cum B.Ioſeph inuenitur fuiſſe loquuta; ibi. Siue quater, ſiue, ſiue quinquies, ſiue ſepties loquuta fuerit, parciſsima fuit in verbis,ne ſummæ dicacitatis notaretur. *Vide fol.370. dub.* 1. Silentij quoque fuit cultrix, & obſeruatrix eximia, vnde turbata fuit in ſalutatione Angelica, quia ſilentium ſuum quod valde amabat, reſpondendo infringere cogebatur, f.208.d.43.*Vide Silentium.*

12 *Et loquutus eſt mutus.* Gratias agens pro beneficia, quia gratiarum actione beneficium eſt compenſandum. Vnde B. Virgo lingua, & manu Deo pro beneficijs gratias agebat,beneficijs gratiam rependens. *Vide Gratiarum actio, & Beneficium.*

13 *Extollens vocem quædam mulier,* vt Chriſtum laudaret. Beata tamen Virgo à ſolo Deo poteſt magnificari,f.162.d.57.

14 *Extollens vocem quædam mulier.* Sanctus Euangeliſta Chriſti laudes à muliere in hoc enētu proclamatas narrat,quia Marcella ſancta erat, ſummaque puritate nitebat, & qui innocentia vitæ ſplendet, idoneus eſt ad Diuinas laudes decantandas. Vnde ſolus Angelus dicitur ingreſſus ad B. Virginem, & hoc ſemel in quo innuitur quod qui non fuerit Angelicæ conuerſationis,fruſtra vel temere præſumit ad eam ingredi ſalutandam;ita qui non fuerit candoris Angelici non debet Diuinas laudes dicere,f.283.d.16.& f.289.d.33.in fine, & f.363.d.10. Ideo dicit B. Virgo,qui elucidant me prędicando,& laudando,vitam æternam habebunt,id eſt,duram;lapides enim dicuntur æterni, id eſt, duri; id eſt,qui B.Virginem prędicant, & laudant, vitam debent duram,ſicut ipſa:ita qui Deo laudem deferunt,vitam debent habere durā,id eſt,auſteram, f.187.d.108.2.Bx.in fine.Hac ratione ſalutationem B. Virginis pro maiori parte Angelus,pro minori Eliſabeth fecit,quia acceptior eſt illi laus caſtorum quam coniugatorum,& etiam ipſi Filio: ita qui Deo laudes impertiunt caſtitatem animi habeat, vt laudes eius acceptæ ſint Deo. f. 311.d.101. Quapropter B.Virgo Deum laudibus extollens dixit: Fecit mihi magna, qui potēs eſt;quod reſpicit ad initium carminis vbi dictum eſt; Magnificat anima mea Dominum;ſola enim anima illa,cui Dominus magna facere dignatur,digne eum præconijs magnificare poteſt: ita ſolus ille qui Donis Dei habet ornatam animam,poteſt dignam laudē Deo tribuere,f.321. d.134.4.Bx.Similiter S.Elilabeth dicitur repleta Spiritu Sancto, vt Virginem laudaret; tantum enim exigitur, vt Virgo digne laudetur, quod Spiritus Sanctus eſſe dicatur in illa: ita oportet hominem gratia Spiritus Sancti eſſe plenum, vt Deum digne laudibus celebret,f.309.d.91.4.Bx

15 *Extollens vocem.* Non Phariſæi, ſed Marcella quæ optime nouerat Chriſti magnalia,cum extollit,ſolus qui aliquem noſcit poteſt

illum laudare, & prædicare: ideo Angeli magis laudant Beatam Virginem, quia perfectiones eius magis speculantur, ita qui cognoscit hominis excellentias potest illum laudibus celebrare, f. 128. d. 138.

16 *Extollens vocem.* S. Marcella non in secreto, sed in publico, & coram turbis Christum extollit, quia virtus iustorum inconspectu omnium est extollenda: ideo S. Elisabeth fidem Beatæ Virginis commendans dixit: Beata quæ credidisti. Legit Caietanus: *Beata quæ credidit.* Ex hoc enim quod Elisabeth mutat personam secundam in tertiam dicendo, & Beata quæ credidit, apparet quod aliæ personæ erant præsentes huic colloquio ad quas conuersa. Elisabeth dixit de Beata Virgine: Beata quæ credidit; ita iustorum virtus in oculis, & omnium præsentia laudibus est cumulanda, f. 314. d. 110.

17 *Extollens vocem.* Læta, & gauisa S. Marcella extulit vocem, vt in hæc præconia laudum erumperet, quia qui Dei laudes profert, summo gaudio perfunditur. Vnde Beata Virgo prius poluit magnificationem Dei, deinde exultationem, quia Dei magnificationem sequitur necessario mentis exultatio. Non enim potest quis magnificare Deum, quin mente exulter. Vnde dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, deinde subiunxit: *Et exultauit spiritus meus*; ita qui Diuinas laudes modulatur non potest non magno interius gaudio esse delibutus, f. 318. d. 125. Pro his verbis *Vide f. 342. d. 198. Vsque 212.*

FERIA QVARTA POST TERTIAM Dominicam Quadragesimæ.

Matth. 15. vers. 1.

1 *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum.* Cum Pharisæi Christum arguere non auderent, arguunt Discipulos, vt eorum crimen in Magistrum retorqueant; nam si peccatum erat, manus non lauare, quod faciebant Discipuli, videbatur esse culpa Magistri hoc videntis, & eos non increpantis, vnde iniquitas Discipulorum adscribitur Magistro. Defectus enim subditi ad Prælatum referuntur. Ita Hugo Cardin. *Quærebant volentes culpam refundere Discipulorum in Magistrum.* Vnde Christus deficiente vino in nuptijs, dixit Matri suæ: Quid mihi, & tibi est mulier: quasi diceret, quid ad me, ac ad te hæc vini penuria attinet? De hoc defectu prouidere non ad inuitatos, sed ad Sponsum inuitantem spectat, cui defectus imputabitur, non in te, nec in ministros deuoluitur. Vnde Architiclinus non mulierem, nec ministros vocauit, sed Sponsum cui ille defectus, si aliqualis fuit in ministris, adscribebatur, f. 350. d. 233. &c. Vel ideo hæc dicebant Pharisæi, quia scandalum patiebantur ex eo quod Discipuli non lauarent manus suas. Mali ex his, quæ vident offendiculum assumunt. *Vide Ser. 5. Dom. in Passione, n. 17.*

2 *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum.* Quasi dicant: Ex Discipulis tuis, qui transgrediuntur traditiones seniorum, cognoscimus, qualis sis tu, scilicet, quod sis contemptor earum. Quia ex Filio Pater, ex Discipulo Magister, ex subdito qualis sit Prælatus suspicatur. Ita Antonius Gistandis hic, d. 5. *Respondet Liranus, quod ipsum in Discipulis suis arguebant tanquam contemptorem doctrinæ seniorum.* Ideo S. Lucas cum despensatam Mariam Ioseph significabat, coniugem nuncupauit, post partum vero Matrem tantum Iesu esse creditum: vt venerabilis ostenderetur virginitas Matris ex Filio, ex Iesuque puritate, Virginis coniecturetur puritas, f. 362. d. 60. Ita Scribæ, & Pharisæi ex Discipulis transgredientibus traditiones seniores, coniecturam faciebant de Christo, quod earum esset transgressor.

3 *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum.* Quasi dicant: Non est conferenda in Discipulos culpa, quod non lauent manus, cum panem manducant, sed tibi est impingenda, qui immundus es. Ita Antonius Gistandis, ibi: *Vt dicit S. Vincentius, non est culpa Discipulorum, sed tua qui es immundus, ideo male nutris Discipulos tuos.* Probitas enim, vel improbitas parentum, Prælatorum, & Magistrorum apparet in filijs, subditis, & Discipulis. Ideo B. Virgo mulier fortis dicitur, oportebat quod fortis esset mulier, quę paritura erat masculum, & talem masculum, qui Principem mundi huius foras eijceret; fortitudo enim Matris splenduit in Filio, f. 102. d. 33. Elephantes dicuntur Lunam adorare, & omni Nouilunio cum balneati fuerint, solent omnes nouæ Lunæ in signum reuerentiæ capita inclinare, & ad hoc faciendum solent paruulos suos instruere, & docere, vt adoratio quam parentes exhibent Lunæ, resplendeat in filijs, f. 224. d. 10. 2. &c. Hac ratione Elisabeth prius B. Virginem dixit benedictam, deinde fructum benedictū appellauit; nam quamuis Christus Dominus, vtpote Dei Filius sit per naturam benedictus, & sanctus, tamen cum sit Filius Virginis Mariæ, peculiari modo dicitur etiam benedictus, benedictio Matris, vt ita dicam, nitebat in Filio, f. 311. d. 97. Vnde Sancta Marcella Christi Diuinitatem, & potestatem coram calumniantibus Pharisæis, non laudauit, sed ventrem Virginis, & vbera commendauit; vt tot confutaret blasphemias, non in medium producit multa argumenta pro Christi Diuinitate, ac potestate, sed his omissis, commendat B. Virginem, putans quod nullum ad probandam Christi potentiam, ac maiestatem videbatur in præsenti efficacius medium, quam si Mariæ Filius diceretur, quasi potentia Matris refunderetur in Filium, fol. 343. d. 204. Ita Scribæ, & Pharisæi, non adscribunt Discipulis Christi manuum immunditiam, sed Christo, quasi immundus esset imponunt, & immunditia Magistri transunderetur in Discipulos.

Qua-

4 *Quare Discipuli tui. Non enim lauant manus cum panem manducant. Ex quadam pestifera malenolentia*, ait Silueira, *Scribæ, & Pharisæi arguunt in præsenti sacros Apostolos: nam esto videretur aliqualis defectus, non lotis manibus manducare: tamen leuissima erat culpa, quæ proinde dissimulanda videbatur, cum humana infirmitas nihil ad perfectum semper adducat: ordinariè enim loquendo nullus est in hac vita, qui sua nota non careat.* Quilibet enim suam habet maculam, & suum patitur defectum. Hac ratione Beata Virgo comparatur Lunæ, non secundum statum eius præsentem, quia nunc Luna habet maculam, sed assimilatur perfectiori Lunę, quę erit in futuro, quando omnis macula omnino auferetur, quando lux Lunæ erit quasi lux Solis, quia secundum humanam imbecillitatem, quæ omnem perfectionem assequi non potest, nullus est, excepta Beata Virgine, qui omnem prauitatem deuitet, f. 130 d. 143. 9. &.

5 *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Dominus non respondet excusando Discipulos, sed ostendit quod ipsi nō sunt digni qui repreēhdant eos. Ita Hugo Card. *Ad eos enim pertinet peccata arguere, qui nec æquali, nec inæquali, nec maiori inuoluti sunt crimine.* Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrū primus in illam lapidē mittat, lapidē obiurgationis, & reprehensionis.* Qui enim alium iudicat de aliquo defectu, debet puriori illo consistere. Vnde Christus natus est absque illuuie puerperij sordium, & secundinarum, sine vllis sordibus, sine vlla sanguinis emissione; neque enim revera aliquid circa se habere posset immundū, qui humani generis peccata, sordes, maculas venerat mundaturus; purissimus debuit nasci qui sordes venerat mundare, f. 324 d. 147. 2. & Hac ratione B. Maria fuit Virgo in concipiendo, quod fuit conueniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Ioannis 1. Ecce Agnus Dei; scilicet, innocens, qui tollit peccatum mundi; non poterat autem esse, quod in natura iam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati, qui peccatum veniebat tollere, non debuit habere peccatum, f. 257. d. 42 3. & & d. 43. & fol. 250. d. 11. Ita qui aliorū defectus vult corrigere oportet, quod sit mundus, inuiolatus, & integer. Ideo Beata Virgo erit primaria Sponsa quæ veniet, vt iudicet mundum cum Sponso suo, quam ipse dignabitur habere sociam ad iudicandum, quia dignatus est habere sociam in innocētia perfecta. Alioquin quommodo iudicatura esset mundum, nisi perfecta illi adesset iustitia, fol. 274. dub. 116. Vide ergo, qui alterum iudicas, ne crimine aliquo implicēris, si non est purus, & in peccatum incidisti quommodo poteris alios coarguere?

6 *Quare & vos.* Christus suos Discipulos innocentes defendit, quia illotis manibus manducare, nulla culpa erat. Ita Carthusianus: *Non ex impacientia, sed ex zelo iustitiæ taliter Christus respondet innocentes excusando.* Prælatus enim debet defendere subditum, qui extra culpam est. Vnde quondam Deus separauit Ciuitates refugij ad quas confugerent, qui nolentes homicidium perpetrarent, vt qui liber, & vacus culpæ erat, nec voluntariè hominem occidisset, in ea Vrbe, seu Ciuitate refugij tueretur. Ita Prælatus Ciuitas sit refugij, vt subditum culpæ expertem tueatur, fol. 31. dub. 28. Pro Beata Virgine, *vide Defendere.* Pro consulendo aliorū famæ, *vide infra Fer. 6. num. 8.*

7 *Quare & vos.* Dominus his verbis maledicos, & mordaces Scribas, & Pharisæos compescuit. Quia iustorum est detractionem interrumpere. Vnde congruenter iusti comparantur oliuæ, cuius folia sanant cancrum oris. Ita iusti detractores interpellant, cancrum oris murmurationem scilicet curant, & filum sermonum maleuolorum rumpunt, impiorumque ora obturant, fol. 175. d. 67. in fine.

8 *Quare vos transgredimini mandatum Dei.* Non sufficit Dei mandata memoria tenere, quin opere exequantur. Vnde Beata Maria Virgo fuit in partu, quod fuit conueniens ex parte Christi, ne Matris honorem opere, id est, nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos, parum erat præceptum de honoranda Matre memoria custodire, nisi opere impleret integritatem Virginis inuiolatam, quod ad Matris honorem pertinebat, seruando, f. 258. d. 43. 3. &. Pro Beata Virgine, *vide Mandata Dei.*

9 *Honora patrem, & matrem.* Filius honorat patrem omnem curam, & diligentiam, studium, & solicitudinem omni tempore parentibus impendendo. Vnde Christus maximè honorauit Matrem suam curam solicitam habens de ea in vita, in morte, & post mortem, fol. 273. d. 110. 2. &. Hac ratione Christus de desponsata nasci voluit, vt ab infamia seruaretur, curam habuit de sua fama, quia si non fuisset desponsata, putaretur adultera, ideo Matri suæ honorem deferens, voluit esse desponsatam, fol. 252. d. 118 & fol. 281 dub. 112. &. In partu quoque virginitatem eius illibatam seruauit, ne Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos, fol. 258. dub. 43. 3. Resp. Ideo Angelus non dixit mulieribus, quod Christi resurrectionem diceret Beatę Virgini, quia sciebat Angelus Christum, vt honorem debitum adferret Matri, iam apparuisse Virgini, priusquam hoc mulieribus esset dictum, f. 278. dub. 9. & fol. 23. dub. 16. *Vide Honor.*

10 *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* At iusti corde, & ore Deū laudant, & colunt. Vnde Beata Virgo dixit: Magnificat anima mea Dominum, quia cum labijs magnificaret, voluit ostendere, quod non so-

ſolum labijs, ſed anima magnificabat, vt corde, ore, & opere Deum laudaret, ſol. 316. dub. 117 1. ℟. & dub. 119. 2. ℟.

FERIA SEXTA POST TERTIAM Dominicam Quadrag.

Ioan. 4. verſ. 5.

1 *Erat autem ibi fons Iacob.* Dominus Ieſus ad conuertendam mulierem venit ad fontem, per quam lenitas, & benignitas ſignificatur, quia bonus Prælatus lapſum ſubditum ad ſe venientem lenirer debet tractare, benigneque fouere, vnde inter cæteras proprietates terræ vna eſt, quod cadentes, lapſoſque recipit, nec repellit: ita Prælatus lapſos peccatores porrecta fronte excipiat, ſinum eis expandat, in ſuumque pectus recondat, fol. 79. dub. 72. & 73. Sint Prælati ſicut Angeli aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam, quaſi parati ad manus trahere, & benigne excipere, qui optarent aſcendere per ſcalam pœnitentiæ, fol. 18. dub. 131. *Vide Dom. 3. Quadrag. num. 6.* Beata quoque Virgo quæ ſpeculum eſt Prælatorum, cupit peccatores in viſceribus Chriſti, non dedignatur peccatores, ſicut nec bona mater filium ſcabioſum, quia propter peccatores factam ſe recolit miſericordiæ Genitricem, fol. 368. dub. 1. Vel ideo Dominus Ieſus venit ad fontem peccatricem quærens, quia ſalutem eius, & conuerſionem in mente, & animo habebat: iuſtus enim de ſalute peccatorum cogitat: vnde maxime commendatur in puella Iſraelitide ſingularis beneuolentia, miſericordiæque affectus, quæ vel impium idolatram Naamanum, & iniquum ſuum dominatorum, à lepra purum, mundumque deſiderabat. Ita iuſtus meditatione, & cogitatione conuerſionem peccatorum, & à peccato munditia voluit, verſat, & agitat, ſ. 48. d. 6. Ideo cogitationes ſponſę nigræ dicuntur quaſi coruus, qui eſt auis diligenter ſibi incorporans cadauera: ita iuſtus de peccatoribus Eccleſiæ incorporandis cogitat. fol. 127. d. 126. Similiter Chriſtus omnes in conſilium cogitationes de ſalute mulieris vocabat.

2 *Ieſus ergo fatigatus ex itinere.* Dominus Ieſus ex itinere erat fatigatus, quia gradum accelerauit, nimia feſtinatione terendit cauſa mulieris, quam conuertere volebat. Ita Hugo Cardinalis: *Fatigatus ex itinere, quia vltra vires velociter ambulauerat, & cauſa huius poteſt eſſe ſalus illorum ad quos tendebat, quibus ſe citius voluit præſentare, & eſt quaſi cauſa trahens.* Opera charitatis, & ſalutis hominum iuſtus promptè, & ſine mora facit. Sunt iuſti ſicut Stella maris, quæ quoad motum eſt velociſſima: licet enim Stella maris, quæ vulgo dicitur Tramontana, à loco ſuo moueri non videatur tamen in ſpheræ ſuæ circulo circulariter circumuoluitur, & quia circulum habet breuiſſimum, quaſi non moueri videtur: ita iuſti motu dilectionis, & ſalutis hominum velociſſimè currunt, vt eos illuminent, & dirigant, fol. 30. dub. 19. Hac ratione comparantur Lunę pleuę, quæ non tantum habet pulchritudinem lucis, ſed etiam perfectionem figuræ circularis, quia tunc tota eſt rotunda: ita iuſti admodum figuræ rotundæ ſunt mobiliſſimi, id eſt, promptiſſimi ad opera charitatis, & hominum ſalutis perficienda, fol. 91. d. 130. Ideo Ieſus adhuc in ventre Matris poſitus, feſtinabat Ioannem ſanctificare, & à peccati miſeria liberare, fol. 308. d. 85 1. ℟. Similiter cum Beata Virgo tendit in domum Eliſabeth feſtinatio eius exprimitur, cum vero in domum ſuam reuertitur, non ſcribitur quod reuerſa eſt cum feſtinatione; tendebat enim ad Eliſabeth, vt Ioannem ſanctificaret, at in domum ſuam, vt quieti inſiſteret, & iuſti velocius volant ad opera charitatis, & ſalutem peccatoris, quam ad quietem, fol. 309. dub. 86. Ita Dominus Ieſus fatigatus erat ex itinere, quia non tardo pede, & paſſu proceſsit, ſed properauit, vt mulierem à peccatis reuocaret. At peccatores pigri ſunt ad bene operandum. *Vide Fer. 4. poſt Dom. 5. Quadrag num. 2.*

3 *Ieſus ergo fatigatus ex itinere.* Fatigatus Ieſus pro muliere lucranda, declarans ſe magis illi, quam proprio ſuo commodo conſulere. Ita D. Thomas: *In Chriſto Domino fatigato ex itinere datur nobis exemplum non refugiendi laborem propter ſalutem aliorum.* Bonus enim Prælatus propriam quietem deſpicit, ſuorum quærens vtilitatem. *Vide Dominic. in Sexag. num. 1.* Vnde cum Beata Virgo tendit in domum Eliſabeth feſtinatio eius exprimitur: cum vero in domum ſuam reuertitur, non ponitur, quod reuerſa eſt cum feſtinatione: quia in domum Eliſabeth tendebat ad Ioannem ſanctificandum: at in domum ſuam reuertebatur, vt quieti inſiſteret, & iuſti velocius tendunt, vt alijs opem ferant, quam ad quietem, ac vt ſibi conſulant, fol. 309. dub. 86.

4 *Hora erat quaſi ſexta.* Sexta hora in creatione mundi pullulauit delictum, & ſexta hora parat medicinam ad ſubleblandam hominis miſeriam, vt remedium proportionetur delicto. Ita Simon Caſsianus lib. 11. cap. 1. *Deſcriptio iſta temporis, non parum myſterium tribuit ad contemplandum. Nam ſexta die factus eſt, qua, & peccauit homo, & quaſi hora ſexta ejectus de Paradiſo, & ſexta ætate mundi requiſitus eſt, in qua ſexta die incarnatus, & crucifixus, & mortuus eſt. Vide Dom. 1. Quadrag. num. 6. & ſ. 307.* dub. 82. 2. ℟.

5 *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Veluti caſu in Samariam venit Dominus, quia oportebat eum tranſire per eam, vt ad Galilæã deueniret, vt habetur in textu, verſ. 4. Et mulier venit non vocata, ſed veluti caſu ad hauriendã aquam, vt Dominus Ieſus, Judæis quibus odioſum

ſum cum Samaritanis erat conuictium occaſionem murmuris in omnibus cuitaret, Ita Hugo Card. *Vbique Chriſtus ſeruat pacem, quia nec ex propoſito, ſed quaſi ex accidenti venit ad Samaritanos, nec mulier venit mandata, ſine vocata, ſed à caſu omnia dicit facta Euangeliſta, vt tollat occaſionem murmuris Iudæis.* Iuſti in ſuis actionibus curant, ne alijs occaſionem dent calumniæ. Ideo Chriſtus naſci voluit de deſponſata, quia ſi non habuiſſet Sponſum, ſtatim cogitatio diaboli tacita ſubreſiſtet, quomodo quæ non accubuit cum viro, prægnans eſſet, vt ergo hanc maledicorum vitaret calumniam, de deſponſata naſci voluit, fol. 281. dub. 11. 3. Hac ratione Chriſtus vniuerſorum temporum Dominus, dixit Matri defectum vini in nuptijs proponenti: *Nondum venit hora mea*, qui ſi tunc adhortante Matre, defectum vini ſuppleret, quando inuitati nondum cognouerant talia poſſe Chriſtum operari, non ſolum intempeſtiuum eſſet tempus, verumetiam ſuſpectum, & quæruloſis facillime pateret calumniæ, vnde ita caute in operibus ſuis ſe gerebat Dominus Ieſus, vt aliorum iudicia, ſuſpiciones, malitioſaſque interpretationes vitaret, fol. 350. d. 25. Vnde Chriſtus licet non eſſet legi obnoxius, voluit tamen circunciſionem, & alia legis onera ſubire, vt calumniæ occaſionem Iudæis tolleret, propter eandemque rationem voluit Matrem ſuam implere legis obſeruantias, quibus tamen non erat obnoxia, f. 328. d. 160. 1. &c. Quapropter Angelus dixit Ioſepho volenti dimittere B. Virginem: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, nam ſi dimiſſa fuiſſet, apud infideles turpi ſuſpicione carere non poterat, ne ergo daret anſam ſuſpicioni maleuolorum hominum, dimittendo vxorem, dixit ei Angelus, quod acciperet Mariam coniugem ſuam, f. 255. d. 37. 4. &c.

6 *Da mihi bibere.* Daturus ſalutem, aquam petebat, vt inde magis obligaretur ad præſtandum. Ita D. Chriſoſt. *Fons vitæ iuxta fontem ſedens bibere poſcit, non bibere volens, ſed potum dare. Da mihi bibere, vt dem tibi bibēdam aquam immortalitatis.* Qui enim vult beneficium impetrare benefactorem obliget. Ideo mater filiorum Zebedei, non filij, ſedes petit à Chriſto, forte iſta aliquando adiuuerat Dominam noſtram ad nutriendum Chriſtum, & putauit mulier quod illo obſequio Chriſtus deuinctus, facilius concederet ei, quam filijs, fol. 273. d. 113. Et Beata Virgo per minimum obſequiū quod ei impendimus, refundit nobis lumen gratiarū, & miſericordiæ ſuæ; oportet ergo obſtrictos tenere Beatam Virginem, & Filium, vt dona gratiæ nobis infundant, f. 377. d. 7.

7 *Da mihi bibere.* Chriſtus potum materialem non petebat, tamen alloquitur mulierem, de aqua materiali, vt intelligere poſſet ſpiritualia dogmata de aqua ſpirituali Ita Hugo: *Ex hac occaſione quia videbatur ſitire, venit ad talem locutionem, vt ſub ſpecie aquæ materialis loquens, manuduceret mulierem in cognitionem aquæ ſpiritualis.* In rebus enim magnis humana mens paulatim aſſuefieri debet, & manuduci ad alia, paulatimq; & ſuauiter res diſponenda eſt. Vnde Angelus exemplo Eliſabeth ſterilis, quæ conceperat, probat quod ſemper Virgo deberet concipere; conceptus ergo Eliſabeth ſterilis inducitur non quaſi ſufficiens argumentum, ſed quaſi quoddam figurale exemplum, vt per ſenſibilia paulatim Beatam Virginem ad cognitionem myſterij manuducat, fol. 305. dub. 75. Ita Dominus ſuauiter, ac leniter mulierem diſponendo ab aqua materiali, eam allicit ad aquam ſalutarem. *Vide Fer. 2. Reſurrect. num. 5.*

8 *Diſcipuli autem eius abierant in Ciuitatem.* Notanter hoc aduertit D. Ioannes, vt exprimeret Chriſtum manſiſſe ſolum cum muliere, quia eius peccata erat reuelaturus, ne apud Diſcipulos eam infamaret. Ita B. Albertus Magn. *Decreuerat loqui cum Samaritana de peccatis ſuis occultis, & in Diſcipulorum præſentia nihil de illis eſſet locuturus.* Vera charitas aliorum conſulit famæ, vnde Dio. Matthæus ex parte ſua adduxit quod Beata Virgo habuit de Spiritu Sancto, vt cum diceretur habere in vtero, omnis mala remoueretur ſuſpicio à mentibus audientium, famæque Beatæ Virginis ſeruiret, fol. 253. dub. 27. 2. &c. Hac ratione S. Ioſeph pius fuit Beatam Virginem, quia nolebat eam traducere, id eſt, propalare, id eſt, publicè adulterā promulgare, vt Sponſæ proſpiceret honori, fol. 254. dub. 31. 4. &c. Ideo diuino nutu factum eſt, quod aberat Ioſeph, quando Reges inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, ne aliqua malæ ſuſpitionis occaſio daretur gentibus, ne forte putaretur pater pueri, & diſcedens S. Ioſeph honorem Virginis curabat, f. 263. d. 56. 1. &c. Voluit quoque occultè dimittere eam; duo enim volebat; ſcilicet, & conſulere ſibi, ne cohabitaret adulteræ, & conſulere coniugi, ne vituperaret eam; propterea elegit medium dimittendi eam occultè, hoc eſt, recedendo nihil dicendo, quod coniux ſua eſſet grauida ex adulterio, & ſic infamaret eam; caueat ergo homo ne dictis vel factis aliorum ſugillet famam, decus, & honorem, fol. 254. dub. 31. 1. &c. Et nota quod Diſcipuli noluerunt ſermones conferre cum Samaritana impedica, nec modico tempore cum illa ſubſiſtere: forſam quia difficile eſt purè, & caſtè inter fœminas manere: ideo Loth manſit, & habitauit in monte, quia periculoſa res eſt viris, etiam conſanguineis, fœminis cohabitare, f. 15. dub. 109.

9 *Si ſcires donum Dei.* Diuina neſciebat mulier, quia indigna propter peccata erat alta intelligere. Hugo Cardinalis: *Ipſa enim primo non nouit eum niſi tanquam Iudæum quendam, ideo dicit, ſi ſcires donum Dei, id eſt, quam vicinum, & magnum eſt donum Dei, ſcilicet, gratia Spiri-*

tus

tus Sancti, quam paratus est dare, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, id est, quam magnus est ille, qui potum petit à te, quod si scires vicinitatem & magnitudinem doni, & me esse datorem eiusdem doni. Indigni enim diuina mysteria non intelligunt, ideo Christus de desponsata nasci voluit, vt partus Virginis diabolo celeratur, fol. 250. dub. 15. 1. &. in fine. Dignis vero sua reuelat Dominus mysteria. Ideo Beata Virgo inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto, non ab alio inuenta fuit, nisi à Ioseph, qui pene licentia maritali omnia nouerat, vt dignus tanti mysterij esset conscius, fol. 252. dub. 23. Hac ratione cognouit S. Elisabeth, quod Beata Virgo erat Mater Domini; reuelante enim Spiritu Sancto, quo erat impleta, intellexit, quid exultatio Infantis significaret, scilicet venisse Matrem eius, cuius Præcursor erat futurus, fol. 313. dub. 105. 1. &. Et ex reuelatione cognouit Beatam Mariam esse Deiparam, ibi, dub. 106. 2. &. Eique vtpote dignæ reuelatum fuit non solum Beatam Virginem esse Matrem Dei, sed etiam dicta ab Angelo, & fidem Beatæ Virginis; dignis enim non celat Deus sua mysteria, imò reuelat, f. 314 d. 109. Pro Beata Virgine, *vide Mysterium.*

10 *Tu forsitan petisses ab eo.* Per aquam viuam communiter intelligunt Doctores gratiã Dei. Hugo Cardin. *Aquam, id est, gratiam.* Quę à Deo petenda est. Fertur quod margarita nascitur ex rore cœli in concham maris se aperientem, ros cœli gratia est, quæ datur aperienti os suum, precando, postulando, & rogando, f. 271. dub. 99. Beata tamen Virgo est post Deum principium omnis gratiæ in nobis, fol. 12. dub. 88. Et gratiam procurat iustis, & peccatoribus, fol. 16 dub. 120. Quam nobis abundanter infundit, fol. 19. dub. 138. *Vide Gratia.*

11 *Dedisset tibi aquam viuam*, id est, gratiam, vt lauet in ea sordes peccatorum. Ita Hugo Card. *Aquam viuam, id est, gratiam quæ lauat sordes.* Vnde Psal. 50. *Amplius laua me Domine.* Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam.* Et 16. *Laui te aqua.* Et Zach. 13. *Erit fons patens domui Dauid.* Gratia enim peccatũ extinguit, & amorem Dei accendit. Ideo comparatur oleo, quod effusum super lapidem ignirum extinguit ignẽ, diffusum vero super lignũ, incendit lignum: ita gratia feruorem peccati extinguit in homine lapideo, & duro per peccatum; si vero lignum fuerit homo, tractabilis; scilicet, & patiens, succendet in eo ignem diuini amoris, f. 110. d. 5.

12 *Domine neque iniquo haurias habes.* Hugo Cardin. *Hauritorium est cooperatio gratiæ, quia & si Dominus gratiam paratus sit dare, sicut habetur.* 1. Petri 1. *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam, tamen cor ad suscipiendum, & hauriendum eam oportet habere.* Quia dicit D. Augustinus: *Qui te creauit sine te, non te iustificat sine te, id est, nisi coopereris.* Vnde Psalm. 80. *Aperi os tuum, & implebo illud.* Ad gratiam Dei recipiendam nostra requiritur cooperatio. *Vide Fer. 6. post Dom. 1. Quadrag. num. 6.*

13 *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* S. Sophronius orat. in Natal Domini, per hunc fontem salientem intelligit Beatam Virginem, quæ sua intercessione suos deuotos perducit in vitam æternam. *Vide Vita æterna.*

14 *Da mihi hanc aquam.* Beata Virgo tam per vult dare, & tribuit cui vult. *Vide Dare.*

Propheta es tu. Beata Virgo Prophetissa. *Vide Propheta.*

Qui dixit mihi omnia quæcumque feci Et Beata Virgo peccata videnda illuminat. *Vide Illuminatio.*

DOMINICA QVARTA QVADRAG. Ioan. 6.

1 *Abiit Iesus trans mare.* Iudæam peccatorum inundatione totam diffusam reliquit Dominus, & tendit trans mare Galileæ, recedens ab illa Regione propter scelera Herodis, & Iudæorum. Ita D. Isidorus epist. 233. *Quod Christus viros sanguinum abominetur, nec eos dunt axat, verum etiam omnes, qui cum ipsis degunt, quod scilicet eorum flagitia, & scelera minime vlciscantur, in Herode ostendit. Et enim post nefariam Baptistæ cædem, relicta Regione secessit.* Propter peccata discedit Deus ab homine. Apis recedit à fœcibus, ita Deum fugat fœx peccati, & Beata Virgo propter peccatum, recedit ab homine, fol. 98. dub. 1.

2 *Et sequebatur eum multitudo magna.* Quia placidus, suauis, & affabilis sermone, & consuetudine periucundus erat. Facilitas enim Prælati, suauitas morum, comitas sermonum, subditorum animos allicit, & attrahit. Vnde Deus fecit incarnationem, sicut sapiens piscator, qui talis volens capere pisces in hamo, non proijcit, nec ostendit piscibus ferrum nudum, sed coopertum carnibus prosequuntur, & capiuntur: ita Deus volens capere homines, & ad se trahere, misit Filium, non nudum vtique, quia diuinitatis potentiam horruissemus, & fugissemus, sed vestitum carne nostra, vt ab ipso traheremur, fol. 68 dub. 28. Hac ratione Nuntius missus ad Christum, non erat ex fratribus, qui erant cum Beata Virgine, sed alius distinctus, quod forte factum est, quia fratres ita suauitate Virginis tenebantur, vt nullus ab illa disiungi pateretur. In Prælato ergo multum sit humanitatis, vt subditos alliciat, fol. 277. dub. 1. *Vide Domin. in Septuag. num. 1.*

3 *Et sequebatur eum muleitudo magna.* quia in mundo perturbatio, & tumultus est, in Deo vero pax, & quietis. Ideo Dauid non in mundo, sed in id ipsum, id est, in Deo requiescere desiderabat, vt à mundo fugiens, in Deo inueniret quietem, & pacem, fol. 63. dub. 4.

4 Vel sequebatur Christum multitudo magna

na mundum deſpiciens ex amore, quo eum proſequebatur. Quia amor Dei omnem excludit mundi amorem: ideo Salomon dicit, quod fortis eſt vt mors dilectio: mors ſeparat animam à corpore, & iam nihil concupiſcere in præſenti vita homini licet; ita amor quo quis erga Deum æſtuat, fortis eſt vt mors, quia hominem reddit mundo mortuum, & a mundo ſeparat, & eum facit Dei ſequacem, fol. 143. dub. 190. Hac ratione Beata Virgo dilexit Deum ex toto corde, quia cor illius ita mundum contempſit, vt ad vllius rei dilectionem non fuerit inclinatum amplius quã Dei, nec delectata fuerit in aliqua ſpecie mundi amplius quam in Deo, f. 31. d. 1. Pro Beatâ Virgine, *vide Sequi.*

5 *Et ſequebatur eum multitudo magna.* Propter ſanitatem habendam, vt infirmi. Ita Caietanus: *Ratio autem concurſus ad Ieſum erat deſiderium ſanitatum, quam conſequebantur miraculoſe ab eo, vnde & tunc etiam curauit ægritudines eorum.* A Chriſto ſanitas ſperanda eſt. *Vide Dom. in Quinquag. num. 3.* Pro Beata Virgine, *vide Infirmus, Sanare.*

6 *Et ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis.* Aliqui ſequebantur eum ex curioſitate, quia videbant ſigna, quæ faciebant ſuper his, qui infirmabantur, alij ſequebantur propter inuidiam, vt caperent eum in verbo, vt Phariſæi, cum his vtpote prauis non ſedet Dominus, ſed cum Diſcipulis ſuis, quia bonorum ſocietas amanda eſt, iniquorum vero fugienda. Vnde Beata Virgo erat cum Apoſtolis poſt Aſcenſionem Chriſti, cum congregati in vnum expectabant Spiritum Sanctum, ecce cum quibus Beata Virgo vacabat in ſchola virtutum cum Senatoribus cœli, quia ſubtrahebat ſe à corruptis prauorum moribus, fol. 359. dub. 2. Hac ratione Sponſus Sponſam pulchram appellat, quia totus pulcher totam pulchram ſibi ſociabat, fol. 113. d. 18. *Vide Fer. 2. Reſurrect. num. 1.*

7 Vel ideo dicitur Chriſtum ſedere cum Diſcipulis ſuis, vt arguatur turba de deſidia, & inertia, quia negligenter ſequebatur Chriſtum. Ita Hugo Cardin. *Et ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis. Per hoc accuſatur turba de pigritia, quia Diſcipuli ſoli ſequuntur.* Mali enim pigre, & remiſſe, boni vero feſtine, & propere Deum quærunt. Ideo paſtores, quia feſtinantes venerunt, & non pedetentim, inuenerunt Infantem poſitum in præſepio, quia Dominus Ieſus non cum ſocordia, ſed celeriter inquirendus eſt, vt inueniatur, fol. 325. dub. 157.

8 *Cum ſubleuaſſet ergo oculos.* D. Antoninus: *Quos fortaſſe ex honeſtate habebat declinatos in terram.* Et Caietanus: *Curauit infirmos, & prædicauit eis cum tanta modeſtia oculorum, quod non vidit quantitatem multitudinis.* Docens nos, oculos non erigere huc, vel illuc, ſed pudicè cuſtodire, ſenſuſque noſtros colligere, ne per eos aliquis pateat aditus ad culpam. Ideo iuſtus comparatur ciuitati munitæ; munit enim ſe iuſtus ne per oculos, vel aliquem ſenſum culpa aſcendat, & peccatum ingrediatur. Vnde dicit *D. Bernardus*: Bonus continuè eſt, qui ſic vndique circundatur, & circumagitur, vt nec per oculorum feneſtras, nec per cæteros ſenſus detur morti ingreſſus, fol. 71. dub. 42. Sunt iuſti ſicut horti, qui ſepti ſunt, quia ſuos ſenſus claudunt, ne ad illicita dirigantur, campus ſunt peccatores, in quibus non eſt aliqua clauſura ſenſuum, fol. 125. dub. 112. Hac ratione ſenſus Beatæ Virginis fuerunt ſicut portæ Sion, qui clauſi fuerunt ad malum, & aperti ad bonum, fol. 87. dub. 115. Hinc nos exempla modeſtiæ ſumamus, quia ex viſu cognoſcitur vir, & impudicus oculus impudici cordis eſt Nuntius. Ideo incõpoſitio corporis ſignum eſt inhoneſtę mulieris, fol. 98. d. 5. Hoc ſignum non inuenit S. Ioſeph in Beata Virgine, quia nunquam exibat domũ, niſi quando ibat ad Templum, & tunc ibat tota compoſita, ſemper habens oculos demiſſos ad terram, ibi.

9 *Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus.* Subleuat oculos, vt miſeriam depellat. Ita Rupertus: *Oculi Ieſu feneſtræ ſalutis, & patentes miſericordiæ ianuæ, per quas gratia, & veritas emittitur. Subleuatio oculorum Ieſu præſens miſerorũ compaſsio eſt.* Quia Principis, & Prælati nota eſt oculos leuare ad pauperum neceſsitates ſubleuandas. Vnde Chriſtus Dominus Beatam Virginem ob eius ad defectum vini ſupplendum tenera viſcera, mulierem appellauit; erat Beata Virgo ſpeculum Prælatorum, quorum eſt miſerorum neceſsitatibus ad miſerationem allici, ideo Chriſtus mollia viſcera Beatæ Virginis ad neceſsitatem in conuiuio ſubuenienda prona commendans, mulierem appellauit. Magna enim in mulieribus ineſt erga egenos miſeratio, fol. 350. dub. 22. 4. &. Oculi Principum, & Prelatorum ſint ſicut oculi columbarum, quæ lacte ſunt lotæ, vt reſpectus eius pietatis, & miſericordiæ dulcedine erga pauperũ neceſsitates perfundantur, fol. 127. d. 128. Ideo Beata Virgo, quia miſericordia plena erat, aliorum defectus, & neceſsitates ſubleuare volebat. Ita Principes, & Prælati, qui miſericordes, & pij ſunt, ad miſerationem facile commouentur, fol. 348. dub. 18. Quapropter pij, & miſericordes in populo exaltantur. Ideo Beata Virgo comparat ſe oliuæ ſpecioſæ exaltatę in campis, quia per miſericordiam, & pietatem, quæ adumbratur in oliua, fuit exaltata, fol. 171. dub. 67. 4. &.

10 *Vnde ememus panes.* Nemo pro turba rogat, & tamen ipſe vult dare. Eximia charitas non poſtulata ſubuenit. Ideo Beata Virgo vini defectum Filio ſuo proponit non rogata, nuſquamque dicitur vocata, ſeu inuitata adfuiſſe nuptijs, fortaſſe quod ipſa ſua ſe ſponte ad locũ

præ-

præstandæ beneficentiæ opportunum, nemine vocante, vel inuitante conferre non dubitaret, nulla namque maior charitas est, quam illa, quę subuenit non inuocata, f. 349. d. 20. *Vide Dom. in Sexagesimam. 5.*

11 Vel dico interrogat: *Vnde ememus panes?* maxime solicitum se ostendens, vt suos pascat. Prælati enim est suis subditis prouidere alimonias & necessaria. *Vide Dom. in Septuagesimam. 2.* Vnde B. Virgo magnam curam habet, vt prouideat nobis de nutrimento, & necessarijs, & leuat ad nos oculos misericordiæ, & largitatis, ideo omnia cibat, omnes alit; quia enim B. Virgo exémplum Prælatorum est, prouidet de necessarijs, vt eos doceat prouidam curam de alimonia, & alijs erga subditos habere. *Vide Cibus.* Hac ratione Beata Virgo secum portabat pannos lineos, & laneos, quibus inuolueret Filium, vt ostenderet qualem habebat prouidentiam de pannis, & inuolucris infantis, f. 325. d. 150. Adeo solicita sit erga subditos Prælatorum prouidentia, quod illis consulat, prospiciat, & prouideat.

12 *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis.* Philippus sua responsione manifestat se nullam habere fiduciam futuri miraculi; erat enim infirmus adhuc in fide, & non credebat paucis tot refici posse. Qui enim Deum perfecte non cognoscit diffidit. Ita Alcuinus: *In hoc tarditatem suam ostendit Philippus: Nam si perfecte de Creatore intelligeret de eius potentiæ largitate non diffideret.* Qui vero Dei perfectam habet cognitionem, in necessitate spe non decidit. Deus dixit Moysi, quod daret populo esum carnium mense integro; Moyses vero dixit: *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis dabo eis esum carnium per mense integro?* Quibus verbis peccato diffidentiæ non peccauit, quia non dubitauit de Dei largitate, & potentia, nec de impletione Verbi Dei, quia Deum cognoscebat, sed quia modus impletionis non erat sibi reuelatus, quæsiuit de modo impendi, in quo non peccauit, quia spem non abiecit, f. 28. d. 5. Similiter Abraham non diffidit de posteritate Filij à Deo sibi promissa, cum dixit: *Domine Deus, quid dabis mihi,* & hoc dixit Abraham, non ex diffidentia, quia non dubitauit de adimpletione promissi, cum Deum cognosceret bonitatem, sed ex desiderio sciendi, quid daturus erat ei, f. 14. d. 100. Multum ergo homo tribuat Deo, eius bonitati, & liberalitati, & non desperet, nec diffidat. Vnde B. Virgo quamuis audiret à Filio verba, quæ videbantur repulsam sonare, tamen sperauit in spe contra spem multum confidens in nuptijs, vbi fuit vini defectus, de misericordia Filij, f. 351. d. 27. Quapropter in necessitate tota spes nostra in vno Deo defigenda est. Ideo B. Virgo dixit Filio nuptijs, vinum non habent, in quo perpendenda est securitas, necessitatem solam vini proponit, vt ordinem Diuinæ dispositionis seruet, quo statuit recurrere nos debere in necessitatibus ad ipsum Deum; hac enim ratione necessitatem proponit, totam spem in Filio collocans, f. 348. dub. 17. Imo nullum aliud quam Dei, & B. Virginis refugium nostra spes spectet. *Vide Spes.*

13 *Distribuit discumbentibus.* Christus Dominus solicite de remedio horum hominum, qui eum sequebantur pertractat; multam enim curam habet Dominus, valdeque solicitus est, ne pereant fame, qui eum sequuntur, eique seruiunt. Ita Silueira: *Turbæ Christum sequebantur, indeque se maximè pignoratum agnouit, vt in eis necessarijs prouideret; non enim solet Christus suos sequaces vacuos dimittere.* Vnde Anna dixit in Cantico: *Famelici saturati sunt*, alij legunt, *& famelici cessauerunt*, id est, iam non est reperire famelicos ex pijs, desierunt famelici inueniri; quia enim pij viri Diuino obsequio se totos dicant, hinc est quod Deus ita prouidet illis, quod non esuriunt, nec famescunt, f. 37. d. 4. Hac ratione B. Virgo portabat Filio refectionem, cum ibat ad prædicandum, hoc facto nobis præbens morale documentum, quod prouidet illis, qui Deo, vel proximo propter Deum intendunt, f. 338. d. 192. 1. 3. in fine.

14 *Distribuit discumbentibus.* Panem, & pisces illis distribuit, nec tamen sitim perpessi sunt homines; Dei enim opera perfecta sunt. Ita Carthusianus: *Certum videtur, quod si non habuerunt aliunde potum, quod Christus dedit illis cibis virtutem agendi, quod efficit potus, ita quod sitim perpessi non sunt, opera enim Christi perfecta fuerunt, quos ergo reficit, perfecte reficit.* Pro operibus Christi perfectis, *vide fol. 280. dub. 9.*

FERIA QVARTA POST DOMINICAM quartam Quadragesimæ.

Ioann. 9. vers. 1.

1 *Prætereins.* Hugo Cardin. *Per hoc quod Christus exiens de Templo venit ad sanandum cæcum, significatur, quod de Templo ad agrum, id est, de loco contemplationis, & orationis veniendum est ad actionem, & prædicationem, vt illuminetur peccator.* Greg. *In contemplatione hauriunt, quod alijs per prædicationem effundunt.* Ezech. 1. *Animalia ibant, & reuertebantur.* Prælatus, Prædicator, iustus, ita vitæ contemplatiuæ vacet, quod opera vitæ actiuæ, & charitatis non omittat. Vnde in Arca fuerunt Manna, & virga, Manna, id est, dulcedo Diuinæ contemplationis, virga, id est, rectitudo perfectæ operationis, quia iusti, Prælati, Prædicatores debent esse contemplatiui, & actiui, cognitioni Dei vacando, vtilitati proximi intendendo, f. 372. dub. 6. Ideo Sponsa bis dicitur à Sponso hortus conclusus, quia hortus ille; scilicet, iustus, fructum debet facere actiuæ, & contemplatiuæ, f. 123. d.

105.2.Resp.Vnde in Assumptione Beatæ Virginis legitur Euangelium de Maria, & Martha, quia in illis significata est vita actiua, & contemplatiua, & vtraque fuit excellentissimo gradu in Beata Virgine, quę vtrumque officium plenissimè habuit; contemplatiua fuit, & solitaria. Vnde *ingressus Angelus ad eam*, Lucæ 1. *& conseruabat omnia verba conferens in corde suo*, sicut Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius; item Marthæ habuit officium, quia Christum in hospitio ventris sui recepit, & ei multis annis ministrauit, & etiam cognatæ suæ Elisabeth, vt doceat iustos Deum contemplari, & opera charitatis erga proximum adimplere, fol. 67. dub. 26. in fine. Vacet ergo iustus contemplatiuæ vitæ, & actiuæ, quia Deus in actiuis, & contemplatiuis requiescit, f.161.d.54.2.Resp.

2 *Vidit hominem cæcum.* Quia totum hominis commodum prouenit ex eo quod Deus eum respiciat. *Vide Feria 6 post 1.Domin. Quadragesimæ num.* 4. Vel cum Christus oculos non consueuisset erigere huc, vel illuc, sed dimissos in terram habere, dicitur vidisse hominem. Quia Principis, & Prælati est oculos leuare, vt eos, quos videt in miseria subleuet. *Vide Domin. 4. Quadragesimæ num.* 9. Vel cæcus à natiuitate peccator est, quem excæcat peccatum, hunc videt Dominus oculo pietatis, & misericordiæ. Ita Silueira: *Vidit non casu, sed alta prouidentia, ac pietate, & tam defixis oculis, ac diligenter Christus eum est contemplatus.* Ait D. Chrisostomus: *Vt Discipulos ad interrogandum conuerteret. Explicatur hominis miseria, quæ Christum prouocauit ad eum intuendum.* Miseria enim peccatoris maximè commouetur Christus ad miserationem. Christus est sicut Luna, quæ præcæteris Planetis terræ magis est vicina, sic Christus præcæteris Sanctis peccatoribus est magis propinquus per misericordiam, & pietatem, fol. 130. dub. 143. 3. Resp. & fol. 198. dub. 160. in principio. Similis quoque virgæ est, quæ flexibilis est: ita Christus flexibilis per compassionem, fol. 203. dub. 27. Ipsa tamen natura nostra quam habet condolere facit miseram vicem peccatoris. Hac ratione Beata Virgo orta fuit à malis, vt à natura inclinaretur ad miserendum peccatori, fol. 107. dub. 2. in fine. Pro Beata Virgine, *vide Misericordia, Peccator.*

3 *Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur.* Discipuli cæcitatem hominis parentum peccato attribuerunt, & Filium propter eorum peccata punitum iudicarunt, quia consuerat Dominus parentes in filiis punire. Ideo Deus prouocauit contra Iudæos Herodem, vt occideret omnes pueros, quia noluerunt recipere hospitio semper Virginem Mariam grauidam, nec eius Sponsum Ioseph, nec etiam post Natiuitatem Christi visis tot miraculis, ne Herodi displicerent. Filij ergo occisi fuerunt ab Herode, vt occisione filiorum, Deus supplicium de parentibus propter inhospitalitatem sumeret, pœnasque inhumanitatis repeteret, fol. 263. dub. 66.

4 *Vt manifestentur opera Dei in illo*, in plurali dicit *opera Dei*, quia in hoc vno miraculo multa fuerunt miracula, vt cæcus natus sine oculis, oculos haberet, visum reciperet, & lutum valde improportionatum ei esset medicamentum, & quod simul interius illuminaretur, vt Christum verum Dei Filium, verumque Messiam cognosceret, & confiteretur. Ita Carthusianus: *Potest pluraliter accipi intelligendo per opera Dei omnia quæ ad illuminationem huius cæci concurrebant, videlicet lenitionem oculorum eius ex sputo.* Vnum Dei beneficium multa secum adfert. *Vide Feria 6. post 1. Domin. Quadragesimæ, num.* 9.

5 Vel dixit quod ex amissa cæcitate Dei opera in hoc homine manifestantur, quia maximè pertinuit ad opera Dei manifestanda, quod Christus non rogatus tantum beneficium homini concederet. Ita Rupertus, *Notandum quod lux mundi non expectauit, vt clamaret tale quid dicens miserere mei.* Marci 10. num. 48. *Sed Vltro natura indigenti sese accomodauit, & gratuito beneficio tacenti subuenit, nam hoc ad opera Dei manifestanda pertinuit.* Quia excellens est benficium cum datur sine precibus. *Vide Domin. Sexag. num.* 5. *& Dom.4.Quadrag.num.*10.

6 *Vt manifestetur opera Dei in illo.* Opera Dei, id est, Patris cuius gloriam quærebat. Ita Silueira: *Non ait opera mea, sed opera Dei, omnia in gloriam Dei Patris referebat.* Dei enim gloria in omnibus operibus nostris quærenda est. *Vide Dominica in Septuagesima, num.* 50. Qualiter vero manifestata fuerunt opera Dei in Beata Virgine, *Vide Opus.*

7 *Me oportet operari opera eius, qui misit me.* Quasi diceret: Me oportet manifestare me ipsum, & ea facere quæ me manifestant, infirma saluare, debilia reparare, & homines illuminare, vt ex his cognoscar. Ita Hugo Cardinalis: *Id est, me oportet manifestare me ipsum, & facere ea, quæ possunt me ostendere eadem cum Patre facientem, non talia, sed eadem, quod maioris est inalterabilitatis, in quo ostendit se parem Patri, & consubstantialem.* Ex operibus cognoscitur, quis est homo. Vnde B. Virgo in nuptiis interpellauit dicens: *Vinum non habent*; ac si diceret ad hoc venisti ad nuptias vt miraculum ibi facias, quid moraris? Fac citius quod

facturus eſt, vt manifeſtetur gloria tua, quia illo miraculo conuerſionis aquæ in vinum, Chriſti potentia, & gloria manifeſtanda erat, fol. 348. dub. 18. 3. Reſp. Hac ratione dixit Chriſtus Beatæ Virgini: *Quid mihi, & tibi eſt mulier.* Beata enim Virgo feruens zelo honoris Filij, voluit quod ſtatim antequam opportunum eſſet tempus miracula faceret; ideo Chriſtus hoc ſapientiori cauſa repreſsit; noluit enim prius facere miraculum, quam ſciretur defectus, quia ex hoc tuliſſet minus notum, & minus credibile; & ideo dicit: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Quaſi dicat: quid me moleſtas? *Nondum venit hora mea;* vt mei ſpecimen præbeam. Cum enim defectus vini cognitus fuerit, faciam miraculum, & tunc inuitati cognoſcent hoc miraculo, quis ego ſum, fol. 349. dub. 22. 2. Reſp. *Vide Dominic. 2. Aduent. numer. 11.*

8 *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linuit lutum ſuper oculos eius.* Non ex aqua, ſed ex ſputo lutum fecit Dominus, vt agnoſceretur, quod nec ex fonte virtus ſanatiua proceſsit, in qua multi fuerunt abluti, & non ſanati, ideo Chriſtus expuit in terra; vt inde cognoſceretur Author beneficij, & ſalutis, cum de ſalliua virtus ſanatiua fuerit in luto. Ita Hugo Cardinalis, *Debebat mittere ad Siloam, vt igitur nihil inſcribatur fonti: ſed diſcas quoniam hæc, quæ ex ore exiuit virtus plaſmauit, & aperuit oculos cæci, ideo expuit in terram.* Vult Deus vt eum in ſuis beneficijs cognoſcamus Authorem. *Vide Feria 6. poſt 1. Dominic. Quadrageſimæ, num. 7.* Hac ratione cum Beata Virgo dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Statim Filius Dei in vtero virginali de ipſius ſemine Spiritu Sancto operante conceptus eſt, perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Cuius corporis formatio, & organizatio, non quadraginta quinque dierum numerum expectauit, ſed mox ipſo inſtanti, vt Virgo verbum protulit, diuina operante omnipotentia, perfecta, & integralis facta fuit, vt non homo, ſed Deus huius operis cognoſceretur Author; non enim hominis, ſed Dei eſt facere in inſtanti perfectam, & integralem corporis formationem, & organizationem, f. 307. d. 81. in fine.

9 *Vade, & laua in Natatoria Siloe.* Silueira: *Silioe fons idem eſt ac Geon; vtroque enim nomine fons iſte vocabatur,* 3. Regum 1. *Salomon autem vnctus eſt in Regem apud Geon,* 3. Regum 1. verſ. 45. *Vt hoc facto denotaretur, quod electio, ac vnctio Regis præparatur, ac ordinatur non ad eruendos, ſed ad dandos ſubditis oculos, ad multaque bona eis trasferenda.* Prælatus enim eligitur non vt damnum ſubditis inferat, ſed vt eis faueat. Ideo thienus, ſeu poteſtas Prælati comparatur nubi, quæ mundo vtilis eſt, Solis ardorem temperat, terram irrorat, & fœcundat. Ita Prælatus ſubditis ſit beneficus, non funeſtus, noxius, & exitialis, fol. 155. dub. 31. 2. &c.

10 *Vade, & laua.* Poterat Dominus verbo ſuo ſolo homini ſanitatem dare, iubetur tamen ad lauacrum ire. Vt fiat notum ſalutem noſtram ſine nobis operantibus non fieri. Ita Silucira: *Vade, & laua noſtra manus cooperatio exigitur, & ideo ait Chriſtus, Laua; ſcilicet, tu te ipſum. Vide Feria 6. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, numer. 6.*

11 *Abijt ergo, & lauit.* Cum miſſus eſt in Natatoria, non in ſe dixit, ſi eſt omnipotens, cur me non ſanat, ad quid me mittit. Ita Hugo Cardinalis: *Vide cæci mentem obedientem; non excogitauit lutum imponere, hoc magis excæcare eſt: nec dixit, non potuit prius præſens curaſſe, & tunc miſiſſe ad Siloam, ſi quam virtutem haberet præſens curaſſet quod & Naaman ad Eliſæum dixit,* 4. Reg. 5. *Nec cogitauit multoties ibi laui, & nullo potitus ſum beneficio. Nec iterum dixit: Si ſputum, vel lutum tribuit videre, quid opus eſt Siloa? Vel ſi opus eſt Siloa, quid opus eſt luto? ſed in omnibus obediuit.* Prompta enim obedientia non cunctatur, ſed ſine mora exequitur imperata. Verus obediens eſt ſicut Sol, qui habet velocitatem in motu, vnde & ſatis cito perficit ſuum circulum, qui tamen eſt valde magnus; continuè enim Sol mouetur velocius quam ſagitta, licet in aſpectu noſtro quaſi non moueri videatur; præmimia enim claritatis intenſione, ſicut & eius quantitas, ſic & eius velocitas ſubterfugit viſum noſtrum: ſic verus obediens velocitatem habet in motu obedientiæ, cito iuſsis obtemperans, fol. 133. dub. 147. Hac ratione dicitur Regina aſtare à dextris Regis, in quo commendatur à promptitudine obediendi, ſeruiendi, & miniſtrandi; quia aſtare miniſtrantis eſt, & parati ad promptè obediendum, fol. 73. dub. 49. 3. Reſp. Quapropter Beata Virgo dixit Miniſtris in nuptijs, quodcumque dixerit vobis facite, in quo docuit promptam obedientiam, dum ſuadet Miniſtris obedire Deo, non in hoc, vel in illo, ſed in omnibus diſcriminatim, *quodcumque dixerit,* prompta obedientia iuſſa non diſcutit, ſed ſtatim ſine examine exequitur, fol. 351. d. 27.

12 *Abij labi, & video.* Beata Virgo illuminat peccatores. *Vide illuminare, Peccator. Si quis Dei Cultor eſt voluntatem eius facit.* Et Beata Virgo Maria mouebatur non propria voluntate, ſed voluntate Dei.

Vide

Vide Voluntas ſi quis Dei cultor eſt. Pro cultoribus Beatæ Virginis. *Vide Colere. Hunc exaudit.* Et Beata Virgo exauditur à Deo in omni petitione ſua. *Vide Petere. Credo Domine.* Beata Virgo honorificentia fuit credentium. *Vide Credere. Et procidens adorauit eum.* Et Beata Virgo adorata ab Angelis. *Vide Adorare.*

FERIA SEXTA POST QVARTAM Dominicam Quadrageſimæ.

Ioann. 11. verſ. 1.

1 *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania.* In hac occaſione præſenti, quando Lazari morbus contigit, Ieſus baptizans degebat apud Iordanem, vt patet Ioann. 10. verſ. 40. Sic dixerunt ſorores: *Domine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Cauſa ergo ægritudinis Lazari eſt abſentia Domini. Ipſa abſentia Chriſti extitit tantorum malorum origo. Ita Beatus Albertus Magnus: *Dum Dominus iuxta Iordanem maneret abſens à Lazaro, cuius abſentia cauſa eſt infirmitatis.* Abſentia enim Prælati origo eſt multorum malorum in ſubditis, præſentia vero multorum bonorum eſt cauſa. *Vide Dominica in Septuageſ. num.* 8. Hac ratione Beata Virgo Maria manſit cum Sancta Eliſabeth quaſi menſibus tribus. Non autem ſola familiaritas fuit cauſa quod diu manſit, ſed etiam tanti nati perfectio, nam ſi primo ingreſſu, tantus progreſſus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis, quantum putamus vſum tanti temporis Sanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? Præſentia Beatæ Virginis, quæ ſpeculum eſt Prælatorum, cauſa fuit ſpiritualis profectus in Sancta Eliſabeth: & Ioanne, & præſentia Prælati origo eſt ſpiritualis incrementi in ſubditis, ſicut & abſentia ſpiritualis nocumenti, fol. 322. dub. 138.

2 *Erat quidam languens Lazarus.* Dominus diligebat Lazarum, Mariam, & Martham, apud illos frequenter hoſpitabatur, & tamen in eis tanta tribulatio, ac moleſtia permittitur, vt Lazarus morbo, ac morte afficiatur, quo maximè eius ſorores affliguntur. Ita D. Chriſoſtom. homil. 61. *Multi cum aliquem bonum, & Deo acceptum, mali aliquid, vt morbum, aut paupertatem, aut huiuſmodi aliud quiddam perpeti vident, perturbantur, ſane ignari, hoc maximè Dei amicis contingere.* Amicis Dei labores ſi ex vna parte deſunt, ex altera veniunt. Vnde Beata Virgo, quos in partu dolores effugerat, paſſionis tempore ſuſtinuit: tunc enim in paſſione Filij reſeruati ſunt dolores partus, id eſt, quos aliæ mulieres ſuſtinent in partu. Ita Deus afflictiones quę amicis ſuis aliquando non immiſit, pro alio tempore reſeruat, fol. 332. dub. 171.

3 *Erat quidam languens Lazarus.* Languebat Lazarus, Maria, & Martha de languore fratris dolebant, patienter tamen ſuſtinebant, quia iuſti labores ſuos pacate, & moderate ferunt. Vnde patientia dicitur habere opus perfectum; cum ſcilicet, quis propter aduerſa contingentia non contriſtatur, ſed æquo animo fert, fol. 373. dub. 1. Ideo Sponſa dicitur lilium inter ſpinas; lilium enim, vel roſa non amittit ſuam pulchritudinem, vel odorem inter ſpinas; ſic nec iuſtus odorem patientię inter tribulationes, ibi. Hac ratione Simeon dixit Beatę Virgini: *Tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Hic gladius acutiſſimam Filij ſui paſsionem, ſeu mortem ſignat; gladius corporalis animam; nec occidere poteſt, nec vulnerare: ſic acutiſſima Chriſti paſsio, licet animam Marię per compaſsionem pertranſierit, ipſam tamen, nec per odium occidit, nec per impatientiam vulnerauit, quia iuſti hilari vultu, lętaque fronte ſuſtinent aduerſa, fol. 333. dub. 173. At vero mali impatienter, & intoleranter tribulationes ferunt. Luna triplicitèr obſcuratur, aut quando eſt vacua, aut quando eſt nube tecta, aut quando eſt eclipſata: ita mali obſcurantur quando in tribulationibus ſunt vacui conſolatione, vel cum nube obſcura doloris, & triſtitię eorum anima occupatur, vel cum eclipſantur, id eſt, dolore vulnerantur, quia impatientes ſunt in laboribus, eoſque iniquo, & implacabili animo ferunt, fol. 333. dub. 174. De tolerantia Beatę Virginis. *Vide Aduerſitas, Labores.*

4 *Miſerunt ergo ſorores eius ad eum* Non iuerunt ſorores, ſed miſerunt ob modeſtiam muliebrem, ne extra domum ſuam incederent. Ita Hugo Cardin. *Quia non debent mulieres diſcurrere, nec vagari.* Fœminas enim decet non hinc, & inde diſcurrere, ſed clauſas eſſe in domo. Vnde legimus quod Angelus ingreſſus eſt ad Beatam Virginem ſalutandam. Quod miſſus fuerit Angelus ad Mariam dixit Euangeliſta, nunc autem vbi ipſam inuenit demonſtrat, non foris in plateis Ciuitatis vagabundam, ſed intus in domo ſolitariam in penetralibus ſolam, vt nemo virorum eam videret, ſed ſolus Angelus reperiret, fol. 283. dub. 15. 2. & 3. Reſp. Vnde mulieres hinc, & inde diſcurrentes expoſitę ſunt periculis; ideo Dina foris perdidit virginitatem; egreſſa enim fuit è domo, vt videret mulieres regionis illius, *ibi in fine.* Quapropter ita debent eſſe clauſę in domo mulieres, quod nec nomen earum ſciatur. Vnde ex eo quod Angelus Gabriel Beatam Virginem Mariam appel-

lare ſciuit, non hominem, ſed Angelum Dei ſe eſſe oſtendit. Ita enim erat abſcondita Virgo, & clauſa in domo, vt nullus eſſet homo, qui eam nomine proprio agnoſceret, ac proinde tantum Diuina reuelatione hæc notitia ab Angelo conſequi poterat, fol. 295. dub. 47.5. Reſp. Ideo conueniens eſt maritos cauſas egreſsionis è domo ſuarum vxorum ſcire. Hac ratione, neceſſe fuit vt S. Ioſeph abſentationis Beatæ Virginis, & manſionis diutinæ apud S. Eliſabeth requiret cauſas, fol. 252. dub. 22. 2. Reſp.

5 *Miſerunt ſorores ad eum.* Non iuerunt ad Chriſtum, ne homines in itinere obuios haberent, & occaſionem haberent colloquendi cum eis. Mulieres enim congreſſum hominum debent declinare, ab eorumque ſermonibus ſibi cauere; vnde Beata Virgo turbata deſcribitur in ſermone Angeli, quia virginum eſt ad inſolitum viri ingreſſum nonihil mutari, & omnes viri affatus vereri, fol. 293. dub. 43. 1. & 2. Reſp. Hac ratione quando S. Eliſabeth paritura erat, Virgo receſſit, & reuerſa eſt in domum ſuam; propter multitudinem, quæ ad partum congregari debebat, inconueniens autem erat in talibus Virginem eſſe præſentem, ne anſam haberet conferendi cum aliquo ſermonem, fol. 322. dub. 139. Hinc filijs Iſrael ad feſta confluentibus, vel ad propria redeuntibus, mos erat ſeorſum viros, ſeorſum fœminas choros ducentes incedere, familiæ, & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum; ne ſi ſimul incederent mulieres cum hominibus miſcerent ſermonem, fol. 333. dub. 175. Ideo Beata Virgo frequentias vitabat, conſortia hominum fugiebat. *Vide Frequentia.*

6 *Ecce quem amas infirmatur.* Non dixerunt: Ecce Lazarus tibi charus, & amicus qui te ſæpè hoſpitio recepit, ægrotat, nihil horum dicunt. Sciebant enim, quod oratio debet eſſe breuis. Vnde per hoc quod iuſti ſe comparant Terebintho dant nobis formam orandi; Terebinthus arbor breuis eſt, & fructuoſa. Hæc eſt oratio, quæ ſi ſit breuis in verbis, ſæpè erit magis vtilis. Qui cum prolixitate rogat, de liberalitate dubitat, & ideo diuturnis precibus negotiari intendit, qui autem breuiter rogat, confidit in magnificentia dantis, f. 179. dub. 88. 4. Reſp.

7 Nec ſolum oratio fuit breuis, ſed humilis, cum dicunt *Domine*, ecce humilitas, & plena ſpe, quia ideo ad eum mittunt, quia ab eo ſperabant ſalutem, in eoque maximè confidebant. Oratio enim debet eſſe breuis, humilis, & fiducialis. *Vide Ibidem.*

8 Fuit etiam plena charitate, quia pro fratre rogabant, ideo oratio iuſtorum comparatur thuri redolenti in diebus æſtatis, quia eorum oratio in feruore charitatis eſt, fol. 199. d. 160. in fine.

9 Vel plena fuit hæc oratio charitate, quia pro fratre languido, qui peccatorem ſignificat, orabant, & oratio pro peccatore debet fieri. Ideo iuſtus profundum abyſsi dicitur penetrare. Profundum abyſsi eſt cor peccatoris obcurum, profundum, inueſtigabile, huius abyſsi profundum penetrat iuſtus gladio amoris cum pro peccatoribus exorat, fol. 155. dub. 33. Ideo guttur Sponſæ, ſicut vinum optimum dicitur, quia preces ex gutture procedentes, ſicut vinum optimum, quod conſolatur, & releuat dolores afflictorum: ita oratio iuſtorum conſolatur, & alleuat peccatores, fol. 141. dub. 175. Pro oratione Beatę Virginis. *Vide Oratio.*

10 *Ecce quem amas infirmatur.* D. Auguſt. *Non dixerunt veni: amanti enim tantum modo nuntiandum fuit. Non auſæ ſunt dicere, veni, & ſana: non auſæ ſunt dicere, ibi iube, & hic fiet: ſed tantum modo, Domine ecce quem amas infirmatur ſufficit vt noueris; non enim amas, & deſeris.* Verus enim amor non deſerit dilectum in labore conſtitutum. Ideo Beata Virgo ſtabat iuxta Crucem, plene Mater erat, quæ nec in terrore mortis Filium deſerebat, iuxta Crucemque maximè probata eſt Matris ad dilectum Filium ſincera charitas, fol. 356. dub. 48. Tam ardenterque amabat Filium, vt tam dira procella mortis, ac tormentorum minime potuerit Mariam ſeparare à Filio ſuo, amantis non eſt amare, & deſerere, fol. 355. dub. 46. 5. Reſp.

11 *Ecce quem amas infirmatur.* Non alteri ſcribunt niſi tantum ſoli Ieſu, qui & remedium exhibere valebat, quia cum illis ne ceſsitates tractandæ ſunt, qui & remedium præbere valent. Vnde perpendenda eſt Beatæ Virginis modeſtia in nuptijs; non dixit rogo te conſule honori conſanguinei tui, ſed tantum modo defectum vini proponit, & ſolam neceſsitatem, non vt Filius ſciat ipſa proponente, ſed vt ordinem Diuinæ diſpoſitionis ſeruet, quo ſtatuit recurrere nos debere in neceſsitatibus ad ipſum Deum, qui neceſsitati poteſt ſubuenire, fol. 348. dub. 17. 2. Reſp.

12 Vel ideo dicunt ecce quem amas infirmatur, non poſtulantes beneficium ſanitatis, ſed neceſsitatem declarantes, quia parato ad benefaciendum ſufficit neceſsitatem exponere, *ibi.* 1. Reſp. Ita ſorores Lazari non dicunt veni, impone manum tuam, & ſana, ſed tantum neceſsitatem exponunt, remedium vero Diuinæ prouidentiæ committunt.

13 Vel dicunt: *Ecce quem amas infirmatur, vt amorem, ac beneuolentiam, quam affectu interno erga Lazarum tenebat, operibus oſtenderet, ac declararet; exhibitio enim operis*

ar-

argumentum eſt amoris. Ita Silueira. *Vide Feria 6. poſt Cineres, num. 6.*

14 Vel ideo infirmitatem exponunt, quia Principi ſufficit noſſe neceſsitatem, vt remedium adferat. Ita Hugo Cardin. *Sufficit vt noueris.* Ideo Beata Virgo Maria omnium, & ſingularium neceſsitatum noſtrarum ſcientiſsima eſt, quia ſat eſt labores hominum ſcire, vt remedium præbeat, f. 268. d. 83.

Vt glorificetur Filius Dei per eam. Hugo Cardinalis: *Id eſt, ipſius Chriſti, vt manifeſtetur eſſe Deus. Vide Feria 4. antecedenti, num. 7.*

15 *Eamus in Iudæam.* In Iudæa volebant Iudæi eum lapidare, tamen illuc vult rendere Dominus Ieſus, ait Silueira: *Quia vt bonus amicus ob ſalutem amici propria pericula contemnit.* Vnde Beata Virgo propinquior aliis mulieribus Cruci aſtitit, idque viſcerum inflammatione, Iudæorum vincente timorem; amor enim erga Filium pericula non timebat, ſed vincebat, fol. 356. dub. 47. 3. Reſp. *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam.* Beata quoque Virgo magno zelo à Chriſto fuit dilecta, & pluſquam Angeli, & homines amata, ſuper omneſque creaturas dilecta. *Vide Amor, Dilectio.* Et ipſa gratuite nos diligit, & ab amore quo homines proſequitur vult agnoſci: eximij enim ſunt affectus Beatæ Virginis erga ſuos denotos *Vide Ibi.*

16 *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum infremuit*, id eſt, ingemuit, vt doceret nos ſuper peccantes gemere. Ita Hugo Cardin. *In hoc oſtenditur compaſsio Domini ſuper peccatores.* Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris.* Ierem. 31. *Adhuc recordabor eius, ideirco turbata ſunt viſcera mea.* Vera charitas maximè dolere facit de peccatis aliorum. Ideo Beata Virgo valde compaſſa eſt, & maximam habuit amaritudinem poſt Filij Aſcenſionem propter excæcationem populi ſui; vnde in paſsione Filij animam eius pertranſiuit gladius doloris. Erat in ea amor charitatis, maximè qui Deum reſpicit, & præcipue dolere fecit de offenſa Dei, & perditione proximi; quia quanto magis charitate ardebat, tanto compaſsionis, & doloris acerbitate pro aliorum peccatis tenebatur amaritudine, fol. 20. dub. 143. fol. 162. dub. 5. & fol. 264. dub. 69.

17 *Voce magna clamauit Lazare veni foras.* Quia Lazarus quatriduanus peccatorem in culpa inuereratum repreſentabat, inde ad eius Reſurrectionem voce magna clamauit. Ita D. Auguſt. *Ad Lazarum fremit, lachrymatus eſt, voce magna clamauit: quam difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit.* Peccator in peccatis ſuis ita obſtinatus eſt, vt ad deſiſtendum, vox magna neceſſaria ſit. Catulus Leonis recens natus dormit per tres dies, & noctes, tertia vero Leæna eius mater vehementem adeo rugitum emittit, vt dormientem excitet; ita peccator in ſuis peccatis dormit, quod magna vox Prædicatoris neceſſaria eſt, vt à ſomno peccati reſurgat, fol. 21. d. 152. *Stetim prodiit qui fuerat mortuus.* Et Beata Virgo vim habet ſuſcitandi ſpiritualiter, & corporaliter mortuos, fol. 49. dub. 9.

DOMINICA IN PASSIONE.

Ioann. 8. verſ. 46.

1 *Quis ex vobis arget me de peccato.* Dominus Ieſus primo ingerit ſermonem de tuæ integritatis puritate, deinde de doctrinæ veritate; quia bonus Doctor prius debet manifeſtare vitam bonam, deinde doctrinam veram. Ita Hugo Cardin. *Nota quod Prædicator primo debet oſtendere vitam bonam. Vnde quis ex vobis arguet me de peccato, & poſtea debet oſtendere ſanam, & veram doctrinam, vnde ſequitur ſi veritatem dico vobis.* Sicut Iob 24. *Quis me poteſt arguere.* Item Iob 6. *Cum nullus ex vobis ſit qui poſsit arguere me.* Vnde Sponſus Sponſam ſuam bis nominat pulchram, commendans eam primo à pulchritudine affectus, quæ eſt bonitas, deinde à pulchritudine intellectus, quæ eſt veritas; quia in eo qui Doctorem agit, prius debet eſſe ſanctitas vitæ, deinde veritas doctrinæ, fol. 133. dub. 19. Ideo dicit Dominus Doctoribus, & Prædicatoribus: *Qui elucidant me*, verbo, & exemplo prædicando, *vitam æternam habebunt*, id eſt, duram; lapides enim dicuntur æterni, id eſt, duri. Ita qui Deum prædicant, & de Deo multa homines docere, prius vitam debent ducere duram, fol. 187. dub. 108. 2. Reſp. Quapropter Prædicatoribus, & Doctoribus poteſt dici cum Paulo: *Surge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Sicut enim non curatur de verbo dormientis, ſic non multum ædificantur homines in prædicatione Doctoris, Prælati, Prædicatoris in peccato iacentis, fol. 256. dub. 38. 5. Reſp. Similiter bonus Doctor debet in ſe primo concipere Ieſum bene viuendo, & poſtea parere alijs prædicando, fol. 300. dub. 63. 4. Reſp.

2 *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Licet Chriſtus eſſet innocentiſsimus, tamen in exemplum noſtrum bono ſub nomini vult conſulere in omnium oculis. Ita Silueira: *Vt nos diſcamus famæ, ac bono nomini conſulere, quod ingenioſi viri eſt prima cura*, vt ait Seneca. Bono enim nomini conſulendum eſt, & famæ. Ideo iuſtus eſt quaſi flos roſarum in diebus vernis, flos roſarum aromaticus eſt, bene ergo comparatur flori roſarum, quia multum curat habere odorem ſanctæ opinionis, & famæ, fol. 198. dub. 160. in fine.

3 *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Solum eximia Christi virtus hæc dicere potuit, in quo peccatum non fuit. Ita D. Thomas: *Solus Iesus fiducialiter hoc dicere potuit, quis ex vobis arguet me de peccato? Ipse enim solus Dominus Deus noster, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* 1. Petri 2. vers. 22. Magna Christi sanctitas, quem nullius culpæ conscientia agitabat, ideo comparatur cedro, quæ sine vermibus est, quia imputribilis est, & Christus sine verme conscientiæ fuit, fol. 167. dub. 60. Ideo mundi corde sunt, quos conscientia non arguit peccatorum, seu qui sibi nihil conscius est fol. 266. dub. 71. 2. Resp. Beata quoque Virgo Maria peccati expers fuit, quia eximius fuit eius puritatis candor. *Vide Peccatum, Innocentia, Conscientia.* At præter Christum, & Beatam Virginem quilibet suum patitur defectum. *Vide Feria 4 Domin. 3. Quadragesimæ, num. 1.*

4 *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Ostendit Christus puritatem vitæ suæ, deinde eos increpat: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Qui enim aliquem de defectu iudicat, debet purior illo consistere. *Vide Feria 4. Dom. 3. Quadragesimæ, num. 5.*

5 *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Loquitur Dominus cum his, qui crediderunt in eum fide superficiali, & de eis conquæritur dicens: *Quare non creditis mihi?* Hanc tamen quærelam non facit de Scribis, & Phariſæis, sed de his qui crediderunt in eum, quibus, & fecit promissionem: *Vere Discipuli mei eritis, Ioann. 8. vers. 31.* Qui enim crediderunt maximè erant astricti beneficio ex Diuina benevolentia accepto, & inde eorum crimen grauius illi est. Ita Origenes: *Si memores simus ad quos loquitur, nempè ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos, qui promissionem acceperunt.* Iniuria enim illata ab homine obligato beneficio, grauior, & durior est. *Vide fol. 62. dub. 3.*

6 *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Christus veritatem dicebat Iudæis, non tamen credebant Christo Domino, quia non erant bene dispositi ad audiendam, & credendam veritatem. Præparatione enim, & dispositione opus est ad veritatem audiendam, & intelligendam. Hac ratione Sanctus Ioseph, quando de vtero coniugis cogitabat, an ex adulterio concepisset, instructus fuit ab Angelo de Diuino Mysterio insomnis, quia ante illud tempus, mens eius disposita non erat ad percipiendam Angelicam instructionem; cum autem animus eius sanctis cogitationibus fluctuabat, præparatus fuit ad Diuinum lumen suscipiendum: sicut animus Nabuchodonosor cogitans quid post se futurum esset, præparatus est ad suscipiendum somnium futurorum præsagium; nec enim Sanctus Ioseph, nec Nabuchodonosor intelligerent veritatem, si mentes non haberent dispositas ad instructionem veritatis, fol. 254. dub. 32. Ideo S. Matthæus res magnas de Beata Virgine non subito proposuit, sed quasi ab vsitatis incipiendo, & ab sponsalibus, præparauit auditorem ad audiendum, dicens: *Cum esset desponsata Mater Iesu*, vt sic præparati, & dispositi homines, capaciores fierent ad maiora de Beata Maria percipienda, & intelligenda, fol. 252. dub. 19. Vnde, quia Beatæ Virginis mens præparata erat, & rectè disposita, veritatem plenarie agnouit, fol. 188. dub. 112. Ideo roganda est, vt nobis impetret veritatis agnitionem, quia facit nos agnoscere veritatem, ibi. Vel ideo Iudæi non credebant Christo dicenti veritatem, quia digni non erant eam agnoscere. Et indigni veritatem non intelligunt. *Feria 6. Dominic. 3. Quadragesimæ, num. 9.*

7 *Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo.* Mirabilis Christi mansuetudo in tantis blasphemijs, & contumelijs auditis. Ita Caiet. *Maxima mansuetudine iniuriam declinat simplici negatione.* Graues enim iniuriæ mansuete sunt sustinendæ. Vnde Beata Virgo Maria inter omnes singulariter mitis dicitur: Mitis est quem, nec animi rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, quod nullus perfectissimè viatorum impleuit, vt ipsa sola; vnde, & tota Ecclesia ipsam laudando dicit: *Virgo singularis, inter omnes mitis*; qui enim mitis est, & mansuetus, lenis natura, iniurias patienter, & mansuete tolerat, fol. 264. dub. 68. Vnde illa est differentia inter patientiam, & mansuetudinem, quia patientia moderatur, & regulat passionem tristitiæ, quæ insurgit ex aliqua molestia, ne nimis contristetur, sed mansuetudo iræ refrenat passionem, ne frangatur, & contra rationem aliquid agat, ideo qui minus habet de ira magis habet de mansuetudine, fol. 150. dub. 3. Pro Beata Virgine. *Vide Mansuetudo, Ira.*

Honorifico Patrem meum. Qualiter parentes honorandi. *Vide Feria 4. Dom. 3. Quadrag. n. 9.*

Honorifico Patrem meum. Et Matrem meam. Quia Christus omnem gratiam, & honorem Matri impendit. Vide plura verbo, *Honor.*

8 *Honorifico Patrem meum.* Beda. *Per opera sancta, iusta, & aliena a peccato.* Quia bona opera filiorum in gloriam parentum cedunt. Vnde Beata Virgo dixit: *Fecit mihi magna qui potens est*, non dixit in me, nec per me, sed mihi, quia quod ad omnium salutem in Beata Virgine factum est per Filium, hoc ad gloriam Matris singulariter est ordinatum; omnia enim quę in nostra reparatione facta sunt per Christum, in laudem Sanctissimę Matris referuntur,

f.321.d.134.6.Bz. Ideo S.Eliſabeth appellauit B. Virginem Benedictam, deinde dixit: *Benedictus fructus ventris tui.* Non quia benedicta Virgo Maria, ideo benedictus fructus ventris ſui, ſed benedicta eſt Mater, quia benedictus Filius, quaſi benedictio Filij, & quod benedictus eſt Filius, in benedictionem Matris ordinetur, fol.85.dub.102.

9 *Et vos inhonoraſtis me.* Imò & Patrem, quia Pater inhonoratur in Filio, ſicut idem eſt honorare Patrem, ac Filium. Vnde B. Eliſabeth gratulatur aduentum Beatæ Virginis, & non Chriſti Domini, licet duę viſitationes ſint factę, vna Virginis, altera Chriſti in vtero exiſtentis: tanta enim connexio eſt inter Chriſtum, & Beatam Virginem, vt idem ſit obſequium præſtare Beatę Virgini, ac Chriſto Domino Matri, ac Filio, & Filio, ac Matri; vnum enim ſine altero nequaquam placere poteſt, fol.313.d.104. Hac ratione Chriſtus Beatam Matrem ſuam Diſcipulo commendauit, quia non paſſus fuit Chriſtus, vt Iudaica rabies in Beatam Virginem mitteret prophanam manum, vel ſanctuarium ſuũ aliqua infeſtatione violaretur, quia iniuria illata Matri, in dedecus, & iniuriam Filij cederet, fol. 357.dub.53.

10 *Ego autem non quæro gloriam meam.* Cajetanus: *Non intendo, nec quæro præſentem gloriam meam, ſed opera obedientiæ, ſed merita, ſed vt laudetur, & glorificetur Deus.* Quia verus amor Dei gloriam quærit. Vnde Beata Virgo proponens Filio in nuptijs vini defectum, docuit charitatem in Deum, dum procurauit, vt eius gloria miraculo manifeſtaretur, fol. 351. dub.27.fol.348.dub.18.3.Bz. fol.349. dub. 22. 2.Bz. Hac ratione Chriſtus reſpondens Matri, *Quid mihi, & tibi eſt mulier,* aliquantum ſeuere locutus eſt, non propter Genitricem, quæ expers culpæ erat, ſed propter circunſtantes, vt omnes doceret, quod in his quæ ſui muneris erat, ad Patriſque obſequium, & hominum ſalutem ſpectabant, nullo carnis, aut ſanguinis affectu, ſed puro tantum in gloriam Patris ducebatur reſpectu, f.350.d.230.2.Bz.

11 *Eſt qui quærat, & iudicet.* Patrem ſuum intelligit, *Ad quem,* vt ait Euthimius: *Filij ignominia tranſire cernitur.* Quia Deus iniurias ſuis illatas proprias reputat. Ideo Chriſtus dixit Saulo: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tanta eſt vnitas capitis ad membra, & membrorum ad caput, quod aliquando caput aſſumit perſonam membrorum, vnde Chriſtus dixit: *Quid me perſequeris?* Quia in ſuis ſe perſequutum agnoſcit, f.353.d.39.

12 *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Quia Iudæi dixerunt: Quem te ipſum facis? Præſumis, ac iactas, Chriſtus Dominus à ſe repellit iactantiæ ſuſpicionem, dicens: *Si ego glorifico me ipſum,* magna, & præclara de me ipſo prædicans. Quæ enim dicebat de ſe ipſo, non arrogandæ ſibi laudis, & gloriоſæ cauſa de ſe prędicabat. Ita Hugo Cardinalis: *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt, & Pater meus qui glorificat me, quaſi dicat: Vos arguitis me de inſania, & de iactantia, & arrogantia, ſed ego non iacto me, ſed Pater meus me oſtendit in Baptiſmo,* Matthæi 3. Iuſtus enim de nulla re ſe iactat, ſed totã gloriam Deo refert. Vnde Beata Virgo de Filio, quem ſciens, & conſentiens genuerat, & cui tot efformando puriſſimam ſubſtantiam contulerat, nullam ſibi gloriam vſurpabat, ſed totã Deo tribuebat, fol.8.dub.59. At homines ſibi glorioſe blandiuntur, gloriaque ſe ipſos, & prędicatione efferunt. Vnde Adam de Eua, quæ ex ſe dormiente, atque adeo ignorante prodierat, inaniter gloriabatur, & cum ſolam coſtam fabricandæ mulieri ſub miniſtrarit, etiam carnem ſe ad eius fabricam ſubminiſtraſſe iactabat, oſs ex oſsibus, & caro de carne: homines enim iactant ſe, ſuique tibicines agunt, ibi.

13 *Si ego glorifico me ipſum gloria mea nihil,* id eſt, ſi magna, & præclara de me ipſo dico, & prædico, gloria mea nihil eſt, id eſt, nullius momenti, ac ponderis eſt. Ita Hugo Card. *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: ad illorum ſuſpicionem dictum eſt,* ſicut illud Ioann. 5. verſ. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum; ita & hoc nihil eſt, quoad vos, id eſt, pro nihilo reputatis.* Nemini enim creditur de ſe dicenti, ſeque laudantem.

14 Vel ideo dixit: *Si ego glorifico me ipſum,* quod dicat, ego non glorifico me ipſum. Quia iuſtus proprias laudes fugit: vnde Beata Virgo non dixit: *Magnificat anima mea Deum,* Sponſum, Patrem, Filium, quamuis quodlibet horum dicere potuiſſet, ſed tantum dicit, *Dominum,* vt omni via proprias laudes fugaret, fol. 317.dub.121.2.Bz.

15 *Abraham Pater veſter.* Abrahamum patrem eorum nominat, quia de illo gloriabantur. Ita Hugo Cardin. *Quia gloriabantur de Abraham. Nunquid tu maior eſt Patre noſtro Abraham, & alibi: Nos Filij Abrahæ ſumus.* Boni enim Filij de optimis parentibus debent gloriari. Hac de cauſa Spiritu Sancto dictante inter omnes Euangeliſtas primo a D. Matthæo ſcribitur generatio temporalis Chriſti, quę erat ex Virgine, quia de illa tanquam de pretioſiſſimo ſtemmate Chriſtus Dominus gloriabatur, fol.248.dub.3. Ideo cum natus ſcribitur de Beata Virgine, nominatur Ieſus, & non Deus; noluit ſcribi ſub nomine Dei, quod de formali dicit naturam diuinam, ſed ſub nomine Ieſu, quod primo, & formaliter humanam importat naturam, quæ eſt caro Virginis, de qua tanquam prędiariſſima gloriatur Chriſtus, & ſibi plaudit, fol. 250.dub.13. Gloriaturquoque Chriſtus quod ſit Filius Dauid ſecundum carnem ex Beata Virgine ſumptam, fol.298.dub.60.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM in Paſsione.

Ioann. 10. verſ. 22.

1 *Facta ſunt encænia.* Commemoratur feſtum encæniorum, ſeu renouationis Templi, quia maximè curare debemus, vt renouetur Templum animæ noſtræ. Hoc quidem fit multis modis, ſcilicet, conuerſatione, deſideriis, verbis, viribus, ſpiritu. Ita Hugo Cardinal. *Pelle, vt ſerpens, id eſt, conuerſatione.* Matth. 10. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Plumis, vt accipiter, id eſt, deſideriis.* Iob 39. *Nunquid per ſapientiam, & mutatio eius acceleratur per venenoſas carnes.* Thren. 3. *Saturabitur opprobriis. Roſtro, id eſt, verbis vt Aquila.* Pſalm. 102. *Renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua. Cornibus, vt ceruus, id eſt, viribus.* Iſaiæ 40. *Mutabunt fortitudinem.* Pſal. 41. *Sicut ceruus. Spiritu, vt homo* Ezech. 11. *Spiritum nouum tribuam in viſceribus eorum* Ioan. 13. *Mandatum nouum.* Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Thren. vlt. *Innoua dies noſtros, ſicut à principio.* Vt ergo renouemur ſpiritu, roganda eſt B. Virgo Maria, quia domus eſt reformationis peccatoris, f. 223. dub. 9. Per orationemque eius peccatores mutantur in melius f. 111. d. 12. f. 122. d. 93.

2 *Et hyems erat.* Acurate S. Euangeliſta notat, quod hyems erat, quando facta ſunt encænia, vt commemoret ſtatum Iudæorum, qui frigidi erant, & pigri ad bene operandum, ſicut homines in hyeme torpeſcunt ad opera. Ita Hugo Card. *Bene comparatur hyemi ſtatus peccatorum, propter pigritiam hominum in hyeme.* Prouerb. 20. *Propter frigus piger arare noluit.* Peccatores enim pigritia diſſoluuntur, & lingent ad bene operandum: ideo peccator populus grauis iniquitate dicitur, accidia eſt populus grauis iniquitate, nam accidia aggrauat animam, vt nihil boni agere libeat: ita peccator deſidia iacet, vt bene aliquid agat, f. 199. d. 2. At iuſti impigri ſunt, & diligentes ad bene operandum: vnde vmbilicus Sponſæ crateri tornatili comparatur, & bene crater tornatilis dicitur, quia torno facilius, & occius operamur: ita iuſti ſine difficultate, ſine pigritia opera bona exercent, f. 139. d. 164. 2. Bt. *Vide Feria 6. poſt Dom. 3. Quadrag. num. 2.* Beata quoque Virgo ab accidia fuit libera, cuius ſpiritus exultauit ſemper in Domino operata f. 199. d. 2. in medio.

3 *Et hyems erat.* Tempus hyemale notat Euangeliſta, vt multas Iudæorum iniquitates infidelitatem, odium, malitias denotet, ſicut in hyeme multæ ſunt inundationes, & imbres. Ita Hugo Card. *Bene comparatur hyemi ſtatus peccatorum, quia in hyeme ſunt inundationes aquarum, & torrentium, ſic abundantia iniquitatum.* Pſalm. 17. *Torrentes iniquitatum conturbauerunt me.* Oſeæ 4. *Maledictum, furtum, homicidium inundauerunt.* Iſaiæ 8. *Ibi per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet.* Peccatores enim de vno peccato ad multa trahuntur, vnde multa peccata in primo hominis peccato concurrerunt, ſuperbia quidem, qua Adam voluit eſſe ſicut Deus, inſipientia, qua credidit poſſe fieri ſicut Deus, malitia, qua contradixit ei, quod præceperat Deus, vel conſenſit ei quod prohibuerat ei Deus, quia ex primo peccato alia ſequebantur, f. 380. d. 27. *Vide Dom. in Ramis, num. 5.* At iuſtis omnes virtutes habent quodam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Ideo nubi comparantur; nubes enim eſt omnium impreſsionum cœleſtium ſuſceptiua de facili: ita iuſti receptaculum ſunt omnium virtutum, ſol. 262. d. 36. Hac de cauſa detentio Beatæ Mariæ Virginis fuit in plenitudine Sanctorum, & merito in plenitudine Sanctorum detentio eius, cui nec deſuit fides Patriarcharum, ſpiritus Prophetarum, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, ſobrietas Confeſſorum, caſtitas virginum, fœcunditas coniugatorum, imò nec puritas Angelorum: ita perfecti viri omnium virtutum ſplendore, dotibus, & ornamentis ornantur, f. 166. d. 59.

4 *Et hyems erat.* S. Ioannes hyemis tempus curauit exprimere, vt magnum Chriſti amorem erga homines, quo omnes inclementias, & pœnalitates ſuperabat, commendaret. Ita Silueira: *Habuit ſe Dominus tanquam ſtrenuus amator, qui nec ab algentis temporis inclementia, nec à rigidæ turbinis minantis denſitate impediri valet, ſed præ ſui deſiderij flamma omnia vincit, ac contemnit, vt opera ſui amoris, prætet, ac exhibeat.* Amor erga dilectum omnes pœnalitates contemnit, vt opera amoris erga dilectum adimpleat. Ideo aquæ multæ, id eſt, omnimodæ pœnalitates, quas Beata Virgo ſuſtinuit in Filio, non potuerunt extinguere charitatem Mariæ Virginis, vt in paſsione opera amoris Filio exhiberet, quia ipſius charitatis abſorbebatur ardore, ſicut ardore Solis, vel ferri igniti abſorbetur aqua, f. 144. d. 191.

5 *Arabulabat Ieſus.* Dominus Ieſus ambulabat renouationis feſto, vt exemplo ſuo ad curſum, & continuum profectum incitaret, non quieſcebat, vel ſedebat: nam in re virtutis nunquam ceſſandum eſt ab opere, ſed ſemper proficiendum. Ideo Iahel interpretatur aſcendens, quod conuenit iuſtis, qui non ſicut accidioſi deſcendunt, ſed ſtrenue de virtute in virtutem aſcendunt, f. 34. d. 9. Hac ratione Sponſa comparatur horto: inde nominatur hortus, quod ſemper ibi aliquid oriatur: quia cum alia terra ſemel in anno aliquid creet, hortus nunquam ſine fructu eſt. Ita Sponſa, vel anima iuſti nunquam ſine virtute eſt, quia nunquam ſiſtit, & ſtat, ſed ſemper cum fructu virtutis eſt, f. 122. d. 102. Similiter iuſti comparantur Auroræ: ſicut enim lux Auroræ progreditur creſcendo in claritate: ſic iuſti progrediuntur proficiendo in cla-

ri-

ritate bonæ vitæ, vt in omni virtutum claritate ſint quaſi Aurora conſurgens, f. 129. d. 139. 7. Reſp. Aſsimilantur quoque Lunæ plenæ; quando Luna eſt plena, tunc tota nocte lucet, quando vero non eſt plena, modo lucet in principio noctis, modo in medio, modo in fine: ita aliqui modo lucent in virtute in principio vitę, modo in progreſſu, modo in fine, quia multoties in virtute conſiſtunt: at iuſti ſunt ſicut Luna plena, & integra, quia continue in nocte huius mundi in virtute ſplendent, fol. 133. d. 148. Ideo Chriſtus lumen indeficiens dicitur, & vere indeficiens, quia nunquam eccliſatur, nec diminuitur, nec vnquam in ſe decreſcit, quia hoc eſt imperfectionis, quod Diuinæ derogat dignitati: ita iuſti lumen indeficiens ſunt, quia nunquam in virtute deficiunt, Eccleſiaſt. 24. d. 22. f. 157. Comparantur quoque iuſti oliuæ, quæ ſuam comam ſeruat diu: ita iuſti virtutem nunquam dimittunt, f. 175. d. 67. 4. Bz. in medio.

6 *Ambulabat Ieſus in porticu Salomonis.* Silueira: *Non ſtat, ſed ambulat de vno loco in alium vt non tantum vni, ſed omnibus ſua beneficia diſtribuat, & communicet.* Beneficia enim in omnes ſunt diffundenda. Vnde S. Eliſabeth, vt certiſsimum apud ſe ſtatuit, Beatam Virginem eſſe Matrem Dei, quia larga beneficia in omnes magnos, ac paruos diffundebat, nam Beatæ Virginis aduentu maximè lætata fuit mulier annoſa, magnamque gratiam participauit Ioannes, f. 313. d. 105. 2. Reſp. Hac ratione Beata Virgo quod miſericordiam fecit Deus, *in progenie, & in progenies*, primo dicitur à progenie; ſcilicet, Iudæorum, quia incarnatio facta eſt in ſemper Virgine Iudæa, poſtea dicitur in plurali in progenies; ſcilicet, omnium gentium, quia beneficium Incarnationis ſe extendit ad omnes gentes, f. 322. d. 137. Ideo Beata Virgo ſignificata eſt per ſeptem Angelos effundentes ſeptem phialas ſuper terram, quia ipſa phialas gratiæ, miſericordiæ, & bonitatis, & largitatis in omnes effudit, f. 385. d. 41. Quapropter non dicitur de Beata Virgine, quod ſibi peperit Filium, ſed abſolutè, *peperit Filium*, quia non vni aut alteri, ſed in ſalutem omnium natus eſt Chriſtus, Iſaiæ 8. d. 24. f. 203.

7 *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.* Notanter dixit in nomine Patris mei, vt omnia ſua in gloriam Patris referat. Ita Silueira: *Non ait in nomine meo, ſed Patris mei, cuius gloriæ, & honori omnia ſua referebat.* Dei enim gloria in omnibus operibus noſtris quærenda eſt. *Vide Dom. in Septuag. 5.*

8 *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei hæc teſtimonium perhibent de me.* Non verba, ſed opera pro ſe allegat: opera enim ſunt quæ verum dant teſtimonium. Ideo Beata Virgo Maria dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, quaſi dicat, alia magnum prędicant Dominum, vt creaturæ rationales, alia magnum probant, & oſtendunt, ego autem magnum facio Dominum, id eſt, anima mea tot repleta Donis, Deum ipſius factorem magnum prædicat: nam ſicut magnum opus, magnum ſui declarat opificem, ita anima mea, tot cumulata Donis, magnum ſui conditorem manifeſtat, quia ex hoc magno opere Deus manifeſtatur magnus, ſicut ab operibus cognoſcitur homo, fol. 315. d. 113. *Vide Dom. 2. Aduent. num. 11. & Feria 4. Dom. 4. Quadrageſimæ. num. 7.*

9 *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Caietanus: *Miracula demonſtrant atteſtantia, quod ipſe eſt Filius Dei.* Miracula enim facere conuenit Chriſto ſecundum naturam, quam accepit à Patre, f. 349. d. 22. f. 356. d. 49.

10 *Ego vitam æternam do eis.* Per Beatam quoque Virginem omnes ad vitam æternam vocantur, vnde qui vitam ſuam vult dirigere in vitam æternam Beatam Virginem reſpiciat, meritis quoque eius peccatores viuunt vita gloriæ. *Vide Vita æterna.*

11 *Et non peribunt in æternum.* Nec deuotus Beatæ Virginis morte æterna damnandus eſt. *Vide mors æterna.*

12 *Ego, & Pater vnum ſumus.* Et Filius vnum eſt cum Matre ſecundum humanitatem, ſicut in deitate vnum cum Patre. *Vide Filius.*

13 *Pater in me eſt.* Et Deus excellentius fuit cum Beata Virgine, quam cum alijs iuſtis, vnde plenitudo Diuinitatis habitauit in ea corporaliter. *Vide Deus, Dominus Tecum.*

FERIA QVINTA POST DOMICAM in Paſsione.

Lucæ 7.

1 *Ecce mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix.* Mulieris nomen non exprimitur, prædauet Euangeliſta peccatricem fœminam nominare, quia nomen per peccatum coinquinauerat. Ita Hugo: *Vide quod non nominatur hic, quia in peccato erat adhuc*, ſicut Lucæ 16. *Non nominatur diues, ſed in ſtatu gratiæ iam prouecta nominatur.* Ioannis 11. & 12. Peccatum enim nomen peccatoris maculat. Vnde Maria ſoror Moyſi, nomen ſuum deturpauit per ſuperbiam, & murmurationem, & Maria Mater Ioannis, & Iacobi, nomen coinquinauit per auaritiam, & cupiditatem, ita Magdalena per luxuriam, & carnalem delectationem, fol. 92. d. 142. Ideo nomen Chriſti Ieſu nulli in Nouo Teſtamento imponitur, ne hoc nomen ab aliquo ſic nominato per peccatum polluereturibid.

2 Vel ideo Euangeliſta nomen proprium Magdalenę non exprimit, cum eam peccatricem dicat, quia peccator reſidens in ſuo delicto, nomine caret, & quaſi ignoratur à Deo. Ita D. Antonius de Padua: *Non ponitur hic nomen, quia peccatores, quandiu ſunt in peccato, de libro*

Domini ſunt deleti. Ideo tres Reges Ozochias, Ioas, Amaſias non ponuntur in libro Generationis Chriſti, quia mali erant: ita nomen Magdalenæ ſuprimitur, quia peccatrix erat, f. 187. d. 110.

3 *In Ciuitate peccatrix.* Caietanus: *Genus peccati non explicatur, ſed cum mulier abſolutè dicitur peccatrix, peccata carnis intelliguntur, vtpotè mulieribus propria quoad infamiam.* Mulieres enim per luxuriam infamantur. Beata tamen Virgo vitia carnis neſciuit. *Vide plura Verbo Luxuria.*

4 *Vt cognouit quod accubuiſſet in domo Phariſæi.* Lachrymoſa erat mulier, lachrymis plena, & inuenit Chriſtum, quia per pœnitentiam inuenitur Chriſtus: vnde Reges Orientis inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, quæ interpretatur amarum mare, & Dominus Ieſus non inuenitur niſi cum à Maria, id eſt, cum amaritudine pœnitentiæ, fol. 261. dub. 55. Nec ſola pœnitentia ſine virtutum augmento inuenitur Chriſtus. Ideo paſtores inuenerunt Mariam, Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio, Maria pœnitentiam, Ioſeph augmentum, id eſt, profectus virtutum ſignificat, cum his, & per hæc inuenitur Ieſus Infans in præſepio, Deus in carne, quem inuenire eſt vitam inuenire, fol. 327. dub. 157.

5 Vel ideo Magdalena inuenit Ieſum, quia ſtatim vt cognouit, quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi propere venit, & ſine mora ad eum, qui enim feſtinus, & præproperus quærit Chriſtum, cum inueniet. Ideo paſtores quia feſtinantes venerunt, & non pedetentim inuenerunt Ieſum, ibi, 1. Reſp.

6 *Vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi.* Venit ad Ieſum, tædio peccati affecta, quia peccator in peccato non inuenit quæ deſiderat anima eius. Eua in fructu quem comedit duo deſiderauit. Primo id quod falſo promiſit ei diabolus; ſcilicet, quod eſſent ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, at Eua propter eſum fructus, non eſt facta ſimilis Deo, ſed diſſimilis, quia peccando receſſit à Deo. Secundo, Eua in fructu ſuo deſiderauit delectationem, quia bonus ad edendum, ſed non inuenit, quia ſtatim inuenit ſe nudam, & habuit dolorem. Non ergo Eua potuit inuenire in fructu ſuo, quod nec quilibet peccator in peccatis, f. 310. d. 96.

7 *In domo Phariſæi.* Non quæſiuit Chriſtū in publico, in platea, ſed in domo Phariſæi. Ita Hugo Cardin. *Poſt multas mulieres acceſſit non in publico, ſed in domo.* Quia Deus nō eſt in mundo quærendus. Vnde Paſtores dixerunt: tranſeamus vſque ad Bethelem; & paulò poſt dicitur, quod venerunt feſtinantes, & inuenerunt, feſtinantes venerunt, vt oſtenderent, quod feſtinantes egredi de mundo, non in eo commorantes, & ſubſiſtentes, inueniunt Ieſum, fol. 171. d. 67. Hac ratione B. Virgo peperit Filium ſuum in via, vt ab his qui in via ſunt, non à conſiſtentibus in Ciuitate poſſet reperiri, ibi.

8 *Et ſtans retro.* Peccatrix cum ſua delicta optimè agnoſceret, ſe habebat indignam, vt veniret in conſpectum Chriſti, vnde ne inuerecunda iudicaretur, ac imprudentis audaciæ, fiat retro. Ita Hugo Cardin. *Et ſtans retro propter Verecundiā.* Peccatum enim pudorem cauſat & erubeſcentiam. Vnde ſenſibiliter experimur, quod ſi quis de malo culpæ confunditur, & erubeſcit, naturaliter oculos ad terram præ confuſione dimittit: ita peccator cognoſcens peccatum ſuum, rubore ſuffunditur, nec audet oculos leuare, fol. 79. dub. 72. Qui verò de peccato erubeſcit ad Beatam Virginem confugiat; ideo Beata Virgo comparatur terræ, qui enim de malo dolet, & ingemiſcit oculos naturaliter ad terram inclinat, quaſi ibi foret aliquod remedium, aut refrigerium ſingulare: ſic qui confunditur à ſe ipſo, qui dolet, aut triſtatur de peccato, in hanc terram, Beatam ſcilicet Virginem oculos demittat, ibi.

9 *Et ſtans retro ſecus pedes eius.* Hugo Cardinalis: *Et ſtans parata ſeruire Deo, quæ iacendo ſæpè offenderat eum.* Sed per Beatam Virginem peccatores mutantur in melius, fol. 111. d. 12. fol. 122. dub. 93. Adiuuatque peccatores ad exeundum à peccatis, fol. 173. dub. 72.

10 *Secus pedes Domini.* Magdalena ſecus pedes Domini ſtabat confidens de venia. Ita Hugo Card. *Secus pedes Domini propter confidentiam.* Spes enim veniæ reſpirare facit peccatorem. Ideo Chriſtus odorem ſuum comparat balſamo, quia ſicut balſamum facit corpus mortuum, ſi inde perungatur, videri quaſi viuū: ſic odor miſericordiæ Chriſti, facit per peccatum mortuos; in ſpem veniæ reſpirare, f. 175. dub. 79. 2. Reſp. Et Beata Virgo deuotos ſuos per ſpem, & fiduciam ſubleuat, & roborat, fol. 133. dub. 145. Deſperatoque peccatori miniſtrat ſpei reparationem, fol. 140. dub. 170. Nulla quoque eſt confuſio peccatori confidenti in Beata Virgine, fol. 237. dub. 11. *Pro miſericordia Chriſti erga peccatricem. Vide Domin. in Ramis, num. 2.*

11 *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Magdalena corde compuncta venit; B. tamen Virgo peccatoribus impetrat compunctionem, fol. 39. dub. 18. Et pro hac die vide multa, *Verbo Peccatum, peccator, Pœnitentia, Lachrimæ.*

12 *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quibus verā pœnitentiam, & compunctionem demonſtrauit. At peccator obſtinatus peccata excuſat, & defendit. Sunt enim magni peccatores ſicut Hericij obſiſti denſis peccatorū aculeis, qui cum corriguntur, armant ſe ſpinis ſuis, id eſt, excuſationibus, f. 92. d. 145. Vnde indigni ſunt diuinis fauoribus. qui excuſant ſua peccata. Ideo Dominus non dixit Euæ, quod poneret inimicitias inter eam, & ſerpentem, ſicut dixit

xit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Nimirum quia propter peccatum, & peccati defensionem hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promissiones tales, promissiones tantæ gratiæ faceret Deus, fol. 10. d. 70. Magdalena non prætexit causam peccatorum suorum, nec prætendit excusationis velamen, culpam à se dimouens, sed cœpit rigare lachrymis pedes Domini Iesu, vnde gratiam, & fauorem suum Dominus ei liberalissimè impendit.

13 *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Cœpisse Magdalenam lachrymari audimus, non tamen à lachrymis cessasse. Ita Silueira: *Lachrymarum exordium legimus, non vero finem.* Iusti enim peccata sua etiam remissa, perpetuo plangunt. Vnde S. Ioseph accepit Beatam Virginē in coniugem, vt denotaret, quod quilibet iustus debet habere Mariam coniugem, id est, amaritudinem pœnitentiæ, quæ sicut coniugium diuturna esse debet, fol. 256 d. 38. 5. Resp. At multi timent pœnitentiam suscipere, & accipere Mariam, quousque timor Domini, monet eos dicens: Noli timere Filij Dauid, accipere Mariam, id est, pœnitentiam coniugem tuam, si vis imitator esse Christi, qui fuit irrisus, flagellatus, & irrisus, sicut enim Christus dolorem, & miseriam ab vtero habuit vsque ad mortem, ita homo non timeat in pœnitentia pro peccatis, etiam remissis perseuerare, ibi.

14 *Lachrymis cœpit rigare.* De peccatis doluit, peccata confessa est, & pro peccatis satisfecit. Ita D. Ambros. *Bonæ lachrymæ in quibus est redemptio peccatorum.* Vera enim pœnitentia non est sine dolore, confessione, & satisfactione. Vnde pœnitentia est matrimonium, per quam homo copulatur Deo Hoc matrimoniū spirituale inchoatur per contritionem, ratum fit per confessionem; consumatur autem per satisfactionem, f. 256. dub. 38. 5. Resp.

15 *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* Magdalena oculis, labijs, manibus, pedibus, ac crinibus se totam consecrauit. Ita D. Cyprian. *Vsa est capillis pro linteo, oculis pro catino lachrymis pro baptismo, cor contritum erumpit in lachrimas, fides lauit charitas vnxit: caput vero pro supedaneo strauit, crinibus circunfusis pedes sacros inuoluit, & tersit, nihil sibi de se retinens, totam se tibi deuouit.* Homo enim se totum debet offerre Deo. Vnde Beata Virgo dedit Filio suo corpus, animam suam, & spiritum suum, corpus, & vterū suum dedit ad habitandum, animam suam animæ Christi per amorem vniuit, & quodammodo vnam fecit, spiritum suum diuinitati Christi indissolubiliter coniunxit, vt integrum spiritum, animam, & corpus, seque totam Deo seruaret, f. 370. d. 1. Christus verò lapsam peccatricem ad se venientem leniter tractauit, benigneque fouet. *Vide Fer. 6. post 3. Dom. Quadrag. n. 1.*

16 *Quia peccatrix est.* Videbat Pharisæus lachrymas mulieris, insignem eius pœnitentiā, ac contritionem, & tamen eam adhuc peccatricem iudicat, & male suspicatur de ea: maligni enim temere iudicant de proximo suo. At verò iusti de nullo male suspicantur. Vnde Sanctus Ioseph nolebat Beatam Virginem prægnantem traducere, quia magis credebat castitati eius, quam vtero eius, & plus gratiæ quam naturæ. Possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare, adeo iustus erat, quod temeraria existimatione virginem non damnaret, ne opinione falsa coniugis violaret honorem, f. 254. d. 30.

17 *Si hic esset Propheta sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Pharisæus offendebatur, & vulnerabatur improbitate mulieris. Ita Eutimius: *Offendiculum passus hæc dicebat Pharisæus.* Mali enim ex his quæ vident offendiculū assumunt. Vide fol. 170. dub. 55. At vero iusti visis prauorum operibus non scandalizantur. Vnde B. Virgo conuersationem suam inter gentes habuit bonam, quia nullius opere iniquo scandalizata fuit, fol. 373. d. 1. ad Epist. 1. B. Petri Apostol.

18 *Hæc lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit, non cessauit osculari pedes meos, vnguento vnxit pedes meos.* Christus commendat in Magdalena hæc opera supererogationis, quia opera supererogationis valde grata sunt ei. Vnde luctus B. Virginis gratissimus fuit Deo; seruitia enim quanto minus debita, tanto magis grata sunt: luctus B. Mariæ Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tantummodo debito charitatis, ideo gratiosus fuit Deo, fol. 265. dub. 69. 2. Resp. Hac de causa mors Christi acceptissima fuit Deo Patri, quia mortem susscepit spontanea voluntate, vt pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate, quia ipse mortis debitor non erat, f. 323. d. 143. Ad primum S. quoque Lucas Euangelista eleganter protulit, quod completi sunt dies purgationis eius; scilicet, B. Mariæ, secundum legem: nam reuera non incumbebat necisitas Virgini sacrę, vt dies purgationis expectaretur, quæ cum ex Spiritu Sancto concepisset, caruit coniugio, legem tamen cui subiecta non erat, impleuit, vt supererogaret indebita, quia quanto indebita, tanto magis Deo gratiosa, f. 329. d. 161. 3. & fol. 27. d. 2.

19 *Remittuntur tibi peccata tua.* Beata autem Virgo bonis impetrat gratiam, malis remissionem, f. 243. d. 4. *Vide Venia.*

FERIA SEXTA POST DOMINICAM in Passione.

Ioann. 11.

1 *Colligerunt Pontifices, & Pharisæi Concilium.* Pontifices habebant auctoritatis præeminen-

nen-

nentiam, Phariſęi Religionis zelo alios præcellebant, & aduerſus Ieſum ſe coniurant, cum eũ deberent protegere. At boni Prælati ſua poteſtate vtuntur ad alios defendendos, & tuendos. Vnde Eſther Regina facta eſt, non ſolum, vt Regia dignitate perfrueretur, ſed etiam vt in illa conſtituta, populo patrocinaretur, quaſi indecorum eſſet Reginam eſſe, & populum non tueri, quem in ſuam clientelam ratione dignitatis debebat recipere, f. 58. d. 9.

2 *Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium.* Omnes eodem animo, & voluntate coniungebantur, vt de bono communi agerent. Rectores enim Reipublicæ concordes debent eſſe, vt fœliciter negotia Reipublicæ tractent. Hac ratione domus Dauidis mixta erat cum domo Aaron; vxor enim Ioiadæ Pontificis fuit ſoror Ozochiæ Regis Iudæ: fuit enim conceſſum, vt Sacerdos poſſet accipere vxorẽ de Tribu Regia, vt & Rex qui præeſſet in temporalibus, & Summus Sacerdos qui præeſſet in ſpiritualibus, eſſent magis concordes, quod ad bonum regimen populi ordinabatur, ſol. 304. dub. 74. 2. Reſp. Ita qui fęliciter Rempublicam volunt adminiſtrare concordes animis eſſe debent.

3 *Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium.* Conuocant Concilium ad deliberandum quid agendum ſit. Ea enim quæ ad bonũ commune pertinent magno examine diſcutienda, & expendenda ſunt. Vnde Beata Virgo vtilitatem non ſolum propriam, ſed communem deſiderans, prudenter quæſiuit ab Angelo, quommodo fiet iſtud? quod tu dicis, vt Virgo concipiam, & pariam Filium; cum enim incarnatio ad vtilitatem communem ſpectaret, B. Virgo maximè examinauit, & diſcuſsit modũ, f. 299. dub. 62. 2. Reſp. Vel ideo conuocarunt Concilium, vt conſultos homines ſequerẽtur. Res magni momenti impulſu, hortatu, conſilio aliorum debet ſuſcipi. Vnde Beata Virgo nihil ſine conſilio Spiritus Sancti fecit. *Vide Conſiliũ.*

4 *Quid facimus?* Cum afflictione, & anguſtia dicunt Phariſæi in Concilio, quid facimus? Afflictio enim hæc, & anguſtia proueniebat ex timore amittendi bona temporalia, nam ex ſacrificijs, & donis oblatis in templo Pontifices, & Phariſæi magnum lucrum habebant. Ita B. Albertus Magnus: *Anguſtia autem hæc prouenit ex auaritia, quia ſuum lucrũ in populo amittere timuerunt.* Auari enim delectantur in diuitijs ſuis. Ideo ligna voluptatis, ait Prophera, conſolata ſunt in terra infima, ligna voluptatis, auari ſunt, qui delectantur in terra infima, hoc eſt, in cloaca, id eſt, in odore ſtercorum, temporales diuitiæ ſtercora dicuntur ab Apoſtolo, fol. 191. 128. Vel ideo auari delectantur in diuitijs, & bonis temporalibus, quia ſe fœlices putant, cum hæc poſsident. Vnde mundus illos dicit beatos qui diuites ſunt, fol. 321. dub. 132. Hac de cauſa auari cum delectentur, & conſolentur in bonis temporalibus, maximè anguſtiantur, & affliguntur ex eorum amiſsione.

5 *Quid facimus?* Pontifices, & Phariſæi ob auaritiam & ne amitterent emolumenta, quæ à populo accipiebant, ſe incitarunt ad mortem Chriſto inferendam. Auarus enim crudelis, & dirus eſt, ideo à Propheta vocantur Filij ſceleratj; auaritia enim nihil ſceleſtius, quia auarus immanis eſt dirus, & ſæuus, & in ſcelus homicidij pronus, f. 191. d. 128. Auarus quoque mala beſtia appellatur, quia auarus figura geſtus, & ſpecies ferocem, & crudelem beſtiam refert, & repreſentat, f. 211. d. 56.

6 *Quia hic homo.* Præ contemptu vocant hominẽ. Ita D. Chriſoſt. *Adhuc hominem appellant, cum tale diuinitatis eius teſtimonium acceperint.* Qui enim inuiſus, & odioſus eſt, contemnitur, & deſpicitur. Ideo Chriſtus ſe comparat vermiculo, vt ſe Chriſtus profiteatur abiectiſsimum, & contemptiſsimum coram mortalibus, & planè expoſitum hominum proculcationi, ſicut vermiculus, qui deſpicitur, & reijcitur ab omnibus: ita Pontifices, & Phariſæi Chriſtum hominem vocant; cum enim apud eos eſſet deteſtabilis, & odioſus, eum contemnunt, negligunt, & deſpiciunt, f. 68. d. 30.

7 *Multa ſigna facit.* Aduerſus Ieſum faciunt Concilium, qui tot miracula patrarat, tot bona in Regno fecerat ſanando, & docendo. Ita Theophilact. *Decebat admirari, & extollere eum, qui talia peragebat miracula; ipſi vero potius conſiliantur illum occidere.* Mali enim ex beneficijs acceptis in ſuum benefactorem inſurgunt. At vero boni accepta beneficia compenſant, & rependunt. Vnde Beata Virgo Filium ſuum præſentauit in templo, vt ipſa gratiſsima erga Deum Patrem ſe oſtendat, dum illi offert Filium quem ab ipſo acceperat, fol. 329. dub. 163. Ideo bonus latro reſipuit: quia B. Virgo inter Crucem Filij, & Crucem latronis poſita, Filium pro latrone deprecabatur, hoc ſuo beneficio antiquum latronis, qui Beatam Virginem cum Filio, & Sponſo fugientem in Ægyptum, & in latrones incidentem, ab eorum manibus liberauit, recompenſans, f. 345. dub. 216. Vnde Beata Virgo maximè gaudet cum eam ſalutamus, & verba Angeli; ſcilicet, *Aue gratia plena*, proferimus, quia beneficij diuini nos memores videt, & erga benefactorẽ; ſcilicet, Deum, qui propter nos homo factus eſt gratos, fol. 285. dub. 22. Hac ratione ſpiritus quo S. Ioannes erat plenus, reſultauit in parentes. S. Ioannes gratia exornabatur, vt eſſet magnus coram Domino, ideo ei communicatur gratia, vt inde tranſeat in parentes, quaſi ipſe prior ſit gratus, quam natus, dum pro ſubſtantia corporea accepta, ſpirituale donum; ac graũ tia ab eo in parentes redundat, ac tranſfunditur, fol. 309. dub. 91. 1. & Beata quoque Virgo

di-

dixit: *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſaluratri meo*, meum appellat, cum pro omnium ſalute carnem aſſumpſerit, vniuerſale beneficium ſibi proprium, & peculiare faciens; gratus enim animus ob magnitudinem charitatis ſuæ, ad gratias agendas, commune beneficium peculiare ſibi reputat, fol. 318. dub 125. 2. Reſp. Hac de cauſa dixit Beata Virgo: *Magnificat anima mea Dominum*; quaſi diceret: mirabilia quæ Deus pronuntiauit, in meo corpore exercebit, ſed anima mea infructuoſa apud eum non erit, nam quanto amplo doceor miraculo, tanto teneor glorificare in me mirabilia operantem, vt benefactori gratiam referam, fol. 316. dub. 116. 1. Reſp. Quapropter omnes generationes Beatam prædicant Virginem Mariam; omnes ſcilicet, generationes; ſcilicet, Iudeorum, & Gentium, vel virorum, vel mulierum, vel diuitum, & pauperum, Angelorum, & hominum; quia enim omnes per ipſam ſalutare beneficium acceperunt, omnes beneficij memores, gratiam referunt, & perſoluunt, fol. 321. d 131. 2. Reſp. Sanctus quoque Ioannes deprehendens nihil eſſe magis gratum Chriſto, quam cum Filium Virginis Mariæ dici, ter nomen Matris Chriſti repetit, vt beneficio, quod ei contulit, eam ipſi Ioanni dans in Matrem, correſponderet. f 357. dub. 51. Et Deipara fuit Virgo poſt partum ingratiſsima enim videretur ſi tanto Filio contenta non eſſet, & ſi virginitatem, quæ in ea miraculoſe conſernata fuerat ſponte perdere velet per carnis concubitum, fol. 258. dub. 44. 3. Reſp. Tandem Reges, & Principes, non mittebant coronas ante ſedentem in throno, ſed deponebant eas ante thronum; ſcilicet, ante Deiparam, vt profunda ſubmiſsione ſuam poteſtatem, qua fulgebant quamque, peculiari Virginis beneficio obtinebant, ipſi grati animi memoria acceptum rederent Beatæ Virgini, fol. 379. dub. 20. En qualiter boni memori mente, & animo gratiam pro collatis beneficijs dignam perſoluunt: mali vero ſicut Pontifices, & Phariſæi ex beneficijs eliciunt, & arripiunt occaſionem inſurgendi in benefactorem.

8 *Vnus ex ipſis Caiphas nomine.* Caiphas, ſuperbus, arrogans, & elatus erat, ideo vnus dicitur, & vnum præ ſuperbia ſe exiſtimabat. Ita Silueira: *Vnus dicitur, & annotatur ſuperbiſſimus Pontifex, ſe vnum primum, ac ſingularem ſapientia, ac eruditione exiſtimabat.* Superbus enim vnus, & ſingularis vult eſſe. Vnde Lucifer ille ſuperbus dixit: *Super altitudinem nubium conſcendam*, eo quod nullam creaturam ſimilem habere volebat, nec etiam gloriosam Virginem, ſed vnus, & ſingularis ſuper nubium altitudinem appetebat eſſe, fol. 205. dub. 32.

9 *Vos neſcitis quidquam.* Caiphas erat Pontifex ſuperior alijs loco, & dignitate; inde tumidus fuit, & turgens ſuperbia. Mali enim de dignitate obtenta ſuperbia efferuntur; at boni humiliantur. Vnde Beata Virgo dixit Angelo: *Ecce Ancilla Domini*, cum in Matrem Dei eligeretur; humiliauit enim ſe, in quo reprehenditur ſuperbia multorum, qui de gratia ſibi data ſuperbiunt, & inflantur, fol. 306. dub. 78. Hac ratione iuſti licet alios donis, & gratia præcellant, eos non contemnunt, quia de gratia accepta non intumeſcunt. Vnde quamuis Deipara Virgo maximis Spiritus Sancti donis eſſet conſpicua, nihil tamen inde ſublime ſibi adſcripſit, nec alios longe minora dona habentes contempſit, nec alpernata eſt carnalium intereſſe celebritati nuptiarum, fol. 347. dub. 13. 2. Reſp.

10 *Vos neſcitis quidquam.* Caiphas dixit vos neſcitis quidquam, quaſi gloriaretur quod ipſe ſciret, quid in re tanti ponderis expediret; vt vnus ſcilicet, moriatur homo, ne tota gens pereat, & cum hoc à ſemetipſo non dixiſſet, ſed à Spiritu Sancto regente linguam, verbaque eius, vt veram proferret prophetiam futurorum prænuntiam, glorioſe ſibi blanditur de ſcientia ſua, nihil Spiritui Sancto adſcribens. Superbus enim omnia ſibi, non Deo attribuit. Vnde Adam de Eua quæ dormiente, atque adeo ignorante prodierat, inaniter gloriabatur, & cum ſolam coſtam fabricandæ mulieri, ſubminiſtrarit, etiam carnem ſe ſubminiſtraſſe jactabat, dicens: *Os ex oſsibus, & caro de carne mea*, ideo fortaſſe nullam dicitur laudem Deo tribuiſſe; quippe quam ſibi totam arrogarat, fol. 8. dub. 59.

11 *Expedit vobis.* Caiphas proprium lucrum, & commodum eis obijcit. Ita Silueira: *O nefariam, & ſacrilegam conſilium, vbi non de iuſtitia, nec de vtilitate reipublicæ, ſed de commodo aſtantium agitur.* Mali rectores proprio commodo intendunt, boni vero reipublicæ bonum reſpiciunt. Vnde in corde Beatæ Virginis pugnabant duo amores; ſcilicet, amor Filij, & amor humani generis; amor Filij nolebat pati Chriſtum, amor humani generis volebat Chriſtum pati; ſed amor generis humani ſuperauit amorem Filij, quia Beata Virgo non propriam vtilitatem ex Chriſti vita, ſed bonum commune ex Chriſti morte quærebat; fol. 368. dub. 2. Hac ratione Angelus non dixit Beatæ Virgini: Habes gratiam apud Deum, ſed *inueniſti*, quia res habita, vt propria cuſtoditur, res inuenta reſtituitur illis, qui amiſſerant. Quia igitur non ſibi ſoli retentura erat gratiam, ſed omnibus, qui eam amiſſerat, reſtitutura, ideo dixit Angelus *inueniſti*, quaſi dicat: Non debes tibi abſconderead vtilitatem tuam, ſed in aperto, id eſt, communi ponere, vt cuiuſcumque fuerit rem ſuam poſsideat. Nouerat enim Angelus Virginis Mariæ genium, quæ non pro-

priuum commodum, ſed commune deſiderabat, fol. 296. dub. 50. & fol. 295. dub. 48. 3. Reſp. Ideo Beata Virgo maximam triſtitiam habuit, quando Filium ſuum amiſiſſe credidit, timens ne ad Patrem cœleſtem ſine redemptione humani generis rediuiſſet. Ita bono communi ſtudioſiſsima erat, quod doleret ſi redemptio generis humani non ſequeretur, fol. 333. dub. 174. Quapropter Angelus non annuntiauit coram toto mundo Incarnationem Chriſti, vel ſaltem publice, quia ſi coram omnibus annuntiata fuiſſet ſemper Virgo Maria, vel in publico pluribus audientibus, impedita fuiſſet humana redemptio, quæ per Crucem eius facta eſt; *ſi enim cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, ideo Angelus bono communi conſulens, ipſi ſoli apparuit, fol. 283. dub. 18. At Caiphas, Pontifices, & Phariſæi non feruidi erant, nec impetu, & ſpiritu boni communis, & animorum ſalutis rapiebantur, ſed proprij commodi inflammabantur ſtudio.

12 *Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Quia ſententiæ Caiphæ omnes ſubſcripſerunt. Ita Euthymius: *Cæteri non quaſi vaticinium, ſed quaſi conſilium ſuſcipientes, ſuffragijs illud comprobant.* Prælati ita dominantur ſubditis, quod mali ſubditi eorum voluntatem in malo ſequuntur. Vnde Eua quaſi prophetice dicta eſt virago, quia viro ſuo adeo dominatura erat, quod vir ſequuturus erat eius voluntatem, conſenſumque præbiturus ei in malo, fol. 9. dub. 62. Ita cum Pontifex ſuam mentem declaraſſet, ſtatim omne conſilium illius voluntatem decreuit, & determinauit.

13 Pro Beata Virgine qualiter turbata fuerit Iudæis machinantibus in mortem Filij, *Vide fol. 339. dub. 194. 2. Reſp.* Et quam magnus fuerit ei dolor ex circunſtantia inferentium Filio paſsionem, fol. 62. dub. 3.

DOMINICA IN RAMIS Palmarum.

Matth. 21. verſ. 1.

Pro hoc Euangelio, *vide fol. 273. dub. 114.*

1 *Et veniſſent Bethphage ad montem Oliueti.* Bethphage hebraice idem eſt, ac domus oris, oliua ſignificet pacem: ex Bethphage venit in montem Oliueti, vt ſignificetur quod per domum confeſsionis venitur in domum pacis, & quietis. Ita Hugo Cardin. *Oliua ſignum eſt pacis: Mons autem Oliueti eſt excellentia, vel cumulus pacis, quæ offertur confitenti, & perſeueranti reſeruatur.* Confeſsio enim ſecum adfert pacem internam, quietem, & iocunditatem. Vnde pœnitentia eſt matrimonium per quam pœnitens copulatur Deo, ratum fit per confeſsionem conſummatur per ſatisfactionem, & tres filios gignit. Teſtimonium, ſcilicet, conſcientiæ, prælibationem iocunditatis æternæ, adeptionem gloriæ, vt denotetur quod per confeſsionem venitur ad quietem conſcientiæ, iucunditatem animæ, & pacem gloriæ, fol. 256. dub. 38. 5. Reſp. in fine.

2 Vel ideo venit ad montem Oliueti, vt Chriſtus ſe miſericordem in peccatores oſtenderet, & pium. Ita Hugo Cardin. *Per montem Olueti ſignificatur cumulus miſericordiæ* Prælatus enim pronior debet eſſe ad miſericordiam erga peccatores, quam ad iuſtitiam. Boni Prælati ſunt ſicut arcus cœli, qui habet duos colores, cæruleum extrinſecus, & igneum intrinſecus; ita Prælati colorem igneum, id eſt, rigorem iuſtitiæ habeant intrinſecus, & abſcondant, cæruleum vero, id eſt, lenitatem miſericordiæ habeant extrinſecus, & manifeſtent, fol. 13. dub. 93. Prælati ſint ſicut fluuius Phiſon, qui interpretatur os papillæ, quod ſemper videtur eſſe clauſum, & tamen lac emittit: ita Prælati videantur claudere iuſtitiam, ſed lac dulcedinis, pietatis, & miſericordiæ effundant, fol. 188. dub. 113. Hac ratione platano comparantur Prælati, quæ arbor eſt mollis, & tenera in foliis: ita Prælati pij ſint, compatientes peccatoribus, in ſpiritu lenitatis, quia lex clementiæ debet eſſe in lingua eorum, fol. 173. dub. 72. 5. Reſp. At aliqui Prælati perpendent potius ad iuſtitiam, quam ad miſericordiam. Vnde Eliæ efficacitas prius in malis, quam in bonis exercita eſt; prius enim cœlum clauſit ad iuſtitiam, quam aperuit ad miſericordiam, quia propenſior ad iuſtitiam, quam ad miſericordiam videbatur, fol. 46. dub. 37. Per Beatam autem Virginem Deus miſericors in peccatores. *Vide Miſericordia Dei.*

3 Vel ideo venit ad montem Oliueti, vt medicinam adferat peccatori, quia ſtudioſiſsimus eſt infirmitatibus noſtris curandis, nam oleum medicinale eſt. Ita Hugo Cardinalis: *Per montem Olueti ſignificatur cumulus medicinæ, nam oleum lenitiuum eſt, & medicinale.* Vnde Filius Dei medicamentum eſt generis humani, & medicina nobis à Beata Virgine facta. *Vide Medicamentum.*

4 Vel ideo Dominus Ieſus ad montem Oliueti venit, vt doceret quod pacem veniebat mittere in terram. Ita Hugo Cardinalis. Marci 11. *Oliua ſignum eſt pacis, vnde columba ad Arcam rediens in ſignum pacis, & reconciliationis ramum oliuæ reportauit.* Geneſ. 18. *Mons igitur Oliueti eſt excellentia, vel cumulus pacis.* Vnde Chriſtus Tabernaculum fœderis dicitur; quia ſcilicet, fœderauit naturam humanam Di-

Diuinæ, cui propter peccatum Adæ offenſus erat Deus, fol. 28. dub. 4. Et nota quod poſt diſcordias duarum partium de conſilio ſapientium firmari ſolent fœdera inter partes: iſti ſapientes Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: hoc tamen negotium iunctum eſt Filio, qui eſt ſapientia Patris per quem ſtabilita eſt inter Deum, & homines amica pax, ibi. Chriſtus eſt oliua ſpecioſa in campis; oliua enim ſignum eſt pacis: vnde in eius ortu cecinerunt Angeli: Pax hominibus bonæ voluntatis, fol. 171. dub. 67. At per Beatam Virginem facta eſt pax inter Deum, & hominem, inter hominem, & Angelum, hominem, & hominem, inter corpus, & animam, ibi. *Vide Pax.*

5 *Et ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea.* Secundum D. Hieronymum, & Beatum Albertum Magnum, aſina illa erat natura humana alligata peccati vinculo. Et bene ſimul cum aſina alligata eſt pullus: quia cum aſina alligata eſt peccato, niſi per pœnitentiam reſurgat, ſtatim plurimorum eſt fœcunda peccatorum, multaque edit, & parturit; vnum enim peccatum aliud parturit. Ita Hugo Cardinalis, Lucæ 19. *Pullum aſinæ, populum peccatorem, alligatum funiculis peccatorum.* Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capient impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Vide Feria 4. Dominica in Paſſione, num. 3.*

6 *Miſit duos Diſcipulos.* Miſit Chriſtus duos Diſcipulos non plures ad commendandum charitatem, quæ in duobus præceptis conſiſtit. Ita Hugo Cardin. *Mittit duos charitate iunctos propter dilectionem Dei, & proximi.* Gloſ. *Bini vocantur.* Matth. 4. *Bini mittuntur.* Matth. 10. Luc. 10. *Quia charitas non in vno conſiſtit: vnde ve Soli, Eccleſiaſt. 4.* Amor enim Dei, & proximi aſſociari debent. *Vide Feria 6. poſt Cineres, num. 2. & in feſto S. Andreæ.*

7 *Ecce Rex tuus venit tibi.* Quia magnus Princeps non ſuæ, ſed ſuorum vtilitati venit. Ita Gaietanus: *Tibi ad tuam ſalutem.* Vnde D. Lucas non dixit, quod B. Virgo peperit ſibi Filium, ſed abſolutè peperit Filium, quia non vni, aut alteri, ſed in ſalutem omnium natus eſt Chriſtus, fol. 203. dub. 24. Hac ratione Dominus Ieſus inter vlnas, dulciſſimoſque Sanctiſſimæ Matris amplexus noluit occultari, ſed in præſepio reclinari, vt omnium oculis eſſet præuius, ac ſine vllo impedimento totus poſſit ab omnibus inſpici, quia pro omnium commodo venit, fol. 326. dub. 155. 2. & 3. Reſp. Ideo de vtroquo populo naſci voluit, quia pro vtroque populo venerat fol. 16. dub. 115. Ita bonus Princeps, & Prælatus eligitur, non vt ſuo commodo, ſed aliorum vtilitati conſulat.

8 *Ecce Rex tuus.* Quia Chriſtus totus noſter eſt. Vnde Deus dicit ad B. Virg. ad animam, ad Eccleſiam: *Ex me fructus tuus inuentus eſt.* Tuus ò Maria ad hunc fructum producendum electa, tuus ò anima ad hunc fructum diligendum illecta, tuus ò Eccleſia ad hunc fructum percipiendum collecta, tuus certe corporaliter per aſſumptam naturam, tuus ſpiritualiter per gratiam, tuus Sacramentaliter per Euchariſtiam, tuus æternaliter per gloriam, fol. 238. d. 9. Hac de cauſa Beata Virgo Filium peperit in via, vt poſſet ab omni prætereunte capi, & dicerent tranſeuntes Filius datus eſt nobis, fol. 171. dub. 67. Quapropter Beatiſsima Virgo dedit hoſtiam pro Filio in Templo, vt oſtenderet, quod Dominus Ieſus duplici iure noſter erat, noſter quia Pater dedit noſter, quia Mater emit, fol. 330. dub. 165. 3. Reſp. Ideo Chriſtus repoſitus fuit in Beata Virgine tanquam in arca in hominum commodum, vt ſe totum daret nobis, quia totus noſter futurus erat, fol. 24. dub. 22.

9 *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* A manſuetudine, ac benignitate laudatur Rex Chriſtus; maximè enim Regis, & Prælati ſplendor ex benignitate extollitur. Ita Silueira: *Manſuetudo maximè pertinet ad Regem, ac eum commendat.* Vnde Chriſtus deſcendit in Beatam Virginem ſicut pluuia, id eſt, ſuauiter deſcendit in Beata Virgine, quia in humilitate ſumma, & lenitate venit, ſicut pluuia in vellus, fol. 81. dub. 82. *Vide Dom. in Septuag. num. 1.* Ita Rex, Prælatus totus ſit benignus, manſuetus, affabilis in ſubditos. Pro Beatæ Virginis manſuetudine. *Vide Manſuetudo.* Vel manſuetus dicitur Dominus Ieſus, quia homines, non rigore, ſed benignitate ad ſe trahere volebat. *Vide Dominica 4. Quadrageſimæ, numer. 2.*

10 *Venit tibi manſuetus.* Chriſtus dicitur Rex veniens manſuetus, cum hac ipſa die ingreſſus in Templum, vendentes, & ementes multo rigore eiecerit, vt doceat Prælatos quod quandiu crimina non apparent, manſuetudinem, cum vero videntur, rigorem oſtendant. Ita Silueira: *Chriſtus Dominus natura, ac ingenio ſuo Rex mitis, ac manſuetus, & talem ſemper in operibus, ac actionibus ſuis ſe exhibebat; & cum omnia ſint nota, ac aperta eius Diuinæ cognitioni, tamen in his vult dare formam, ac documentum Principibus, ac Regibus qualiter ſe debeant habere: quandiu crimina non obijciuntur mitis, ac manſuetus incedat Princeps: at vero cum illa apparent, rigidus, & ſeuerus ſit Princeps tanquam Leo, vt delicta puniat. Vide Fer. 6. poſt Dom. 2. Quadrag. num. 12.*

11 *Euntes autem Diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis Ieſus.* Silueira: *Oſtenditur prompta Diſcipulorum obedientia, non contradicunt, nec reſpondent, ſed ſedule Domini mandata exequuntur.* Quia verus obediens non propria, ſed ſui ſuperioris voluntate mouetur. Obediens ſit ſicut Stella, quæ mouetur motu à

Deo ſibi concreato: mouetur autem motu firmamenti citiſsimè motu vero ſuo lentiſsimè: ſic verus obediens non mouetur motu propriæ voluntatis, ſed ſui ſuperioris, f. 30. d. 24. Sponſa Solis, ſeu ſoliſequium, herba eſt cuius flos ſemper ad Solem ſe conuertit, & mouetur ad motum Solis: ita obediens ad motum, id eſt, ad imperium ſui Prælati ſe debet mouere, fol. 63. d. 6. Sit ſicut arcus, qui plicabilis eſt: ita obediens ſic ad nutum ſuperioris debet plicari, vt ſit paratus vt de illo faciat Prælatus, quod libuerit, f. 198. dub. 160. Ideo Beata Virgo dixit Angelo: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum, non meum*, in quo multorum in obedientia reprehenditur, qui in eis quæ ſibi placent, obediunt, in aliis murmurant, fol. 306. dub. 78. Hac ratione cum prudentiſsima eſſet Virgo, pauciſsimis vſa eſt verbis in nuptijs, & in voluntate Filij relinquens quid agere vellet, perfectiſsimum nobis præbens obedientiæ exemplum, modeſte eius ſubmittens ſe voluntati, fo. 349 dub. 19. Ita ſubditi ad nutum, & renutum Prælati debent obſequi, & prompte morigerari. Pro prompta obedientia Diſcipulorum. *Vide Feria 4. Domin. 4. Quadrag. num.* 11. *Pro obedientia B. Virg. Vide Obedientia.*

12 *Euntes autem Diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis Ieſus.* Gratiſsima fuit hæc obedientia Chriſto, quia obedientia acceptiſsima eſt Deo. Vnde obedientia Beatæ Virginis, qua aſſenſit Incarnationi, omni ſacrificio fuit gratior, fol. 237. dub. 3. At in obedientia valde ingrata, & inſuauis eſt Deo: vnde Eua triplicem maledictionem excepit in pœnam inobedientiæ, adeo diſplicuit eius in obedientia Deo quod pœnas repetiuit ab ea, fol. 10. dub. 74.

13 *Et adduxerunt aſinam, & pullum.* Silueira: *Declaratur promptum heri animalium obſequium: nam quamuis ſoluentibus Diſcipulis pullum Domini eius dixerunt ad eos, quid facitis? Vt patet ex textu Marci, & Lucæ: tamen cum Chriſti mandatum agnouiſſent, non reſpondent, ſed ſtatim dimittunt animalia.* Beneficium confeſtim, & ſine mora conferendum eſt. Vnde ſtatim prolatis verbis quæ dixit Virgo: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, concepit in vtero Filium Dei, quia nulla erat differendi ratio, completa Angelica Annuntiatione, & virginei, atque humilis aſſenſus oblatione conſumata: ſic etiam in conſecratione Hoſtiæ, in Miſſa non in primo verbo, nec in ſecundo, in vltimo ac tutumet ſine mora eſt corpus Chriſti; non enim tanto beneficio conferendo moras trahit, ac nectit, fol. 307. dub. 81. Hac ratione qui petit nullam moram beneficio conferendo interponi patitur, f. 334 d. 179.

14 *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua.* Plurimi ex turba ſuppoſuerunt veſtes ſuas in via, per quam Ieſus pergendus erat, quod erat eximij honoris, & reuerentiæ ſignum. Ita Caietanus: *Collige officia turbæ multæ ſternentis pallia propria in via, honore Regio viam calcandam præparantis, quod fuit valde mirabile, nunquam Dauidi triumphanti, aut Salomoni talis honor exhibitus eſt.* Honor enim exhibendus eſt vnicuique ſecundum ſuam excellentiam, & dignitatem. *Vide Dominic. 3. Aduent. num.* 2. Vnde Euangeliſta commemorat obſequia Chriſto exhibita, multos voce ſonantes, veſtimenta ſternentes, ramos cædentes, qui honor dignitati Chriſti congruebat. Ita Hug. Cardin. Ioann. 12. *Multis modis honorant eum turbæ, & manibus, quia offerunt ramos, & veſtibus, quia ſternunt veſtimenta, & pedibus quia occurrunt, & vocibus quia laudant, dicentes: O ſanna benedictus qui venit in nomine Domini!* Ideo Angelus miſſus Beatæ Virgini non fuit de maioribus, ſed fuit Archangelus, & hoc in Beatiſsimæ Virginis honorationem, quia ſi aliquis de ſuperioribus mitteretur, ab ipſo illuminari crederetur, ſi autem ab Angelo ſuperiori illuminaretur Beata Virgo, non honoraret eam Deus ſecundum excellentiam tantæ Dominæ, fol. 280. dub. 4. Quapropter Spiritus Sanctus dicitur ſuperueniſſe in Beatam Virginem, vt ſignificetur ita eam honoraſſe ſecundum dignitatem Matris, ad quam euehebatur, quod noua plenitudine gratiæ ſuper omnes Sanctos in eam aduenit, vt in honore omnes ſuperet, & excedat, fol. 302. dub. 67.

15 *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur.* Qui præibant, & qui ſequebantur clamabant, & laudebant Chriſtum in teſtimonium ſuę ſanctitatis: iuſtus ob clariſsimum vitę ſplendorem ab omnibus laudatur. Vnde Beata Virgo eadem voce benedicitur ab Angelo, & ab Eliſabeth, quatenus Angelis, & hominibus veneranda ob faſtigium, & culmen probitatis, monſtretur, fol. 311. dub. 98. Ideo dicit Beata Virgo: *Beatam me dicent omnes generationes*, omnes generationes tam fidelium, quàm infidelium, quia omnes Beatiſsimam Virginem ob præclara virtutum opera, laudibus extollunt, fol. 320. dub. 131. Qualiter Beata Virgo ab omnibus laudata, *vide fol. 89. dub.* 84. Ita Chriſto omnes maximam laudem tribuebant, in hęcque eruperunt pręconia laudis. O ornamentum virtutis Chriſti, ſeges verę glorię! Nunc ipſa honeſtas, virtus ipſa floruit, & pietas. Pro Beata Virgine qualiter deuotos excitet ad Dei laudem, laudemque Dei extinctam in mundo reſuſcitauit. *Vide Laus.*

16 Et nota cum Silueira: *Quod modo Chriſtus Dominus cum morti eſt proximus, tunc multum ab omnibus extollitur, ac laudatur; non enim laudandus eſt homo niſi in vitæ fine*, fol. 335. dub. 182. 1. Reſp. in fine.

17 *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Christus multo apparatu, faustaque acclamatione ingressus Ierusalem, describitur, postea legitur eius passio. Quia gaudia huius mundi dolore miscentur. Ita Hugo Cardin. Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur. Gaudium temporale dolore miscebitur, id est, in dolorem vertetur, quod Dominus figuratiuè ostendit in se, qui veniens in Ierusalem laudari, & venerari debuit, & postea pati, vnde eodem die vbique in Ecclesia fit festiua processio, & postea legitur passio: in processione legitur Euangelium breue de laude, & honore eius, & postea passio prolixior; quia breue est gaudium huius mundi.* Vnde Beata Virgo cum Christo crucifixa fuit in hora, qua eum concepit, & in signum quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit sapientia Dei, quod eodem die Virgo Christum concepit, quo etiam fuit passus, vt gaudium quod habuit in Filij conceptione, permixtum esset aliqua acerbitate, fol. 308. dub. 82. 1. Resp. Hac ratione quoties Beata Virgo pannis inuoluebat Filium suum, toties animus eius absortus erat nouo dolore, quia cogitabat quo modo crucifigeretur; Deus enim temperauit in Beata Virgine gaudium quod habuit inuoluendo Filium cum illa afflictione, fol. 325. d. 152. *Vide Fer. 5. in Cœna Domini num. 1.*

FERIA QVINTA IN COENA Domini.

Ioann. 13. vers. 1.

1 *Ante diem festum Paschæ.* Cum de passione Christi agitur festum Paschę commemoratur, nam dies passionis dies festus est Christi. Ita Hugo Card. *Ordinauit enim mori in die festo Paschæ, vt in patiendo doceret nos gaudenter, & festiuè agere.* Vnde Christus in Passione habuit summum dolorem secundum sensitiuam, & summum gaudium secundum intellectiuam, quia dies qua patiebatur, læta fuit Christo, fol. 219. d. 95. f. 276. d. 122. Vel ideo tempus Paschale eligitur ad Christi mortem, vt denotaret quod gaudia festiuitatis conuertebantur in luctum. Ita Hugo Card. *Ordinauit mori in die festo Paschæ, vt ostendat quod festiuitas conuertitur in luctum, ideo patitur in festo.* 1. Machab. 9. *Conuersæ sunt nuptiæ in planctum, & vox musicorum in luctum.* Vnde gaudium quod habuit Beata Virgo salutata ab Angelo, in passione versum est in luctum, vt calamitatis felle fluerent Beatæ Virgini sua gaudia; diuidit enim Deus, & gaudia huius vitæ acore quodam aduersæ fortunæ temperat, fol. 48. dub. 5. *Vide Dominic. in Ramis, num. 17.*

2 *Sciens quia venit hora eius.* Exprimit Euangelista mortis Christi præscientiam, vt denotaret mortem fuisse non ignorantiæ, aut necessitatis, sed voluntatis. Ita D. Cyrillus: *Non ignoramus non paruo fuisse studio Euangelistis omnibus ostendere passionis tempus à Domino fuisse præcognitum, ne quis hæreticorum insurgat dicens infirmitate suæ traditum, & Iudæorum laqueis irretitum, Crucis patibulum non sponte sustinuisse.* Christus enim debitor mortis non erat, mortem voluntarie suscepit, fol. 323. dub. 143.

3 *Cum dilexisset suos in finem, dilexit eos.* Ait Euangelista, quod Christus cum dilexisset, dilexit, cœpit diligere, & perseueranter dilexit, quia ab amore nec cessauit, nec retrocessit; ideo cum ait Euangelista, cum dilexisset dilexit, amoris continuationem, ac perdurationem dixit. Ita Hugo Cardinalis: *Quasi quos dilexit in vita, dilexit in morte.* Chrisost. *Quid est in finem? mansit; scilicet, amans continuè, & semper, quod est argumentum veri amoris.* Prouerb. 17. *Omni tempore diligit, qui verus amicus est.* Amor enim debet esse continuus. Vnde motus amoris Beatæ Virginis in Deum fuit circularis, & perpetuus, sicut motus cœli, ideo dicere potuit: *Gyrum cœli circuiui sola*, motus autem circularis cœli est continuus, & ab eodem in idem: ita Beata Virgo, sic assidua, & indeficiens erat in amore Dei, quod eius amor continuus fuit, à Deo incipiebat, & ad Deum redibat, fol. 155. dub. 32. Hac ratione Beata Virgo fuit fortis in amore Christi, quia Filium semper dilexit, imò facilius esset ei mori, quam ab eius dilectione separari, fol. 272. dub. 109. fol. 289. dub. 33. 3. Resp. fol. 344. dub. 222. Similiter Christus, quia dilexit, perseuerans dilexit, & manfit amans continuè, nec interrupit amorem.

4 *In finem dilexit eos*, id est, vsque ad mortem, tam vehementer dilexit, vt eos vsque ad mortem dilexerit, quasi dicat: Conflatum amorem, nec ipsa mors, nullusque labor dissoluet. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem Beatæ Virginis, id est, omnimodæ pœnalitates, quas sustinuit in Filio, quia ipsius charitatis absorbebatur ardore, sicut ardore Solis, vel ferri igniti absorbetur aqua; similiter Christus ita hominum flagrabat amore, quod imminens mors, & labor eius, non restinxerunt amorem, f. 144. d. 191. Vnde æmulatio Virginis, id est, eius dilectio, dura fuit vt infernus, quia constantiam suæ dilectionis, nulla fregit violentia persecutionum, sicut qui in inferno sunt, nulla frangi possunt violentia tormentorum, f. 143. d. 190. 2. &c. Hinc est, quod amor fecerat extasim in Christum, quando, & in Cruce existens vulnerum suorum obliuiscebatur, & Matris memor erat: ardentissimus amor Christi extasim fecit in eo, ita vt dolores, labores, probra, cruciatus tormenta, quæ passurus erat, obliuioni traderet præ hominum amore, fol. 126. d. 122.

5 *In finem dilexit eos.* In finem, & in ſummum amoris dilexit nos, quando Sacram Euchariſtiam inſtituit, vt nos ſecum intimè aduniret. Ita D. Chriſoſt. *Cum amorem ſuum Deus indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, atque in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur.* Chriſtus in finem dilexit nos, inſtituens Euchariſtiam, qua nos ad ſummum cum ſua diuina carne vniret, & nos in ſe mutaret. Sicut enim ferrum ab igne extractum non ſolum ignitum, imo totum eſt ignis, & ſicut aer illuſtratus à Sole, qui dum inflammat aerem ſuum ei imprimit calorem, induitque calorem, totus Sol efficitur, & veluti aquę gutta dolio vini optimi infuſa, tota tranſit in ſaporem, in odorem, & in colorem vini, & ſicut vitrum candidum, & purum illuſtratum à Sole tranſit in ſplendorem, & colorem Solis, & ſicut lana candida, & pura tincta in ſanguinem muricis tota coloratur ſecundum qualitatem tincturæ: ſic Chriſtus per corpus ſuum vnit nos ſibi, mutat nos in ſe, & quaſi deificat nos, fol. 121. dub. 85. Hac ratione Beata Virgo tota pulchra dicitur, quia anima eius Spiritu Sancto repleta, & maximè luce illa cœleſti, id eſt, Filio Dei in eam deſcendente, non ſolum luminoſa eſt tam effecta, ſed tota eſt deificata, ibi.

6 *In finem dilexit eos.* Quia rationem, viam, & modum reperit, quo ad Patrem tranſiret, & apud nos maneret. Ita noſter Aluar. in Iſaiam: *In finem dilexit eos, quoniam modum inuenit, quo & tranſiret ad Patrem, & vſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum maneret, quod & duo Seraphim innuere videntur: dicitur enim de illis Iſaiæ 6. Quod ſtabant, & volabant: ecce adimpletum, quod Beata Seraphim dum ſtarent, & volarent adumbrabant, Chriſtum videlicet tranſiturum de hoc mundo ad Patrem, & ſimul in Sacramento Altaris tecum ſecundum realem præſentiam manſurum.* Vnde Iſaiæ 30. verſ. 33. prophetauit. *Quod nõ faciet auolare à te vltra decorem tuum doctor tuus ò Eccleſia Chriſtus eſt, non auolauit à te. Aſcendit in cœlum, ſed tecum ſimul permanebit ſacro velamine indutus, & coopertus: quo ad vſque ſine velamine facie ad faciem in patria illum videas.* Hac ratione Sacra Euchariſtia propter Beatam Virginem inſtituta fuit, vt ſcilicet poſt Chriſti paſſionem moras ſuæ beatitudinis, hac ſca confirmata, facilius ferre poſſet, fol. 352. d. 34. O amoris & amantis inſignis fides, vehemens ſtudium, adinueniens modum, quo tranſiret ad Patrem, ſimulque maneret nobiſcum.

7 *In finem dilexit eos.* Chriſtus ſemper ſuos valde dilexit, cum tamen ab eis eſſet receſſurus ad Patremque tranſiturus ſummum amorem erga eos oſtendit, maiora, ac maxima ſigna dedit. Ita Hugo Card. *In finem dilexit, id eſt, maiora in fine dilectionis ſigna demonſtrauit, & vehementiorem amorem oſtendit, in traditione ſui corporis.* Vnde quærit Chriſoſt. *Cur hoc à principio non fecit, & ad hoc reſpondet, quia ea quæ maiora ſunt vltimo adiecit.* Chriſtus amicis ſuis reſeruauit maiora opera in vltimum tẽpus. Vnde Chriſtus dixit Beatiſsimæ Matri in nuptijs; quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Properabat Beata Virgo ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volebat participare compendij poculum: Dominus vero repellens eius intempeſtiuam feſtinationem, dixit: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*, expectans eam horam, quæ eſt à Patre præcognita; ſcilicet, hora paſsionis, qua ſacratiſsimum ſanguinis ſui poculum propinaturus erat amicis. Vnde cum huiuſmodi diuiniſsimi potus dulcedo inter omnia opera ſit maius dilectionis ſignum, ideo inſtitutionis eius tempus inter omnia alia dictum interualla in vltimum tempus, horam ſcilicet eius, qua tranſiturus erat ad Patrem, reſeruauit, ſ. 349. d. 22. 5. &.

8 *Surgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum* Ipſe mittit aquam in peluim, pedes lauat, & extergit. Ita Theophilactus: *Linteo præcingitur, ipſe omnia faciens, lauans, & extergens, mittit item aquam, & hoc ipſe faciens, non alijs committens.* Verus enim amor totum dilecti negotium per ſe ipſum vult facere, & adimplere. Vnde in partu Beatæ Virginis nulla adfuit obſtetrix ad leuandum puerum. Nulla ibi obſtetrix, nulla mulierculârum ſedulitas interceſsit; Virgo enim Maria Mater fuit, & obſtetrix, pannis inuoluens infantem, & ponens in præſepio, adeo Filium diligebat, quod non paſſa eſt aliarum mulierum officia interuenire, ſed vniuerſa propriis manibus faciebat, fol. 324. dub. 144. fol. 326. dub. 153. fol. 338. dub. 192. 2. &. Ita Chriſtus præ amoris ardore ſolus totum miniſterium exhibet, mittit aquã in peluim, aquamque manibus tractans, ſuorum pedes lauat, ipſoſque madefactos pedes linteo extergit, amplectitur, ac oſculatur.

9 *Mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo.* Multum Chriſtus in hoc opere ſe humiliauit, formam ſerui accipiens. Ita noſter Aluarez in Iſaiam: *Hanc Chriſti humilitatem deſignans illa verba, Iſaiæ 42. verſ. 1. Ecce ſeruus meus, ſeruus meus, quoniam in cœlis exiſtens in ſinu Patris, Filius eſt vnigenitus eius, in terris gremio ſuſceptus Matris, ſeruus eſt, de Patre ante Luciferum genitus, Filius eſt æqualis Patri, ſed in terra natus de Virgine Matre, ſeruus eſt Patris, itaque idem mediator Dei, & hominum Chriſtus. Filius eſt, & ſeruus Patris, Filius ſecundum Diuinitatem, ſeruus ſecundum humanitatem.* Et Hugo Cardin. *Nota Chriſtus in Incarnatione accepit formam ſerui*, Philip. 2. *In Cœna formã ſeruuli.* Dominus enim Ieſus conſtitutus eſt ſeruus noſter

ſter ex vtero Matris, fol. 214. dub. 69. Seruuſq; factus eſt vſque ad ſanguinis effuſionem, f. 39. dub. 3. Ideo Beata Virgo Deum conceptura meminit ſe eſſe Ancillam, & grandi myſterio ſui meminit ancillatus, vt inueneret quod oriē tem à ſe Filium, mundi obſequio mancipabat, fol. 307. dub. 80. Beata quoque Virgo ſe totam in ſeruitio noſtro ponit, fol. 224. dub. 13.

10 *Cœpit lauare pedes, & extergere linteo.* Chriſtus pedes Diſcipulorum lauans, linteoq; extergens vtrobique humilitatem retinuit. Firmamentum licet velociſsimè, & continuè voluatur; locum tamen non mutat: ita Chriſtus licet moueretur ad opera amoris; locum tamen proprium, id eſt, humilitatem, quæ eſt proprius locus Chriſti iuxta illud: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, non mutauit, ſed eam retinuit, f. 2. d. 14.

11 *Cœpit lauare pedes.* Chriſti humilitas præ cæteris virtutibus acceptiſsima Patri. Vnde Chriſtus Dominus lilio conuallium ſe comparat, quia vallis humilitatem ſignificat, & humilitas præ alijs virtutibus magis Deo Patri arridet, quaſi dicat mihi iuſtitia placet, placet charitas, ſed ſpecialiter placet humilitas, vnde non charitatem Mariæ dicitur reſpexiſſe, ſed humilitatem, fol 114. dub. 27. Ideo in throno ebur aureo tegebatur, quod plus apparebat, ſicut plus apparet veſtis, quam corpus, in quo notatur, quod plus reſpexit Dominus in Beata Virgine humilitatem ſignificatam in auro, quam virginitatem quæ in ebore repreſentatur. Vnde ipſa dicit, reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, fol. 45. dub. 29.

Pro diſciplina vide in vtroque indice, *Pœnitentia*, & in indice Rerum notabilium, *Venia, Remiſsio.*

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Vide pro hac die Feria 5. in Cœna Domini, num. 1. & 2. & plura *Verbo Crux, Dolor, Paſsio.*

1 Pro planctu Beatæ Virginis Mariæ iuxta Crucem. *Vide Euangelium expoſitum, fol. 354. dub. 46. vſque 56.* Vide *Cor, Crux, Dolor, Martyrium, Paſsio.* Qualiter fides manſit in Beata Virgine. *Vide Fides, Candela.* Stabat iuxta Crucem prima, & præcipuè particeps laborum Chriſti, fol. 360. dub. 5. *Stabat iuxta Crucem* eadem patiens in animâ, ac Filius in corpore. Ideo Beata Virgo dicit quod Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, eam acriter perſequuti ſunt, quia quidquid iniuriæ, & tormenti Filio eius, & ei intulerunt, quæ vnus ſpiritus erat cum Filio; amor enim verus facit amantem eadem probra, dolores, & cruciatus toleranter pati, quos dilectus ſuſtinet, fol. 111. dub. 11. Hac ratione lectulum Filij, & ſuum dicit Beata Virgo, *Lectulus noſter floridus*, quia lectulus ille, in quo caro Chriſti per triduum requieuit, & Beatæ Virginis erat, nempè per maternum Filio com mortua affectum, fol. 113. dub. 22. Ideo Luna verſa fuit in ſanguinem, quia ſcilet Sole Chriſto per mortem in paſsione obtenebrato, Luna iſta Beata Virgo Maria, per dolorem, & compaſsionem ſuæ mortis in ſanguinem eſt mutata, fol. 240. dub. 4. Quapropter clariſsimum paſsionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor Virginis, necnon perfectæ mortis imago, in illa agnoſcebantur ſputa conuitia, verbera, & Redemptoris vulnera, quæ enim Filius in corpore ſuſtulit, Beata Virgo in anima pertulit, f. 332. dub. 170. 6. Reſp. Quapropter Luna quando eclipſatur, tota ſanguinea videtur: ita Beata Virgo in Filij paſsione gladio doloris vulnerata, fol. 333. dub. 174. in fine.

2 *Stabat iuxta Crucem.* Quia ægre ferebat abſentiam Filij dilecti. Vnde fomenta mortis valuerunt animam Chriſti à ſuo corpore diſſoluere, ac ſeparare: at Mariæ Virginis animam ab ipſomet corpore Filij non potuerunt auellere; adeo enim amore Filij tenebatur, quod nō poterat diuelli à ſuo Filio, fol. 331. dub. 170. 3. Reſp. Hac ratione nubentes non ſunt auſi inuitare ad nuptias primo Chriſtum Dominum, ſed Sanctiſsimam Matrem vocant prius, vbi namque illa aderat, ibi quodam amoris ilice Chriſtus Dominus trahebatur, ab ea enim minimè diſiungi, nec auelli poterat, fol. 346. d. 9. Quapropter præuidens Dominus Ieſus, ſe è mundo receſſurum, ne dilectam Matrem in hac lachrymarum valle triſtem, & mœrentem deſereret, Sacram Euchariſtiam inſtituit, vt eam crebro Mater percipiens, dilecti abſentiā facilius ferret, fol. 352. dub. 34. Tandem Anna Tobiæ parens irremediabilibus lachrymis plangebat, abſentiam illius ferre non valens, adeo vt domi quieſcere non poſſet: qui enim amicitia coniuncti ſunt, moleſte ferunt abſentiam amati, præſentiæque deſiderium, fol. 53. dub. 5. Pro ſepultura. *Vide Sepulchrum.* Beata Virgo ſtabat iuxta Crucem ſalutis humani generis auidiſsima. *Vide Crux* in fine.

DOMINICA RESVRRECTIONIS Domini.

Marci 16. verſ. 1.

1 *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum.* Apte dicit Angelus crucifixum, quia Chriſtus ſalutem hominum operatus eſt per lignum Crucis, fol. 252. dub. 21. Et Beata Virgo iuxta Crucem ſalutis humanæ auidiſsima. *Vide Crux* in fine.

2 *Surrexit.* Pro his verbis vide plura verbo *Reſurrectio Chriſti.* Et de gaudio Beatæ Virginis, & quod Chriſtus primo apparuit in die Reſurrectionis Beatæ Virgini. *Vide ibidem.*

3 *Surrexit.* Vult Dominus quod memoriam huius myſterij beneuolentia colamus, & reti-

reſineamus ſempiterna. Hac ratione in Matutinis laudibus, quas in memoriam matutinæ Reſurrectionis mane celebramus Canticum Zachariæ, in quo agitur de erectione Chriſti facta in Reſurrectione, decantamus quotidie, vt grata memoria tanti myſterij, & beneficij in nobis permanet, fol. 331. dub. 168.

4 *Ecce locus vbi poſuerunt eum.* Et Beata Virgo repulum Filium vehementiſsimo dolore quærebat, cogitatioque eius erat in ſepulchro Filij mortui. *Vide ſepulchrum.* Amor impatiens, quem deſiderat, ſemper inuenire ſe credit. Ideo Beata Virgo omnia loca, in quibus paſſus eſt Chriſtus inuiſebat, fol. 198. dub. 158. 3. Reſp.

FERIA SECVNDA RESVRRECTIONIS

Lucæ 24. verſ. 13.

1 *Ecce duo ex illis ibant ipſa die.* Duo Diſcipuli erant Lucas, & Cleophes, qui propter ſimilitudinem in moribus coniuncti erant, & iuſtus ſimilem ſibi ſociat, & quærit. Vnde Annuntiatio Beatæ Virginis facta eſt per Angelū, non per hominem. Miſſus eſt ergo à peccato liber, ad corruptionis, ſeu labis expertem, quia miniſter incorporeus, cui cognata virginitas ſimilitudinem habebat cum Virgine immaculata, fol. 279. dub. 1. 6. Reſp. Hac ratione non quilibet Angelus, ſed Sanctus Gabriel, qui fortitudo Dei interpretatur, mittitur ad Beatam Virginem, quia iſta, vel ſola, vel prima fortis mulier inuenta eſt, & ſortis conſimilem in fortitudine quærebat, fol. 280. dub 4. 3. Reſp. Ideo Ieſus, & Mater eius vocati ſunt ad nuptias, cum enim Sponſus, & Sponſa pauperes eſſent, pauperes inuitabant, & ſimiles in paupertate, ſcilicet, Chriſtum, & Mariam, qui pauperes erant ſibi aſſociabant, fol. 347. dub. 10. Quapropter D. Ioannes Euangeliſta accepit Beatam Virginem in ſuam, vnum contubernium Ioannis, & Mariæ virginitas accepit, & vnius moris in domo, vnum integritatis propoſitum, vnam habitationem meretur, communemque coniunctum, morum enim ſimilitudo parit eundem morum affectum, & aſſotiationem, fol. 358. d. 56 2. Reſp. *Vide Dom. 4. Quadrag. num. 6.*

2 *Et ipſi loquebantur ad inuicem, de his omnibus quæ acciderant.* Tam profundè eorum animis inſederant, quæ circa Ieſum, eiuſque paſſionem, ac mortem contingerant, vt vix alijs de rebus loqui, hi duo Diſcipuli poſſent in itinere. Ita Hugo Card. *Loquebantur de his omnibus quæ acciderant in Ieruſalem de Chriſto, non de vanis, vel malis.* Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus non procedat ex ore veſtro.* Dulce enim & iocundum eſt eloquium, in quo de Deo verba miſcentur: Cinnamomum confectiones, quibus admiſcetur, reddit ſapidas: ita non eſt ſermo, qui non ſit dulcior, ſi in ipſo fiat mentio de Deo, fol. 175. dub. 77. 5. Reſp. Loquitur de de Beata Virgine dulce eſt ſuper mel, & fauum, f. 379. d. 26. Vel ideo Diſcipuli non de ſuperfluis non de vacuis, nec ea quę ad detractionem pertinent, nec riſum mouētia loquebantur: ſed de his omnibus quæ acciderant, quia auris iuſtorum non verbis ſcularibus, ſed cœleſtibus diligenter attendit, f. 214. d. 70. Vnde B. Virgo nullum verbum audiſſe legitur ar te ſalutationem Angeli, quia nullus ſermo gratus erat ei, niſi qui Deo agebat, ibi.

3 *Loquebantur ad inuicem.* Non cum hominibus de populo fabulabantur, ſed ad inuicē ſermonem conferebant: quia iuſti non cum quibuslibet, ſed cum virtuoſis colloquuntur. Vnde Beatam Virginem nunquam legimus loquutam, niſi Angelo, Eliſabeth, Filio ſuo, & Miniſtris nuptiarum: ita homo loquatur cum Angelo, id eſt, homine Angelicæ conuerſationis, aut cum Eliſabeth verula, id eſt, perſona matura, & ſancta, aut cum Miniſtris in neceſſariorum poſtulatione: hi duo Diſcipuli longam de Chriſto ſermocinationem traxerunt, & produxerunt non cum alijs hominibus, ſed ad inuicem, id eſt, inter ſe familiariter colloquentes, f. 299. d. 61. 2. Reſp.

4 *Loquebantur ad inuicem.* De his quæ acciderat, miſcebant ſermonem, quia ea meditatione, & cogitatione voluebant: & verba indicant, quæ homo mente, & corde verſat, & agitat; ideo Beata Virgo dixit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hæc Maria verba indicium erant eorum quæ tractabat in mentis arcano; ſecum enim contractabat Beata Virgo virum non cognoſcere, vt oblatum corpus Deo quaſi quoddam ex ſacris inuiolabile reſeruaret, ideo dixit, quoniam virum non cognoſco, id eſt, qualiter Mater ero carens coniuge; indicabant ergo verba B. Virginis, quæ in mente, & animo habebat, f. 300. d. 63. 2. Reſp. Ita duo Diſcipuli ſermonem conferebant inter ſe de his quæ cogitatione ſuſceperant.

5 *Ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Sub ſpecie peregrini Dominus Ieſus duobus Diſcipulis apparuit: vt paulatim eos diſponeret ad fidem ſuæ Reſurrectionis. Ita Silueir. *Si illico clare cum Reſurrectionis gloria ſe Dominus eis oſtentaret, ipſum videntes, phantaſma videre putarent, ac proinde de Reſurrectione dubij remanerent: at vero diu cum eis colloquens, eorumque paulatim corda inflammans, ac tandem ſe manifeſtans, omne ab eis de ſua Reſurrectione dubium excluſit.* In rebus magnis humana mens paulatim diſponenda eſt. *Vide Feria 6. poſt 3. Dom. Quadrag. num. 7. & hic, num. 9.*

6 Vel ideo ſub ſpecie peregrini apparuit, quia Chriſtus apud ipſos erat extraneus, ac peregrinus in corde eorum, cum frigidi eſſent in fide, eius Diuinitatem, ac myſteria non cognoſcen-

centes,nec credentes. Ita Hug. Card. *Nota quod eo ipso quod eum peregrinum putant, ad litteram falluntur, mystice verum dicunt, quia vere peregrinus erat a mentibus eorum, quia in fide eius dubitabant.* Deus enim talem se exhibet homini qualis est homo: ideo Incarnatio Verbi comparatur pluuię descendenti in vellus placide, quiete, & suauiter: ita verbum descendit in B. Virginem sicut pluuia, placide in placidam, quiete in quietam, suauiter in suauem, vt Verbum Diuinum tale se exhiberet B. Virgini, qualis B. Virgo erat, f. 81. d. 81. Ita Christus apud Discipulorum oculos externos se peregrinum repræsentauit, vt segereret cum eis eo modo quo ipsi erant; scilicet, peregrini à fide. Vel ideo sub specie peregrini apparuit eis Dominus Iesus, cum alijs apparuerit in sua effigie post Resurrectionem, quia isti circa fidem tepescebant; dicebant enim Discipuli nos autem sperabamus, ideo in alia effigie apparuit eis. Ita D. Thomas 3. part. quæst. 55. art. 4. in corpore: *Resurrectio Christi manifestanda fuit hominibus per modum quo eis Diuina reuelantur: innotescunt autem Diuina hominibus diuersimode, secundum quod diuersimode sunt affecti. Nam illi qui habent mentem bene dispositam, secundum veritatem Diuina percipiunt, illi autem, qui non habent mentem bene dispositam Diuina percipiunt cum quadam confusione dubietatis, vel erroris; animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, vt dicitur* 1. *ad Corint.* 2. *& ideo Christus quibusdam ad credendum dispositis post Resurrectionem apparuit in sua effigie, illis autem in alia effigie apparuit, qui iam videbantur circa fidem tepescere, vnde dicebant: Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Deus enim aliter reuelat Diuina habentibus mentem bene dispositam, quam habentibus indispositam. Hac ratione Angelus S. Ioseph in somnis, non manifeste sicut pastoribus, quia Ioseph valde fidelis erat, & mentis bene dispositæ, sufficiebat quod in somnis appareret ei Angelus, pastores autem quia rudes, & indispositæ mentis, indigebant manifesta apparitione, fol. 253. d. 33. Vel ideo in alia effigie apparuit illis, vt ait Hugo Cardin. Marci vltimo, *quia forte aer circumfusus condensatus erat, vt non videretur in sua claritate.* Talis est enim Deus vt aliquando potentiæ suæ vires reprimat, vt dilectos suos honoribus afficiat. *Vide Dom.* 2. *Quadr. n.* 10.

7 *Quibus ille dixit quæ?* Quærit Christus quæ nam fuerit suæ passionis, ac mortis summa, quia delectabatur suæ passionis memoria. Ita Silucira: *Ait Christus quæ? Vt Discipuli, quæ de sua passione ac morte erant, repeterent, ac commemorarentur: maximè ei per iucunda, ac grata est ei cantilena de sua morte, ac passione. Vide Feria* 4. *post* 2. *Dom. Quadrag. n.* 5.

8 *O stulti, & tardi corde ad credendum.* Christus Dominus hos Discipulos stultos, & tardos corde ad credēdum appellat, quia sic excitabat eos paulatim ad fidem Resurrectionis. Ita Titus Bostrensis: *Propterea Dominus illis se adiungens, illos stultos, cordeque, & mente tardos appellat: hac ratione animos illorum ad Resurrectionis fidem paulatim excitat.* Ad fidem paulatim disponendi sunt homines. Hac ratione Angelus non primo annuntiauit B. Virgini Christum concipiendum, sed prius dignitatem Matris ei inculcat dicens: *Aue gratia plena*; quia enim Angelus intendebat paulatim reddere attentam mentem B. Virginis ad tantæ rei, & mysterij considerationem, prius incipit exprimere dignitatem Virginis, & à laude eius exordium sumpsit, quia animo humili nihil est admirabilius quam auditus suæ excellentię, & admiratio maximè facit attentionem animi: ita Christus appellans Discipulos stultos, & tardos ad credendum, paulatim, & gradatim reddebat eos attentos ad tanti mysterij considerationem & fidem, f. 284. d. 20.

Et incipiens à Moyse interpretabatur illis scripturas. Beata tamen Virgo plenam habuit notiam scripturarum. Vide pro hac re multa verbo *Scriptura Sacra in indice rerum.*

9 *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.* Quia Christi sermones incendebant corda ad amorem Diuinum. Ita Hugo Cardin. *Dominus aperiens eis scripturas calida fecit corda eorum, quia verba Sacræ Scripturæ suus carbones, quæ inflammant corda audientium.* Cant. 5. *Anima mea liquefacta est.* Psalm. 147. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, item ignitum eloquium tuum, item quid detur tibi aut apponatur tibi ad id est, contra linguam dolosam.* Psalm. 104. *Sagittæ potentis acutæ, id est, Prædicatores, qui sunt sagittæ pennatæ, cum carbonibus desolatorijs, id est, cum præceptis Sacræ Scripturæ, quæ sunt carbones igniti.* Verba enim iustorum interius corda hominum Diuino amore succendunt. Ideo labia B. Mariæ, sicut vita coccinea dicuntur, quia labia, quibus formabat dulcia verba ad amorem Dei, & proximi inflammabant: ita verba iustorum audientium corda ad Dei amorem accendunt, f. 118. d. 71. Sol habet virtutem calefactiuam, & inflammatiuam, nam ex motu radiorum, & eorum confractione, & multiplicatione calor generatur in obiecti corporis superficie, maximè si corpus obiectum fuerit speculare, quare si circa speculum concauum stupa ponatur à calore generato incenditur: ita iusti mentes puras, corda munda, quæ sunt vt specula inflammant ad Dei dilectionem, f. 132. dub. 145. 2. B. Hac ratione Stellæ matutinæ assimilantur, Stella matutina, id est, venus calida est: ita iusti alijs conferunt calorem dilectionis, fol. 197. d. 158. 2. B.

10 Vel ideo dicunt Discipuli cor nostrum ardens erat in nobis, quia ardentissimus est amor iustorum in Deo. Ideo B. Virgo dicitur ami-

amicta Sole, id est, dum hic inter mortales vixit ardentissimi amoris Dei flammæ, velut vestes quidam, eius pectus, corpusque semper ambierunt, ita iusti ardentissimo amore Dei fiagrant, fol. 382. dub. 34. 6. Resp.

Surrexit Dominus vere. Vide *Resurrectio, & apparuit Simoni*, sed primo Beatæ Virgini, *Vide ibidem.*

FERIA 2. 3. & 4. ROGATIONVM.

Lucæ 11. vers. 4.

1 *Petite.* Summa tamen cum puritate vitę. Quia qui precibus vult obtinere aliquid à Deo magna vitæ integritate oportet nitere: ideo Sponsa ab Sponso appellatur columba, quæ pura est, & simplex, deinde columbæ vox, cum sit gemitus, inter omnes aues maxime dignoscitur, & peculiarem habet vim ad trahendum, & vocandum ad se comparem suum: ita oratio, & deprecatio eius, qui sicut columba innocentia vitæ, & animi candore pollet, inter omnes maximè agnoscitur, ac eius deprecatio præpotens est ad Deum inclinandum, ad misericordiamque flectendum, f. 128. d. 137.

2 *Petite*, Caietanus, *à Deo orando.* Quia oratio diuinos impetrat fauores: Hac ratione valde conuenienter anima B. Virginis transfixa erat in oratione tempore partus, vt quæ eo modo conceperat, orando pareret, & in oratione stans vidit tunc moueri iacentem in vtero eius, & illicò in momento, & ictu oculi peperit Filium: Virgo enim orando concepit, & peperit: ita oratio Dei adipiscitur fauores, consequiturque beneficia, f. 324. d. 147. Ideo Beata Virgo, Apostoli, & alij Sancti orauerunt postulantes aduentum Spiritus Sancti, vt præuia oratione tantum donũ obtinerent, f. 93. d. 147

3 *Petite.* Tempore opportuno, quia tempestiue petere debet homo: ideo notanda est B. Virginis solicitudo, & diligentia in nuptijs, quia vsque ad extremam necessitatem non distulit, sed deficiente vino, id est, dum esset indeficiendo, iuxta illud Psalm. 9. *Adiutor in opportunitatibus*; rogauit ergo B. Virgo tempestiue; cum scilicet, vinum esset in deficiendo: ita qui petit tempus opportunum expectet, f. 349. d. 21. Similiter qui beneficium largitur tempus tempestiuum ad dandum captat: hac ratione Gehon dicitur assistens tempore vindemiæ, id est, non est fluens, & totus intra ripas suas colligitur, quia tunc, tempore scilicet, vindemię opportunum tempus non est perfundendi terram: ita qui beneficium conferre desiderat tempus opportunum obseruat, f. 189. d. 116.

4 *Petite, & dabitur vobis.* Quia Deus velocior est ad audiendum nostras petitiones, quam homo ad poscendum à Deo: ideo B. Virgo præoccupat eos qui se desiderant, & obuiat illis qui se inquirunt, quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit, cuin ipsa Virgo ad implorator em suum audiendum velocior præcurrat: ita Deus præoccupat petitiones nostras, quia celerior est ad audiendas nostras preces, quam homo ad eum rogandum, f. 147. c. 6. Pio B. Virgine. *Vide Oratio, Petere, Dare, Necessitas, Rogare.*

5 *Petite.* Hugo Card. *Bonum temporis in solatium.* Sed interuenientibus orationibus Sanctorum, quia bona temporalia precibus iustorum obtinentur: nubes resoluta in pluuiam, est terræ fœcundatiua, feminum nutritiua, impinguatiua, augmentatiua, & multiplicatiua: ita iusti nubes sunt, quorum meritis terra fœcundatur, semina nutriuntur, impinguantur, & multiplicantur, f. 206. d. 36. 5. Resp. & f. 272. d. 167. Hac ratione dum viuunt iusti bona temporalia in populo redundant, ipsis vero mortuis deficiunt: ideo anno quadragesimo ab egressione de Ægypto, postquam describitur mors Mariæ, statim additur aquæ defectus, vt significaretur illam aquam totos quadraginta annos meritis Mariæ redundasse, siquidem Maria deficiente statim additur aquam defecisse, f. 29. d. 11. Quapropter B. Virgo in Cana nuptijs interfuit, quia optabat Dei Genitrix conuiuantibus fieri ianua cœlestis beneficij: scilicet, conuersionis aquæ in vinum: ita iusti ianua sunt per quos Diuina beneficia, bonaque temporalia à Deo accipimus, f. 347. d. 13. 3. &c.

6 Similiter quod petimus precibus Sanctorum consequemur, cum nostræ non sufficiant: vnde quia Moyses orabat vt peccator, & seruus dicebat Deo: recordare Abraham, Isaac, & Iacob; ad impetranda enim postulata, pro se patres diligenter induxit, f. 26. d. 38. Similiter intempestiuum fuit tempus Christo ad edendum miraculum in nuptijs; tunc enim opportuna adest temporis occasio vt Deus sua largiatur beneficia, cum non vnius tantum, sed multorum preces interueniunt, & multi deprecantur: ideo non soli nostræ orationi fidendum est, verum aliorum obsecrationibus commendandum, fol. 350. d. 25. Et Christus petiuit à Patre à morte saluari merito, & obedientia Matris, docens nos merita Beatę Virginis Deo representare, vt quod possibilitas nostra non obtinet eius nobis intercessione donetur, f. 86. d. 112. Ita his diebus celebres rogationes, supplicationesque solemnes facimus ad Ecclesiam particulari sancto dicatam, vt meritis, & intercessione talis sancti, quidquid petimus consequamur.

ASCENSIO DOMINI NOSTRI IESV Christi.

Marci 16. vers. 14.

Vide hæc Verba exposita, fol. 278. dub. 10.

Prædicate Euangelium. Et B. Virgo in summo exercuit officium prædicationis, fol. 266. d.

73. Scriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij reſeruauit veritatem, f. 279. d. 3. Et per Prædicatores veram doctrinam effundit, f. 191. d. 30 *Vide pro B. Virgine Prædicator.*

Qui crediderit. B. Virgo Mater eſt credentiũ, eorum quæ fidei ſunt, eſt & honorificentia credentium. *Vide Credere.*

Et baptizatus fuerit. Per Beatam Virginem, quaſi per Baptiſmum renouamur in nouam creaturam, eſtque Baptiſta peccatorum. *Vide Baptiſmus.*

Saluus erit. Et per Beatam Virginem omnes ad vitam æternam vocantur, vnde qui vitam ſuam vult dirigere ad vitam æternam, Beatam Virginem reſpiciat, quia exemplo ſuo omnes in vitam æternam introducit. *Vide Vita æterna.*

Signa autem eos qui crediderint. Miraculorũ vſus non competebat Beatæ Virgini dum viueret, omnes tamen excedit Sanctos fœcunditate miraculorum. *Vide Miraculum.*

Aſſumptus eſt in cœlum. Quanto enim ſe humiliauit, tanto fuit exaltatus à Patre, *Domin. 3. Aduent. num. 8.* In ſua Aſcenſione honorem ei tribuit Pater ſecundum ſuam Dignitatem, & excellentiam, *Dom. in Ramis, num. 14.* Et conſors erit cum Chriſto in gloria, qui particeps fuerit in laboribus cum eo, *Fer. 4. poſt 2. Domin. Quadr. num. 12.* Pro hac die. *Vide in indice Rerum Aſcenſio.*

Domino cooperante. Caietanus: *In ternis inſpirationibus trahendo auditores.* Et Beata Virgo peccatores trahit ad Filium, fol. 352. d. 35. fol. 34. dub. 8.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ioann. 14. verſ. 23.

1 *Ad eum veniemus.* Caietanus: *Non paſſibus corporalibus, ſed donis internis veniemus in quam Pater, Paracletus, & Ego.* Spiritus Sanctus donis ſuis contra peccata munit. Vnde B. Virgo ſemptem Donis Spiritus Sancti munita fuit contra ſeptem peccata mortalia, fol. 209. d. 46 Pro Donis. *Vide in indice Rerum Donum.*

2 *Ad eum veniemus.* Vt contra aduerſa roborentur: ideo inter varias gratias, quas Spiritus Sanctus ſuperueniendo, Beatæ Virgini communicauit, vna fuit vt eſſet terribilis, & formidabilis dæmonibus: ita Spiritus Sanctus aduenit in Apoſtolos, vt contra omnem vigerent aduerſariam virtutem, eamque vi gratiæ ſuæ expugnarent, f. 301. d. 65. 6. Ꝛ. & f. 303. d. 69. 6. Reſp. Vel ad eum veniemus in monumentum gloriæ, quia Spiritus Sanctus in pignus gloriæ datur hominibus: ideo in die Incarnationis, in quo inter B. Virginem, & Deum celebratæ ſunt nuptiæ, B. Virgo pro ſuis eximijs virtutibus habuit arrhas; ſcilicet, æternam hæreditatem, & quia non erat conueniens, vt B. Virgo ſtatim aſſumeretur in cœlum, ideo ſuperuenit Spiritus Sanctus ſuper eam, apud eamque manſit, tam ad formandum Chriſti corpus, quàm vt ei eſſet datus in pignus ſuæ hæreditatis, ibi, 5. Reſp.

3 Vel ad eum veniemus, vt ei affulgeat lumen, quo turpe ab honeſto diſcernat, & dignoſcat. Spiritus Sanctus eſt Sol, qui habet virtutem diſcretiuam, quia per eius lucem omnia detegentem, nunc colores omnes diſcernimus, & nigrum de albo diſtinguimus. Ita Spiritus Sanctus mentibus infundit lumen diſcretionis, & veram cognitionem vitiorum, atque virtutum fol. 131. dub. 144. 2. Reſp.

4 Vel ad eum veniemus præparando, & diſponendo mentem ad intelligendam veritatem. *Vide Dom. in Paſſione, num. 6.* Ideo Beata Virgo Sancti Spiritus illuſtratione inſpirata cognouit in nuptijs miraculum Chriſti futurũ, & qualiter, & quommodo faciẽdum; nec enim Beata Virgo cordis Chriſti ſecreta, quæ alto inſtinctu Spiritus Sancti regebantur, ſcire poterat, niſi ex peculiari eius illuminatione. Ita Spiritus Sanctus mentem illuſtrat ad intelligendam veritatem, & Diuina myſteria, f. 351. d. 20. 2. Ꝛ. Spiritus quoque Sanctus B. Virginem illuminauit, & docuit, f. 345. d. 217.

5 *Ad eum veniemus.* Humiles non ſuperbos in Diuino amore inflammando, Altare Veteris Teſtamenti concauum erat ad recipiendum ignem, vt habetur, Exodi 27. Sic Spiritus Sanctus ignem Diuini amoris in homine accendit, ſi homo fuerit concauus, id eſt, per humilitatem depreſſus, f. 25. d. 31. Hac ratione Sol ſpeculum aſpiciens aliud operatur in concauo, & aliud in conuexo; in conuexo enim calorem, ſeu ignem non gignit, ſed in concauo: ita Spiritus Sanctus videns concauitatem, id eſt, humilitatem hominis gignit in eo ignem Diuini amoris, *ibi.* Similiter homines puros inflammat: Sol habet efficaciam in effectu habet enim virtutem calefactiuam, & inflammatiuam. Nam ex motu radiorum, & eorum confractione, & multiplicatione calor generatur in obiecti corporis ſuperficie, maximè ſi corpus obiectum fuerit ſpeculare, quare ſi circa ſpeculum concauum ſtupa ponatur à calore generato incenditur: ita Spiritus Sanctus mentes puras, quæ ſunt vt ſpecula munda, inflammat ad Dei dilectionem, f. 132. d. 145 2. Ꝛ. Hac ratione ſumma puritate niteat, qui Spiritus Sancti gratiam vult recipere: quia non habitat in corpore ſubdito peccatis, fol. 192. dub. 135.

6 *Ad eum veniemus.* Ad humilitatem impellentes. Hac ratione S. Eliſabeth dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me;* vbique enim apparuit Spiritus Sanctus, ſpiritus humilis corde in B. Virgine apparuit, cum dixit: *Ecce Ancilla;* poſtea in ſubmiſsione ad viſitandam Eliſabeth, & modo apparuit in ipſa Eliſabeth, recognoſcente ſe indignam, vt ad eam veniat B. Virgo ita Spiritus Sanctus, in quem venit, ad humilitatem commouet, & trahit, f. 313. d. 102. 1. Ꝛ.

Man-

7 *Manſionem apud eum faciemus.* Spiritus Sanctus in Chriſto, & Beata Virgine perfectè requieuit ſecus in aliis Sanctis, f. 5. dub. 33. Beata quoque Virgo, Apoſtoli, & alij Sancti orauerunt poſtulantes aduentum Spiritus Sancti, fol. 93. d. 147. Deſiderabatque B. Virgo aduentum Spiritus Sancti in ſe, f. 199. d. 1. Pro B. Virgine, *vide Spiritus Sanctus.*

8 *Manſionem apud eum faciemus.* Spiritus Sanctus amor eſt, ideo non requieſcit niſi in eo qui totus charitate flagrat. Olim aderat Deus in Templo, & Tabernaculo ex pretioſiſsimis lignis, ex puriſsimo auro, ac magno opificio conſtructo: ita Spiritus Sanctus non requieſcit in anima, quæ tota charitate, quæ per aurum ſignificatur, non æſtuat. f. 43. d. 17. Hac ratione Salomon thronum quem fecit de ebore grandem, veſtiuit auro fuluo nimis; cum enim in auro quidam nobilitatis gradus exiſtant propter quos aurum auro defœcatius, & ſplendidius eſt, hoc aurum quo eburneus ille thronus veſtiebatur fuluum nimis, hoc eſt, ſplendidiſsimum, & puriſsimum erat: ita amor Dei debet eſſe defœcatiſsimus, & puriſsimus, nulloque in honeſto amore ſordeſcens, vt Spiritus Sanctus animam tanquam gratiſsimum thronum ſibi eligat, fol. 45. d. 28.

9 *Paracletus autem Spiritus Sanctus.* Hugo Card. *Spiritum Sanctum autem vocat Paracletum, id eſt, conſolatorem propter continentes eos tunc tribulationes.* Iuſti in magnis ſuis laboribus hoc ſolatio, id eſt, Spiritu Sancto fruuntur. Nubes eſt laborantium recreatiua, & ſiti æſtuantium refrigeratiua: ita Spiritus Sanctus eſt omnis laboris iuſtorum conſolator, & refrigerator. f. 206. d. 36. 4. Bt. Luna lucet in nocte, & eſt vicina terræ, & habet virtutem, & efficaciam ſuper mare: ita Spiritus Sanctus in nocte tribulationis lucet iuſtis, vicinus eſt per conſolationem afflictis, habetque virtutem, & efficaciam ſuper mare, id eſt, amaricatos, dando eis dulcedinem ſuæ conſolationis, f. 130. d. 143. 2. Reſp. Hac ratione Apoſtoli expectantes Spiritum Sanctum, dicebant forſam Feria ſexta mittet Dominus Spiritum Sanctum, quia tali die doluimus de ſua paſsione, ideo tali die mittet nobis ſpiritum conſolorionis, f. 93. d. 147. At Spiritus Sancti dulcedinem conſolationis non mali, ſed boni recipiunt. Spiritus Sanctus fluuio Phiſon poteſt comparari qui interpretatur os papillæ, quod lac emittit, lac autem non hauriunt ruſtici de papilla, ſed pueriita conſolationes Spiritus Sancti non recipiunt niſi boni, qui putri ſunt à puritate, f. 188. d. 113. Pro B. Virgine, *vide Conſolatio.*

10 *Ille vos docebit omnia.* Hugo Card. *Docebit omnia à vobis non intellecta, & ſuggeret vobis omnia, oblita, quæcunque dixero vobis, id eſt, commemorabit vobis ſiue ad memoriam reuocauit; quædam enim intellecta obliuione tradiderunt, quæ Dominus dixerat, quædam autem nec dicendo intellexerunt, & ideo dicit, docebit, & ſuggeret.* Pro his. *Vide num. 4.* Et pro B. Virgine. *Vide Docere.*

11 *Pacem meam relinquo vobis.* Pro B. Virgine. *Vide Pax.* Et nota quod humilitas diſpoſitio eſt ad Diuinos fauores, & Spiritum Sanctum ſuſcipiendum. *Feria 4. poſt 2. Dom. Quadr. n. 6.*

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

Ioann. 3. verſ. 16.

1 *Sic Deus dilexit mundum.* Hugo Cardin. *Dilexit mundum dilectione gratuita.* Pro dilectione B. Virginis, qua nos gratuitè diligit. *Vide Dilectio, Amor.*

2 *Vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Et B. Virgo Filium ſuum omnibus communicauit, nullaque Mater dicere poteſt Filium quem parturit eſſe ex toto ſuum excepta B. Virgine, vnde Chriſtus excellentiori modo dicitur Filius Virginis. Pro his. *Vide Filius.*

3 *Vnigenitum daret.* Chriſtus vnigenitus eſt Patris, de cuit vt vnigenitus eſſet Matris, & primogenitus dicitur inter electos, ſed vnigenitus Patris, vel Mariæ. *Vide Filius.* Vel ideo dicit ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, quia verus amor operibus comprobatur. *Feria 6. poſt Cineres, n. 6.*

4 *Vt omnis qui credit in eum non pereat.* B. Virgo Mater eſt credentium quæ fidei ſunt, & honorificentia credentium. *Vide Credere.*

5 *Sed habeat vitam æternam.* Per B. Virginem omnes ad vitam æternam vocantur. *Vide Vita æterna. Sed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Beata tamen Virgo ita priuilegiata, vt omnes rei, qui ad eam currunt ex toto corde ſaluentur, f. 244. d. 1.

6 *Lux venit in mundum.* Spiritus Sanctus lux eſt illuminans mentem, & B. Virgo lux eſt vniuerſalis. *Vide Lux.* Vel lux venit in mundum, id eſt, Spiritus Sanctus venit in mundum, quia promiſſus fuit à Chriſto, & Chriſtus adeo verax eſt, quod promiſsis ſtat. *Dom. 2. Quadr. n. 4.*

7 *Lux venit in mundum.* Mundus Chriſtum miſsit ad Patrem, & Pater Spiritum Sanctum mundo miſsit in nomine Chriſti, vt inter mundum ad Patrem Chriſtum mittentem, & Patrem Spiritum Sanctum mundo dantem, mutuus eſſet amor, & reciprocus. Vnde Chriſtus munus à Matre acceptum munere compenſauit vocando eam ad coronam; iuſtitia enim exigebat, vt Mater à Filio Rege coronaretur corona gloriæ in Regno, quia prius eundem Filium diademate glorioſæ carnis coronauit in exilio, f. 121. d. 91. Hac ratione B. Virgo innixa ſuper dilectum ſuum aſcendit in cœlum; vices enim rependit Filius Matri; Dei enim Filius Matre innixus deſcendit in terram in Incarnatione, & Mater innixa Filio aſcendit in cœlum in Aſſumptione, vt inter Filium, & Matrem oſ-

ſicioſus

ficiosus esset amor, fol. 143. dub. 184. 2. Resp. Dominus diligentes se diligere dicit, & qui magis diligit Deum, magis diligitur ab eo, vt inter Deum amantem hominem, & hominem Deum diligentem sit in amore compensatio, fol. 99. dub. 8. Christus dedit nobis Diuinitatem suam, & nos ei humanitatem nostram, vt inter Christum, & nos esset remuneratio, fol. 271. dub. 100. Beata quoque Virgo in nuptiis deprecata est Filium, prodeficientis vini miraculo, vt his qui eam vocauerat ad nuptias gratiam rependeret, fol. 348. dub. 18. 4. Resp. Similiter Virgo Maria inter Crucem Filij, & Crucem latronis posita, Filium pro latrone deprecata fuit, hoc suo beneficio antiquum latronis recompensans, fol. 345. dub. 216. Tandem Beata Virgo salutantem eam resalutat, vt inter salutatam, & salutantem mutua sit, & reciproca salutatio, fol. 363. dub. 9. & fol. 187. d. 108.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Matth. 28. vers. 18.

Vide hæc verba exposita, fol. 277. dub. 123.

Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Pro potestate quam habet Beata Virgo in cœlo, & in terra, *vide in indice Rerum, Dominium, Imperium, Potestas, Docete omnes gentes.* Pro Beata Virgine *vide Docere.*

Baptizantes eos. Pro B. Virgine, *vide Baptismus.*

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Pro Beata Virgine, *vide Trinitas.* Ab Incarnatione nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti toto mundo publica prædicatione declaratur fol. 14. dub. 103.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Caiet. *Nullum excipit diem à sua nobiscum præsentia, nullam admittit interpolationem.* Præsentia enim Prælati subditis valde salutaris est, & proficua. *Dom. in Septuag. num. 8.*

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ioann. 6. vers. 56.

1 *Caro mea vere est cibus.* Christus carnem, & sanguinem à nobis accepit, & nobis in cibum confert. Ita D. Thomas opusc. 57. *Hoc quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem.* Christus quæ à nobis excepit in nostram vtilitatem conuertit. Pluuia generatur virtute venti colligentis; venti enim volantes supra mare multum humorem sæpè colligunt, & secum ad aerem attrahentes, in pluuiam dissoluunt terræ fructuosam, & salutarem; ita Christus quæ accepit à nobis in nostrum commodum reddidit, fol. 213. dub. 64. Hac ratione Beata Virgo Filium suum præsentauit in Templo, vt ipsa gratissima erga Deum Patrem se ostendat, dum illi offert dilectissimum Filium, quem ab ipso acceperat: ita Christus carnem, & sanguinem quem de nobis assumpsit, in cibum, & potum nobis offert, fol. 329. dub. 163.

2 *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Hugo Card. *Sicut Dominus in hospitio, Sacerdos in Templo, sicut Sponsus in thalamo Sponsæ. Et nota quod vtile est talem hospitem recipere honeste in domum suam, quia soluit omnes expensas totius familiæ, & dat singulis munera.* Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Prou. 4. *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te. Per sumptionem enim Eucharistiæ, confirmatur, & radicatur, & multiplicatur in nobis gratia.* Vnde 1. Reg. 6. *Nuntiatum est Dauid Regi, quod benedixisset Dominus Obededon eo quod recepisset Arcam Domini, id est, corpus Christi, in hospitio, id est, in corde suo.* Eccles. 4. *Qui reuerietur illam, vitam hæreditabunt, & quo introibit benedicet Deus, id est, ditabit, & multiplicabit.* Hebr. 12. *Hospitalitatis nolite obliuisci; per hanc enim placuerunt Angelis hospitio receptis, ergo qui Deum suscipiet multo magis placebit ei.* Et Ioann. 11. *Dominus Lazarum suscitauit, qui erat hospes eius, & de longinquo venit, vt eum resuscitaret, ideo ergo speret qui se mortuum fuisse per peccatum timet, & non propter hoc dimittat sumere, dummodo non sit in voluntate, vel conscientia mortalis.* Item 3. Reg. 17. *Elias filium hospitis sui suscitauit, & similiter Eliseus.* 4. Reg. 4. Multa ergo bona confert Eucharistia digne suscipientibus. *Vide fol. 49. dub. 10.*

3 Tandem ab omni malo proteget; ideo Angelus dixit B. Virgini: Spiritus Sanctus obumbrabit tibi, id est, carnem sumptam in te in vmbraculum Ecclesiæ præparabit; sicut enim aliquis vmbraculo tegitur à calore Solis, ne ei noceat: sic corpus Christi hominem protegit ab omni infestatione, f. 308. d. 69. 6. Pro sumptione spirituali huius Sacramenti, & quam vtilis sit. *Vide fol. 152. dub. 12. & aplica ad rem præsentem.*

4 *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Homines viuntur cibo, & potu, vt absumptas vires restaurent, vitam conseruet, mortem excludat: hoc non temporalis, sed solum Eucharisticus cibus vere præstat; omnia enim perdita restaurat, mortem donata immortalitate eliminat. Ita Hugo Card. *Qui manducat me viuet propter me, qui scilicet, sum vita viuens, & vinificans.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Osee 12. *Memoriale tuum, id est, corporis, & sanguinis Sacramentum, quod in commemorationem passionis est institutum,* vt dicitur Luc. 22. & 1. Corin. 11. *Est sicut vinum de anisi, quod est medicina, & potus, quia sanat, & satiat, & ita vitam conseruat, & dat, & restaurat. Vide f. 102. d. 30.* At indigne accedentes, & communicantes mortem inuenient, vbi vitam quærunt: Sunamitis posuit Filium suum supergenua sua, & mortuus est; Filius enim hausit mortem, vbi hausit vitam: ita indigne cœlesti se pabulo, & pane reficientes, mortem hauriunt, vbi hausturi vitã credebãtur, f. 48. d. 4.

5 *Ipse viuet propter me.* De manducante, ac bibente corpus, & sanguinem Domini dicitur,

quod viuet propter Chriſtum, propter vnionem, ac coniunctionem quam habet cum Chriſto, vt conſideratione in habitantis in ſe Chriſti, homo ſumma puritate ſe præparet, vt ſacram ſuſcipiat Synaxim. Spiritus Sanctus fuit ſemper in Beata Virgine antequam annuntiaretur ab Angelo quoad perfectionem gratiæ inclinantis ad bonum, tamen dicitur ſuperueniſſe in Beatam Virginem, quoad præparandam, & formandam materiam corporis Chriſti: vt innuat quod Spiritus Sancti gratia debet ſe homo præparare, vt corpus Chriſti in ſe digne recipiat, fol. 301. dub. 65. 1. Reſp. Hac ratione Beata Virgo per ſe ipſam Filium, qui ex ipſa natus fuerat, pannis inuoluit, quia non paſſa eſt quemquam impuris manibus puriſsimum, ſanctiſsimumque corpus Domini contingere: ita ſumma puritate, innocentia vitæ, candore animi, quantum aſſequi licet, opus eſt, vt digne ſanctiſsimum Chriſti corpus ſuſcipiatur, fol. 326. dub. 153. Imo qui cœleſti deſiderat accumbere menſæ, omnium virtutum decore oportet animam inſtruere. Vnde domus inquam Rex tranſtulit filiam Pharaonis, erat de marmore, cedro, argento, & auro opulentiſsimè decorata: per aurum intelligitur charitas, per argentum virginitas, per cedrum humilitas, per marmorem caſtitas, quibus anima ornanda eſt, vt in ſe ſuſcipiat Filium Dei, fol. 51. dub. 6. Signanter dicitur quod Mannà erat ſimile ſemini coriandri, quæ eſt herba odorifera, odorem emittens, & efflans: ita qui Sacramentum Euchariſtiæ ſumit omnium virtutum ſpiramentis odorifer ſit & odorus, fol. 83. dub. 95. Et Angelus ſignanter dixit Beatæ Virgini: *Ecce concipies in vtero*, licet proles concipi non poſsit extra vterum: nunquam Beata Virgo Deum in vtero concepiſſet, ſi idem vterus contra Deum crapuloſus fuiſſet, & ſi vterus ille mero æſtuaſſet, cum venter mero æſtuans cito deſpumat in libidinem: vterus ergo ille qui Deo incarnato grauidatus eſt, nunquam in cibo, & potu intemperato grauatus eſt, vt inſtruat quod qui corpus Chriſti in ſe excipit, nullo inordinato appetitu debet grauari, fol. 297. dub. 52. 3. Reſp. Q. propter corpus Chriſti indigne ſumentibus, cibus eſt durus, fol. 168. dub. 62. & fol. 23. dub. 10. in fine. Digne vero recipientibus dulciſsimum ferculum eſt, ibi, dub. 64. 1. Reſp. fol 239. dub. 3. in fine.

6 *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hugo Cardinalis: *Et nota quod ne intelligerent de vita præſenti ſemper duranda, ideo ponit ſimul Reſurrectionem.* Quia in hoc Sacramento pignus gloriæ nobis dedit. Vnde Euchariſtia peculiarius ob Beatam Virginem fuit inſtituta, vt ſcilicet, poſt Chriſti paſsionem moras ſuæ beatitudinis, hac eſca confirmata, facilius terre poſſet. Ita Chriſtus dicit, qui manducat hunc panem, viuet in æternum, quia in hoc Sacramento pignus, & monumentum gloriæ teſtimoniumque Reſurrectionis nobis reliquit, fol. 352. dub. 34. Et peccatores meritis Beatæ Virginis viuunt vita gloriæ. *Vide Mors æterna, Vita æterna.* Pro Beata Virgine. *Vide Cibus, Euchariſtia.* Pro hac die. *Vide Feria 5. in Cœna Domini.*



INDEX AD CONCIONES
Festorum Christi Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & quorundam Sanctorum.

S. Andreas Apostolus.

1 DOminus vocauit hos Apostolos binos, & fratres, quia in modo vocandi, & mittendi amorem Dei, & proximi inculcauit. Ita D. Thomas: *Vtrumque ad charitatem pertinet, quæ consistit in dilectione Dei, & proximi, & ideo binos elegit, binos ad prædicandum misit. Vide Feria 6. post Cineres, num. 2. & Dom. in Ramis, num. 6.*

2 Dominus Piscatores eligit in Discipulos, quia piscatores ad piscandum prædixerat se missurum. Ierem. 16. vers. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos*, & ideo prius ipse incipit piscari Petrum, Andream, & alios, quia incipiebat facere quæ docebat. Ita Tertul. *Sequuti sunt eum ipsum intelligentes, qui cœperat facere, quæ dixerat. Vide Domin. 4. Aduent. num. 5.*

3 Christus vocauit eos dicens: *Venite post me*, vt eum imitarentur. Ita Hugo Cardin. *Venite post me, non tam pedibus corporis, quam imitatione & affectu mentis.* Operibus enim, & factis debet homo ostendere se Christi Imitatorem esse. *Feria 6. post Cineres, num. 9. & Feria 4. post Dom. 2. Quadr. num. 3.*

4 Apostoli Diuino numine afflati statim sequuti sunt Christum; qui enim à Deo vocantur statim acquiescere debent auræ cœlesti. *Vide Dom. in Septuag. num. 10.*

5 Apostoli audita Domini voce, nihil hæsitant, nihil interrogant, nihil scrutantur, quia prompta obedientia non cunctatur, sed sine mora exequitur imperata. Ita D. Bernardus serm. 2. de S. Andrea: *Illi continuo nihil diiudicantes, aut hæsitantes, nihil denique interrogantes, sine mora relictis retibus, & naui sequuti sunt eum. Vide Feria 4. Dom. 4. Quadrag. num. 11.*

6 Apostoli relictis omnibus sequuti sunt Christum. D. Gregorius: *Multum reliquit qui sibi nihil retinuit, multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deseruit.* Ita Apostoli bona temporalia contempserunt; quod minimum habuerunt de mundo. *Vide Dom. 1. Quadrag. num. 18.* Pro paupertate voluntaria, *vide fol. 263. dub. 67. & fol. 177. dub. 83. fol. 203. dub. 27. 1. & 3. Resp. fol. 206. dub. 35. in fine.* Pro magnoque munere Deus concedit suis paupertatem voluntariam; gloria Domini fuit præelegisse paupertatem, & hanc excellentissimè dedit Filius Matri suæ, fol. 211. dub. 59.

7 Apostoli accepto Christi beneficio, qui eos vocauerat, sequuti sunt eum, quia pro magno dono gratitudinis obtulerunt sequi Christum. *Dom. in Quinquag. num. 9.*

8 S. Andreas: *Apparente splendore nimio*, ait D. Antoninus: *Circumeum, vt videri non posset, Domino spiritum reddidit.* Quia Christus illo splendore consolationem spiritualem, & gaudium internum in tormentis, quæ sustinuit infudit. Vnde lux mœrores dissoluit, & hoc est, in quantum habet lætificatiuum; dulce est enim lumen, & delectabile oculis videre Solem: ita ille splendor qui circumfulsit B. Andream lætificauit eum, vt in martyrio summo gaudio esset perfusus, fol. 58. dub. 15. Pro gaudio S. Andreæ, & quam gaudenter passus est Crucem. *Vide Feria 5. in Cœna Domini, num. 1.*

Sancta Barbara.

1 A patre Gentili orta non Gentilis, quia iusti inter iniquos homines, eorum prauis moribus non fœdantur. *Dom. 4. Aduent. num. 1.*

2 Barbaram sanctam magno honore honestauit Dominus mittens S. Ioannem Baptistam, qui Christum baptizauit, vt eam sacro fonte lustraret. Ita Cluniacensis serm. de S. Barbara: *Descendit Ioannes Baptista vt eam baptizaret, vt dicitur in quadam legenda, propter honorem sibi exhibendum.* Ideo magni honoris fuit, quod Zachariæ Sacerdoti Natiuitas S. Ioannis promissa fuit ab illo Angelo scilicet, Gabriele, à quo Beatæ Virgini Natiuitas Domini nuntiata fuit: ita Dominus amplissimo S. Barbaram affecit honore mittens ei S. Ioannem Baptistam, qui baptizauit Christum, vt lustrali aqua eam intingeret, fol. 280. dub. 4. 2. &. *Vide in festo Vnius Virg.*

Sanctus Nicolaus.

1 A teneris annis Diuino obsequio se mancipauit. Quia homo ab ineunte ætate se totum Deo debet sacrare. *Dom. in Septuag. num. 4.* Ideo in illa ætate non puer, sed senex erat, ibi.

2 S. Nicolaus cum infans esset quarta, & sexta Feria semel dumtaxat lac nutricis sugebat, quam ieiunij consuetudinem in reliqua vita semper tenuit, quia in re virtutis nunquam cessandum est ab opere, sed semper proficiendum. *Feria 4. Dom. in Passione, num. 5.*

3 S. Nicolaus clui egenti pecuniam largitus est spontaneus, & non peritus, quia Prælatus spontanee, & non rogatus debet beneficia conferre, eleemosynas facere. *Dom. in Sexag. num. 5.*

4 S. Nicolaus ciui egenti noctu, & clam in eius domum tantum pecuniæ iniecit, quantum doti filiarum satis erat. Quia beneficia conferens voluit se occultare. *Feria 6. post 1. Dominic. Quadragesi. num.* 2. Et bonus Ecclesiæ Prælatus bona Ecclesiæ ei data in pauperes distribuit. *Feria 6. post 2. Dominic. Quadragesi. num.* 9.

5 S. Nicolaus erat valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera, quia vehementer condolebat miserorum vices. Vnde Marcella dixit Christo: Beatus venter qui te portauit, non vero Beata Mater quæ te portauit, ad inuendum compassionem, & charitatem Virginis Mariæ, quæ omnes miseros in ventre suo portauit per compassionem, & sua omnibus communicat per charitatem: ita viscera S. Nicolai miseratione tangebantur erga pauperes, & afflictos, fol. 343. dub. 206. Hac ratione viduæ, orphani, oppressi ad eum inuolabant, quia eum tanquam patrem omnes respiciebant. Beata Virgo Maria quadam mirabili terræ proprietate, medium terræ appellatur, quia ad illam respiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui habitant in Limbo, & qui habitant in mundo: ita omnes in S. Nicolaum tanquam in patrem oculos conuersos, coniectos habebant, & intentos, fol. 321. dub. 131. 2. Resp.

6 Sanctus Nicolaus, in Palestinam profectus est, vt loca sancta viseret, & præsens veneraretur, quia eius amor impatiens erat erga Christum. *Domin. Resurrect. num.* 4. Sanctus Nicolaus audiens trium iuuenum innocentum necem, præcucurrit quantocyus, & liberauit eos. Bonus Prælatus debet defendere subditos, qui extra culpam sunt. *Dominic. 3. Quadragesi. num.* 6.

7 S. Nicolai ex tumba sacrum resudat oleum, insignum quod misericordia versa fuit ei in naturam. Vnde Beata Virgo dicitur quasi oliua, quia habuit misericordiam quasi naturalem: alii Sancti habent oleum, id est, compassionis effectum, Sanctus vero Nicolaus est quasi oliua, quia misereri est sibi quasi versum in naturam, fol. 172. dub. 70. Ideo datur in exemplum misericordiæ, fol. 288. dub. 32. Hac ratione misericordia eius omnium Sanctorum misericordijs præminet. Quapropter Beata Virgo comparat se oliuæ, oleum omnibus liquoribus eminet, & Beata Virgo habuit misericordiam excedentem: ita S. Nicolai omnes Sanctorum misericordias videtur excellere, cum ex eius tumba resudet oleum, fol. 171. dub. 67. Et obserua quod oleum ex tumba resudans cunctos languidos sanat, quia suis meritis, & precibus infirmi recipiunt sanitatem. *Domin. in Quinquag. num.* 3. Vel ideo oleum resudat, quia eius misericordia est indeficiens, fol. 198. dub. 160. in fine. Stella maris cæteris Stellis occidentibus, ipsa non occidit: ita misericordia S. Nicolai omnibus est diuturnior, dato quod alij Sancti non exaudiant miseros, Sanctus Nicolaus non deseret, fol. 132. dub. 146. *Vide in festo Vnius Confess. Pontif.*

Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.

Vide Euangelium expositum, fol. 247. dub. 1. Vsque ad fol. 250. dub. 14.

1 Beata Virgo Maria singulari priuilegio exempta fuit de communi hominum tamoto tributo, licet esset de humana natura peccatrice: nubecula ascendens de mari, licet esset de mari amaro originaliter, eiusdemque naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis, & sine aliqua amaritudine: ita Beata Virgo licet originaliter esset de Adam, tamen fuit sine amaritudine originalis peccati, quia videbatur alterius qualitatis, & proprietatis, fol. 47. dub. 43. In Stella consideratur incorruptio, quia cunctis corporibus citra Lunam subiacentibus corruptioni, sola natura Stellarum mundo manente non potest corrumpi: ita omnibus hominibus culpa originali corruptis, originariæque labi subiectis, sola Beata Virgo originali peccato non fuit corrupta, fol. 30. dub. 21. Aurora post noctem oritur, tamen nullam obscuritatem retinet: ita Beata Virgo licet esset de corruptibili carne Adami nullam tamen originalis peccati tenebram traxit, fol. 128. dub. 139. Primam vrbem quam Iosue cœpit in terram Chanaam alijs in prædam datis, totam Deo consecrauit, in typum Virginis cuius virtutum Christus Dominus in terram habitauit, nam cæteris hominibus in prædam dæmonis ex parte, vel ex toto cadentibus, sola Beatissima Virgo in ius, possessionem quæ Diuinam, ex omni parte, omnique instanti fuit coaptata, f. 33. d. 2. Hac ratione præoccupata fuit singulari beneficio gratiæ, ne leui originis maculosæ laderetur attactu, quia ei, non alijs reseruata fuit contritio diaboli in primo instanti, f. 34. d. 2. Fuitq; præ cæteris granum illæsum in botro humani generis, f. 200. d. 97. Beata quoque Virgo in ipso conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres affliguntur, montana conscendit ministratura Elisabeth, vt ostenderet prægnantium molestijs non fuisse subiectam. Ita Virgo Maria, omnibus hominibus subiectis culpæ originali, molestiam originalis peccati non sensit, f. 308. d. 85. 3. &. Vnde à quibusdam generalibus fuit excepta, f. 279. d. 3. f. 323. d. 143. Ad primum. Qua ratione nullam grauedinem sensit, sicut aliæ mulieres in portando Filium, f. 53. d. 1. Hac de causa sine naturalium læsione peperit Saluatorem, quia non fuit subdita legi datę mulieribus, f. 221. d. 103. 2. &. Pro priuilegio Beatę Virginis in illo instanti primo. *Vide fol.* 159. *dub.* 47. & 49. 220

Beata

sioneni calumniæ, *Feria 6. Domin. 3. Quaarag. num. 5.* Vel quia bono nomini, & famæ est consulendum, *Dom. in Passion. num. 3.* Vel ideo quia opera supererogationis implere voluit, *Feria 5. Dom. in Passion. num. 18. Vide pro hac die Purificatio, Templum, Imitari, Offerre.* In Templo manifestatur Christus, quia ita gloriatur de natura nostra assumpta, quod máximè affectat apparere, fol. 326. dub. 155. 3. Resp. Qualiter B. Virgo à lege communi immunis. *Vide in Conceptione Beatæ Virginis, num. 1.*

Sanctus Blasius.

In carcere positus multos ægrotos sanauit, qui ad eum eius sanctitatis fama adducti, deferebantur, *Domin. in Quinquag. num. 3. Vide in Communi Martyr.*

Angelus Custos.

Vide in Fest. Sancti Michaelis, & in indice Rerum, Angelus Custos.

Sanctus Thomas Aquinas.

1 Carthulam in qua scripta visebatur Angelica salutatio, *Aue Maria*, deglutiuit, vt totam suam scientiam ad Beatam Virginem referret, eique tribueret, cum ipsa sit thronus, à quo procedunt fulgura, voces, & tonitrua; fulgura, quia si Sanctus Thomas scriptis suis distantes docet, & illuminat, hæreticorumque ora confringit, hoc totum à Mariano throno habet; tonitrua, si D. Thomas alta, & sublimia intonat, hoc totum de Mariæ sapientia prouenit, quia Sanctus Doctor totam sapientiam Beatæ Virgini cum carthulam, in qua scripta erat Angelica salutatio, deglutiuit, alsignauit, & adscripsit, quia ab Aue Maria omnis eius sapientia, doctrina, scientia prouenit, fol. 378. dub. 17.

2 S. Thomas in difficultatibus locorum Sacræ Scripturæ ad orationem ieiunium adhibebat. Vt oratione, & ieiunio præmisso altissimam scientiam acquireret. Vnde B. Virgo M. excepta illa prima, copiosaque gratia, quam in sua conceptione recepit, nullum deinceps donum aliud, aut fauorem consequuta fuit, nisi per crebra suspiria, indefessas vigilias, grandia, & continua ieiunia: ita D. Thomas orationi associabat ieiunium, vt scientiam obtineret, f. 267. d. 81. B. quoque Virgo ieiuniis, & orationibus castigata tanto parru, se dignã fecit. Et D. Thomas oratione, & ieiunio extenuatus, tanta scientia se idoneum præstitit, fol. 385. dub. 40.

3 S. Thomas propter suam virginitatem sapientiam, & scientiam à Deo obtinuit, vnde & Sybillæ, & si Gentiles, propter virginitatẽ credimus eis collatum spiritum prophetiæ, & D. Thomæ, quia virginitate nituit, collata fuit profundissima scientia, f. 147. d. 7.

4 S. Thomas adeo fuit humilis, quod non erubuit ab alijs discere aliorumque Doctorum terminis in sua doctrina vti: Anna dixit quod Deus de stercore eleuat pauperem, quem modum loquendi imitatus est humilis Dauid, dicens Psalm. 12. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: & humilima Virgo Maria his verbis vsa est, Lucæ 1. Deposuit potẽtes desede, & exaltauit humiles: ita D. Thomas ab alijs Doctoribus didicit, ita in cospectu sui vilescebat, quod licet proprio ingenio non esset destitutus, imò ingenij laude, & acumine vigeret; aliorum tamen Doctorum terminos, & modos loquendi non fuit transgressus, f. 37. d. 5. f. 316. d. 110. 4. Resp. *Vide in festo Vnius Doctoris.*

Sanctus Soseph.

1 Eandem Sponsam habuit cum Spiritu Sancto. Vnde B. Virginis Mariæ excellentia, & singularis gloria hęc est, quod Filium vnum, eundemque cum Deo Patre meruit habere communem: ita singularis prærogatiua S. Ioseph est, quod eandem Sponsam habeat communem cum Spiritu Sancto, scilicet, B. Virginem, itaq; vna, & eadem quæ est Sponsa Spiritus Sancti, Sponsa est & Sancti Ioseph, fol. 167. dub. 60. Angelus annuntians B. Virgini dixit, vocabitur Filius Dei, non dixit, vocabitur Filius tuus, Filius Dei, & Filius tuus vocabitur, vt non sint duo filij, sed vnus amborum Filius: B. Virgo Sponsa est Spiritus Sancti, & Sponsa S. Ioseph, ita vt non sint duo Sponsæ, sed vna amborum Sponsa, fol. 364. dub. 73.

2 Beata Virgo Maria suffecta fuit in locum S. Ioseph, ideo mortuo S. Ioseph B. Virgo transit in custodiam Filij sui, fol. 346. dub. 11. Similiter Christus loco S. Ioseph fuit constitutus, & suffectus, vt vicem S. Ioseph gereret. Vnde S. Ioseph non legitur post Natiuitatem Christi vir Mariæ dictus, in quo innuitur quod ante Natiuitatem vir eius dicebatur, quasi Nuntius ad officium, sed post natum puerum non est dictus vir eius, vt per hoc insinuaretur, quod Christo nato poterat B. Virgini pueri solatium sufficere, quasi puer ad solatium B. Virginis vicem S. Ioseph obtineret. Solus enim Christus ad solamen Matris, successor S. Ioseph esse poterat, f. 261. d. 56. 2. Resp.

3 Singularis fuit prærogatiua S. Ioseph putari pater eius, cuius Pater est Deus. Quod Christus sit conceptus ex Virgine, conueniens fuit propter mittentis Patris dignitatem conseruandam; cum enim Christus sit verus, & naturalis Dei Filius, non fuit conueniens, quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium: S. Ioseph licet non sit pater naturalis Christi; nomen tamen & dignitas Patris translata est ad eum, f. 257. d. 42. Ideo omnes excellentiæ S. Ioseph in eo quod dicitur Pater Christi, tanquam in compendium rediguntur. Vnde Angelus salutans B. Virginem, non dixit Aue gratia plena, & virtu-

tibus,

tibus, quia vbi eam Angelus In Matrem Dei præelectam protulit, nihil amplius dicendum reliquit, vbi omnia magnalia tanquam in compendio recapitulauit: cum Sanctum Ioſephum Patrem Chriſti dicimus, ſummam facimus, conſummatiſque eorum, quæ longa in oratione tulius poterant de eo tractari, f. 288. d. 32. n. 2. &c. Applica pro hac re dicta, f. 314. d. 112.

4 Singularis præſtantia, & eminentia S. Ioſeph, quod non alterius quam Chriſti, & B. Virginis fuerit cuſtos. Vnde magna eſt excellentia Angeli cuſtodis B. Virginis, qui fortaſsis nec ante, nec poſtea datus eſt alicui ad cuſtodiam, ſed ſolum Virgini Mariæ ab initio reſeruatus. Magna eſt ergo dignitas, & prærogatiua S. Ioſeph, qui reſeruatus fuit ad cuſtodiam pueri, & Matris, f. 317. d. 122.

5 Sanctus Ioſeph poteſtate, & potentia magna præditus eſt, plurimumque valet apud Chriſtum, & B. Virginem, propter obſequia quæ illis præſtitit. Ideo B. Virgo Maria in cœleſti patria habet multam poteſtatem. Aliquis habet magnū poſſe in curia alicuius Regis propter obſequia exhibita, ſicut quando quis multa fecit in obſequium Regis. Hoc modo B. Virgo habet magnum poſſe in curia cœleſti, propter obſequia, quæ Regi exhibuit, quia omnia opera miſericordiæ ſibi impendit: S. Ioſeph authoritate, dignitate, & poteſtate quam maxima potens eſt apud Matrem, & Filium, quis enarrare poteſt obſequia quæ Sponſæ, & Filio exhibuit? S. Ioſeph multis nominibus appellatur; ſcilicet, Sponſus B. Virginis, Pater Chriſti, Cuſtos vtriuſque, Patriarcha, Iuſtus, quia nomine eius magnalia non poſſunt explicari. *Vide in Feſto S. Ioannis Euang. num. 1. & in Feſto S. Ioannis Bapt. ſſe, n. 6. Vide plura in indice Rerum S. Ioſeph.*

Sanctus Ioachim.

Vide in indice Rerum S. Ioachim. & in Feſto S. Annæ. Opera B. Virginis in gloriam cedunt S. Ioachim, *Dom. in Paſſion. num.* 8. Idem eſt honorare S. Ioachim, ac B. Virginem, *ibi, num.* 9. B. Virgo de tali Patre gloriatur, *ibi, num.* 15.

Sanctus Gabriel.

Vide in indice Rerum S. Gabriel.

Annunciatio B. Virginis Mariæ.

Lucæ 1. verſ. 26. *Vide hoc Euangelium expoſitum, fol.* 278. *dub.* 1. *vſque ad* 12.

1 *Miſſus eſt Angelus.* Remedium, & ſalus contrariis modis, quibus damnum fuit introductum, reparatum fuit, *Dom.* 1. *Quadrag. n.* 6. Remedium proportionatum delicto. *Feria* 6. *Dom.* 2. *Quadrag. num.* 4. *Vide Annuntiatio, Angelus Gabriel.*

2 *Aue gratia plena. Vide Gratia, Aue Maria, Salutatio.* In B. Virgine plus gratiæ, quam in omnibus Angelis, & Sanctis collectiue, fol. 376. dub. 4. Ideo in hac ſalutatione B. Virginis omnes ſalutationes tam ab hominibus, quam ab Angelis viris illuſtribus factas recapitulauit Gabriel, imò amplius addidit: Benedicta tu in mulieribus, vt innueret in Sanctiſsima Virgine, non ſolum virtutes, & excellentias veterum Patrum, ſed multo ampliora inueniri, fol. 1. 84. dub. 21. 3. &c. Gratiam quoque ſanctificantem, quam genus humanum amiſerat hanc inuenit, vt omnibus reſtituat, fol. 296. dub. 50. B. Virgo ita Sancta, quod in ſuis virtutibus quid cœleſtc dicatur, fol. 336. dub. 185. Vnde Angelus Virginem ſalutauit hoc verbo *Aue*, quia litteris inuerſis reddit idem quod Eua, quia mala per Euam allata, per B. Virginem in bonum ſunt commutata, fol. 285. dub. 25.

3 *Dominus tecum.* Deus in B. Virgine tantam puritatem inuenit, vt reſpectu illius omnia humana videantur immunda. Vnde Centurio tectum ſuum indignum iudicat. Cognouit Centurio Chriſtum conceptum de Spiritu Sancto ſub virginali tecto Mariæ, in quo admirabilem ſanctitatem inuenit, vt inde omne aliud tectum ac humana habitatio indigna videatur ad eius hoſpitium; & ideo Centurio ſe inſufficientem ad ipſum ſuſcipiendum iudicat, fol. 269. d. 88. *Vide Dominus tecum.*

4 *Benedicta tu in mulieribus. Vide Benedicere. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Vide Spiritus Sanctus, Fœcunditas. Ecce Ancilla Domini. Vide Ancilla, Fides, Obedientia, Conſenſus, Mater, Vterus. Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Vide Conceptio Chriſti, Incarnatio.* Qualiter maiorem gloriam habuit in conceptione Filii, quam in Aſſumptione. *Vide fol.* 385. *dub.* 37. Et quod credidit contra ſpem, fol. 362. dub. 4. Et quod ab hac die felicitas hominis initium habuit, fol. 308. dub. 82. 2. &c. Ideo ab hac die homo debet conſecrari Deo, *ibi in fine.*

Sanctus Petrus Martyr.

1 De parentibus Manichæorum hæreſiarchis infectis natus, non tamen hæreſi fuit infectus. *Dom. 4. Aduent. num.* 1. Natus fuit de hæreticis, vt virtus magis eluceſceret, *Domin. in Quinquag. num.* 7. S. Petrus corpus, & animam ab omni impuritate ita cuſtodiuit, vt nullius mortiferi peccati labeſe inquinatum vnquam ſenſerit. Vnde congrue comparatur Stellæ Matutinæ, quæ ad Occaſum non tendit: ita S. Petrus ſemper fuit in mane oriendi, nunquam ad occaſum tetendit ad Occaſum peccati mortalis, f. 377. d. 6. in fine. Nubecula aſcendens de mari origine aliter eiuſdē naturæ erat cum mari, alterius tamē fuit qualitatis, & ſine aliqua amaritudine: ita S. Petrus alterius videbatur eſſe qualitatis, cum fuerit ſine amaritudine peccati mortalis, fol. 47. dub. 43. S. Petrus ab ipſa fermè infantia contra hæreſes pugnauit. Pro B. Virgine *Vide Hæreſis, & applica ad laudem S. Petri.*

2 Sanctus Petrus pene mortuus, ſimbolum

fidei,

fidei; quam infans virili fortitudine confessus fuerat, in ipso supremo Spiritu pronuntiauit. Vnde Isaiæ 44. Eius laudari videtur constantia: *Iste dicet: Domini ego sum, hic scribet manu sua Domino, vers.* 5. Ita Aluarez in Isaiam: *Commendat specialiter Sancti Petri Martyris Veronensis constantiam, qui cum verbo non posset fidem, pro qua patiebatur fateri, digitum in proprio sanguine intingens, scripsit super terram, Credo in Deum.* Pro Sacrosancto, & Catholicæ Fidei, Religionisque veræ venerando Tribunali, nota quod quandiu crimina non apparent, mansuetudinem, cum vero videntur, rigorem ostendit, *Domin. in Ramis, num.* 10. Ideo qui contempserit huius sancti Tribunalis benignitatem, eius experietur rigorem, quia Tribunal, & iudicium est in perfidos Religionis prædueles religiosissimum, & horribile, *Dom.* 1. *Aduent. num.* 2.

Sancti Philippus, & Iacobus.

Christus dixit Philippo: Philippe, qui videt me, videt, & Patrem meum, quia à magnalibus Christi, Patris excellentia indagatur. Ideo Sanctus Ioannes Euangelista assumptus fuit ad gloriam transfigurationis, vt à Beata Maiestate, ac splendida gloria Filij, instruatur quanta sit Mariæ celsitudo, quod solum à visa Filij Maiestate potest cognosci, ac deprehendi, ita visa excellentia Christi, Patris Æterni præstantia perueſtigatur fol. 271. dub. 104. Vnde Sanctus Euangelista specialiter meminit Beatæ Virginis propter ipsius eminentiam ratione Filij, quia ex Filij præstantia Mariæ Virginis eminentiam indagauit, fol. 360. dub. 3. Ita Christus dixit Philippo. Qui videt me, videt, & Patrem meum, vt à visis magnalibus Christi, Patris magnalia odoretur. Hac ratione Christus comparatur capreæ, cui inter viscera inest humor quidam, qui caliginem depellit oculorum, & obtusiones visus exacuit; merito ergo capreæ comparatur, quia non solum ipse videt Patrem, sed videri ab his facit, quorum visus ipse creauit: ita Christus visum mentis Philippi exacuit; vt ex Filio Patrem cognosceret, f. 116. d. 36. 2. &.

Sanctus Ioannes Baptista.

1 Sanctus Ioannes multum se humiliauit, dicens: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*, & quanto se humiliauit, tanto exaltatus, *Dom.* 3. *Aduent. num.* 3. S. Ioanni dedit Deus sanctitatem, & sapientiam, quæ conueniebat ei secundum ministerium ad quod eligebatur, *Dom.* 4. *Aduent. num.* 2. Christus cœpit dicere de Ioanne, quia probe, & egregie Ioannis præcordia, & medullas introspexit, intimosque animi recessus penetrauit. *Domin.* 3. *Quadrag. num.* 15.

2 Vel ideo Christus eum laudauit, quia magnus debet esse, qui eum laudibus extollit. Vnde nomen mulieris, quæ extollens vocem B. Virginem laudauit, non exprimitur ab Euangelista: illa mulier erat Marcella famula Sanctæ Marthæ; cum ergo ipsa B. Virginis præconia esset proclamatura, merito nomen famulæ notam importans, subticetur, nam huiusmodi laudes decantare, non inferiorum, sed Principum est. Ita Christus in laudes S. Ioannis erupit, quia non cuiusliber, sed solius Christi est, Sanctum Ioannem præconijs extollere, fol. 242. d. 198. Solus Deus potest B. Virginem magnificare, & solus Christus potuit S. Ioanni laudem deferre, f. 162. d. 57.

3 *Multi in natiuitate eius gaudebunt*, Ludouicus Sotomaior in Festo S. Ioannis: *Certè hactenus prophetia fuit huius temporis huius. Vnde & illud vsurpare in Ioannem possumus, quod de Sponso Christi dicitur in Canticis (amicorum quippè omnia communia, & axiomata sua Iesus libenter largitur fuit autem Ioannes dictus Sponsi amicus) oleum effusum est nomen tuum: hoc est, famæ tuæ celebritas ob egregiam sanctitatem, & gratiam a qua ipsum quoque Ioannis vocabulum ductum est: nam Ioannes Deo gratum significat, aut Dei gratiam. Ideo adolescentulæ, hoc est etiam peregrinæ, & barbaræ nationes dilexerunt te. Festus est enim natiuitatis huius dies etiam apud Mauros, & Turcas.* S. Ioannes ob clarissimum vitæ splendorem ab omnibus nationibus laudatus. *Dom. in Ramis, n.* 15. & f. 320. d. 130. 5. &. & applica. Ideo congrue comparatur cinnamomo; cinnamomum arbor creſcit in peregrinis, & longinquis regionibus; scilicet, in India, & Æthiopia: in quo signatur quod vsque ad remotissimas regiones habetur veneratio S. Ioannis, f. 174. d. 77. Vel ideo dicit quod multi in natiuitate eius gaudebunt, quia natiuitas eius magnum gaudium attulit mundo. Ita Hugo Card. *Nato Præcursore multi gaudebunt.* Ierem. 33. *Erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & exultationem cunctis gentibus.* Lucifer in suo splendore colorem habet gaudentem: ita S. Ioannes omnes exhilarat, cum in festo Natiuitatis eius, omnes gaudio magno sint perfusi, f. 198. d. 138. 4. &.

4 S. Ioannis singulare priuilegium, quod repletus fuerit Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris, sanctificatusque in vtero, ac proinde natus fuit sanctus. Specialiter de Christo dictum est, quod natus fuit Rex Iudæorum; alij enim postquam nati sunt de Matre, possunt coronari in Reges, sed non nascuntur Reges, sed Christus in die qua conceptus est à Matre coronatus est in Regem: alij Sancti non fuerunt sanctificati in vtero matris, vnde nascuntur serui per peccatum, at S. Ioannes in vtero repletus fuit Spiritu Sancto, in vteroque sanctificatus, ideo natus est Rex per gratiam, f. 260. d. 49.

5 Et nota quod illi nomen fuit impositum, & prædictum ante conceptionem ob eius excellentiam. Ita Hugo Card. *Duorum tantum in*

No-

Nouo Testamento prædicta sunt nomina ante conceptionem, scilicet S. Ioannis Baptistæ, & Iesu, in veteri sex, Hismael, Isaac, Samson, Iosias, Cyrus, & Agag. Gen. 6. de Hismaele. Gen. 17. de Isaac. Iudicum 13. de Samsone, secundum aliam translationem. 3. Reg. 13. de Iosia. Isaiæ 45. de Cyro. Num. 24. de Agag. Beda autem dicit hîc: *Quod quoties alicui à Deo nomen imponitur ante conceptionem, vel mutatur, ex ipsa mutatione, vel impositione singulare eius meritum indicatur, vt qui primo dicebatur Abram, postea diceretur Abrahaam, ab Aba quod est pater, & rama quod interpretatur excelsum, vt ipsa mutatio nominis indicaret excellentiam meriti, vnde & nomen Ioannis hic prædictum est, ob singulare meritum ipsius.*

6 S. Ioannes multa nomina obtinet, quia eius dignitas vno nomine exprimi non potest. Ita Hugo Card. *Fuit enim prænominatus à Domino. Isaiæ 49. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Item Martyr, Marci 6. & decollauit eum in carcere. Item Lucerna*, Ioann. 5. *Ille erat lucerna ardens, & lucens. Item Vox Verbi*, Ioann. 1. *Ego vox clamantis in deserto. Item testis*, Ioan. 1. *Hic venit in testimonium. Item Baptista Domini*, Matth. 3. *Venit Iesus à Galilea in Iordanem ad Ioannem vbi baptizaretur ab eo. Item plusquam Propheta*, Matth. 11. *Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Item Heremita*, Marci 1. *Fuit Ioannes in deserto. Item Angelus*, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum. Item Lucifer*, Psalm. 109. *Ante luciferum genui te. Item Præcursor. Ipse præcedet ante illum. Item Paranymphus*, Ioann. 3. *Qui habet Sponsam. Item sagitta*, Isaiæ 49. *Posuit me quasi sagittam electam. Ecce in quot pr[illegible] inclegiatus.* Multa ergo nomina certum est S. Ioannes, quia tanta est dignitas, & altitudo eius, quod vno nomine satis non potuerat manifestari. *Vide in Festo S. Ioann. Euang. num. 1. Vide in indice Rerum S. Ioannes Baptista.*

Sanctus Petrus Apostolus.

1 Diuina gratia sic illuminauit mentem D. Petri, vt primus omnium clarè, & distinctè cognosceret Christum Dominum verum Filium Dei per æternam generationem. Ita D. Pelbartus lib. 8. in Matth. *Beatus Petrus plusquam homo erat, qui vltra hominem sapiebat, qui cum Dei Filium in homine videret, vltra humanos oculos videt, & intellexit.* Quia omnes præcelsit in cognitione, Lucifer præeminet cæteris Stellis in claritate, ita Sanctus Petrus cæteris Apostolis in cognitione, fol. 61. dub. 13. Sol est omnibus inde creata claritate lucidior: S. Petrus Sol est omnibus Apostolis lucidior claritate cognitionis, fol. 67. dub. 22. 2. Resp. Aurora superat in luce quamcumque Stellam figillatim sumptam. Ita Sanctus Petrus excedit luce cognitionis quemlibet Apostolum fol. 129. d. 139. 6. Resp. Luna cum Stellis coruscantibus, reliquorum siderum splendorem excedit, aliorumque luminum claritatem non mediocriter obfuscat: ita S. Petrus inter omnes Apostolos supereminens, & cuctus, cognitionem singulorum antecedit, fol. 130. dub. 143. 4. Resp. Hac ratione nominatur *Petrus*, qui Persica lingua *idem est*, ac cognoscens; illum enim cognouit, de quo dicitur Isaiæ 45. vers. 15. Vere tu es Deus absconditus, vt ait *B. Albert. Magn.* Vnde Sanctus Petrus præ cæteris Apostolis Christum manifestauit: Stella maris ratione sui situs medij totius cœli est ostensiua; medium autem cœli est Filius Dei, qui mediator est Dei, & hominum. Hunc nobis ista Stella Sanctus Petrus ostendit, & manifestauit, fol. 30. dub. 22. Quapropter ex quo loquutus est Sanctus Petrus, & Christi fidem confessus est, per totum orbem fides Christi manifestata est. Ideo Beata Virgo Canticum *Magnificat* cantauit, & vbi per os Virginis diuina laus insonuit, cœpit per alia loca diuulgari, fol. 316. dub. 115. in fine. De charitate S. Petri, & feruore amoris qualiter emineat inter alias virtutes eius, & quod ex radice charitatis opera eius pensanda sunt. *Vide in Communi Apostol. num. 1.*

2 *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Ac si dicat Christus: Caro, & sanguis ô Petre non reuelauit tibi meam originem, meamque natiuitatem, sed Pater meus cœlestis: sic non caro & sanguis, sed ego Æterni Patris Filius æternam eius sapientiam explico, & declaro tuas laudes. Ita D. Leo Papa Serm. 3. de Petro: *Et ego, inquit, Iesus dico tibi hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam; ita & ego tibi notare facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus.* Sola diuina Sapientia potest Petri laudes diuulgare, quia solus Christus præcordia S. Petri agnouit, *Dom. 3. Quadrag. num. 15.* Vel ideo Christus cum laudauit, quia magnus debet esse, qui Sanctus Petrus laudibus extollit. *Vide in Festo S. Ioann. Baptist. n. 2.*

3 *Tu es Petrus.* Nomen nouum datur Simoni, vt ipso nomine indicaretur, qualis futura erat eius dignitas; permutatio enim nominis permutationem status figurat, fol. 387. dub. 54. Vel singulare eius meritum indicat nomen impositum à Christo. *Vide in Fest. S. Ioann. Baptist. num. 5.*

4 *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Silueira: *Tibi, o scilicet, Petre, & non alteri.* Quia dignitas non est danda affectu sanguinis, sed ratione meritorum. *Feria 4. post 2. Dom. Quadr. n. 10.* Vel ideo dixit Christus: *Tibi dabo claues Regni cœlorum*, vt ostendat S. Petrum dignitate aliis Prælatum. Cedrus arbor procera, & eminentissima est super omnes arbores, vnde à quibusdam dicitur Rex arborum, & bene competit dignitati S. Petri, qui omnibus est antepositus, fol. 167. d. 60. Vel aliis antepositus, quia aliis seruiens,

pentur in amore, *vide in Comm. Apoſtol. n. 2.*

Viſitatio Beatæ Mariæ Virginis.

Vide Euang. expoſitum, fol. 308. *dub.* 83. *Vſque ad fol.* 322. *dub.* 137. *Vide in indice Rerum Viſitatio.* Abiit cum feſtinatione, quia iuſtus opera charitatis, & ſalutis hominum facit ſine mora. *Feria* 6. *dub.* 3. *Quadrag. num.* 2. Beata Virgo propriam omiſit quietem, & commoditatem, vt Ioanni ſubueniret. *Domin. in Sexag. num.* 1. Chriſtus abijt in vtero Matris Ioannem ſanctificaturus, quia omne bonum voluit Deus nos habere per Beatam Virginem, *vide Bonum in indice Rerum, & fol.* 383. *dub.* 35. 7. *Reſp.* Vnde poſtquam repletus eſt Ioannes Spiritu Sancto, repleta quoque eſt Eliſabeth, vt ordine quodam diſtributus intelligatur Spiritus Sanctus voce Mariæ; per Mariam enim diſtributus videtur Spiritus Sanctus, Ioanni, & Eliſabeth, f. 309. dub. 91. 2. Reſp. Ipſaque mediante, & per eam gratiam inueniet, & obtinebit peccator, *vide Gratia.* Ideo Beata Virgo comparatur Soli, qui plus influit in inferioribus, quam cæteri Planetæ, ſic Beata Virgo clarior cunctis ſanctis beneficia gratiæ iuſtis, & peccatoribus diffundit, f. 133. d. 146. 3. Reſp.

Benedicta tu in mulieribus. Mouit Deus linguam S. Eliſabeth, vt Beatam Virginem laudaret. Mouet aliquando Dominus linguas hominum in laudem Beatæ Virginis, f. 86. d. 113. *Vide Laus in indice Rerum, & Moralitatum* S. Eliſabeth innocentia vitæ ſplendebat, ideo idonea facta eſt ad laudes Beatæ Virginis decantandas. *Dom.* 3. *Quadrag. n.* 14. S. Eliſabeth Beatam Virginem laudauit, quia eius cognoſcebat magnalia, *ibi, n.* 15. Pro his verbis: *Benedicta tu, vide Benedicere.* Pro illis verbis: *Et benedictus fructus ventris tui, vide Fructus.* Pro S. Eliſabeth, *vide in indice Rerum S. Eliſabeth.* Pro Cantico Magnificat, *vide Canticum.*

Sancta Maria Magdalena.

Vide Feria 5. *Dominic. in Paſſione.* Qualiter charitas, & amor inter eius virtutes eminet, & quod à radice charitatis opera eius penſanda ſunt, *vide in Communi Apoſtol. n.* 2.

Sancta Anna.

1 Sanctitate, puritateque vitæ eminens fuit, quia de illa naſcitura erat Beata Virgo Maria. Quædam ſtirps Iudaica, ſcilicet, ſemen Abrahæ præpurgata fuit, eaque eius purificata à contagione originalis peccati per Circunciſionem, quia ex illo ſemine naſcitura erat Deipara: ita Sancta Anna magna innocentiæ, & ſanctitatis vitore effulſit, quia Beata Virgo de illa erat naſcitura, f. 13. d. 96. Hac ratione Deus dedit illi gratiam, & ſanctitatem, quæ conueniebat ei ſecundum dignitatem Matris Virginis Mariæ ad quam eligebatur. *Dom.* 4. *Aduent. n.* 2. Tabernaculum Moyſi, in quo Deus manſionem erat facturus, conſtruebatur, & tegebatur de pellibus rubricatis, hyacinthinis, & ſagis cilicinis, & cortinis pulchrificabatur, textis opere plumario: ita S. Anna quia Tabernaculum futura erat Beatæ Virginis, in cuius vtero concipienda, in cuiuſque brachijs geſtanda, fuit ornata, & diſtincta omnimoda pulchritudine virtutum, f. 24. d. 18. Et nota quod de eminentia virtutum S. Annæ non eſt dubitandum; omnes enim ſupponendæ ſunt, quia Mater eſt Beatæ Virginis Mariæ: Hac ratione Sacra Scriptura de pulchritudine Virg. M. non loquitur ſufficit ſcripturę hoc ſub ſilentio quaſi per locum à minori interre, quod quidquid vnquam bonitatis, vel pulchritudinis in aliquo Sanctorum fuit minimè credendum in ipſa defuiſſe, vnde ſcriptura magis laudat eam hoc tacite ſupponendo: ita Sancta Anna magis laudatur, cum eius virtutes ſupponuntur, quidquid virtutis fuit in alijs Sanctis in ea fuiſſe, quis ambigit, cum Mater ſit B. M. f. 106. d. 55. in medio.

2 Sancta Anna eminentior alijs Sanctis fęminis eo quod Mater ſit Beatæ Virginis. S. Ioſeph non cognoſcebat Beatam Virginem, & vere non cognouit eam, cuius fuerat dignitatis, quia vnigeniti Dei facta fuerat Mater, ſed poſtquam peperit, tunc cognouit, quia ſpecioſior, & dignior, facta fuerat, quam totus mundus: ita dignitatem, & eminentiam S. Annę indagamus ex eo quod Mater Beatæ Virginis effecta eſt, f. 259. d. 45. 2. Reſp. Bene comparatur cedro, quę arbor procera, & eminentiſsima eſt ſuper omnes arbores, vnde & à quibuſdam dicitur Rex arborum. Quod bene competit dignitati S. Annæ, quæ inter omnes ſanctas eminet, quia facta eſt Mater B. Virginis, f. 167. d. 60. 1. Reſp. Ideo omnes excellentiæ S. Annæ in eo quod Mater Virginis facta eſt, tanquam in compendium rediguntur, *vide in feſto S. Ioſeph, n.* 3.

3 S. Anna omni honore digna maiorque honor ei deferendus quam alijs Sanctiſsimis Matronis, quia talem filiam peperit. De Sancto Ioſeph legimus, quod non cognoſcebat eam S. B. Virginem, id eſt, non nouerat quod tali gloria honorandus eſſet aliquis in terra maximè mulier, non igitur cognouit ipſam, donec vidit miraculum, nec cognouit miraculum ipſius, donec vidit genitum ex ipſa: ita ex filia quam peperit S. Anna cognoſcimus quali gloria, & honore præ cęteris honeſtanda eſt, f. 259. d. 45. 4. &. Maximè S. Anna honoratur in filia. *Dom. in Paſſione, n.* 8. Nota quod B. Virgo gloriatur de tali Matre, f. 250. d. 13. applica.

4 S. Anna vnicas habuit nuptias, nec alteri maritata propter dignitatem Virginis, cuius erat Mater. B. Virgo Maria Angelum ſuum ſupremum in ordine Angelorum habuit ad ſui cuſtodiam, qui fortaſsis, nec antea, nec poſtea datus eſt alicui ad cuſtodiam, ſed ſolũ Virgini huic

reſeruatus fuit: ita S. Anna, nec antea, nec poſtea alteri fuit in matrimonium collocata quam S. Ioachim; propter reuerentiam, & honorem Beatæ Virginis vni viro fuit reſeruata. f. 317. d. 122. 2. Bz. Applica ad rem hanc, quę dicuntur de Beata Virgine, f. 258. d. 44. 3. Bz. De Monogamia Beatiſsimæ Annæ ſcripſit opuſculum eruditiſsimus vir Fr. Thomas Maluenda, Ordinis Prędicatorum, quo Sanctiſsimæ Matronæ Annæ dignitatem extulit, & vulgi opinionem, quamdiu plerique imbiberant vehementer eliſit.

5 S. Anna valde potens eſt apud B. Virginem propter obſequia, quæ præſtitit B. Virgini; *Vide in feſto S. Ioſeph, n.* 5. vnde rogat filiam quaſi præcipiendo: ideo B. Virgo priuilegio Matris ſequta fuit Filio dicens: *Vinum non habent*, quaſi præciperet, vt faceret: ita S. Anna dum orat filiam, præcipit, & obtinet. f. 348. d. 18. 7. Bz. *Vide in indice Rerum S. Anna.* Hyacinthus habet gratiam impetrandi S. Anna quidquid complacet ei dare facilimè orando impetrat à B. Virgine, & Chriſto, qui non ſolum dant ei ſecundum quod petit, ſed eam incitant ad petendum, fol. 127. d. 232.

S. Pater noſter Dominicus.

1 Quædam matrona quæ Sanctum Dominicum ex ſacro fonte leuauit, vidit quod puer Dominicus Stellam habebat in fronte; ad explicandas enim eius excellentias non res terrenę, ſed cœleſtes aſſumuntur. Magnum, & celebre Virginis Marię ſignum ex rebus tantum cœleſtibus componitur, ex Sole, Luna, & Stellis, vnde Ioannes vidit, quod ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & in capite eius corona Stellarum duodecim, quia in Marianis elogijs ſigno magno denotandis non à terra, ſed à cœlo deſumendus eſt tropus: ita ad explicandas aliorum Sanctorum excellentias terrenę res introducuntur, lapis pretioſus. *Apocalipſ. 20 n.* 19. vox tubę. *Apocal.* 4. *Verſ.* 1. Oliuę, & candelabra, *Apocalip.* 11. *Verſ.* 4. Stollę albæ, & palmæ. *Apocalip.* 7. *Verſ.* 9. Byſſus ſplendidus, & candidus. *Apocalip.* 19. *Verſ.* 8. At ad manifeſtanda magnalia S. Patris Dominici Stella, quę in fronte paruuli viſa fuit aſſumitur, quia totus futurus erat mirifice lucidus, fol. 381. d. 31.

2 Scholaris quidam lubricus cum ipſius celebrantis manum deoſculatus eſſet, maximam inde fragantiam ſenſit, moxque in eo omnis carnalius æſtus refriguit. Honorem enim maximum detulit Deus eius caſtitati, & puritati, quia in ſcholari motus libidinis refrenauit: lux matutina eſt cum refrigeriosita S. Dominicus lux fuit matutina in lubrico æſtum concupiſcentię refrigerans, fol. 41. dub. 14. Ros aurorę eſt refrigeratiuus, & caloris temperatiua: S. P. Dominicus aurora fuit ardorem feruentem concupiſcentię in luxurioſo temperans, fol. 130. dub. 140. in fine. Platanus latis foliis vmbram faciens exterius refrigerat, aqua interius. S. P. Dominicus platanus fuit iuxta aquas, quia contra æſtum exterioris concupiſcentiæ, remedium præſtitit, fol. 173. dub. 72. 2. Reſp. Odor myrrhæ expellit vermes, & cedrus expellit ſerpentes: ſic puritas S. P. Dominici expulit de corde turpis motus brutales, fol. 176. dub. 80. 2. Bz. Lilium ardores extinguit: ita S. P. Domin. extinxit in inhoneſto concupiſcentiam, fol. 114. dub. 29. Legimus de Beata Virgine quod quicunque reſpiciebant in faciem eius omnis turpis tentatio extinguebatur in eo: S. Pater Dominicus caſtitatem coluit, & libidinoſum adoleſcentem extinctis carnis illecebris caſtum fecit, f. 196. d. 154. *Vide pro hac re, fol. 44. dub. 26. 2. Reſp. & fol.* 180. *dub.* 89. 1. *Reſp.*

3 S. Pater Dominicus nulla re æquè letabatur, ac ſui contemptu. Pro hac re, *Vide fol.* 175. *dub.* 77. 3. *Reſp.* Vnde habuit quatuor gradus humilitatis, *Vide fol.* 289. *dub.* 33. 3. *Reſp. in medio.* Lætalis criminis totam vitam expertem omnino duxit, *Vide in feſt. S. Petri Mart. n.* 1. Charitas inter eius virtutes eminet, à radiceque charitatis opera eius penſanda. *In Communi Apoſt n.* 1.

4 S. Pater Dominicus ſingulari priuilegio particeps paſsionis Chriſti: ita B. Alanus de Rupe oratione 15. *Ab innumeris dæmonibus pro hominum peccatis fuit comprehenſus, ligatus, flagellatus, & cum clauis realiter in Cruce affixus, & lancea confoſſus, cæteroſque omnes articulos paſsionis ſuſtinuit cum doloribus indicibilibus, adeo vt cum morte deficeret. O pulcherrima Maria propter dilectiſsimum Sponſum ſanctum Dominicum, cui impetraſti filio tuo, vt ipſe in paſsionibus ipſi Domino Ieſu Chriſto aſsimilaretur.* Idem in eadem erat: *In gloria à quibuſdam aliquando in hoc mundo viuentibus quemmadmodum à Beatiſsima Chatarina Senenſi, & à quibuſdam alijs ſanctiſsimis viris viſus eſt cum ſtigmatibus in gloria corruſcantibus, & poſtmodum etiam viſus eſt mortalibus in viſionibus multis miraculoſis cum eiſdem paſsionis interſignijs, quamuis in eius corpore ipſo rogante, corporali viſione poſtmodum non remanſerint.* Ludouicus de Loumans in notis ſuper hanc orat. B. Alani ait: *Non qualiſcumque ſuſpicio, ſed magno rationum pondere firmata in vrbe Segouienſi coniectura fuit B. Dominicum Chriſti morientis ſtigmata accepiſſe, vti aliquorum teſtimonio prodijt, & commonſtrat R. Adm. P. Magiſter Fr. Hyacinthus Coquetius in libro quem Mariæ Deiparæ in Ordinis Prædicatorum viſcera inſcripſit, cap.* 18. *quem videre te cupio.* S. ergo P. Dominicus prærogatiua ſingulari paſsionem Chriſti in ſe ipſo exp. eſſit. Applica pro hac re, quæ ſcripta ſunt de B. Virgine, f. 332. d. 170. f. 136. d. 158. f. 113. dub. 22. f. 118. d. 71. f. 176. d. 81. f. 240. d. 4. f. 331. dub. 170. Pro hac die, fol. 169. dub. 66. *Vide in indice Rerum D. Dominicus.*

5 Ordini Sancti P. noſtri Dominici nomen

Præ-

Prædicatorum fuit impositum à Papa Innocentio III. per litteras quas direxit B. P. N. Dominico, & sociis eius, & ab Honorio III. fuit hoc nomen in confirmatione præfati Ordinis approbatum, & à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beatissimi P. Dominici confirmatum, ac demum ab alijs Pontificibus commendatum. Nomen nouum datur Ordini S. Patris N. Dominici, vt ipso nomine indicaretur qualis erat eius dignitas, *Vide in fest. S. Petri Apost. n. 3.* Vel singulare eius meritum nomen impositum à Summis Pontificibus ostendit, *Vide in festo S. Joan. n. 5.* Et notandum quod licet aliæ Religiones prædicationis munus multa cum laude, animarumque fructu præstent, Euangelicæ veritatis luce mundum tanquam Sol perfundant, & illustrent, Idolatrasque, efferatasque gentes à falso idolorum cultu ad Religionis nostræ traducant veritatem, tamen Ordo S. P. N. Dominici *Ordo Prædicatorum* per antonomasiam vocatur, *Vide in Conuersione S. Pauli, n. 2.* Vel à Deo impositum est nomen tanquam ab imperante, à Summo Pontifice, vt exequente, vnde Summus Pontifex Innocentius III. accersito B. P. Dominico dixit illi: Accipe nomen nouum, quod nos, sed os Domini nominauit, & ex tunc B. Dominicus Pater N. & filij eius cœperunt se Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in curia, & vbique ab omnibus sic vocari. Iuxta illud Isaiæ: Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Nomen Iesus impositum fuit Christo à B. Virgine in Circumcisione imperando, à S. Ioseph exequendo. Ita hoc nomen Ordo Prædicatorum impositum est Ordini S. P. Dom. a Deo imperante, à Summo Pontifice exequente, f. 298. d. 58. *Vide in indice Rerum Ordo Prædicatorum.* Tandem S. P. Dominicus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ fuit deditus, easdemque amplecti ordinem suum voluit, prædicando, scilicet, & contemplando. Applica pro hac re quæ dicuntur, f. 340. d. 195. 7. &c.

Sancta Maria ad Niues.

Vide Euangelium expositum, fol. 342. dub. 198 vsque ad fol. 344. dub. 212. B. Virgo Maria Ioannem, & coniugem eius separatim in somnis monuit, vt quem locum niue conspersum viderant, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur. Talis est B. Virgo quod signat nobis quid amplectendum, quid cauendum, & operandum, f. 203. dub. 14. Ioannes, & vxor eius in eo loco pecunia sua Ecclesiam B. Virgini extruxerunt. Bona temporalia in obsequium B. Virginis expendenda, ideo multa Templa sunt ei ædificata, f. 90. d. 127. *Vide Templum.*

In Transfiguratione Domini.

Vide Dom. 2. Quadrag.

Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.

Vide Euang. expositum, fol. 335. dub. 181. Vsque ad fol. 339. dub. 194. Pro vita actiua, & contemplatiua B. Virgin. *Vide in indice Rerum Vita actiua, & contemplatiua.* Qualiter corpus B. Virg. seruatum à putredine, & pulueriza tione, *Vide Caro, Corruptio, Corpus B. Virginis.* Pro Assumptione, *Vide Assumptio, Beatitudo, Gloria, Glorificatio, Præmium, Cœlum, Corona.* B. Virgo hodie honorata à Christo secundum suam dignitatem. *Dom. 3. Aduent. n. 2. & Dom. in Ramis, n. 14.* B. Virgo descendit inferius omni creatura per humilitatem, & exaltata super omnem creaturam. *Dom. 3. Aduent. n. 8.* Accepit mercedem secundum sua merita. *Dom. in Septuag. n. 9.* Pro quatuor dotibus corporis glorioli, fol. 383. d. 34 7. & 8. &c. Gloria B. Virginis ex Filij gloria deprehenditur, f. 271. d. 104.

D. Bernardus.

Sanctos Patres Sacrarum Scripturarum Interpretes plurimum faciebat, eorum vestigijs fideliter inhærens, *Vide in festo D. Thomæ, n. 4.* Per D. Bernardum Sacræ Scripturæ nobis dulcescunt. Aquæ sua apte natura salsæ erant, & amaræ, ascendendo autem per illam terræ mammam; scilicet, terrestrem Paradisum, versæ sunt in dulcedinem, vt dulces atque potabiles irrigarent terram, & facerent habitabilem, seminumque feracem: ita Sacræ Scripturæ valde amaræ imo mortuæ atque mortificantes erant, quia littera occidit, at per D. Bernardum dulcescunt, & viuentes factæ sunt, f. 6. d. 46. S. Bernardus multa scripsit, in quibus apparet, eum doctrina potius Diuinitus tradita, quam labore comparata instructum fuisse. Hanc propter suam virginitatem obtinuit, *Vide in festo D. Thomæ, num. 3.* D. Bernardus grauiter morbo afflictus visus est sibi ante Tribunal Domini sisti, quem Satan multis accusationibus exagitauit; in morte enim grauiter persequutus fuit à Sathana. *Domin. 1. Quadrag. n. 12.* Pro ordine Religiosissimo S. Bernardi, *Vide Ordo Cistercienſium.* S. Bernardus æternam beatitudinem certitudinaliter sperabat, ideo habuit sanctam spem, f. 184. d. 99. 2. &c.

Decollatio S. Ioannis Baptistæ.

Potentiam, & animi fortitudinem contra Herodem fortiter opposuit. *Dom. 3. Quadrag. n. 5. Vide laudes eius in festo ipsius.*

Sancta Rosa, Ordinis Prædicatorum.

1 Rosæ nomen Diuinitus illi inditum fuisse cœleste prodigium indicauit; cum enim trimestris in cunis quiesceret, rosa expansis foliis in eius vultu mirabiliter apparuit, & hinc à Matre *Rosa* appellata est; impositum fuit ei Diuinitus nomen ob eius excellentiam. *In festo S. Ioannis Baptistæ, num. 5.* B. tamen Virgo cognomen addidit mandans, vt *Rosa à Sancta Maria* nuncuparetur. Singulare enim S. Rosæ meritum indicat cognomen impositum à B. Virgine, *ibidem.*

2 S. Rosa vix quintum expleuerat ętatis annum, cum à Spiritu Sancto edocta virginitatis votum emisit. B. Virgo virago dicitur, id est, viriliter egit vouendo prima virginitatem absque omni præcepto consilio, & exemplo: S. Rosa viriliter egit à teneris annis virginitatem vouens, f. 8. d. 60.

3 Ieiunium S. Rosæ continuum fuit, & vltra humanas vires seuerum. De B. Virgine ait S. Antoninus. Congeminatus ieiunio dies, & si refitiendi necessitas fuit, plerumque cibus obuius erat, qui mortem arceret, non qui delicias ministraret. S. Rosa cum monialis esset, eam sibimet ieiunandi legem indixit quæ plane supra naturam esset, nam integras quadragesimas transigebat sine pane, dictim quinis dumtaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Christi se se reficiebat, f. 201. d. 21. 2. ℟. *Vide in indice Rerum Ieiunium, & applica pro S. Rosa.*

4 S. Rosa dono sapientię abundauit, & scientia cœlitus infusa. Difficilimas enim de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio, hypostatica Diuini Verbi vnione, Altaris Sacramento, prædestinatione, gratia, profundis sententijs, & verbis proprijs explicabat. Habuit enim propter suam virginitatem scientiam infusam. *Vide in fest. D. Thomæ, num.* 3.

5 S. Rosa viam virtutis difficilimam, valde laboriosam aggressa est vt patet in eius legenda. B. Virgo Maria dicitur desertum: Tam arduam enim virtutis viam arripuit, vt à nemine mortalium vnquam arriperetur. Illa virtutum semita, qua B. Virgo in cœlum arripuit, desertum non immerito appellatur, quia adeo celsa erat, ardua ac sublimis, vt tanquam desertum, nullo humano vestigio trita fuerit, nullo studio, ac labore comprehensa. Ita S. Rosa tam arctam viam virtutis iniuit, quod desertum dici potest, talis semita virtutum inuia videtur hominibus, f. 115. d. 49. Sacerdotes S. Rosam communicaturi totam flammeam, & vultum ipsius cœlesti, & vehementi splendore radiantem conspexerunt. Vultus enim splendor Dei in anima eius esse ostendebat. Applica pro hac re, quæ dicuntur de B. Virgine, f. 253. d. 26. & f. 259. d. 45. De Rosa quæ flos est, *Vide in indice Rerum Rosa, & applica pro S. Rosa.* Pro familiaritate quam habuit cum Christo. Applica dicta, f. 289. dub. 35. 1. & vlt. ℟. *Vide commune Virginum.*

Natiuitas Beatæ Virginis Mariæ.

Vide Euangelium expositum, f. 247. d. 1. Vsque ad fol. 250 dub. 14. Vide in indice Rerum Natiuitas B. M. B. Virgo opus Dei est excellentissimum suum ostendens Authorem. *Dom. 2. Aduent. num.* 11. Nascitur sancta de peccatoribus. *Dom. 4. Aduent. n.* 1. Alij Sancti nascuntur serui per peccatum: B. tamen Virgo nascitur Regina per gratiam, *Vide in festo S. Ioan. Bapt. n.* 4. Ideo non è terra, sed è cœlo descendens merito dicitur, f. 386. d. 48. Quapropter in B. Virgine plus gratiæ, & sanctitatis, quam in omnibus Sanctis, & Angelis collectiue fuit, f. 376. d. 4. B. Virgo in sua Natiuitate valde honorata à Deo. cum B. Virginis Natiuitas solemnizatur in Euangelio commemorantur Principes, Duces, at Reges; nata est enim vt multis meritis ditata, tanta autem merita voluit Deus statim ab exortu sublimare Coronis, ac Sceptris, tot Regum, & Principum, vt in Natiuitate amplissimo honore sublimetur, f. 336. d. 183.

De quo natus est Iesus. B. Virginis excellentiæ continentur in hoc quod sit Mater Domini, f. 314. d. 112. & f. 288 d. 32. 2. Resp. Pauca dicit Euangelium hic de B. Virgine, quia magnalia Virginis inexplicabilia sunt, f. 321. d. 134. 1. ℟. Hac ratione B. Virginis virtutes, & dona nullus intellectus creatus exprimere potest, f. 378. dub. 18. Vnde solus Christus suæ Matris cognoscit excellentias, f. 379. d. 22. & 23. B. Virgo quæsiuit ab Angelo quommodo fiet istud, respondet Angelus: Spiritus Sanctus superuenict in te, ac si dicat: Gratiam quam inueniſti apud Deum modum, & ordinem tam admirabilis Mysterij, quē a me requiris, nec dicere, nec exprimere valeo, sed Deus, id est, Spiritus Sanctus superueniendo te docebit de hisque te instruet; quæ enim virtute Dei in Virgine operata sunt, & quæ ei gratiæ ei datæ, non cuiuscunque, sed tollus Dei est dicere, f. 301. d. 65. 7. ℟. Quapropter Marcella, solum ventrem, & vbera laudauit, non commendauit excellentiam illius meritorum, non modum portandi in vtero Filium, sed ventrem, & vbera; sciebat enim quod Virginis magnalia dicere, non hominis, sed solius Dei erat, fol. 343. dub. 205.

De quo natus est Iesus. Cum Christus Mariæ Virginis dicitur Filius dignitas Christi, & potestas eius declaratur, f. 343. d. 204. Nihilque Christo magis gratum, quam Filium Virginis vocari, f. 357. d. 51. Vel ideo dicitur de B. Virgine, quod de ea natus est Iesus, quia maximum quod de ea potest dici est quod est Mater Dei, f. 381. d. 30.

Nomen Virginis Mariæ.

Interpretatur illuminatrix, & ex beneficio quod confert nomen traxit. *Vide Feria 6. post 1. Dom. Quadrag. num. 1. Vide in indice Rerum Nomen Virginis Mariæ.*

Imago S. Domin. P. N. in Soriano.

1 Imago S. Dominici P. N. Deiparæ munus fuit propriis manibus largitum, vt in maiore æstimatione imaginem haberent homines. *Feria 6. post 2. Dom. Quadrag. num.* 7.

2 S. Dominici in hac imagine incertus est vultus, facieſque mutat varias, nam bonis apparet benignus, & mitis, malis vero seuerus, & grauis. Hyacinthus in sereno est clarus, in obscuro, & nubilo, apparet obscurus: ita facies S. Dominici iustis apparet aliquando clara, placida, & suauis, tenebrosis vero peccatoribus tur bi-

bida cum supercilio, tetricaque seueritate, fol. 127. dub. 132.

3 Imago S. Dominici, eiusque exemplaria, forma quamuis dissimilia, distillant venerantibus medicinam. Pro hac re applica dicta. *Dom. in Quinquag. num.* 6.

4 Magna apparet differentia S. Dominici ad alios Sanctos in operatione miraculorum, alij Sancti curabant per tactum manuum, at S. Pater Dominicus non solum per tactum manuum dum viueret, sed etiam per imaginem post mortem sanat infirmos. Adumbram D. Petri transeuntis per viam infirmi tacti eius vmbra sanabantur, quod fiebat ad ostendendam differentiam D. Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum, nam alij Apostoli curabant infirmos tactu manuum. Petrus autem non solum per tactum, sed etiam per vmbram, in quo ostendebatur quod erat principalis Apostolus, vt ait Lyranus, f. 300. d. 7.

5 S. Dominicus viuens multis signis claruit in medendis ægrotum corporibus: at post mortem per imaginem suam innumerabiles, grauibus, & varijs infirmitatibus affectos, medetur, *vide fol.* 360. *dub.* 7. & applica ad rem. Studiosissimusque est infirmitatibus nostris curandis, *vide Domin. in Ramis, num.* 3. Nec solum imago S. Dominici, sed schedulæ, quæ infirmis deferuntur, super eosque leguntur, virtutem habent sanatiuam. Vnde S. Dominicus lignum est vitæ, folia huius ligni, sanatiua sunt verba, quæ continentur in schedulis; habent enim virtutem sanandi, & sæpè sæpius faciunt quod significant, fol. 387. dub. 57. Et nota quod valde mirum est quot hac imagine recreati afflicti, sanati infirmi, liberati captiui, seruati periclitantes, dæmones eiecti, mortui suscitati sunt. Imago enim Sancti Dominici in patrandis miraculis alios excedit. Sol est omni luce creata, fœcunditate virtuosior: imago Sancti Dominici Patris nostri, virtuosior est alijs Sanctis fœcunditate miraculorum, fol. 66. dub. 232. Resp.

S. Michael.

Intelligentia Angelica famula est Beatæ Virginis, super quam Beata Virgo innitur Angelis imperando, & S. Michael paret præceptis Beatæ Virginis in suscipiendis, & defendendis animabus fidelium, fol. 59. dub. 18. Data que est illi potestas super animas Sanctorum, vt perducat eas in Paradisum exultationis: ideo inter Angelos habet optimam partem, applica ad rem præsentem, quæ de Beata Virgine dicuntur, fol. 341. dub. 196. 1. Resp.

S. Michael potentiam, & virtutem suam fortiter opposuit diabolo, & Angelis eius, *vide pro hac re, Dom.* 3. *Quadrag. num.* 5. Ideo in die iudicij propter victoriam, quam à Sathana, & Angelis eius reportauit, amplissimo honore honestabitur à Domino, deferens lanceam, spineam coronam, & Crucem Christi. Ita Claudius à Rota: *Ipse Crucem, coronam spineam, clauos, lanceam in die iudicij representauit.* Palma antiquo ritu ornabatur manus victoris. Victor est S. Michael, qui prælio diabolum superauit, palma est victoriosum Crucis lignum, hoc ornabitur S. Michael in die iudicij, representans Crucem, in signum honoris quo cumulabitur à Domino ob insignem victoriam, f. 140. d. 173. 3. &c.

S. Raphael.

Interpretatur medicina Dei, quia sanitatem infirmis affert, & ex beneficio quod confert, nomen traxit. *Feria* 6 *post* 1. *Dom. Quadrag. n.* 1. Infirmitates languentium depellit. *Vide Dom. in Quinquag. num.* 3. Studiosissimusque est infirmitatibus curandis. *Domin. in Ramis, num.* 3. S. Raphael Dux est, & Custos in via itinerantibus. Ideo comparatur Stellæ maris, quę quo ad effectum est vtilissima, propterea quod ipsa est nauigantium directiua, & ideo vocatur Stella maris. Nam propter situs sui immobilitatem homines ad ipsam aspicientes maximè certificat: S. Raphael Stella maris est, qui itinerantibus viam indicat, monstrat, prosperum, & sauctum iter secundat, & fortunat, f. 30. d. 20. Vnde huic Angelo duplex officium attribuitur, officium medicinæ, & viæ, medicinę, quia quoties ad aliquem morbum incurabilem sanandum Angelus aliquis à Deo destinari proponitur, tunc Angelus Raphael mitti creditur. Officium vię, quia Dux est itinerantibus, eos in viam inducens & dirigens.

Angelus Custos.

1 Angelus Custos valde solicitus est de commodo spirituali nostro, ideo officium quod Angeli exercent circa homines est, illuminare, purgare, & perficere, qua ratione Iacob noluit dimittere Angelum, donec triplicem hanc gratiam impetrauit ab eo f. 19. dub. 140. Similiter exultant de commodo nostro: ideo Astra matutina laudabant Deum, quia scilicet, Angeli summa exultabant de reparatione facta per Christum, f. 61. d. 9. Et Angelus Custos B. Virg. exultauit cum vidit B. Virginem effectam Matrem Dei, f. 317. d. 122. 2. &c. Imo summo gaudio perfunduntur cum vident nos bene operari. Ideo dicit B. Virgo quod spiritus suus exultauit. Spiritus dicitur Angelus: Ille igitur spiritus Angelicus datus B. Virgini ad custodiam, exultauit de obedientia, humilitate, & virtutibus alijs ineffabilibus Virginis almæ. Ita Sancti Angeli Custodes ex nostris bonis operibus hauriunt lætitiam maximam, percipiunt gaudium summum, fol. 317. d. 122. 2. &c.

2 Angeli maximè gaudent quod sint Custodes iustorum. Ideo Beata Virgo dicit quod spiritus suus exultauit: Hic spiritus fuit Angelus Custos Beatæ Virginis, qui vbi Verbum Diuinum carne Virginis Mariæ fuit vestitum exultauit in Deo salutari suo, id est, Iesu

Mariæ Filio, quia deputabatur ad custodiam, siue potius ad obsequium Domini Dei sui, cum & Angelus Matris, sit & Angelus prolis, donec natus sit: ita Angelus incredibili gaudio afficitur, quod in tutelaris iustorum, f. 317. d. 122. 2.

2 Hac ratione maxima fuit prouisio Angelorum circa gratissimos Deo parentes B. Virginis, & circa B. Virginem communis frequentia Angelorum huiusmodi, insignium quod Angeli eorum summam suscipiebant lætitiam ex eo quod illis tuendis, & inuigilandis essent Diuinitus præpositi, f. 100. d. 140.

3 S. Angeli Custodes nostras orationes Deo offerunt, ideo aliquando innotescunt B. Virgini per Angelos, v. g. cum orantes dicimus: Aue Maria gratia plena, Angeli nostri offerunt ei preces nostras, f. 189. d. 17 Hac ratione Angeli descendebant ad visitandam B. Virginem, & ascendebant sancta eius desideria, sanctas orationes, & pias lachrymas Domino nuntiantes, quod est officium Angelorum, f. 18. d. 130. fol. 189. d. 117. Similiter imbecillitati nostræ succurrunt, ideo Angeli ascendebant, & ascendebant per scalam, f. 18. d. 131. Pro Angelo Custode, & B. Virgine, *vide fol. 92. dub. 138. & in indice Rerum Angelus Custos.* Quapropter maximè debent homines gloriari, quod Angelos venerentur. Vnde ad laudem Abrahæ scribitur, quod recepit Angelos hospitio, & quod exhibuit eis reuerentiam: ita homines maximè sibi blandiri debent quod Sanctos Angelos Custodes colant, & obseruent, & quod eis obsequia præstent, f. 284. d. 21.

4 Angeli habent continuam Diuinorum speculationem. Ideo bene per filias Sion significantur, Sion interpretatur speculatio: & Sancti Angeli filiæ Sion sunt propter claram speculationem Diuinorum, f. 128. d. 138. Hac ratione Angeli vbi primum creati fuerunt viderunt in mentis Diuinæ speculo excellentias quibus B. Virgo erat potitura, f. 159. d. 48. Pro Angelis, *vide in indice Rerum Angelus.*

Rosarium Beatæ Virginis.

Vide Euangelium expositum, fol. 247. dub. 1. Vsque ad fol. 250. dub. 14.

Cùm ea die per vniuersum Christianum Orbem sodalitates Rosarij pias preces, ac processiones ad Sacram Virginem de more haberent ab omnibus fidelibus pie creditum est huiusmodi preces ad obtinendam Dei Genitricis opem pro Christiana classe plurimum profuisse; licet enim omnes pugnarent in Nauali prælio, victoria tamen B. Virgini de Rosario reseruata fuit. Vnde licet in manibus Barac traditus fuerit Sisara debellandus, non tamen per eum totaliter conterendus, sed hoc fuit reseruatum fœminæ, scilicet, Iahel, quæ cum clauo, & martello contriuit caput eius: sita licet Turcarum classis, à Christianis fuerit debellata, non tamen per eos totaliter deleta, quia oppressio, & contritio inimici B. Virgini de Rosario fuit reseruata, vt eum frangeret, & conteret, fol. 34 d. 2. Pro B. Virgine qualiter adiuuat in bello, *vide in indice Rerum Bellum, Defendere, Patrocinium, Protectio.* Catholici visa imagine B. Virginis in vexillo depicta seipsos excitarunt, animos, & halitus ceperunt; in Bello enim qui B. Virginem intuetur ab ea vires recipit, f. 151. d. 8. Pro Rosario, *vide in indice Rerum Rosarium.* Qui Rosarium B. Virginis recitat, B. Virginem magnificat ideo B. Virgo dicitur exaltata quasi plantatio rosæ in Iericho, quæ habet centum & quinquaginta folia: Rosarium est sacra quædam forma precandi Deum in honorem B. Virginis, centum & quinquaginta folia, sunt centum & quinquaginta salutationes Angelicæ, quæ in honorem Virginis recitantur, qui eas recitauerit B. Virginem exaltabit, f. 169. d. 66. Pro Aue Maria, *vide in indice Rerum.*

Aue Maria, & salutatio. Rosa pulchra est, imo pulcherrima florum, & oratio Rosarij gratissima B. Virginis, *ibi, 5. Resp.* Rosa capitis confortatiua est, & Rosarium confortat, roborat, & munit deuotos ne deficiant, ideo dicitur rosa in Iericho, quod interpretatur defectus, quia sæpè nisi confortaret peccatores deficerent, *ibi, 2. Resp.* Rosa frigida est, & Rosarium refrigerium præstat deuotis contra æstum libidinis *ibi, 5. Resp. in médio.* Rosa stipica est, id est, restrictoria fluxus capitis, & Rosarium deuotos restringit, ne fluant ad vitia, *ibi.* Imo homines conuertit ad Deum, ideo vbi noster habet *quasi plantatio rosæ*, aliqui legunt ex Græco: *sicut Achantus*, quæ est herba ad Solem semper conuersa, ad quem sua intendit folia: ita Rosarium deuotos ad Deum ita conuertit, quod eos facit folia, id est, cogitationes, & desideria ad Deum intendere, *ibi, 6. Resp.* Rosa grana crocea habet intra folia, quæ significant charitatem: & Rosarium deuotos B. Virginis inflammat, vt charitatem gerant in corde, in verbo, in opere, *ibi, 5. Resp. in fine.* Pro deuotione erga B. Virginem, *vide Deuotio, Seruire.* Summa vtilitas est de confraternitate, seu familia Virginis, f. 238. d. 4. B. Virgo libet grandis, in quo sunt descripta Sacramenta Dei, vt ab omnibus in Mysterijs Sacri Rosarij perlegantur, f. 201. d. 21. 3. &. *vita do vellet esse* fol. 201 en la 2ª

S. Franciscus Pater noster.

Pro paupertate eius, *vide in festo S. Andreæ, num. 6.* S. P. N. Franciscum imago crucifixi alloquitur, mandans vt ad domum suam reparandam accederet, ab illa hora institit solicite Ecclesiæ Dei reparandæ. Fuit enim S. Pater Franciscus singulariter electus ad Ecclesiæ reparationem sine verbo nihil factum est, ita sine B. Virgine nihil refectum est, quia per ipsam, & in ipsa, & de ipsa totum faciendum decernitur, sicut sine Christo Ecclesia fundata non est, ita si-

ne

ne Chriſto Eccleſia fundata non eſt, ita hinc S. P. N. Franciſco reparata non eſt Eccleſia, f. 345. dub. 1. S. P. N. Franciſcus imago fuit paſsionis Chriſti. Pro qua re, *vide in feſt. S. Dominici P. N. num. 4.* Pro charitate, & humilitate eius, *vide in indice Moralitatum Charitas, Humilitas.* S. Pater N. Franciſcus omnibus virtutibus fuit ornatus, quia in exemplum omnium virtutum datus mundo. Pro hac re f. 288. d. 33. f. 19. d. 12. f. 131. d. 143. 7. &. Pro S. P. N Franciſco, *vide in indice Rerum verbo D. Dominicus.*

S. Vrſula cum ſocijs.

1 S. Vrſula Dionoci Cornubiæ Regis filia fuit. Vera tamen nobilitas in virtute conſiſtit, *vide in feſt. S. Luciæ, n. 1.* Virgines habuit comites in virginitate, & fortitudine. Pro qua re, *vide fol. 115. dub. 33. 2. Reſp.* S. Vrſula ſimiles ſibi in moribus aſſociauit. *Vide Feria 2. Reſurrect. n. 1.*

2 Huni impoteni libidinis aeſtro furentes in præclarum virginum vndecim millium agmen irruerunt, ſed hortante illuſtriſsima, & gloriosa Vrſula, mortem potius opperete, quam virginei pudoris iacturam pati, inuicto animi vigore decreuerunt ab Hunis occidi, quam virginitatis gloria, & decore ſpoliari. Sancta enim Vrſula ſodales ſuas roborauit, ne deficerent. Cypreſſus conſolidat hernioſos, quibus viſcera deſcendunt inferius. Sancta Vrſula cypreſſus fuit, cuius monita, & conſilia conſolidarunt virgines, ne aliquo modo dilaberentur, & à virtute caderent, f. 168. d. 62. Sol habet virtutem fortificatiuam, vnde videmus quod in eius aſcenſu ſupra noſtrum Orizontem virtutes animalium roborantur. Sancta Vrſula Sol fuit comites ſuas confortans, & roborans, ne conſternarentur, f. 132. d. 144. 2. & in fine. Naſus miniſtrat animæ, id eſt, vitæ carnis reſpirationem; ſpiritum, & halitum quo viuit homo: ita S. Vrſula conſilijs ſuis ſpirare, & reſpirare fecit ſocias, ne concíderent animo, f. 140. d. 160. Roſa capitis confortatiua eſt. Sancta Vrſula roſa fuit virgines confortans, ne deficerent, f. 170. d. 66. 2. &. *Vide fol. 41. dub. 16.*

3 Barbari in præclarum virginum agmen irruentes totam illam glorioſam multitudinem gladijs peremerunt, & S. Vrſula grauiſsimum ſuſtinuit martyrium eas pati videns. Vnde conſideratio paſsionum Chriſti magnum præſtabat B. Virgini dolorem, ex eo quod præſens erat ad videndum, f. 36. d 1. Ideo B. Virgo iuxta Crucem vulnerabatur ſpiritu, & crucifigebatur affectu, quia fugientibus Apoſtolis, in faciem Filij ſe oppoſuerat Mater: vulnerabatur ergo immenſo dolore, quando videbat Filium ſuum occidi, ita S. Vrſula acerbam paſsionem tolerauit videns ante oculos ſuos comites ſuas occidi, f. 277. d. 3. Quapropter S. Vrſulam pluſquam martyrem appellare poſſumus, quia quæ comites in corpore ſuſtulerunt, Sancta Vrſula videns eas patientes, in anima pertulit. *Vide Feria 6. in Paraſceue, & fol. 51. dub. 6. in fine, & fol. 175. dub. 77. 4. Reſp.*

4 Dioniſius Cartuſianus hęc de Sanct's hic virginibus tradit in ſermone hodierno: *Beatiſsimæ Virginis iſtæ ſuis deuotis frequenter, ac valde ſpecialiter conſueuerunt ſuccurrere, prout de hoc multa habentur miracula.* In Theatro quoque vitæ humanæ, littera S. fol. 84. littera H. hęc habentur: *Quod quædam mulier cum ab hora diei tertia, vſque ad veſperas mortua iacuiſſet, reuixit ſubito, & erexit ſe, conuocatiſque ſororibus, & omnibus qui præſentes aderant dixit: Virginalem illum exercitum Colonienſem S. Vrſulæ, & ſociarum viuens quotidie veneratа ſum, & earum precibus nunc ab expiatorijs pœnis liberata ſum, & ad hoc ad vitam redire compulſa, vt omnibus earum memoriam digne habentibus aſſutura in morte ſuffragia nuntiarem, dummodo è vita tales exeant quibus oratio ſuffragari poſsit.* S. Vrſula ergo, ſocięque eius deuotis ſuis in agone patrocinantur. *Vide pro hac re dicta de B. Virgine, fol. 274. dub. 116. 2. Reſp. & fol. 10. dub. 71. fol. 152. dub. 10. fol. 161. dub. 55. 1. Reſp.* Ita illuſtriſsimæ virgines deuotis ſuis dignantur hora mortis occurrere, & ſubuenire.

Feſtum omnium Sanctorum.

Euangelium huius diei, *vide expoſitum, fol. 263. dub. 67. vſque ad dub. 72.* Pro hac die, *vide Feria 4. poſt 2. Dom. Quadrag. num. 12. & 13.* Gloria poſt perpeſſos labores dabitur iuſtis, ideo roſa poſt hyemem apparet in vere: ita gloria iuſtorum in præſenti vita non apparuit, ſed poſt hyemem, poſt labores, in vere beatitudinis, fol. 170. d. 66. 5. &. Iuſti in hoc ſæculo habuerunt ſanctam ſpem, quia eam poſuerunt in æterna beatitudine, non in rebus mundanis, f. 184. dub. 99. Vita æterna aduenientе triſtitia iuſtorum tranſit, ideo claritas futuræ gloriæ æſtati comparatur, f. 170. d. 68. Pro gaudio Sanctorum videntium Deum applica quæ dicuntur, f. 260. d. 52. Ampliſsimis honoribus cumulauit Dominus iuſtos pro laboribus, quos in hoc ſæculo ſuſtinuerunt, ideo magnus honor, & gloria data eſt B. Virgini pro gladio dolorum, f. 333. d. 172. In æterna beatitudine dabitur iuſtis requies, & pax, ideo canticum Simeonis in Completorio canitur in ſeptima, ſcilicet, hora diei, quia in illo fit mentio de pace, quæ dabitur in ſeptima ætate, f. 331. d. 168. Pro B. Virgine qualiter per eam manſiones Sanctorum diſcernuntur, *vide fol. 30. dub. 22.* Et de dulcedine ineffabili quam confert in cœlo, fol. 239. dub. 3. in fine. Qualiter Sancti B. Virginem coronant, f. 31. d. 25. Iuſti in patria quo Deo proximiores, tanto alijs Sanctis erunt ſplendidiores, f. 66. d. 19. applica ad rem præſentem. In æterna beatitudine dotes animæ redundabunt in corpus, fol. 382. dub. 34. 5. & 7. Reſp.

Com-

Commemoratio Fidelium Defunctorum.

Pro B. Virgine, *vide in indice Rerum Purgatorium.* In Purgatorio ſimiles in culpa ſimili pœnã, grauiſſimaque puniẽtur. Vnde filia Sacerdotis in ſtupro deprehenſa, ſimili pœna puniebatur flammis; ſcilicet, ſicut adultera exurebatur: ita qui eadem culpa in hoc mundo implicantur, in illo loco purgandis criminum pœnis ad certum tempus à Diuino iudice deſtinatus, eandem pœnam ſuſtinebunt, f. 27. d. 3. Qui pœnas, quas in Purgatorio felices animæ tolerant, meditatur, magnum ex ſanctarum animarum pœnis capient dolorem. *Vide in Communi Apoſt. num. 3. & applica ad rem.*

Vera charitas, feruidas, & vehementes orationes pro animabus Purgatorij fundit, ideo oratio iuſti comparatur thuri ardenti in igne, quia oratio in thure ſignificata, debet eſſe ardens, & vehemens pro his qui comburuntur in camino Purgatorij, fol. 198. dub. 160. in fine. Optimus amicus adiuuat poſt mortem, f. 161. d. 55. 1. Pe. Qui vere diligit animas Purgatorij, adiuuet eas orationibus, eleemoſynis, ſuffragijs, & miniſterium optimi amici ad implebit.

Patrocinium Beatæ Virginis.

Vide Euangelium expoſitum, fol. 342. dub. 198. Vſque ad fol. 344. dub. 212. In graui neceſsitate ad Virginis patrocinium confugiendum eſt. Vnde Chriſtus moriens ex parte Matris caput inclinauit, vt doceat omnes, quod cum ipſe abiret ad Patrem, in graui neceſsitate debeant ad B. Virginem confugere, quæ eſt oraculum miſericordiæ, f. 359. d. 58. 2. Pe. *Vide in indice Rerum Patrocinium, Protectio, Defendere, Refugium.*

Præſentatio Beatæ Mariæ Virginis.

Vide Euangelium expoſitum, vt in Patrocinio. Pro hac die, *vide Præſentatio, Votum.* Qualiter ſe totam Deo conſecrauit, *vide in feſto Vnius Confeſſoris ſimplicis, num. 1.*

In Feſto Vnius Sancti Apoſtoli.

1 Charitas, & amor inter alias virtutes in eis eminet. Odor balſami omnes odores excedit; ſic charitas Apoſtolorum inter alias virtutes prærogatiuam ſortitur principem, primaſque fert, fol. 175. d. 79. Balſamum quoque calidum eſt, & ſignificat feruorem charitatis, ita in Sanctis Apoſtolis feruor charitatis alias virtutes antecelluit, f. 177. d. 83. Ideo opera eorum ſecundum radicem charitatis penſanda ſunt, & habuerunt meritum. Vnde B. Virgo non minus meruit ſumendo lac de vberibus ſuis ad nutrimentum Filij, quam martyres fundendo ſanguinem ſuum in martyrio; omnium enim operum merces ſecundum radicem charitatis penſantur: charitas Sanctorum Apoſtolorum ita alijs virtutibus primum anteibat, quod omnia opera eorum ſecundum charitatem, qua ardebant conſiderantur, & habuerunt meritum, f. 141. d. 174.

2 Sanctorum Apoſtolorum amor quo erga Deum tenebantur, eos liqueſaciebat; ſicut enim aurum liqueſcit ad ardorem ignis: ita Sancti Apoſtoli liqueſiebant ad ardorem Diuini amoris, fol. 126. d. 122. Quapropter quo tenero, & ſuaui Chriſtum proſequebantur amore, eo amplioribus honoribus honeſtabantur à Chriſto. Hac ratione Chriſtus primo apparuit B. Virgini. Virgo enim Maria ſupra omnes creaturas diligebat Chriſtum, vnde iure optimo omnibus fuit præferenda, ita vt Chriſtus primo ei appareret: Sancti Apoſtoli adeo in Chriſti ardebant amore, quod Chriſtus eos omnibus Sanctis in honoribus prætulit, & antepoſuit, f. 353. d. 41.

3 Sed quid de amore proximi quem tenebant in oculis, geſtabant in medullis? adeo tenere proſequebantur proximum, quod magnam ex proximorum incommodis moleſtiam capiebant, vnde Beata Virgo cum legiſſet, & audiſſet ſcripturas, quæ de Chriſto loquebantur, & ſucceſſiue videret ſingula impleri, labores, & dolores, probra, & cruciatus, quos in paſſione ſuſtinuit Filius; gladius Verbi Dei pertranſibat B. Virginis animam intellectiuam acutiſsimè, & perfectiſsimè intelligendo, quia Chriſti eam valde commouebant, angebant, & perturbabant mala ex amore Chriſti quo flagrabat: ita Sancti Apoſtoli proximi æſtuabant amore, quod malis, & afflictione proximi, acerbum animi ſenſum, & vix conſolabilem dolorem ſuſtinebant, f. 367. d. 2. Hac ratione B. Virgo nullam conſolationem habuit in paſſione Filij, quia videbat vulnera, nec poterat alligare, ſanguinem effluere, nec poterat ipſum extergere, caput ex granamine inclinatum, & non valebat illum brachijs ſuſtentare à ſe remotum vnde nec amplexari, ex his quæ videbat magnus inſidebat dolor præ amore B. Virginis animo; ita Sancti Apoſtoli magnum dolorem perferebant propter proximi calamitates, f. 80. d. 78.

4 S. Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſtabiles fuerunt in gratia, ideo comparantur terræ quæ non commouebitur: terra eſt cœli centrum, tale autem centrum cœli habet ſtabilitatem, & fixionem: ſic Sancti Apoſtoli ex dono Dei habuerunt ſtabilitatem, & fixionem in gratia, & fide, f. 92. d. 140. Vel ideo comparantur terræ; terra enim eſt aquæ glutino manſiua; quia ſcilicet, propter humiditatem aquæ tenent ſe ad inuicem partes terræ: ita Sancti Apoſtoli aquæ glutino, id eſt, Diuinę gratię dono conſtantes, & firmi fuerunt, f. 34. d. 14. Hac ratione columnę aureę comparantur. Columna habet rectitudinem, & ſtabilitatem: ita Sancti Apoſtoli rectitudinem habuerunt, & ſtabilitatem in gratia, f. 193. d. 141. Gratia quoque ita fortes facti ſunt, quod ab aduerſarijs capi, & ſeparari non potuerunt. Oleum oſſa, & neruos indurat, & me-

medullas confirmat, vnde luctatores toto ſuo corpore oleo perungebantur, vt ab aduerſarijs, vel capi, vel teneri non poſſent: ita Sancti Apoſtoli oleo Spiritus Sancti vncti, id eſt, gratia, capi, & vinci non potuerunt, f. 110. d. 4.

5 S. Apoſtoli quo Chriſto fuerunt propinquiores, eo maiorem præ cæteris Sanctis gratiam acceperunt: vnde B. Virgo dicitur gratia plena: quanto enim aliquid magis apropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principij: ideo Angeli, qui ſunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Diuinis, quam homines: Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundum Diuinitatem quidem authoritatiue, ſecundum humanitatem vero inſtrumentaliter: Beata autem Virgo Maria propinquiſsima Chriſto fuit ſecundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: & ideo præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere: Sancti Apoſtoli proximius acceſſerunt Chriſto quam alij Sancti, ideo præ cæteris maiorem gratiam receperunt, f. 287. d. 29. At alij Sancti multo minorem gratiam receperunt, vnde vir habebat funiculum lineum in manu eius, & calamum menſuræ, cuius viſionis myſticus ſenſus erat neminem futurum fuiſſe in Eccleſia, qui incertam, limitatamque menſuram ſpiritualium donorum, tam gratiæ, quàm gloriæ non haberet, excepta B. Virgine, quæ tam multis diuitijs gratiæ, & gloriæ fuit ſuperfuſa, vt eas ſine menſura accepiſſe videatur, f. 231. d. 16.

6 Sancti Apoſtoli propter ſuam humilitatem copioſam gratiam receperunt. Ideo B. Virgo Angelo annuntianti dixit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi. Humilitas reſpondet, vt ſedes gratiæ præparetur, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; ita Sancti Apoſtoli, quia humiles fuerunt animo, ſubmiſſioniſque laude excellentes, copioſe, & large gratia Dei fuerunt impleti, f. 305. d. 76. 1. Bz. in fine. Vallis quanto humilior eſt, tanto receptibilior eſt aquarum: Sancti Apoſtoli quanto vere ſe in cunctis ſubmiſerunt, tanto receptibiliores fuerunt gratiarum, f. 211. d. 57.

7 Vel ideo vberrime gratia fuerunt expleti, quia à cibo abſtinebant ſibi, parcique fuerunt cibi, & potus. Angelus dixit B. Virgini: *Inueniſti gratiam apud Deum.* Nunquam enim B. Virgo tantam gratiam inueniret, niſi gratia Mariam Virginem in cibo, & potu temperatiſsimam inueniret; ita Sancti Apoſtoli, quia tenui victum vitam trahebant, & tolerabant, affatim, fuſe gratiam receperunt, ſol. 295. d. 48. Sicut gula Euæ non ſolum maledictionem in anima, ſed etiam in corpore; ſic Maria Virgo non ſolum benedictionem in corpore, ſed etiam in anima, non ſolum benedictionem ſpiritualem, ſed etiam corporalem obtinuit. Maledictio enim Euæ guloſæ fuit, parere cum dolore, benedictio autem Mariæ temperatæ fuit parere ſine dolore, vt propter ſuam temperantiam, parſimoniam, laudabilemque frugalitatem gratiam benedictionum in corpore, & anima obtineret: ita Sancti Apoſtoli, quia tenui victu, paruo, minimoque contenti erant, diffuſe gratiam obtinuerunt, ſol. 10. dub. 76.

8 Sancti Apoſtoli ſuffecti fuerunt in locum Chriſti, vt Eccleſiam illuſtrarent. Hac ratione Lunæ aſſimilantur; Luna enim Sole recedente mundum illuminat: ita Sole Iuſtitiæ tranſeunte de hoc mundo ad Patrem per mortem corporalem Sancti Apoſtoli loco Chriſti fuerunt conſtituti, vt fide, & doctrina ſua mundum illuſtrarent, f. 131. dub. 143. 9. Bz. in fine. *In feſto vnius Apoſtoli.* Pro B. Virgine, *vide in indice Rerum Apoſtolus, Docere.* Et nota quod Sancti Apoſtoli corda hominum interius Diuino amore ſuccendebant. *Feria 2. Reſurrect. num. 9.* Pro Apoſtolis, *vide infra Doctor, Prædicator.*

In feſto vnius, vel plurimorum Martyrum.

1 Amorem Martyrum nulla pœnalitas extinxit. *Feria 5. in Cœna Domini, n. 4.* Maiora ſigna amoris erga Chriſtum reſeruarunt in vltimum tempus vitæ ſuæ, *ibi, n. 7.* Aliqui Martyrum martyrium voluntarie quæſierunt, *ibi, n. 2.* Pro B. Virgine, *vide in indice Rerum Aduerſitas, Labores, Martyrium, Patientia, & in indice Moralitatem pro Sanct. Martyrib. vide Labores.* Pro gaudio quo patiebantur, *vide in Cœna Domini, num. 1.*

2 Sanctorum Martyrum fides in aduerſitate ſtabilis fuit, ideo comparantur terræ; omnia enim elementa mobilia ſunt, terra autem immobilis eſt ſecundum ſe totam: ita Sancti Martyres immoti permanſerunt in fide, varijs tribulationibus agitari, f. 79 d. 73. in medio. Hac ratione B. Virgo in nuptijs Canâ prædicauit, & docuit eximiam fidem, nam quamuis audiret à Filio dure, *quid mihi, & tibi*, tamen non hæſitauit, quia perfecta fides non deficit qualibet aduerſitate, f. 351. d. 27. Vnde B. Virgo dilexit Deum ex tota anima ſua, quia certiſsimum habuit animum in veritate, & firma fuit in fide, quod apparuit tempore Dominicæ paſſionis; non enim B. Virgo diligeret Deum ex tota anima, ſi laboribus preſſa, tempore paſſionis Chriſti deficeret in fide: ita Sancti Martyres ex tota anima Chriſtum dilexerunt, quia laboribus circundati, ſtabililes, & firmi in fide fuerunt, f. 31. d. 2. & f. 272. d. 109. 1. Bz. Sol Sancti Martyres fuerunt: lumen Solis nunquam deficit, ſic Sancti Martyres ſteterunt in fide in aduerſitate, f. 67. d. 25. Aſſimilanturque palmæ, quæ virorem foliorum nunquam amittit: ſic Sancti Martyres, nec fidei virtutem, *ibi*, & f. 140. d. 173. 5. Bz. Pro fide B. Virginis, *vide in indice Rerum Fides.*

3 Sancti Martyres in aduerſis conſtantes fuerunt, & fortes, nullaque tribulatione commo-

moti ideo æmulatio, seu dilectio B. Virginis, dura fuit vt infernus, quia constantiam eius nulla tregit violentia persecutionum, sicut qui in inferno sunt, nulla frangi possunt violentia tormentorum: ita Sanctorum Martyrum æmulationem, & dilectionem, constantiam, fortitudinem, animique robur nulla vis tormentorum potuit labefactare, f. 143. d. 190. 2. Bz. Hac ratione B. Virgo, & aliæ fœminæ stabant iuxta Crucem, vt statu corporis constantiam animi significarent: ita Sancti Martyres constanti semper, & infracto animo in martyrio fuerunt, f. 356. dub. 47. 5. Resp.

4 Sancti Martyres ob Christum passum omnia tormenta sustinuerunt. Ideo B. Virgo licet dolores non esset promerita, tamen cum Filio suo voluit pati, quia illa, quæ ipse innocentissimus agnus pro nobis portauit, ipsa etiam ob eius amorem voluit sustinere; non enim doluit B. Virgo suo dare corpori, quod Christus suo dedit, vt ob Christum passum omnes dolores, ac labores suauissimè amplecteretur. Ita Sancti Martyres non erant ita delicati, aut superbi, vt quod Dominus Iesus dignatus est pati, illi quantulacumque ex parte, sustinere non possent, aut noluerint, f. 331. d. 170. 1. Bz.

5 Sanctorum Martyrum passio, maximè fuit acerba, quia quanto pars corporis quæ patitur læsionem, est magis sensibilis, tanto læsio magis affligit: ideo passio Christi valde sensibilis fuit Christo, quia fuit in manibus, & pedibus, quæ sunt partes corporis magis sensibiles propter concurrentiam ossium, neruorum, & venarum: ita Sancti Martyres maximum dolorem senserunt ex læsione corporum ipsorum, vt S. Lucia, S. Sebastianus, S. Appolonia, S. Agatha, & alij, quia in ea parte corporis passi sunt quæ est valde sensibilis, f. 68. d. 32.

6 Sanctos Martyres in suis tormentis Deus roborauit, ne deficerent. Vnde Christus in sua passione B. Virginem confortauit, speciali, robore, ne præ dolore vitam efflaret: ita Deus Sanctos Martyres roborauit, ne in tormentis consternerentur animo, f. 115. d. 33. 1. Bz.

7 Sanctorum Martyrum, loca in quibus martyrium pertulerunt, frequentantes, magnam inde consolationem reportant. Ideo Beata Virgo post Filij passionem sedula deuotione loca passionis suæ perlustrauit, vt in his qualemcunque reciperet consolationem: ita homines in maximo suo dolore hoc solatio vtuntur, & fruuntur, scilicet, loca sancta, in quibus Sancti Martyres passi fuerunt, deuota veneratione percurrere, f. 114. d. 44.

8 Sanctorum Martyrum fides constans, feruida, & humilis, multa impetrauit à Deo, *vide* fol. 273. *dub.* 111.

In festo Vnius Confessoris simplicis.

1 Sancti Confessores toti fuerunt Dei, totique Deo dicati. Ideo B. Virgo bene Ciuitas Dei appellatur, quia tota fuit Dei, & nullius nisi Dei; nihil enim in ea habuit pars aduersa: ita Sancti Confessores toti fuerunt Dei, quia nihil in eis habuit mundus, f. 88. d. 117. 3. Bz. Vnde virgulæ fumi comparantur: Fumus speciem habet, sed substantiam non habet; cum enim cernitur, aliquid esse videtur, cum manus apponitur, nihil inuenitur: ita Sancti Confessores videntur de mundo esse per carnis speciem, sed de mundo non sunt per dilectionem, sed Dei, quia nihil mundi in eis inuenitur, f. 116. d. 53.

2 Sancti Confessores non ab alio quam à Deo bona sua desiderabant habere: ideo rectè comparantur virgæ; virga enim non recipit virtutem fructificandi ex commixtione seminum, sed ex pluuia, & rore cœli: ita Sancti Confessores non à mundo, non ab homine, sed à Deo bona recipere volebant, f. 94. d. 151.

3 Sancti Confessores bona temporalia accepta à Deo in aliorum commodum expendebant. Sara lactabat multos filios lacte Diuino dono dato: ita Sancti Confessores temporalia quæ accipiebant à Deo, in aliorum vtilitatem conuertebant, f. 16. d. 115. Conchæ marinæ in aurora se aperiunt, & rorem suscipientes, margaritas concipiunt, quæ in ornamentis ponuntur: ita Sancti Confessores bona, quæ à Deo recipiebant, in aliorum commodum diffundebant, f. 19. d. 158. Pluuia generatur virtute venti colligentis; venti enim volantes supra mare multum humorem sæpè colligunt, & secum ad aerem attrahentes in pluuiam dissoluunt terræ fructuosam, & salutarem: ita Sancti Confessores quæ recipiebant in aliorum vtilitatem reddebant, f. 213. d. 64. Beata quoque Virgo Deum conceptura meminit se esse Ancillam, vt inueniret quod Filium à Deo acceptum, ab eaque nasciturum, mundi obsequio erat mancipatura, fol. 307. d. 80. Exurgens quoque B. Virgo abijt in montana, vt de plenitudine gratiæ quam receperat Ioanni, & Elisabeth impertiret, f. 380. d. 83. 3. Resp.

4 Sanctorum Confessorum gaudium, quo interius perfundebantur magnum fuit, quia non in mundo, sed in Deo gaudebant. Ideo B. Virgo maximum gaudium habuit in paupertate, & austeritate, quia exultauit in Iesu ex vtero eius nato, & verum gaudium non de creatura, sed de Creatore concipitur: ita Sancti Confessores in genti lætitia afficiebantur interius, quia propter Deum gaudebant, qui est verum gaudium, f. 354. d. 44. & f. 318. d. 125. 4. & 5. Bz.

5 Deus studiosissimus est, quod animæ ipsorum in hoc sæculo gaudio afficiantur. Vnde Angelus annuntians B. Virgini, dixit: *Aue gratia plena*, quæ verba ad gaudium referuntur, non enim Angelus B. Virgini terrorem intulit, sed salutationis verbis quæ gaudium sonabant, gaudium attulit, vt B. Virgo esset gaudio perfusa: ita

ita Deus solicitus est, quòd iusti in hoc sæculo gaudio sint denbuti, f.285. d.23. Et nota quod iustorum internum gaudium foras erumpit: ideo B. Virgo ingenti repleta gaudio se non potuit continere, quin externas prorumperet in laudes, vnde dixit: *Magnificat anima mea*; quia enim spiritus interius exultauerat, ideo anima in voce magnificabat. Vnde exultationem de præterito, & magnificationem de præsenti ponit, quia exultatio prior est natura; significabat enim, gaudium illud, quo anima sua affecta est, dum Christum in vtero concepit, extra saltasse, foràsque exisse: ita gaudium quo interius perfunduntur iusti, foras effluit, f.318.d.123.

6 Sancti Confessores in virtute maximè constantes: vnde assimilantur terræ; terra enim est cœli centrum, tale autem cœli centrum habet stabilitatem, & fixionem: ita Sancti Confessores ex dono Dei habuerunt stabilitatem, & fixionem in virtute, f.92. d.140 Comparanturque palmæ, palma in æstate, & hyeme assidue seruat virorem foliorum: ita Sancti Confessores in aduersitate, & prosperitate virorem virtutum seruarunt, f.93.d.144. Multi Sanctorum Confessorum non peccauerunt mortaliter. *In festo S. Petri Martyris.*

7 Sanctorum Confessorum corona virtus est: ideo in capite mulieris corona erat Stellarum duodecim, quæ dona gratiæ, & virtutis denotabant, ex quibus corona eius componitur: ita Sancti Confessores cincti sunt, & redimiti sertis virtutum, f.376.d.4. f.384.d.365. Stellaque maris possunt dici; Stella maris per gyrum arcturi sibi propinqui ab aliis Stellis est distincta. Arcturus enim est septem Stellarum cursus, quæ Stellam maris circumeunt, facientes ei, quasi circulum, & coronam: ita Sancti Confessores Stella maris sunt omnium virtutum coronis, qui in numero septenario, qui vniuersitatem in sacris litteris significat continentur, coronantur, & decorantur, f.31.d.25.

8 Hoc tamen decore, & ornatu virtutum redduntur Sancti Confessores pulcherrimi, & venustissimi. Tabernaculum Moysis ornabatur, construebatur, & tegebatur de pellibus rubricatis, hyacinthinis, & sagis cilicinis, & coccinis pulchrificabatur textis opere pulminario: ita Sancti Confessores ornati fuerunt, & distincti omnimoda pulchritudine virtutum, f.24.d.17. Decorabantur quoque virtutibus interius, & exterius, ideo comparantur terræ; terra exterius venustatur plantis, interius ditatur innumeris thesauris: sic Sancti Confessores exterius fuerunt ornati venustate morum, & interius ditati thesauro virtutum, f.215.dub.73. *Vide in indice Moralitatum Iustus, Virtus, & pro qualibet Virtute in particulari, in suis locis.*

9 Sancti Confessores omnem suam industriam, operam, & diligentiam in procuratione rerum proximi consumpserunt. Vnde B. Virgo in nuptijs Canà loquuta fuit deficiente vino, nec legitur amplius in Euangelio eructasse verbum. Sanctissima enim Virgo pro hominibus ibi ad Filium verba misericordiæ protulit, vt denotetur perpetuum eius munus esse pro nobis ad Filium intercedere, omnemque humano generi bonum solicitare: ita Sancti Confessores neque cura, neque diligentia, studio, & solicitudine bono proximi vnquam defuerunt, f.331.d.28. Ideo Iudith orabat Dominum Deum Israel feruentissimè, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi sui captiui, & afflicti: in quo commendatur Iudith ab amplissima charitate quæ consideratur in hoc, quod non tam propriam exaltationem, quàm populi quærebat liberationem; ita Sancti Confessores non propriam conuenientiam, sed commune proximi bonum procurabant, f.54. d.4. Hac ratione Iesus qui in vtero Matris erat, festinabat adhuc in ventre Matris positum Ioannem sanctificare, quia verus amor ita bonum alterius curat, quod non sustinet alium in labore, & miseria detineri: ita Sancti Confessores omnes suas vigilias, curas, & cogitationes ab omni alia re ad aliorum procurandum bonum, traducunt, fol.308.d.85. Quapropter B. Virgo se interposuit Cruci, & Aquiloni, ne diabolus signatus per Aquilonem posset eos impedire, qui venire vellent per fidem ad brachia Saluatoris extensa, sicut fecit latro, & fecisse videtur Centurio; ita enim erat solicita de bono aliorum, quod interposuit se Cruci, & Aquiloni abigens malos incursus, & parans tutum accessum, vt peruenirentur ad Christum: ita Sancti Confessores summa ope nitebantur, intendebantque in omne bonum aliorum, f.355. d.46.6.

In festo vnius Confessoris Pontificis.

Vide in indice Rerum, & Moralitatum Prælatus. Bonus Prælatus mediatoris suscipit officium, & partes inter Deum, & subditos. Ideo labrum ponebatur inter Tabernaculum testimonij, & Altare: Tabernaculum est Ecclesia, Altare Christus, labrum Prælatus; inter Tabernaculum ergo, & Altare debet poni, quia mediator debet esse inter Christum, & subditos suis precibus eos Christo reconciliando, f.25.d.34. Dauid quoque inter noctem, & Solem auroram posuit mediam, quæ ordine naturali media est: ita boni Prælati instar auroræ sunt, qui inter noctem, & Solem, inter hominum iniustum, & Deum iustum, sunt optimi mediatores, optimique iræ Dei refrigeratores. f.82.d.89. Vnde B. Virgo, quæ speculum est Prælatorum comparatur nebulæ, quæ mediat inter cœlum, & terram, & B. Virgo mediat inter Deum, & homines, quasi aduocata: ita optimi Prælati medij sunt inter Deum, & subditos, f.154.dub.26. Hac ratione B. Virgo in suo puerperio à Pastoribus, & Regibus visitata fuit, quia tunc mediatrix

trix Dei, & hominum fuit constituta: ita Prælatus mediator constituitur Dei, & subditorum, fol. 286. dub. 26. 3. Resp. in fine. Optimi Prælati sunt sicut platanus, quæ arbor est patula, quæ expansis ramis vberem facit vmbram, & idoneum præbet vmbraculum calore Solis nimio fatigatis: Sol Christus est, Solis feruor, ira iustitiæ eius, & vindictæ est, quam Prælatus suis temperat precibus, f. 173. d. 72. 3. &c. Quapropter B. Virgo Christum natum pannis inuoluit, seu vt alij legunt, *pannis infasciauit*, vt insinuaret, quod in potestate Virginis erat, Diuinæ Iustitiæ manus cohibere, ne supplicium peccatoribus inferant: ita officij Prælatorum est iram Dei in subditos retardare, iratique Dei manus obligare, f. 325. d. 151. Et hæc est optima pars quam elegit B. Virgo, scire Deum ad misericordiam inducere: ita optima pars Prælati est Deum ira feruidum ad misericordiam, & pietatem trahere, f. 341. d. 196. 2. Resp. fol. 83. d. 94. Ideo Prælati dicuntur libri, *vide fol. 247. dub. 1. 3. Resp. & applica, & fol. 272. dub. 107.* dicuntur nubes, quæ æstum temperat.

Prælatus, quia in sublimi dignitatis gradu est collocatus, virtute sit nitidus. Ideo comparatur Stellæ: Stella enim in cœlo sita est, & exijt claritas ab illa: ita Prælatus in alto honoris gradu situs, & constitutus est, ideo ab illo claritas, & splendor virtutum exire debet, f. 31. d. 26.

Prælatus benignus sit in subditos, eis non iracundus: terra inter omnia elementa homini nunquam iracscitur, nam aquæ videntur iracsci, quia subeunt imbres glacies ingrandines, aer vero condensatus in nubibus, & fruitur procellis, de igne idem dicit Plinius, sed de terra non, nam vt dicit Plinius, nimis benigna est: ita bonus Prælatus, non inflammatur furore in subditos, benignus est, & lenis, f. 79. d. 72.

In festo vnius Abbatis.

1 *Vide in Moralitatibus Solitudo.* Sancti Abbates bona temporalia reliquerunt, ne eis impedirent cœli ascensum: Gemę turturis pilos non habent, sed plumas, quæ nullum aquarum vestigium retinent, & iuuant ad volatum: ita bona temporalia maximè obstant ad ascendendum in cœlum, qui vero ea perfectè reliquerit, habilis, faciliſque redditur sicut Sancti Abbates ad cœli ascensum, f. 111. d 130.

2 Sancti Abbates à Deo sunt exaltati, quia temporalia despexerunt, & Deum perfectè dilexerunt: ideo plenitudo sanctitatis in duobus est, vnum est rei mutabilis contemptus, aliud amor Dei immutabilis perfectus. Per hæc duo B. Virgo meruit exaltari, quia temporalia perfectè contempsit, & Deum perfectè amauit, f. 169. d. 65. 2. Resp.

3 Sanctorum Abbatum conuersatio in cœlis erat. Libanus non incisus est thus integrum, quod si igne tangatur vaporem suum sursum emittendo manifestat habitationem suam: ita Sancti Abbates per dilectionem quasi per ignem inflammati, per dilectionemque operando, ostenderunt quod conuersatio eorum in cœlis erat, f. 177. d. 84. 2. Resp. Hac ratione Angelus annuntians B. Virgini nomen Virginis tacuit; Angelus enim cum B. Virgine habebat sermonem Beatorum, ac patriæ more non eam proprio nomine vocat, sed tantum legationem suam, & conceptum illi exponit: tam pure, & sancte viuebat B. Virgo in terra, veluti Beatus in cœlo: Sancti Abbates tanta innocentia vitæ, & puritate vixerunt in hoc sæculo, quod videbantur habitare in cœlis, f. 286. d. 27. Vita quoque B. Virginis, & S. Ioseph tota fuit cœlestis: ita vita Sanctorum Abbatum cœlestis fuit, legimus de S. Bernardo quod cœlestem vitam agebat in terris, & de D. Antonio, quod cœlestis vitæ genus in terris colere instituit, f. 364. d. 6.

4 Sancti Abbates terrena despicientes, cœlestia petebant: nubes est sua leuitate sursum ascensiua: ita Sancti Abbates contemnentes terrena, semper erant ad cœlestia elevati, f. 207. d. 37. 5. Resp. Ideo comparantur virgæ, quæ gracilis est, & erecta: ita Sancti Abbates graciles fuerunt propter rerum, & spiritus paupertatem, & erecti sursum per cœlestium contemplationem, f. 203. d. 27. Porta de qua loquitur Dominus ad Ezechielem respiciebat ad Orientem: ita Sancti Abbates antiquam requirebant patriam, & Paradisum, quem Deus conseuit in edem ad Orientem: non gerebant affectum ad ista terrena, sed ad cœlestia semper anhelabant, quamuis corpore semper versarentur in terra, animo tamen fixi cœlo hærebant, f. 233. d. 23. 2. Resp. Hac ratione B. Virgo dicitur solitudo, quia separata turbine mundi, & soli intenta Creatori: ita Sancti Abbates abstracti à mundo, Deo intendebant, f. 337. d. 1.

5 Sancti Abbates perfectè mundum contempserunt, omnes res inanes parui ducebant: ideo sub pedibus mulieris Luna erat: Luna in quantum variabilis significat mundum, quia quandoque plena, quandoque vacua: sic aliqui in mundo aliquando habent plenam prosperitatem, aliquando medio modo, aliquando ea nudati, & secundum hoc Luna fuit in mundo sub pedibus B. Virginis per contemptum perfectissimum mundi, sub pedibus affectus erat, vt nihil esset quod mundanus violaret affectus: ita Sancti Abbates Lunam, id est, mundum sub pedibus habebant, omnes opes, diuitias fortunas contemnentes, in minimis habentes, f. 383. d. 55 2. &c. Hinc est quod mundum parui pendentes, cœlestes dulcedines gustabant. Ideo comparantur cinnamomo quod est coloris cinericei, color cinericeus color mortuus est, sed sub hoc colore latet in cinnamomo sapor vinus: ita Sancti Abbates mortui erant mundo despicientes

quid-

quidquid in mundo gloriosum est, & ideo ornabant, imo & sapiebant dulcedines aromaticas Paradisi, f. 175. d. 77. 3. Resp.

In festo Vnius Doctoris.

1 Sancti Doctores sociabant vitæ sanctitatem, cum doctrinæ veritate. Hac ratione Sponsus Sponsam suam bis nominat pulchram, commendans eam à pulchritudine intellectus, quæ est veritas, & affectus, quæ est bonitas: Sponsa Christi Doctor est, cuius est per semen doctrinæ filios gignere Christo, duplex pulchritudo Doctoris apparet in veritate doctrinæ, & sanctitate vitæ, f. 113. d. 19. Hac ratione, quia integritate vitæ pollebant multam habuerunt de Diuinis cognitionem. Vnde D. Ioannes de B. Virginis eminentia loquuturus, dixit quod *fuit in spiritu*, quia qui intelligere vult magnalia B. Mariæ, de carnali necesse habet prius fieri spiritualis, & ideo præmittit fui in spiritu ita Sancti Doctores, quia sanctimoniam, pietatem, & Religionem colebant, multa de Deo mente, animo, ingenioque assequuti sunt, f. 377. d. 9. B. Virgo bis dicitur hortus conclusus, quia nec in intellectu error intrauit, neque affectum iniquitas venialis. Sancti Doctores, quia iniquitate grauiaffectum non habuerunt pollutum, error non intrauit eorum intellectum, imo multam de Diuinis scientiam acquisierunt, f. 123. d. 105.

2 Sancti Doctores propter suam humilitatem veritatem doctrinæ adepti sunt, ideo dicit Psalmista, quod veritas de terra orta est; terra enim est humilius elementum, quid est ergo quod veritas de terra orta est, nisi quod doctrina vera de humilibus, quales fuerunt Sancti Doctores processit, fol. 85. dub. 106. *Vide Dom. 4. Aduentuum. 6.*

3 Sanctorum Doctorum doctrina pura est, & stabilis: ideo collum Sponsæ dicitur esse, sicut turris eburnea. collum Sponsæ, id est, Ecclesiæ sunt Doctores Sancti, ebur castitatem, & munditiam significat, turris stabilitatem: collum ergo Sponsæ dicitur esse, sicut turris eburnea, quia doctrina, qua Sancti Doctores instruunt Ecclesiam, est sicut turris firma, eburnea, quia pura, nihil falsitatis admiscens, f. 139. d. 168. 2. Resp. Vnde doctrina Sanctorum Doctorum comparatur fluuio aquæ viuæ. Aqua viua dicitur, quia nunquam deficit: ita doctrina Sanctorum Doctorum non deficiet, sed perennauit, fol. 387. dub. 52.

4 Sancti Doctores os Dei sunt, per quos nobis loquitur Deus. Filius os Patris dicitur; sicut enim aliquis alicui loquitur ore proprio, sic Pater per Filium suum loquutus est mundo: ita de Sanctis Doctoribus, f. 109. dub. 1. 2. Resp. Vnde conueniens fuit Matri Dei annuntiari per Angelum Diuinæ Incarnationis Mysterium, vt in hoc seruaretur Diuina ordinatio, secundum quam mediantibus Angelis Diuina ad homines perueniunt: ita Sancti Doctores primo edocti sunt à Deo, postea per ipsos ad nos cognitio veritatis tranit, f. 278. d. 1. 1. Resp. & d. 2.

5 Per Sanctos Doctores distinguenda est mala doctrina à bona: sunt sicut Sol, qui habet virtutem discretiuam, quia per eius lucem omnia deregentem, nunc colores omnes discernimus, & nigrum ab albo distinguimus: ita per Sanctos Doctores consequimur veram cognitionem bonæ, & malæ doctrinæ, f. 131. d. 144. Ideo Sacram Scripturam seruant, & ab hæreticis tutantur. Vnde cedrus dici possunt; cedrus seruat libros à tineis: ita Sancti Doctores Sacram Scripturam seruant, ne corrumpatur ab hæreticis, f. 167. d. 60. 2. &c. *Vide in Moralitatibus Doctor, & in indice Rerum pro Beata Virgine, Docere.*

In festo Vnius Virginis.

1 Sanctæ Virgines alterius viri, quam Christi coniugium volunt nescire. *In festo Luciæ, n. 2.* Caste viuentes Templum fuerunt Dei, *ibi, n. 3.* & f. 296. d. 51. 1. &c. Virginitas nuptijs præfertur, f. 280. d. 6.

2 Sanctæ Virgines passiones carnis quasi ignoraruut, ideo vellera comparantur: vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas cum sit in carne vitia tamen carnis ignorat, f. 34. d. 11. Ideo sensualitatis, & rationis videbatur in eis esse vnitas, & concordia: vnde dici poterant Ciuitas, quæ dicitur quasi ciuium vnitas, & bene Ciuitas vnitas, quia in sanctis virginibus, nec caro concupiscere videbatur aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem, nec aliquid videbatur in earum corpore rebellionis, aut contradictionis, f. 88. d. 117. 2. &c. Hac ratione fuerunt sicut lilium: est autem lilium infra spinas, lilium intra spinas, lilium supra spinas: lilium infra spinas est virginitas subiecta criminibus; est enim crimen spina, sicut spina pessima: lilium inter spinas, est virginitas impugnata tentationibus; tentatio enim spina valde pungens, lilium supra spinas est virginitas superans tentationis impugnationem: ita Sanctæ Virgines quasi lilium supra spinas videbantur esse, quia nullum videbantur sentire aculeum libidinis, f. 115. dub. 30. Quapropter terra arens dicuntur: Terra est elementum naturaliter frigidum, & siccum: ita Sanctæ Virgines frigidæ, & ſiccæ videbantur per carnis incorruptionem, quia carere videbantur humore luxuriæ, & ardore concupiscentiæ, f. 31. d. 1. Comparantur Iacob, f. 67. d. 115. in fine.

3 Sanctæ Virgines maximè coniunctæ Deo propter suam virginitatem, *vide fol. 147. dub. 7. & fol. 63. d. 7.* In altissimoque statu constitutæ, quia virginitatem multę vouerunt, f. 154. d. 27. In sanctis virginibus humilitas cum virginitate simul iunctę fuerũt, f. 148. d. 13. 1. &c. f. 91. d. 133. f. 176. d. 81. Sanctæ Virgines bonis operibus vacando, virginitatẽ defendebant, f. 116. d. 57. Sanctæ Virgines honestate, & simplicitate viridæ

ideo turturibus comparantur, f. 112. d. 13. in fine. Sanctæ Virgines quietem animi, receſſum à mundo, receptumque ſui amabant, f. 203. d. 15. 4. Bz. Virginitas Eccleſiæ ornamentum, f. 360. d. 4. 2. Bz. Angeli adſunt virginibus ideo Angelus miſſus fuit ad Beatam Virginem, f. 279. d. 1. 3. Bz. Virgines fortes fuerunt, ſicut turris contra diabolum, f. 139. d. 168.

Pro Reliquijs Sanctorum.

Reliquiæ Sanctorum auxilium implorant à Deo peccatoribus. Vnde Rachel ſepulta fuit in uia, vt ſuis captiuis illac tranſituris, in Babylonemque ducendis, de ſepulchro patrocinaretur: ita Sanctorum Reliquiæ de ſepulchris, de thecis ſuis ad Deum clamant, imploraturæ auxilium ad populos ſuos, f. 20. d. 147. Hac ratione Beata Virgo ſepulta fuit in valle Ioſaphat, vbi extremum iudicium futurum eſt, vt hominibus ad iudicium vocatis patrocinetur: ita Sancti de monumentis, debuſtis ſuis protegunt, & defendunt precibus ſuis populos, qui præſidij cauſa ad eos inuolant, *ibi.* Mediatoreſque ſunt inter Deum, & homines. *In feſto Vnius Confeſſoris Pontificis, num. 2.* Oſſa Sanctorum contra diabolum præſtant auxilium, *vide fol. 139. dub. 168. & applica.*

Pro Regibus.

In altiſsima, Regiaque dignitate conſtitutus beneficentiſsimus, & maximè liberalis ſit in omnes. Ideo Sol plus influit in inferiora, quam cæteri Planetæ: Rex Sol eſt, qui in ſublimiori, Regioque gradu euectus, plus debet influere in ſubditos, liberaliorque debet eſſe quam alij Principes, f. 133. d. 146. 3. Reſp. Ideo Beata Virgo, quæ Regum ſpeculum eſt, poſtquam in Regiam Dignitatem; ſcilicet, in Matrem Dei ſublimata eſt, abijt in montana, vt Regina totius vniuerſi, ac communis perſona effecta, bona ſua ſuis communicaret: ita Reges beneficam, largamque naturam in ſubditis tractandis, oſtendant ſuam, f. 308. d. 83. 3. Reſp. Pro Beata Virgine, *vide in indice Rerum Dare, Largitas.* Reges ſuis ſint in laboribus leuamen: ideo Chriſtus venit ad montem Oliueti; oleum enim laborum, & dolorum ſolamen eſt: ita Reges leuamen præbeant populis, ſolatij medellam præſtent ſubditis in laboribus conſtituris, fol. 273. d. 114. Pro Regibus, *vide Prælatus in indice Rerum, & Moralitatum, vide Princeps.*

Pro Religioſis.

